Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
H
13
NAPOLI

ANNALES
MINORUM

AUCTORE

A. R. P. F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejuſdem Ordinis Chronologo.

ANNALES
MINORUM
SEU
TRIUM ORDINUM
A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A. R. P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS QUARTUS

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.MI P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA

S. T. Lect. Jubilati, S. & U. Inquiſitionis Conſultoris, S. C. Conſiſtor. Votantis, Epiſcop. Examinatoris, & Ord. Min. in Ciſmont. Familia Commiſs. Generalis.



Andrea Rossi faciebat Rom. 1731.

ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXII. Superiorum permiſſu.

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

Digitized by Google

SANCTISSIMO
D. N. D.
CLEMENTI XII.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia
FELICITATEM

ANNUS *labitur tertius Pontificatus Tui*, BEATISSIME PATER*: ſed cujus dies ſingulos ſingulas vitas exiſtimare quilibet poſſit: ita multa, ac præclara ſunt, quibus*

Digitized by Google

cum Tui Nominis ſanctitatem quotidie tueris, tum celſiſſimum dignitatis Deo proximæ locum maxime illuſtras. Magna enim ſunt, quæ jam inchoaſti: majora tamen, quæ mente deſignas: nihil vulgare cogitas, nihil humile, nihil anguſtum: metiris omnia Tua potius magnitudine, quam communibus exemplis. Præclare. Non enim Pontificiæ laudes in mediocritate verſantur: nec decet, qui poteſtate, & honore cunctis hominibus antecellat, eum ab ullo homine recte agendi cupiditate, ſtudioque ſuperari. Itaque eo ſpectant conſilia Tua, ut omnes gentes diuturna pace, juſtitia, pietate foveas; urbem Romam operibus magnificentiſſimis, & cum ipſa antiquitate comparandis, exornes; civitatem Tui ſtudioſiſſimam, ſuperiorum temporum calamitatibus afflictam, perpetua benignitate recrees; denique tollas aliquando ex imperitorum animis dubitationem illam, quæ laudabilia multorum ſtudia remoratur, utrum res maximas fortuna poſſit ſine virtute perficere, an virtus, quo contendat,

dat,

Digitized by Google

dat, ſine fortuna pervenire. De quo quid ſentires ipſe, oſtendit jam pridem Tuæ vitæ ratio: nunc, ut omnes idem ſentiant, ſumma animi contentione præſtare pergis, reſtituta iis virtutibus dignitate, quæ Te talem, tantumque fecerunt, ut, quales ipſæ, quantæque eſſent, ope Tua, ſtudioque omnes mortales intelligerent. Hæc illa ſunt, numquam ſatis laudata, veterum Pontificum inſtituta, quibus hanc nobis Eccleſiam tam egregie fundatam, exſtructamque reliquerunt; hæc illa merita, quibus hominum vita, breviſſimis circumſcripta finibus, ad infinitam memoriam propagatur. Ne longum faciam, magna eſt, PATER SANCTE, *omnium ordinum de Te opinio, magna commendatio liberalitatis, magna prædicatio Pontificatus Tui; cujus gloria optime geſti aletur memoria hominum ſempiterna, ſermonibus creſcet, litterarum monumentis corroborabitur. Noſtra vero familia, quam Tu perpetuæ caritatis vinculo complexus nullo tempore ornare deſiiſti, numquam*

de

de Tuis laudibus conticeſcet. Te parentem ſuaviſſimum, Te non modo præſidium egeſtatis ſuæ, ſed etiam vindicem dignitatis appellabit: ut jam fateri poſſimus, neminem umquam tanta eloquentia in nobis futurum, qui Tuorum magnitudinem, multitudinemque beneficiorum, quæ in hunc Ordinem contuliſti, non modo augere, aut ornare oratione, ſed enumerare, aut conſequi poſſit. Tu honorifica de nobis omnibus judicia, partim diplomatum teſtimonio, partim, ut ajunt, vivæ vocis oraculo ſæpe tuliſti; Tu communem inopiam crebris largitionibus ſublevaſti; Tu exſtruenda ad Aram-Cœli bibliotheca, ne quid nobis, noſtriſque litteris ornamenti deeſſet, non exiguum pecuniæ modum impendiſti. Quæ utinam Tua in nos promerita, ut erunt ſane immortalia recordatione poſterorum, ita perenni Tuæ vitæ curſu continuata permanerent. Nemo enim dubitat, quin, optare Tibi perpetuam vitam, idem ſit optare nobis perpetuam felicitatem. Nec vero cuiquam noſtrum tanti

eſt

eſt hujuſce lucis uſura, quin de ſua detractum aliquid vita libenter, ſi poſſit, in Tuam conferat. Sed, quoniam hac lege huc omnes ingredimur, ut aliquando diſcedamus; nec licet nobis in Te uno ſingularem conditionem pro Tua ſingulari beneficentia poſtulare: ſaltem, ut quam diutiſſime Te præſente perfruamur, & petimus a Deo ſupplices, & futurum pro ſumma ejus erga nos clementia confidimus.

ERU-

ERUDITO LECTORI.

HABES, CANDIDE LECTOR, Annalium P. Lucæ Waddingi Tomum Quartum: in quo adornando, quamquam multis, graviſſimisque negotiis diſtricti eramus, omnes tamen ingenii nervos intendimus, utque cito prodiret, aſſidua cura, & labore aſſecuti ſumus. Studium hoc noſtrum gratificandi iis, qui ſua nomina in ſocietatem dederunt, feſtinationem profecto attulit, perfecitque, ut æſtivis caloribus minime fracti quam celerrime inceptum perſequeremur. Itaque hoc Volumine edendo non modo, quod æquum fuit, noſtram fidem liberavimus, ſed, quod vulgatis conditionibus ſocietatis polliciti eramus, ante diem repræſentavimus. Id quod a nobis, quanta maxima diligentia fieri poterit, reliquorum voluminum editione ſubinde præſtabitur. Tantum enim in dies ſingulos prælo ſubjicietur, quantum ſumma celeritate paratum erit. Vale.

REIM-

REIMPRIMATVR

Si videbitur Reverendiſsimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATVR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

AN-

ANNALES MINORUM.

Anno Christi 1256.	Alexandri IV. anno 2.	Schismatis Imper. Occid. anno 1.	Religionis Minorum anno 49.

ARGUMENTUM.

Eliguntur in ſchiſmate Imperii Alphonſus Caſtellæ Rex, & Richardus Cornubiæ Comes. Deponente Ordinis Præfecturam Joanne Parmenſe, eligitur Generalis Miniſter Bonaventura Balneoregienſis, qui contra Prædeceſſorem, in quibuſdam accuſatum, procedit. Commendatur Jacobus de Maſſa a ſpiritu prophetiæ, & Bonaventura a prudenti regimine. Magna fit unio Eremitarum Auguſtinenſium, quibus iterum exterior veſtis præſcribitur. Controverſiæ Pariſienſis variæ viciſſitudines: atque altera Fabrianenſis referuntur. A Græcis miſſi Apocriſarii ad Pontificem de perficienda unione, de qua Joannes Parmenſis cum eiſdem tractaverat. Variæ injunguntur Minoribus & Prædicatoribus pro Eccleſia functiones. Multa conferuntur Minoritis domicilia & privilegia.

I. IN ſuperiori libro monui eſſe, qui ſcribant, poſt *An. 1255. n. 21.* mortem Willielmi Imperatoris interregnum ſequutum ultra duos annos. At præterquam quod graves hiſtorici id negent, mihi ſatis ſuperque compertum minus verum eſſe, quippe ex ipſis actis productis, juribuſque allegatis ab ipſis Cæſaribus in ſchiſmate electis, quæ penes me habeo MSS. in judicio coram Urbano IV. prolata, conſtat hoc anno proceſſiſſe Electores ad ſubſtituendum alium Willielmo defuncto. Verum eſt, aliquot *Eliguntur in ſchiſmate Imperatores duo.* menſes interceſſiſſe, & variis Electorum ſtudiis contentionem in longum protractam, non conſentientibus omnium ſuffragiis; eligentibus Richardum Cornubiæ Comitem, Henrici Angliæ Regis fratrem, VIII. Idus Januarii, Archiepiſcopo Colonienſi ſuo & Moguntini nomine, ab eodem recepta commiſſione, & Comite Palatino; conclamantibus ex adverſo Archiepiſcopo Treverenſi, & Saxoniæ Duce electionem vitioſam, atque Alphonſum Caſtellæ Regem collatis ſuffragiis Richardo præferentibus, pridie Kalendas Aprilis proxime ſequentis. Miſſi a fautoribus ad utrumque legati, uterque ſe legibus creatum dicere, æmulum vitio: eo meliori Richardi conditione, quod continuo rebus expeditus

in Germaniam accurrit, & de manu Coloniæ Præſulis, cujus eæ partes ſunt, Aquiſgrani primam Imperii coronam ſuſcepit ſexto Nonas Maii. Alphonſus inteſtinis motibus implicitus, & de ſuorum voluntate diffiſus, filiorum ætate nondum matura, ire diſtulit, tametſi Conſtantiæ, & Spiræ Præſules ea de cauſa legati venerant: & novis ſubinde legationibus, ut Imperium capeſſeret, ſollicitabatur. Ea mora ſuæ factionis ardorem reſtinxit, adverſæ ſtudia cauſamque confirmavit. Favebatur Alphonſo, præter virtutis opinionem, quod genus maternum ad Germaniæ Imperatores referret, Beatricis filius, atque ex ea Philippi quondam Auguſti nepos. Richardum linguæ haud omnino diſſimilis commercium, veteres & magnæ inter utramque gentem viciſſitudines, morum ſimilitudo, ſanguinis propinquitas ſublevavit, ut idoneus Imperio judicaretur. Jus controverſum diſcuſſum fuit longo tempore, neque quidquam concluſum, producente utroque varia ſuæ cauſæ munimenta; neque lis Alexandro Pontifice, neque Urbano ſucceſſore arbitris & diſceptatoribus, ut opus erat, & ut ſaniores judicabant, componi potuit. Utraque pars ſui juris tenax, ne cauſam minime dubiam ad cujuſquam arbitrium revocando, ancipitem reddere videretur, ſibique diffidere judicium ſubire recuſabat: armis potius diſceptare parati erant, tum propriis, tum Principum Germaniæ, quorum ſtudiis utrique ſublevabantur: imminebatque ex ea re magnum Reipublicæ Chriſtianæ malum, niſi utrumque Principem res domeſticæ retinuiſſent. Convenit etiam in hunc electionis annum Bergomenſis, ſed valde errat circa utriuſque Cæſaris nomen, Joannem Caſtellæ Regem, & Rodulphum Cornubiæ Comitem appellans.

Bergom. in ſupplem. an. 1256.

Marian. c. 23. Marc. lib. 1. c. 56. Rodulph. fol. 179. Chron. antiq.

Parmenſis de tollendis agit abuſibus.

II. Joannes Parmenſis Miniſter Generalis nihil per hoc tempus poſt ſuum e Græcia regreſſum, magis curabat, quam tepentem in multis priſmævi Ordinis fervorem crebræ exhortationis flabello iterum in flammas excitare, & priſtinum nitorem modis omnibus reſtituere. Vidit, ſe in remotis Orientis partibus agente, quædam irrepſiſſe obſervantiæ regulari non adeo conſona, quæ dum tollere voluit, conatus omnes adjecit; modo verbis, modo factis inſtitit, nulli parcens culpabili, ſecundum culpæ menſuram addens & plagarum modum. Viris regularibus, quibus cordi erat Ordinis bonum, valde placebat reſtaurandæ obſervantiæ zelus; aliis verò, qui laxiorem apprehenderant vitæ rationem, durum erat contriſtare carnem ſuam, molliuſcula dimittere, & rigidiora ſectari. Ex his erant non pauci potentiores & doctiores, qui auctoritate abutentes, optimi Rectoris monita negligebant. Voluit ille omnino obedientiam extorquere, errantes caſtigare, mala impunita non relinquere, atque ita efficere, ut quorumdam malum exemplum non fieret aliis in laqueum & in ſcandalum. Hinc ſecretum murmur, frequentia conciliabula, deinde conſtans in hominem conſpiratio, quæ eouſque prorupit, ut de multis accuſarent virum probum apud Pontificem. Capita accuſationis notavit Bernardus a Beſſa Bonaventuræ ſocius. Primo, inquit, denunciarunt, quod obloqui ſolebat Regulæ interpretibus, & confundebat eos, varie moleſtando, qui declarationes jam factas vel a Pontificibus, vel a Doctoribus laudabant, vel alias petebant, præter unicum ſancti Patris Franciſci teſtamentum; dicens præter hoc nulla alia opus eſſe declaratione ad percipiendam ipſam regulam ſumme intelligibilem. Secundo, quod inducebat Fratres ad teſtamenti obſervantiam, aſſerens unam eamdemque eſſe rem, teſtamentum & regulam, & propterea in ſumma

Sed difficile licet.

Accuſatus apud Pontificem.

ma illud habendum reverentia, præſe. tim cum illud dictaverit ſanctus Franciſcus, plagis Chriſti jam decoratus, neque ſpiritus Dei quidquam hic aſpiraverit regulæ contrarium. Contemptores, addebat, teſtamenti magnam irrogare injuriam teſtatori, atque ejus ſe reddere indignos hæreditate. Tertio, quod, veluti ſi ineſſet ſpiritus prophetiæ, Fratribus prædixerit in duo hominum genera Ordinem diviſum iri, in puros regulæ obſervatores, atque in eos qui privilegia & declarationes procurarent; ſed præceſſurum diviſionem hanc duplex certamen verborum. Poſtea vero orturam pauperum congregationem, rore cœli & Dei benedictione impinguandam, quæ perfecte regularis tereret ſemitas obſervantiæ. Quarto, quod gravius erat, dixerunt, in quibuſdam non adeo recte ſenſiſſe circa Chriſtianam doctrinam, nimium tribuentem Joachimo Abbati, quem defendebat, etiam in iis quæ ſcripſit contra Petrum Lombardum. Quinto, confirmabant malum hunc in dogmatibus ſenſum ex ſcriptis ſociorum ejuſdem, quorum primus Leonardus, in uno vel altero ſermone a ſe conſcripto, ultra modum & inſulſe laudabat & ipſum Joachimum, & univerſam ejus doctrinam: ſecundus vero Gerardus, de quo alias diximus, in altero ſermone induxit omnia Joachimi verba, quæ ad ſancti Franciſci ejuſve inſtituti commendationem facere, univerſa etiam, quæ mutationem, corruptionem, reſtaurationem ejuſdem ſodalitii indicare videbantur, fuggillans in multis præcipuos Ordinis Rectores.

Tom. 3. an. 1249.

III. Commotos videns animos Alexander, & præcipuos Ordinis viros in hominem conſpiraſſe, neque eos flecti aut ſedari poſſe, ad generalem conventum convocandos voluit omnes, quorum ſuffragiis res eſſent peragendæ, & de creando ſucceſſore conſultandum. Præmonuit enim Joannem, ut omnino cederet officio, neque ſi illi vellent, permitteret ſe ab electoribus in gradu confirmari. Congregatis Fratribus in die Purificationis Virgineæ ad Monaſterium Aracœli, præſente & prædicante ipſo Pontifice, allegata ſua impotentia, tædio, ætate, abdicavit Joannes dignitatem, reclamantibus multis non debere renunciationem admitti. Ille porro inſtitit, ut abſolveretur ab onere, rogans ut de reeligendo non penſitarent. Nihilominus dum lateret, quod Pontifex antea cum homine tractavit, per integros duos dies hæſerunt circa eumdem reaſſumendum, donec Pontifex decrevit, ut ad electionem alterius procederetur. Ita narrat Peregrinus Bononienſis, qui Comitiis interfuit, mediator etiam fuit, ipſo narrante, inter Miniſtros & Joannem, excepitque omnia ex ore ejus. Alia tamen eſt ſancti Antonini in hæc verba narratio. *Idem Joannes Generalis cum omnimoda importunitatis inſtantia, allegata impotentia, a Miniſterio Generali ſe abſolvi obtinuit, & de reaſſumendo officio, nec Capitulo generali vehementer inſtanti, nec ullis, vel Summi Pontificis, vel Cardinalium ſuaſionibus acquieſcere volens, non contemptu, ſed impotentia ad officium exequendum cauſam aſſignans, humillime ceſſit: ad tractatum Capituli nihilominus admiſſus reverenter.* Eadem habent Angelus Clarenus, Marcus Ulyſſiponenſis, & Petrus Rodulphus. Dum itaque agendum erat de altero Rectore, viri timorati, & præcipui electores, ut primum ille ferret ſuffragium, diceretque, quem putaret idoneum, potioremve ſucceſſorem, unanimiter rogaverunt. Non fuit ei diu cogitandum, qui exploratas habebat Bonaventuræ Balneoregienſis virtutes, quare hunc unicum in medium propoſuit. Facile omnes in eumdem convenientes, elegerunt in Generalem Mini-

Cedit officio.

Capitulum generale XVI.

Peregr. in Chron.

Ant. tit. 24. c. 9 §. 5.

Claren. in 5. tribul. in fin.

Marc. 2. p. lib. 1. c. 56.

Rodulph. fol. 179.

Creatur Generalis S. Bonaventura.

niſtrum tunc Pariſiis legentem anno XXXIV. ſuæ ætatis, & XIII. monachatus.

Pontifex Patres capitulares multis gratiis affecit.

IV. Diſſolutis Comitiis, abituros Patres gratiis multis Pontifex affecit: tribuit præſentibus & abſentibus conſueto modo peccatorum remiſſionem; defectus quoſcumque auctoritatis in miniſtrato per eoſdem Pœnitentiæ Sacramento, de plenitudine poteſtatis novam concedendo ſupplevit; ut ſanctæ Claræ a ſe recenter canonizatæ feſtum ſub ritu duplici ſolemniter celebraretur, indulſit; atque ut Cardinales multi, teſte oculato Bernardo a Beſſa, ſe benevolos & beneficos in Fratres exhiberent, conſilio fuit & exemplo. Demum vigeſima die Februarii, ad inſtantiam quorumdam ex Parmenſis æmulis, neceſſitatem, & utilitatem hinc prodituram, fingentibus, Innocentii IV. expoſitionem ſuis litteris inſertam, confirmavit; quod non ſolum ægre tulit Parmenſis, verum & pii quique Ordinis zelatores, qui puritati regulæ diſſonam nequaquam acceptarunt, neque qui poſt eos orti ſunt, aliquando approbarunt. Altera etiam cura fuit Parmenſis adverſariis, ut antiquata illa Legenda Thomæ a Celano, quam de verbis & intentionibus ſancti Franciſci circa regulæ obſervantiam, fideliter tamquam auritus & oculatus teſtis, hortantibus Creſcentio & Parmenſi Generalibus, adjunxerat primæ a ſe editæ, nova hiſtoria geſtorum ejuſdem ſancti Patris componeretur; de quo poſtea egerunt cum novo Generali, nec deſtiterunt, donec ipſe hanc in ſe curam aſſumpſit.

Beſſan. in Chron.

Inquirit Bonav. in Parmen. & ſocios.

V. Evocatum Pariſiis Bonaventuram, ſtatim etiam monuerunt, inquirendum eſſe in Parmenſem, & ſocios, quos male in fide ſenſiſſe urgebant. Difficilius hæc admiſit, aut credidit pius Vir; ſed tamdem importunis inſtantiis vicerunt, ut procederetur contra ſocios, quos præſtito juramento, ut refert Angelus Clarenus, illius temporis auctor, adſtrinxerunt, ut ad interrogata quæque fideliter & ſincere reſponderent. Producti fuere multi articuli, ex tractatulis quibuſdam eorum collecti, ſed prudenter diſcuſſis, in nihilo fidem læſiſſe compertum eſt. Tamdem ventum eſt ad accuſationum omnium caput præcipuum, & interrogatum, quid ſentirent de Joachimo Abbate, ejuſve doctrina? Hic tenaciores perſtiterunt, Joachimum laudantes, neque quidquam circa unitatem Eſſentiæ, aut trinitatem perſonarum, de quo præſertim accuſabatur, contra ſanctorum Patrum aut Conciliorum decreta ſcripſiſſe; atque idipſum quod Lateranenſe, & anteriora Concilia ſtatuiſſe, neque nova indiguiſſe determinatione defendebant. Durior in his rebus Gerardus, & promptior ad objiciendum adverſariis, vel ad refellenda, quæ proponebant, quippe doctior, qui per aliquot annos Theologiam profeſſus eſt, quem dum Patres hinc inde dilabentem, & quaqua verſum doctrinam Joachimi in omnibus defendentem, & interrogantem quid ipſi crederent, aut dici vellent in hac quæſtione? animadvertiſſent, objecerunt ei verba illa Concilii: *Nos confitemur cum Petro* (Lombardo videlicet) *& damnamus libellum Joachimi*; ſed Gerardus ſtatim ſubjunxit. *Et ego confiteor cum Eccleſia & Petro Apoſtolo, omnia quæ de præfata quæſtione, atque omnibus aliis ſacri Doctores, & ſancta definiunt Concilia.* Denique cum obſtinatos vidiſſent Judices in defendendo Joachimo, & refellendo potius Lombardo, licet in hoc ſubobſcurius ſe ſemper detexerint, condemnarunt eos ad carceres perpetuos, tamquam de corrupta vel læſa fide ſuſpectos. Ibant illi gaudentes, & in carceris limine, inquit Gerardus: *In loco paſcuæ, ibi me collocavit.* In eo autem per

Claren. in tribul. 4.

Tenaces ſocii in defendendo Joachimo.

Condemnantur ad carceres.

Digitized by Google

per XVIII. annos hæſit patienter abſque querela, donec ſub ſui regiminis fine eum liberavit Bonaventura. Leonardus vero in illa cuſtodia deceſſit. Ita hæc referunt tres oculati, vel ſaltim coævi teſtes, Bonaventuræ ſocius Bernardus a Beſſa, Peregrinus Bononienſis, & Angelus Clarenus. Mirum unde longe diverſam acceperit narrationem Rodulphus, qui duos hos ſocios inter ſe contendiſſe, atque in magiſtrum ſuum Parmenſem inſurrexiſſe, minus recte commemorat. Id etiam obiter admonuerim Petrum Galeſinium, dum de hoc generalatu Bonaventuræ ſcribit in eo erraſſe, quod dixerit Bonaventuram hunc Balneoregium, a Creſcentio Generali Vicarium miſſum ad Comitia Avinionenſia, cum non hic, qui tunc paucis annis initiatus, ſtudebat Pariſiis, ſed Bonaventura Æſinus, uti alias diximus, ad illam Synodum coram Innocentio Pontifice celebrandam deſtinatus ſit.

Rodulph. fol. 179.

Galeſin. c. 9.

Ann. 1247. n. 1.

VI. Conjectis ſociis in vincula, ultro perrexerunt hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare; nec deſtiterunt, donec Generalis Miniſter Bonaventura deſtinaret judices, qui Parmenſis acta diſquirerent. Deſignavit ille judicii locum, Monaſterium Caſtri-plebis in Provincia Tuſciæ, quo convenire juſſit homines prudentes, diſcretos, & graves, qui rem omnem examinarent. Datus eſt etiam a Pontifice præſes judicii Joannes Caetanus Urſinus Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, Matthæi Rubei Romani (de quo nos alias plura) filius, qui poſtea creatus eſt Ordinis Protector, & Summus Pontifex Nicolaus III. Examine facto non eſt inventa in eo iniquitas, niſi quod nimium propenderit in doctrinam, & tutelam Joachimi, atque hæc ipſa humiliter coram Cardinale, & Patribus retractavit, uti ſcribunt Beſſanus Bonaventuræ ſocius, Jacobus de Tundo, & ſanctus Antoninus. Addit vero Hugolinus Picenus, increpantibus, & aſpere agentibus hominem pauca & lenia verba reſpondiſſe, quæ commotas mentes, uti fit, magis irritarunt. Fuit, qui tamquam hæreticum perpetuo carceri mancipandum judicaret. Ægrius ille ferens quidquid hæreticum ſibi impingi, in pedes erectus, & vultu in cœlum elato, altiori voce cœpit dicere, *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem*, & quæ ultra continentur in ſymbolo Apoſtolico. Hoc male habuit aſſeſſores; quare poſt multas interrogationes, ſeriaſque diſceptationes, ſtatuebant, conſentiente Cardinale præſide, virum diuturnæ tradere cuſtodiæ, & revera feciſſent, niſi superveniſſent opportune litteræ feriæ Ottonis Boni Genuenſis, Innocentii IV. ex fratre nepotis, Cardinalis ſancti Adriani, poſtea Adriani V. ſumme erga Parmenſem, ſibi valde familiarem, propenſi. Binas dedit ad Cardinalem, & Generalem, atque in utriuſque ultra alia, hæc verba exaravit. *Dolenter audivi proceſſum contra Joannem de Parma Ordinis Generalem, eumque æmulatorie de hæreſi accuſari. Ego ejus fidem pariter cum ſanctitate jam dudum expertus ſum, etiam antequam aſſumerer ad Cardinalatum, neque ſanctiorem aut fideliorem cognovi alium, quare non dubitaverim dicere; quod fides ejus fides mea eſt. Rogaverim ergo affectuoſiſſime, ne temere, aut ex partium ſtudio procedatur contra hominem ſanctum. Quidquid in eum decreveritis fieri, in me facietis: injuria ejus in me redundabit, perſona ejus, mea eſt; in quibuſcumque eum condemnaveritis, me etiam condemnabitis, & cum eo eſſe volo.* Movit epiſtola Cardinalem: atque ita actum eſt, ut ſub verbis placidis & communibus e cœtu reum dimitterent, & optionem ei faceret Generalis, ubicumque vellet, commorandi.

Agitur peculiariter contra Parmenſem.

Tom 2. an. 1222. n. 2.

Beſſan. cit.
Tund. in excerp. Ordin.
Anto. tit. 24. c. 8. in princ.
Hugol. in hiſt. Prov. Picen.

Protegitur ab Ottone Cardinale.

VII. Illud

In quo erratint Parmen. ſocii.

VII. Illud ego hic judicaverim; multum prævaluiſſe factioſorum animorum ſtudium, neque vero illos Parmenſis ſocios ab omni fuiſſe culpa liberos. Namque vel illud in vitio fuit, quod a ſemel concepta de Joachimi doctrina opinione nequaquam retrahi potuerint; neque qnid clare ſenſerint abſque anfractibus aperuerint, permittentes ſe potius carceribus mancipari, quam in apertum judicium, & Concilii œcumenici ſenſum deduci. An contra illum ſenſerint, vel contrarium imbiberint dogma, neſcierim; in illo vero, quod Joachimum ipſum defenderint nullum hic piaculum; quippe non ipſum Abbatem, ſed peculiarem illam contra Petrum Lombardum circa Trinitatis myſterium doctrinam condemnaſſe Concilium, non unius, ſed plurium Pontificum, imo & ipſius Lateranenſis Concilii eſt declaratio. Ego vel unius Honorii III. de hac re offero ex Regeſto Vaticano diploma; quod etiam Franciſcus Penna, atque alii exſcripſerunt.

Joach. Abbas nequaquã damnatus a Conc. Later.

Reg. Vatic. epiſtol. 268.
Penna in ſchol. ad directorii lib. 1. ſchol. 9.

HONORIUS &c.

Cuſentino Archiepiſcopo, & Epiſcopo Biſinianenſi.

Ita declarat Honor. III.

VIII. E*X parte dilectorum filiorum Abbatum, & Conventuum de Ordine Floris, tam capitis, quam membrorum, fuit propoſitum coram nobis, quod is qui ſaluti hominum invidet, & quieti, occaſione aſſumpta ex eo, quod libellus, quem Abbas Joachim contra bonæ memoriæ magiſtrum Petrum Lombardum edidit, in generali fuit Concilio condemnatus, contra eos nonnullos tam clericos, quam laicos, Prælatos, & ſubditos concitavit: qui ut ipſos ab otio contemplationis avertant, &* funes extendentes in laqueum, *pedibus eorumdem ponant eis ſcandalum juxta iter, ipſis objiciunt exprobrando, quod idem Abbas, qui pater, & inſtitutor fuit Ordinis eorumdem, hæreticus ab Eccleſia Dei habetur. Propter quod non ſolum ſimplices, lactis participes, a conſortio ejuſdem Ordinis avertuntur, ſed etiam fortes, qui uti cibo ſolido didicerunt, & ad diſcretionem boni & mali exercitatos pro conſuetudine habent ſenſus, circa inſtituta ejuſdem Ordinis incipiunt fluctuare. Licet igitur prædictus libellus ſive tractatus condemnatus fuerit in Concilio memorato; quia tamen idem Joachim omnia ſcripta ſua Romano mandavit Pontifici aſſignari, Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda, ſeu etiam corrigenda, dictam epiſtolam, cui propria manu ſubſcripſit, in qua firmiter eſt confeſſus, ſe illam fidem tenere quam Romana tenet Eccleſia, quæ, diſponente Domino, cunctarum fidelium mater eſt, & magiſtra: fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publice nuntiari, quod eum virum Catholicum reputamus, & regularem obſervantiam, quam inſtituit, ſalutarem. Eos qui Ordini memorato ex hoc detrahere, vel inſultare præſumpſerint, modo præmiſſo ſub Apoſtolica obedientia animadverſione condigna, veritate cognita, caſtigantes. Datum Laterani* XIII. *Kal. Januarii anno* V.

Pſ. 139. n. 6.

Hebr. 5. 13.

Bivar. in Apolog. contra Pennam.

IX. Plures hujus Abbatis defenſiones, & magnas affert commendationes amicus intimus, vir probus & doctus Franciſcus Bivarius, Ciſtercienſis, olim ſui Ordinis in hac Curia generalis Procurator, dum L. FL. Dextri Chronicon ab impugnatoribus defendit, atque eo uſque inquirendo perrexit, ut detexerit, non tam Joachimi, quam ab adverſariis & æmulis, Parmenſis hoſtibus ſimilibus, intruſam, illam a ſacroſancto Con-

Concilio juſte condemnatam fuiſſe doctrinam : neque id meo judicio inaniter , ſed nervoſe ex ipſis probat Auctoris operibus , in quibus non obſcure prædixit, omnem circa prædictam quæſtionem futurum in Concilio tumultum . Atque hunc timuiſſe , vel præſenſiſſe viſus eſt, quando ſolemnem illam proteſtationem de ſuæ integritate fidei omnibus fidelibus reliquit anno MCC. (quo annorum calculo comprobatur , quod de ejuſdem coexiſtentia natis jam Dominico , & Franciſco alias diximus) præmiſſo ſuo opere de concordia utriuſque teſtamenti (quod cum aliis ad præcepta Lucii , & Urbani III. compoſuit) ad Sedem Apoſtolicam , ut corrigeretur . Ibi porro dicit . *Rogo ex parte Dei omnipotentis Coabbates meos , & Priores , & ceteros Fratres metuentes Deum , & ea qua poſſe videtur , auctoritate præcipio , quatenus præſens ſcriptum , aut exemplar habentes ſecum , ac ſi pro teſtamento , opuſcula , quæ hactenus confeciſſe videor ; & ſi quid me de novo uſque ad diem obitus mei contigerit ſcriptitare , quam citius poterint , collecta omnia , relictis in ſalva cuſtodia exemplaribus , Apoſtolico examini repræſentent : recipientes ab eadem Sede vice mea correctionem , & exponentes ei , meam circa ipſam devotionem , & fidem ; & quod ea ſemper paratus ſim , quæ ipſa ſtatuit , vel ſtatuerit , obſervare : nullamque meam opinionem contra ejus defendere ſanctam fidem : credens ad integrum , quæ ipſa credit ; & tam in moribus , quam in doctrina ſuſcipiens correctionem : abjiciens quod ipſa abjicit , ſuſcipiens , quod ſuſcipit ipſa ; credens firmiter non poſſe portas inferi prævalere adverſus eam , & ſi ad horam turbari , & procellis agitari contingat , non deficere fidem ejus uſque ad conſummationem ſeculi . Hoc ſcriptum feci ego Joachim Abbas , & propria manu roboravi anno Dominicæ Incarnationis* MCC. *& ſic me tenere confiteor , ſicut in eo continetur .*

Id amplius probatur .

In Appar. Annal. §. 2. *num.* 5.

Proteſtatio Joachimi .

Matth. 16. 18.

X. Quod ſi hi Joachimum ipſum defenderint , nihil fuit culpæ : ſi vero doctrinam , in eo fuit error , quod obſtinatius ſuo ſenſui adhæſerint . Neque enim ſe contra Concilium œcumenicum credere, imo verius quæcumque ſacra Catholica Concilia ſtatuerunt , tenere ſæpius proteſtati ſunt . Fortaſſis inciderunt in puriores codices , in quos ſpuriæ illæ , quas contendit Bivarius , non adhuc irrepſerant additiones ; quorum legitimam doctrinam ſanctis Patribus & Conciliis conformem , de qua optime Gerardus , vir aliunde doctus , potuit judicare . Debuit tamen ſe apertius explicare , & ſuavius ad graviorum Patrum judicium , ſuum dum licuit , reducere , nec in contentionem vel vincendi ſtudium deducere. At illa eſt noſtræ ſcientiolæ miſeria , & propriæ opinionis affectus , ut quidquam potius facere aut pati , quam adverſariis cedere , aut in congreſſibus hujuſmodi vinci velimus . Virum hunc Gerardum & ſocium alias ſummopere commendant alii , & Beatum vocat Clarenus , ex quo facta quædam ab eo mirabilia ſuperius enarravimus ; deinde de utroque ſubjungit : *Similes ſibi ſocios Vir ſanctus* (Parmenſis ſcilicet) *habere ſtudebat , ut exemplo ſanctæ converſationis eorum , ad bonum Fratres , quos viſitabat , poſſet attrahere .*

In quo culpandi ſocii Parmenſis.

Tom. 3. *an.* 249. *n.* 1.

Claren. tribul. 3.

XI. De ipſo vero Parmenſi , propter ſiniſtram quam paſſus eſt famam , & ex hac natum apud exteros errorem ſtatim explicandum , neceſſarium duxi præter ea , quæ nos alias de eodem diximus , bonorum auctorum hic ſubjungere cenſuras . Angelus Clarenus virum ſcientia & ſanctitate præcipuum vocat ; ſancti Franciſci ſocios Ægidium , Maſſæum , Angelum , Leonem , alioſque tunc ſuperſtites lætatos refert in cjus aſſumptione ad Generalatum , atque ultra illa verba Ægidii , alias a nobis rela-

Tom. 3. *an.* 1247. *n.* 4 *& ſeqq. Claren. cita.*

Bonorum auctorum de Parmenſe elogia .

[*Tom. 3. an. 1247. num. 4.*] relata, dixiſſe: ſanctum Franciſcum in homine iſto reſurrexiſſe, miſſumque ſibi virum luminis & virtutis ad rectificandum & illuminandum eoſdem in ſemitis mandatorum Dei. Tunica una ſeu habitu rudis ſagi ad terminum uſque vitæ contentum ſcribit, numquam ullo generis equitatu uſum; adeo deſpectum, humilemque inceſſiſſe, ut nec a prætereuntibus ſuſpiceretur, nec a Fratribus in multis Monaſteriis tanti fieret, ut Miniſter Generalis poſſe eſſe putaretur. Horas, inquit, canonicas adeo devote perſolvebat, ut nullatenus ſederet, recumberet, parieti hæreret, vel caput cooperiret, dum penſum ſolveret. Primum ſibi appoſitum ferculum admittebat, cetera vel delibata aliis mittebat, vel omnino rejecta auferri curabat. Linguam ita frenavit, ut in loquendo potius defecerit, quam exceſſerit, & ſub morte ipſe dixerit; ſe potius formidare de iis quæ tacuerat, quam de illis quæ fuerat loquutus. [*Tom. 3. an. 1249. n. 1. & 5.*] Quam prudenter egerit de unione Græcæ cum Latina Eccleſia, præter ea, quæ jam diximus, probavit eventus in Concilio Lugdunenſi, qui potiſſimo jure ei etiam tribuendus erat, tamquam efficaci pacis actori. Tanta utriuſque Ordinis eccleſiaſtici & ſecularis erga eum inter Græcos reverentia, tanta ſanctitatis & divinæ ſapientiæ exiſtimatio, ut non ſe putarent hominem quempiam prudentem & eruditum videre, ſed ex antiquis Patribus ſeu Doctoribus unum, ſive aliquem ex Chriſti diſcipulis. Sanctus Antoninus virum vocat ſcientia & religioſitate præclarum, maximum pau-[*Ant. citat. Chron. 24. gener. ſub 7. gener. Mariand. l. 2. c. 20.*]pertatis & humilitatis amicum. Idem eſt teſtimonium vetuſti auctoris chronic. 24. Generalium. Marianus: *Extitit*, inquit, *vir ſingularis ſcientiæ, ac religioſitate præclarus, virtuoſus prædicator, vitæ ſanctiſſimæ ac ſublimis contemplationis*. [*Piſan. confor. 8.*] Bartholomæus Piſanus: *Joannes*, ait, *de Parma, vir doctrina & ſanctitate præcipuus, cunctis Patribus annuentibus, ſpiritu Sancto operante, in Generalem deſignatur, atque clarus miraculis, ſpiritum Altiſſimo reddidit*. [*Marc. citat.*] Marcus Ulyſſiponenſis. *Magnus fuit Dei ſervus, incomparabilis, Miniſter generalis, diligentiſſimus obſervator ſuæ regulæ, amator & benefactor Fratrum Zelantium ſuam profeſſionem*. Petrus [*Rodulph. citat.*] Rodulphus virum celebrat *omni laude dignum, paupertatis amicum, humilitatis ſtudioſum, maximæ puritatis, & ſingularis caritatis in Fratres ſuos; nam mæſtos conſolabatur &c.* Dum ſemel Romæ prædicaret, videbatur fluvius igneus egredi de ore ejus, refertque, Angelum in juvenis ſpecie ſacra facienti inſerviſſe. *Is*, inquit, *ob ſingularem ſapientiam & rerum gerendarum prudentiam, aliquibus legationibus laudabiliter functus eſt, præſertim Conſtantinopolim miſſus &c.* Paucis interpoſitis. *Magna lætitia & voluptate perfuſus eſt ſummus Pontifex cum tota Curia, ut ſeipſum capere non poſſet, dixitque multis coram aſtantibus*: Dilatatum eſt cor noſtrum præ gaudio vehementi, *audito quod prudens Græcia novo ſuperioris irradiata ſyderis fulgore, gratanter accepit fratrem Joannem*.

[*Eyſengr. de teſtib. cathol. verit.*] XII. Guillelmus Eyſengrenius. *Sanctus*, inquit, *Joannes de Parma, Italus, ex Bononiæ finibus oriundus, Ordinis Minorum Miniſter generalis, Gymnaſii Pariſienſis quondam profeſſor, ſacræ paginæ Doctor, vir non tam ob generis nobilitatem, quam eruditionem, & vitæ ſanctitatem toto orbe clarus, Philoſophus, Theologus, ſacrarum legum exercitatiſſimus, quatuor libros ſententiarum Lombardi expoſuit, de converſatione præterea Religioſorum duo volumina conſcripſit*. [*Poſſevin. in appar.*] Antonius Poſſevinus: *Joannes Parmenſis in Bononienſi tractu natus, Ordinis Minorum profeſſor, olim Pariſiis vocatus ex Gallia ab Innocentio IV. Pontifice Max. allegatus ad Joannem Imperatorem Græcorum & Manuelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, ab*

eiſdem

eiſdem Angelus pacis *vocatus &c. Scripſit in libros Magiſtri ſentent.* de
converſatione Religioſ. lib. 2. Officium Paſſionis Chriſti, cujus initium eſt,
Regem crucifixum &c. *Tractatum, quem inſcripſit: Sacrum commercium*
B. Franciſci *cum domina paupertate*. Henricus Willot: *Joannes de Parma*
Willot. de ſcriptor. Minorum.
ex Bononiæ finibus oriundus, omni laude vir dignus, in ſcripturis verſatiſſimus, vitæ honeſtiſſimæ, ac plane pius, ſanctæ paupertatis amator ardentiſſimus. Paulus Langius Monachus Citizenſis, Trithemii diſcipulus. *Joannes de Parma Theologus valentiſſimus*: „ Jacobus Philippus Bergomenſis:

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ *Jacobus de Parma Ordinis Minorum profeſſus, & Sacræ Theologiæ Ma-*
„ *giſter, per hoc idem tempus doctrinæ & vitæ ſanctitate ornatiſſimus fuit,*
Bergom. in ſupplem. ad ann. 1290.
„ *qui præter miracula plurima a ſe edita, etiam ſuper ſententias, ac ſu-*
„ *per Bibliam multa compoſuit, atque alia confecit opuſcula; ſcilicet Regem*
„ *Chriſtum crucifixum, & de beneficiis Dei tractatum edidit. Leonardus*
„ *de Utino Dominicanus. In Provincia Marchiæ jacent hi ſanctiſſimi viri*
Utinen. ſerm. de S. Franc.
„ *vita & virtutibus clari. In Camerino Frater Joannes de Parma &c.*
„ *Ubertinus de Caſali eum vocat* Angelum faciei Jeſu, & virum vere ſan-
Ubert. in prologo 1. arb. vitæ.
„ ctiſſimum. Præter hæc, plura dabimus locis opportunis de hominis pietate, aſſidua contemplatione, ſolitudinis deſiderio, tertia impoſita ad Græcos legatione, commendabili tranſitu, & digna reliquiarum veneratione.
Lãgius in chron. Citizen. ad ann. 1258.

Defenditur Parmenſis a gravi calumnia.

XIII. Per tantorum hominum gravia teſtimonia, credibilia facta ſunt nimis pia quæque geſta hujus hominis ſancti. Neque mihi perſuadere poſſum, hunc illum eſſe Joannem Parmenſem, monachum Italum, cui Nicolaus Eymericus in directorio, & ex eo Abrahamus Bzovius, adſcribit viginti ſeptem putidos errores, & inſulſas hæreſes, collectas ex opuſculo quodam communiter nuncupato *Evangelium æternum*, cujus auctor fuis (inquit Eymericus) ut fertur communiter, quidam Frater Joannes de Parma, Italicus monachus. Sane hujus nomen, patria, & tempus, quod recenſet commentator Penna, conveniunt etiam in hunc noſtrum Joannem, non tamen cohærent cum probatiſſimis tot gravium Auctorum, quæ præmiſimus, teſtimoniis, pernicioſiſſimi, quos tranſcripſerunt citati Auctores, errores. Eo tendit harum hæreſum vis & major earumdem pars, ut evacuetur Chriſti Evangelium, & quarta in ordine ea eſt, quod duraret uſque ad annum MCCLX. dumtaxat. Quis quæſo hoc ſcripſiſſe vel ſomniaſſe putabit hominem, qui totam ſuam vitam annorum octuaginta ſtrictiſſime ad Chriſti Evangelium compoſuit, & ſecundum Chriſti doctrinam uſque ad annum MCCLXXXIX. ſanctiſſime vixit? Alia pars hæreſum illud inculcat, quod Græci magis ambulant ſecundum ſpiritum, quam Latini, & quod bonus & laudabilis fuit eorumdem receſſus ab Eccleſia Latina. Itane docuiſſe judicandus homo, qui tot terræ mariſque emenſus eſt ſpatia, ſemel ante præfecturam abiens in Orientem, ſecundo illuc profecturus, niſi mors impediret, ut quos perire extra Eccleſiam ſumme dolebat, ad eamdem revocaret? Deinde quando potuit hæc tum pro concionibus, & diſputationibus, uti habet Bzovius, tum ſcripto prædicto libro evulgare? Si ante generalem Ordinis præfecturam, non eſt credibile, ad eamdem aſſumendum ſtolidiſſimum hæreticum, neque Univerſitatem Pariſienſem, in qua tunc docebat, eumdem toleraturam. Si ante legationes Conſtantinopolitanas, non mitteretur ad illos, qui pro roſtris, & conſcriptis libris, Græcorum approbabat ab Eccleſia ſeparationem. Si eo anno MCCLVIII. quo ſcribit Bzovius, ab Alexandro liber ejus ex conſilio S. R. E. Cardinalium flam-

Eymeric. 2. part. q.9.n.4.

Bzov. an.1258. n.8.

mis addictus, quomodo tot ſuccedentibus annis ab eodem Pontifice toleratus? quomodo in veneratione habitus? quomodo ei Angelus celebranti inſervit? quomodo ei imponitur ſecunda tamdem legatio ad Græcos reducendos? cujus primæ peractæ legationi præcipue tribuitur felix exitus unionis ſtabilitus in Concilio Lugdunenſi. Demum nullus, qui ſcriptores recenſeat eccleſiaſticos, tale huic Joanni opus adſcribit, neque Trithemius, neque Geſnerus, etſi alias hujuſmodi errorum diligens obſervator, neque Eyſengrenius, Poſſevinus, Rodulphus, Gonzaga, Willotus, neque alius quiſpiam, præter Eymericum, & Bzovium, vel eorumdem ſectatores. Neque ipſe Eymericus conſtanter illud ſceleſtum opus Joannis Parmenſis eſſe affirmat, ſed communiter alios ita referre ſcribit: quod tamen Bzovius, abſque ulla hæſitatione, nullo alio auctore, quam Eymerico, ei audet attribuere, erroreſque & hæreſes tum in concionibus & diſputationibus, tum in illo libro affigere. Tale opus ab aliquo impio aliquando ſcriptum mihi conſtat ex excerptis præcipuorum articulorum Pariſienſium, in quibus quædam propoſitio libri *Evangelii æterni* commemoratur damnata. Et quidem auctor coævus Matthæus Paris hujuſmodi librum a Prædicatoribus, cum Univerſitate Pariſienſi contendentibus compoſitum aſſerit. Qua tamen fide, lector viderit. Neque enim hoc relatum velim in odium aut injuriam Prædicatorum, quos ſumme diligo, ſed ut conſtet, etiam ipſis Prædicatoribus attribui, quod duo illi ex Prædicatoribus Parmenſi affigunt. Sub eodem titulo ſanctus Bernardinus Senenſis probatiſſimum ſane & laudabile opus compoſuit, in quo longe aliam doctrinam ſolidiſſime proſequitur, oſtenditque utrumque teſtamentum perpetuæ eſſe veritatis & firmitatis.

Paris an. 1256.

S. Bernard. to. 2. Marian. c. 23. Marc. c. 49. Chron. an. 19. Rodulph. fol. 179.

XIV. Moleſtiam vero, quam ſanctus hic Pater per æmulos ſuſtinuit, ejus ceſſionem ab officio, & Bonaventuræ ſubrogationem, mirabiliter vidit, Deo revelante, in ipſo limine Generalatus beatus Jacobus de Maſſa, cujus ſanctitatem mox aperiemus. Oſtenſa ei arbor pulcherrima & opaca, cujus radix aurea, rami multi, & fructus erant Fratres Minores. Numerus ramorum principalium diſtinguebatur ſecundum numerum provinciarum, & quilibet ramus totidem habebat fructus, quot erant Fratres in Provincia per ramum deſignata. Adeo clare & diſtincte hæc ei propoſita ſunt, ut omnes viderit & cognoverit totius Ordinis Fratres, patefactis eidem illorum ſtatu, ætate, meritis, & defectibus: Parmenſem, tunc recenter electum in Miniſtrum Generalem, conſpexit in ſummitate rami ſupremi, ex ipſo trunco exurgentis, in culminibus vero ramorum, medium circumdantium, ſingularum Provinciarum Miniſtros. Miſſus deinde a Chriſto in alto ſplendentique throno ſedente, Franciſcus duobus Angelis aſſociatus, ut potaret Fratres ſuos calice aureo ſpiritus vitæ, quem manu tenebat: ex quo dum hauſit abunde Parmenſis cum aliis pleriſque, reſplenduerunt tamquam radii ſolares; alii qui non biberunt, denigrati ſunt ſuper carbones; quidam partem biberunt, partem effuderunt, recipientes ſecundum menſuram ſpiritus, claritatis intenſionem. Altior omnibus Parmenſis, velut e ſublimi ſpecula contemplans, magnum vidit e longinquo turbinem in arborem irruiturum: quem ut præcaveret, deſcendit humiliter in ſtipitem in tuto ſeſſurus. Tranſlatus porro confeſtim in verticem, ex quo Joannes deſcenderat, Frater Bonaventura, datique ſunt ei ungues ferrei, veluti acies novacularum radentium pilos; qui movens ſe de loco ſuo, irruere volebat in Fratrem Joannem. Illo autem clamante ad Dominum, miſſus eſt, qui Joan-

Jacobi Maſſæ egregia viſio de rebus Parmenſis.

Joannem diſcerpturo ungues abſcinderet. Deinde arborem turbo concuſſit, corrueruntque ex eadem, qui ſpiritum vitæ neglexerunt haurire, translatis reliquis in regionem lucis æternæ.

XV. Veritatem viſionis hujus probat præmiſſa narratio: in illa vero hæſiſſe per triduum Jacobum hunc, ſenſu & motu deſtitutum, ita ut mortuum Fratres putarent, ſcribit Hugolinus citatus: qui dum a Fratre Matthæo, tunc Marchiæ ſeu Piceni Miniſtro, viro pio, manſueto, & prudenti, qui per obedientiæ vim ſecretam viſionem explicari obtinuit, accepit univerſæ rei ſeriem, ad ipſum videntem acceſſit, ut plenius informaretur de omnibus, & futuro ſtatu Sodalitii. Plene hæc ſe importune rogantem excepiſſe ait a ſancto Viro, eique factas mirabiles viſiones circa præcipuas Eccleſiæ ſanctæ res, & Orbis Chriſtiani viciſſitudines. Fidem etiam his conciliant ſancta hominis vita, pietas, immaculata religio ab optimis Auctoribus commendata. Ortus Maſſa, non ex illa Lucaniæ Civitate, ſed oppido maritimæ Hetruriæ inter Corſilianum & Carrariam, in ſortem humilem laicorum aſſumptus, in ea per omnem vitam ſumma cum ſinceritate permanſit. Tanta fulſit ſanctitate, ut beati viri Ægidius, Juniperus, Lucidus, & Matthæus de Montone ſancti Franciſci diſcipuli auderent dicere, ſe nullum tunc ſanctiorem in mundo cognoviſſe. Hugolinus teſtatur, ſe voluiſſe apud fratrem Ægidium, vel ſocium ejus Joannem, magnæ perfectionis virum, de quibuſdam rebus ſpiritualibus erudiri, reſponſumque ſibi a Joanne: Si vis doceri in Dei rebus, accede ad fratrem Jacobum de Maſſa, ſingularem in hoc genere magiſtrum: nam & hunc etiam ſæpius frater Ægidius noſter vellet alloqui, quem præ omnibus veneratur, & cupit videre, cujus verbis neque addi, neque detrahi debere putat; quippe ejus mentem Dei penetralia luſtraſſe, & verba ejus per Spiritum ſanctum effundi, certius exiſtimat. Sanctam Claram & optimos quoſque ſancti Franciſci diſcipulos inviſit. Frequens in raptibus, in quibus qualiter ſe gereret, dum aliquando ſcire vellet ab Ægidio, reſponſum accepit; *Nec addas, nec diminuas, & fuge multitudinem*; perinde ac ſi dixiſſet: cum mens introducitur ad glorioſa illa lumina divinæ bonitatis, nec debet aliquid addere per conatum præſumptionis, nec minuere per negligentiam teporis: debet quoque diligere ſolitudinem, ſi vult gratiam cuſtodire. Mirum in modum data eſt ei cum ſcientia intelligentia ſcripturarum, & præſcientia futurorum.

Verâ hæc viſio.

Jacobi a Maſſa ſanctitas.

XVI. Quod vero in Parmenſem, hominem adeo pium & ſanctum, Bonaventura invectus fuerit, & durius cum eo egerit, id exigebant accuſatores, officii ratio, ſerius commendata a Franciſco ultimis tabulis fidei puritas, illis verbis: *Quod ſi aliqui Fratres inventi eſſent, qui non eſſent Catholici, omnes Fratres ubicumque ſunt, per obedientiam teneantur, quod ubicumque invenerint aliquem ipſorum, proximiori Cuſtodi illius loci, ubi ipſum invenerint, debeant præſentare. Et Cuſtos teneatur per obedientiam ipſum fortiter cuſtodire, ſicut hominem in vinculis die noctuque, ita quod non poſſit eripi de manibus ſuis, donec propria perſona ipſum repræſentet in manibus ſui Miniſtri. Et Miniſter teneatur firmiter per obedientiam mittere ipſum per tales Fratres, qui die noctuque cuſtodiant eum, ſicut hominem in vinculis, donec repræſentent ipſum coram Domino Oſtienſe, qui eſt Dominus Protector & Corrector iſtius fraternitatis*. Neque adeo id mirum & inſolitum ut diſſideant, & invicem ſe appetant viri, quantumvis ſanctiſſimi. Reſtitit in faciem Petro, Apoſtolorum vertici, Paulus, & reprehenſibilem dixit; diſſenſerunt in rebus graviſſimis Auguſtinus, & Hie-

Quæ moverunt Bonaventuram contra Parmenſem.

S. Franciſc. in teſtamento.

Galat. 2. 11.

Hieronymus, Theodoretus cum ſuæ ſententiæ Viris Cyrillum ſanctiſſimum Patriarcham in carcerem dederunt: neque idem Cyrillus ſancti Joanni Chryſoſtomo pepercit, donec mirabiliter monitus defunctum traducere omiſit. Pugnæ ſunt intellectus, & unuſquiſque Dei cauſam agere ſemet exiſtimat.

Hoc an. n. 6.
An. 1217. n. 12.
Joan. ſe retraxit in Conventum Græcii.
An. 1289.
Conditio hujus electionis Bonaventuram commendat.
Galeſin. c. 9.

XVII. Joannes porro, juxta factam ſibi licentiam, uti diximus, habitaculum eligendi, abiit in devotiſſimum Græcii locum, de quo nos plura diximus ſuperius. Per triginta duos annos delituit in illo tugurio-lo, ſecurum amplexus ſolitudinis receſſum, & humilitatis optimum refugium, vitam ducens potius angelicam, quam humanam; divinis meditationibus aſſidue totus intentus uſque ad finem vitæ ſuæ, quam feliciſſime clauſiſſe ſuo tempore narrabimus. Ceterum Bonaventuram magnum in modum commendat impoſita præfectura in illa ætate, in numeroſo ordine ſanctorum Patrum, quibus Sodalitium tunc vigebat, in turbato rerum ſtatu abſens electus. Vel hinc colligere licet præclaras ejus virtutes, doctrinæ ſplendore illuſtres, quæ ad ſupremam Ordinis dignitatem nihil tale cogitantem ultro extulerunt. Ordinis ſtatus erat eo tempore in aliquod fere diſcrimen adductus, cum ex ſecta, diſſidioque Fratrum Picenæ Provinciæ, tum ex perturbatione diſſenſionum, quæ in cuncta Italia de puritate regulæ, quodammodo reſciſſæ, extiterunt. Itaque cum diſciplina, ſanctiſſimis inſtitutis aſtricta, ſenſim diſſolui cœpiſſet: tunc primum Bonaventura, univerſi Ordinis curæ Præfectus, in eo maximopere elaboravit, ut non auctoritate ſolum, ſed exemplo, ſapientia, moderatione, doctrina, conſtitutionibuſque rem omnem tueretur. Fuit autem is in illius muneris adminiſtratione mitis admodum, ac benignus: manſuetudine enim potius, cohortationibus, & admonitionibus, quam minis, aut pœnarum acerbitate, in viam bene agendi revocavit aberrantes. Paterna vero caritate, & clementia admodum ſingulari erga illos, qui ab Ordinis diſciplina deſciviſſent, aut militiam Seraphicam deſeruiſſent, uſque eo uſus eſt, ut non defuerint, qui in Capitulis tam Generalibus quam Provincialibus id vitio plane ipſi objectarint. Et vero quos obſtinate operam dare cognovit, ut palam in hominum luce offenderent, exemploque peccarent: in eos pro culparum ratione non deſtitit graviter animadvertere, ut ad antiquorum morum uſum, rectamque vivendi normam, quam Seraphicus Pater Ordini præſcripſerat, atque ad ſalutem omnes omni ratione reduceret, quæ ad eam rem recte & religioſe gerendam potior eſſe videretur. Sed cum miſerorum & aberrantium parentem, perfugiumque ſe eſſe maxime vellet, ne illi de ſe deſperarent: ſæpenumero verbis graviſſimis coarguit eos, qui ſibi crimini dabant miſericordiam, ac patientiam, qua benigne utiliterque utebatur ad omnium ſalutem; atque ita feciſſe commendaſſeque objiciebat ipſum Inſtitutorem Franciſcum, qui aberrantibus numquam voluit claudi viſcera pietatis.

Benignus ac mitis in regendo.

Fit magna unio Eremitarum ſancti Auguſtini.

XVIII. Deducta ad exitum hoc anno magna illa unio variarum congregationum Eremitarum ſub Inſtituto ſancti Auguſtini, præſidente Richardo ſancti Angeli Diacono Cardinali. Inchoata fuit ſub Innocentio, ſed concluſa ſub Alexandro, cum apparuiſſet ei ſanctus Auguſtinus, grandis quidem capite, ſed membris exilis. Porro quantumvis in unum cojerint Sodalitium, non unum eumdemque gerebant habitum, incedentibus adhuc pleriſque in Minoritico, vel huic conſimili, in derogationem multiplicem noſtrorum conſodalium, ut ait Pontifex, eiſdem propter

pter hoe minorem apud fideles ſentientibus in ſuis opportunitatibus caritatem. Agendum itaque fuit Patribus Ordinis cum Pontifice, ut ſimilitudinem hanc, ſeu potius confuſionem tolleret habituum; ſuas preces interpoſuit Parmenſis, dum clavum teneret, deinde ſuas admovit Bonaventura: quibus permotus, imperavit pluribus diplomatibus hoc ipſo anno datis, & a nobis alias Lectori ſubminiſtratis, ut quod ipſo Legationem obeunte in Lombardia, Gregorius IX. circa habituum diſcrimen ſtatuerat, omnino obſervaretur. Largius de hac re egimus in Apologetico de Monachatu Auguſtiniano ſancti Franciſci, ad calcem tomi ſecundi.

Præſcribitur eis habitus exterior.

In Apolog. monach. S. Franc. §.4.n.15.& ſeqq.

XIX. Guillelmus Epiſcopus Aretinus ſuam erga montem Alvernum in ſua diœceſi ſitum devotionem oſtendit, datis hoc anno ad univerſos ſuos diœceſanos piiſſimis his litteris, in quibus locum & Fratres eiſdem efficaciter commendat.

Epiſcopus Aretin. commendat montem Alvernum.

GUILLELMUS miſeratione Divina Epiſcopus Aretinus, licet indignus, Univerſis ſibi commiſſis fidelibus, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.

XX. *SAnctum locum montis Alverni, cunctis profecto montibus orbis terræ ſublimitate ſtupendi miraculi celſiorem, in noſtra ſitum Provincia, divina munificentia plus vernantibus miraculis, quam floribus venuſtatum: toto mentis affectu amplecti proponimus, tamquam uberrimis laudibus affluentis reverentiæ proſequendum, & ex intimis præcordiis cupimus ferventi conamine venerari. Quem enim Dominus tanto privilegio, tam ſublimiter extulit, talique prærogativa præcipua excellentius præ aliis terrarum verticibus ſublimavit, æquum arbitramur & juſtum, nos illum locum totius reverentiæ ſtudio colere, ac aliorum noſtræ diœceſis corda fidelium ad debitæ venerationis cultum indulgentiis, & quibus poſſumus beneficiis excitare. Illic nempe humanæ ſalutis proviſor Deus, & cunctæ creaturæ prudentiſſimus gubernator, ſacratiſſimorum Chriſti ſtigmatum jam abolitas a fidelium cordibus cicatrices in eorumdem, non ſolum cordibus, ſed & affectibus in fine ſeculorum novo & inaudito miraculo renovavit, dum ſol in ſtella ſplenduit, & in corpore ſtrenuiſſimi militis beatiſſimi Franciſci triumphatoris pariter, & triumphi victorioſiſſimæ fulſerunt inſignia paſſionis. Quem Chriſtus, ut aciem jam terga dantem Chriſtianæ militiæ acueret in prælium contra hoſtes, & quaſi oſtenſo ſanguine, leonum more fortius animaret, ſuis inſignivit ſignaculis, ſibique vulneribus ſimilibus, ſed diſparibus, parivit. Talis in prædicto loco gemma lucidiſſima claruit, talis auro pretioſior enituit margarita, ubi præcordia intima viſcerum ſecretorum ſanctiſſimi Viri uberioribus gratiarum gurgitibus maduerant: & æthereis meditationibus, angelicisque frequentationibus ſublimata, ſpecialiter apparente Seraph in Crucis patibulo diris vulneribus laniato, una cum membris corporeis incaleſcentis affectionis incendia confixerunt; ubi denſa fagus tripartito fœcunda fructu, ſanctiſſimæ Trinitatis ſecreto myſterio, ſanctum Dei Virum ſuavi harmoniæ cæleſtis carmine, & Angelorum agmine obumbrabat: ubi ſaxorum durities, & durior aſperitas ſcopulorum delectabilem mentis in Chriſto mollitiem diſponebat. Ubi arentem humum fœcundiſſimi lacrymarum ſaginabant rivuli, & pronutrorum anguſtiis, & obſcuris concavitatibus cavernarum ineffabilis fulgor cæleſtis latitudinis radiabat. Talia munera non ſolum mortalibus, verum etiam angelicis ſpiritibus admiranda*

da, omnes cum gaudio ſuſcipiant, & mirentur; & nos, in quorum Provincia hæc divina largitas noſcitur contuliſſe, ſtudeamus peculiari quodam tripudia hæc myſteria venerari, frequenti memoria illa canoribus proſequentes. Cum igitur in ſæpe dicto loco dilecti filii Fratres Minores in eminentis altiſſimo propoſito paupertatis, Chriſto pauperi elegerint perpetuo famulari, longius ab humanis habitaculis ſeparati; univerſitatem voſtram monemus, & affectuoſius exhortamur, in remiſſionem vobis veſtrorum peccaminum injungentes, quatenus eiſdem Fratribus, vel eorum nuntiis grata eleemoſynarum gratanter beneficia conferatis, pro amplis beneficiis, ampliora, & pro amplioribus ampliſſima beneficia recepturi. Nos autem de omnipotentis Dei clementia, & beatorum Martyrum Donati & Hilariani meritis conſidentes, omnibus, qui Fratribus memoratis pias ſtuduerint eleemoſynas elargiri, vel mittendo ad dictum locum, vel illuc corporaliter accedendo, 40. dies criminalium, & quartam partem venialium miſericorditer relaxamus. Vos vero omnes totius noſtræ diœceſis tam ſubditos, quam prælatos propenſius in Domino deprecamur, quatenus ipſis Fratribus, cum ad vos acceſſerint, eleemoſynas petituri, tam in dandis eleemoſynis, quam in exhibendis hoſpitiis miſericordes & favorabiles exiſtatis, ſollicite ad benefaciendum eiſdem veſtros populos inducentes. Sane nos de venerabilis Patris, beati Confeſſoris Chriſti, Franciſci ſuffragiis præſumentes, ſanctum præfati montis locum in ſpecialem tutelam aſſumimus, cunctis noſtris viribus protegendam. Datum Aretii anno Domini MCCLVI. X. *Kalend. Junii.*

Tom. 3. *Anno* 1251. n. 33. & an. 1255. n. 1. & ſeqq.

Renovatur tumultus Pariſien.

XXI. Litem Pariſienſem incœptam inter Academicos, & Rectores Civitatis dixi, ſuperioribus annis, male affeciſſe Prædicatores, dum noluerunt ſubſcribere ſtatutis inconſiderate factis ab eadem Univerſitate. Eouſque proceſſum eſt, ut extra ſcholas fierent Dominicani. Sed cum ad unum & alterum præceptum Innocentii, & Alexandri Pontificum reſtituerentur, Bonus-homo, & Elias Regentes Prædicatorum, ea factum eſt lege, ut una tantum ſchola, unicoque contenti eſſent Regente. Deteriorem hinc factam ſuam conditionem videntes, & futura præmeditantes incommoda, atque hoc ipſum quod offerebatur non ſine dolo fieri, ſtatuerunt non eſſe cauſa cedendum, ſed proſequendum coram Pontifice. *Quod dum fecerunt, Domino Papæ* (inquit Paris, vel ejus continuator) *devoti, & propter eorum multimoda obſequia ipſi curiæ gratioſi, in hoc certamine meliorem calculum reportarunt. Data eſt enim ſententia a Domino Papa pro Fratribus Prædicatoribus, & omnibus Religioſis, ut legerent deinceps licenter in Theologia, non conſiderato numero legentium, qui antiquitus tenebatur certo numero limitatus.*

Paris ad hunc annum.

XXII. Antequam ad hunc terminum res deveniret, actum eſt de concordia inter ipſos coram Alberto Legato Apoſtolico, nec quidquam concluſum eſt, detecto dolo, quo ſchola unica offerebatur Dominicanis. Occulatum vel ſaltim auritum illius temporis, & loci, teſtem produco Thomam Cantipratanum, Dominicanum licet, tamen candidum, & ſincerum auctorem. *Illo in tempore audivimus*, inquit, *ab Alberto Apoſtolicæ Sedis Legato, tunc in Galliis conſtituto, quod dicti Magiſtri ex parte Univerſitatis, & Fratres Prædicatores (qui tunc ſoli innocentiſſime vexabantur) datis ſuper hoc litteris, in ipſum finaliter convenerunt, ut omnes querelas inter ipſos proprio arbitrio terminaret. Quærens ergo Legatus a Magiſtris, quid illud eſſet quod magis in calumniam verteretur? Reſponderunt, quod Fratres Prædicatores duas ſcholas haberent, & duos Magiſtros in*

Cantipr. l. 2. de apib. c. 10. n. 32.

Albertus Legatus conatur illum ſopire, nec poteſt.

Digitized by Google

in Theologia regentes, optime autem pacem fieri, ſi una ſchola vellent eſſe contenti, & Univerſitatis mandata ſervarent. Legatus igitur quæſivit a Fratribus, ſi hoc vellent? Reſponderunt Fratres: una libenter ſchola ſe eſſe contentos, & univerſitatis mandata velle obſervare, dum tamen illa eis præciſe darentur expreſſa in ſcripto. Et in hoc ſapientiſſime providerunt. Nam ſicut poſtea per eos, qui in conſilio fuerant Magiſtrorum, Fratribus dictum eſt, ſi ſimpliciter ſine expreſſione promiſiſſent Fratres, Univerſitatis ſervare mandata, in mandatis poſtmodum ab Univerſitate daretur, ut Fratres omnimode a regimine Theologiæ, & lectionibus ceſſarent. Legatus ergo, nihil talium ſuſpicatus, gaviſus eſt, finemque ſperans contentionis hujus haberi, mandavit Magiſtris, & obtulit ex parte Fratrum, quod una ſchola vellent eſſe contenti, & Univerſitatis mandata, in ſcriptis redacta, ſervare. Tunc Magiſtri, malitiæ ſuæ propoſitum non habentes, turbulentiſſime reſponderunt. Quid nobis, inquiunt, prodeſſet una ſchola eos eſſe contentos, dum rupto pariete inter duas ſcholas, tot ſicut ante haberent unius capacitate ambitus auditores? Legatus igitur mox ad indignationem graviter commotus, Ut video, inquit, veſtri propoſiti, aut voluntatis non eſt, ut quis Fratrum Rector ſit, & una ſchola ſaltem gaudeant, aut duabus, ſuper hoc quid Fratres faciant, viderint. Nec credo quod Romana Curia, obtento per multos annos jam duarum ſcholarum magiſterio, privare eos debeat jure ſuo. Sicut audivimus, ita & vidimus. Nam Dominus Papa (videlicet Innocentius) *quamquam graviſſimus fuerit Fratribus* (cauſam & tempus jam nos ſupra retulimus) *tamen in hoc ut juſtus judex, juſtitiam Fratribus denegare non potuit, ſed pro eis juris ſententiam tulit, nec hoc ſemel & iterum, imo & tertio, inani ſemper per nuncios Univerſitatis appellatione compulſus.*

Pſ. 47. 9. Anno 1254. n. 4.

XXIII. Serius in cauſa egit Alexander, qui dum percœpit recruduiſſe vulnus, nec finem poni controverſiæ, ſed majores quotidie irrogari Fratribus injurias, & impediri ne eiſdem fideles eleemoſynas largirentur, neque quantumvis ab Epiſcopo loci approbatis peccata confiterentur, neque ad eorum ſcholas auditores accederent: ſcripſit epiſtolam ad Epiſcopum Pariſienſem, quam cum ſequentibus, totius rei ſeriem declarantibus, & Pontificis erga Fratres zelum manifeſtantibus, offero ex vetuſto de hac controverſia codice, quarum præcipuas habent etiam vetera noſtri Ordinis monumenta, atque alter codex inſcriptus, *Firmamentum trium Ordinum*.

Pontif. ſerius agit de concordia.

Venerabili Fratri Epiſcopo Pariſienſi &c.

D*E quibuſdam Magiſtris, & Scholaribus, ac Auditoribus Pariſien. evidenter cognoſcitur, quod ipſi non pacifici, ſed auctores ſcandali; non Dei, ſed Sathanæ vocari filii delectantur; caritatis ordinem adeo pervertentes, quod non ſolum a ſeipſis, ſed etiam ab aliis excludunt damnabiliter pietatis ſtudium, deſiderabilem nobis ſuper omnia, ſalutem impediunt animarum. Sane pervenit ad notitiam noſtram, quod prædicti Magiſtri, Scholares, & Auditores nequiter impedire præſumunt, ne aliqui dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Pariſien. eleemoſynas largiantur, vel ab eis, aut in domo ipſorum ſermones, ſeu lectiones, ſive diſputationes audiant, vel confiteantur ipſis peccata propria; etiamſi a te loci Diœceſano, vel a proprio ſacerdote ſuper hoc habeant facultatem. Præterea dicti Magiſtri ſcholares Fratrum ipſorum, & Fratres eoſdem ſuas intrare ſcholas, lectionis, & diſputationis tempore non permittunt, unde ſequitur,*

Præcipit tolli gravamina Prædicatorum.

quod

quod in mentibus Devotorum, ac Deum timentium, & potiſſime laicorum grave ſcandalum generatur. Nobis etiam exinde materia vehementis admirationis producitur & ſtuporis, præſertim cum prædicti Magiſtri, ac ſcholares, & auditores deberent in virtutum Domino conſequi affluentiam gaudiorum, quod iidem Fratres, viri utique ſanctæ converſationis, & vitæ; per quorum miniſterium ſalus potiſſime proficit animaram, tam laudabiliter in Theologica proficiunt facultate, quod & digni magiſtrali reputantur

Laus Ordinis Prædicatorii.

honore. Nec mirum, quia ipſorum ſub extrema paupertate viventium, pia ſemper ad hoc deſudat intentio, ut perpetui vigoris augmentum Religio Chriſtiana ſuſcipiat, & eorum doctrinis ſancta Dei Eccleſia jugiter illuſtretur. Et hujuſmodi quidem meritorum claritate procedit, quod nos tam enormem & atrocem Fratrum ipſorum pati moleſtiam nequeuntes, immo nullatenus ſuſtinere volentes illius temeritatis vitium, quod vergit in periculum animarum: Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus in omnes, qui ſtatuti vel ordinationis, aut cujuſcumque alterius cauſæ prætextu, impediunt, vel de cetero impedire præſumpſerint, ne prædictis Fratribus presbyteris fiat a volentibus libera confeſſio peccatorum, ſi noſtra, ſeu Legati Sedis Apoſtolicæ, aut tua, vel proprii ſacerdotis ſuper hoc habeatur auctoritas. Aut ne ſermones, & lectiones ac diſputationes audiantur eorum, vel quod ſcholares Magiſtrorum ipſorum Fratrum, & iidem Fratres lectionis & diſputationis tempore in ſcholis aliorum minime admittantur, monitione præmiſſa, excommunicationis ſententiam, ſublato cujuslibet appellationis obſtaculo, non differas promulgare, quam poſtmodum ſolemniter publices, ac publicari facias, & uſquo ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter ab omnibus obſervari: non obſtante quacumque indulgentia, per quam præcepti noſtri executio in hac parte impediri valeat, vel differri. Nos etiam nibilominus irritum decernimus, & inane, ſi a Magiſtris, & ſcholaribus, ac auditoribus memoratis contra Mandati noſtri tenorem, ſuper iis aliquid fuerit attentatum. Datum Laterani v. Nonas Martii Pontificatus noſtri anno ii.

XXIV. Detexit Pontifex tumultus auctores, & Academicorum ſeductores, quorum præcipuus Guillelmus de ſancto Amore; quare dum adhuc Apoſtolicis reniterentur mandatis, dedit ad eoſdem acres, ſed paternas litteras, exhortans ab obedientiam & reſipiſcentiam, neque amplius ſeduci ſe permitterent a malis conſiliariis, & ſpeciatim a prædicto Guillelmo.

Magiſtris, Scholaribus, & Auditoribus Pariſien. &c.

Ex eodem cod.

Scripſit Pariſienſibus ut reſipiſcant.

SI filialis obedientiæ promptitudo nobis parit cumulum gaudiorum: profecto inobedientium rebellis audacia cor noſtrum ſauciat & affligit. Ecce, ſicut accepimus, vos ordinationem noſtram ſuper conſervatione ſtudii Pariſienſis editam, ſolemni cum Fratribus noſtris deliberatione præmiſſa: & alias litteras noſtras propter quaſdam appellationes, & exceptiones frivolas interjectas a vobis, obſtinato animo non ſervantes, noſtræ intentionis effectum circa ordinationem ipſam calumnioſis adinventionibus præſumitis impedire, damnabile inobedientiæ vitium, & judicium ſententiarum, quæ ſunt contra veſtram rebellionem auctoritate Apoſtolica promulgatæ, minime formidando. Et certe niſi motum mentis noſtræ, quem tranſgreſſionis veſtræ ſtimulus concitavit, a pœna vindictæ vobis merito infligendæ, hoc potiſſimum tem-

temperaſſet, quod ſimplicitatem veſtræ multitudinis ab aſtuta malitia paucorum, & præcipue Magiſtri Guillelmi de ſancto Amore, credimus fuiſſe ſeductam; oculus veſter, quem caligo ſuperbiæ nimium obumbravit, virga correctionis debitæ illuſtratus patenter agnoſceret, quod malum ſit, & deteſtabile Apoſtolicæ Sedis æquiſſimis ordinationibus, & litteris contentum acriter obviare. Sane quia filiorum errantium diſciplinam magis cupimus, quam vindictam: Univerſitatem veſtram affectione paterna rogamus, & per Apoſtolica vobis ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus noxia ſeductorum veſtrorum conſilia, & erronea veſtigia penitus declinantes, juramento, ſeu ſtatuto, vel quacumque obligatione, per quæ præcepti noſtri executio impediri valeat, vel differri, nequaquam obſtantibus, præfatas ordinationem & ſententias reverenter & humiliter, omni occaſione poſtpoſita, poſt ſuſceptionem præſentium, obſervetis: alioquin veſtram inobedientiam, quæ nullius excuſationis auxilio poterit amodo palliari, & ſeductorum ipſorum ſuperbiam taliter, auctore Domino, corrigemus, quod pœna juſta docente, vobis patebit, & aliis qualis reverentia, & etiam diligentia in obſervantia ſtatutorum ac litterarum Sedis Apoſtolicæ, ac fidelibus univerſis, præcipue clericis, ſemper debeat adhiberi. Datum Laterani II. *Non. Aprilis, Pontificatus noſtri anno* II.

XXV. Deinde, ut prævenirent infrænis juventutis furorem, neque ad majora tranſire permitterent, ſcribit Regi Ludovico ſancto, & Epiſcopo Pariſienſi, ſub eodem tenore verborum, referens diras detractiones, imo & manuum injectiones in Fratres, necnon alias graviſſimas moleſtias, ita ut non auderent clauſtra egredi ad petendas eleemoſynas. Utrumque hortatur, ut faveat & protegat innocuos.

Cariſſimo in Chriſto filio Regi Francorum Illuſtri &c.

Dilecti filii Fratres Prædicatores pro divini amore nominis, relictis *Ex eod. cod.*
mundanis illecebris, abnegarunt totaliter ſemetipſos, ut ſoluti vinculis terrenorum, ad cœleſtia expeditius extollantur, & de inferiorum compede tracto pede, liberius ad ſuperna conſurgant. Ne igitur tam pii Rogat Regem ut Prædic. protegat.
propoſiti proſecutio alicujus obice impedimenti turbetur, dignum eſt ipſorum proviſa quiete præpeditionis obſtacula amoveri, ut eo devotius, quo quietius Domino famulantes, gratiora ſibi præſtent obſequia, & devotioribus ſe obſequiis exhibeant gratiores: ſed ut nuper relatione fide dignorum accepimus, nulli clerici Pariſiis commorantes, in offenſam Dei non modicam, religionis æmuli, turbatores quietis, & eorum operum temerarii detractores, ipſorum famam laudis dignam præconio, falſis ſatagentes oblocutionibus obfuſcare, varias litteras, per quas ipſos, quos vitæ commendat puritas, & eorum Ordinem gratiſſimis approbatum fructibus, impio diffamationis morſu dilacerant, diverſarum Prælatis partium mittere præſumpſerunt; & ut nihil prætereant inoffenſum, adeo in eorum cordibus malitia ebullivit, quod nonnullos ex Fratribus ipſis Pariſien. divino timore poſtpoſito, & modeſtiæ clericalis honeſtate abjecta, ſacrilega manu verberibus affecerunt. Ipſi etiam iis exceſſibus non contenti, ſed in ſuæ iniquitatis nequitia potius obſtinati, quod eis pejora & graviora inferrent, nequiter comminantur. Eorumdem clericorum timore perterriti, vix clauſtrum ſuum audent egredi pro acquirendis eleemoſynis eorum victui opportunis. Attendentes igitur, quod nonnumquam culpa trahitur, dum vindictæ detrahitur, & qui com-

miſſa dimittit iuulta, paudit aditum ad pejora; ne forte clericorum ipſorum uudax inſolentia per moroſam tolerantiam invaleſcat: Venerabili fratri uoſtro Epiſcopo Parifieuſi noſtris injungimus litteris, ut clericos prædictos, quod eiſdem Fratribus ſatisfaciant plenarie de præmiſſis, & ab eorum moleſtatione deſiſtant, monitione præmiſſa cauonicu, unimadverſionis vigore compellat: invocato ad uoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Cum autem ad Regiæ ſalutis augmentum pertineat, dictos Fratres divinæ conſiderationis obtentu a perverſorum conatibus defenſare; ecce Regiam Celſitudinem rogamus, & bortumur attente, quatenus eidem Epiſcopo, cum ab eo requiſitus fueris, ad cobibendam bujuſmodi clericorum ipſorum inſolentiam, pro Dei & uoſtra reverentia, impeudas favorem, & auxilium opportunum. Datum Laterani II. *Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno* II.

XXVI. Epiſcopo eidem alias miſit litteras, in quibus præmiſſis graviſſimis injuriis illatis Prædicatoribus, & peculiariter Thomæ Aquinati in die ſui Magiſterii; enumerat præcipua hujus commotionis capita, quatuor illos Magiſtros, a nobis ſupra nominatos, quos dignitatibus, beneficiis, & cathedris omnino jubet privari, atque ex univerſo Franciæ regno depelli. Pacem etiam initam inter Prædicatores & Academicos, quantumvis interceſſerint Fratres, ut probaretur & condonaretur tumultuantibus, relaxarenturque cenſuræ, noluit admittere, cum fuerit, lite coram ipſo pendente, attentata, & irrita concordia, ipſo irrequiſito; ſed voluit prius obediri mandatis Apoſtolicis, quæ illi quibuſdam artibus volebant deludere. Graviſſimæ ſunt litteræ, dignæ quæ exſcribantur.

Venerabili fratri Epiſcopo Pariſien. &c.

Ex eod. cod.

CUnctis proceſſibus, & ordinationibus, vel ſtatutis, quæ malitiæ ſuut plena tribulis, & ordine carentia rationis, vel quæ Apoſtolicæ Sedis auctoritati derogant, & multos Chriſti fideles enormiter ſcandalizant; ac in divinæ legis verguut præjudicium, & evidens continent periculum animarum, prompto ſpiritu debemus obſiſtere, ut nulla prorſus gaudeant firmitate, ſed redigantur ad uibilum, ne tranſeant uliis in exemplum; inflicta nibilominus tali pœna temerariis auctoribus eorumdem, quod ſit eis omnino ueceſſitas de ſua præſumptioue damnabili bumiliter, & propere pœnitendi. Sane pro dilectiſſimo nobis Pariſien. Studio iu vigore debito conſervando, quædam olim circa ipſum, de Fratrum noſtrorum couſilio, diligenti examinatione præmiſſa, provide duximus ſtatuenda, ſicut in ſpecialibus litteris noſtris inde confectis, quarum principium eſt: Quaſi lignum vitæ, *plenius continetur, certis ſuper hoc executoribus deputatis. Dilectis etiam filiis Magiſtris Theologiæ Pariſien. per litteras noſtras dedimus iu mandatis, & dilectos filios Fratres Prædicatores Regentes Pariſiis in Theologica facultate, qui per felicis recordationis Innocentium Papam prædeceſſorem noſtrum, & ſubſequeuter per nos reſtituti fuerunt ud conſortium Magiſtrorum, iufra quindecim dies poſt receptionem litterarum ipſarum ad conſortium jum dictum admitterent, alioquin ab officiis & beneficiis eſſent ipſo facto ſuſpenſi. Dicti vero, & quumplures alii Magiſtri, & Scholares Puriſieu. reſtitutionis, ordiuationis, & litterarum, ac ſeutentiarum & executionis ipſorum temerarii truuſgreſſores, in deluſiouem eorum ab Univerſitate nequiter receſſerunt, & præter ipſam Univerſitatem, ut dicebant, in quadam ſocietate ſeu congregutione morantes Puriſiis, uctumque legeudi poſtmodum ex*

ſola

Digitized by Google

ſola malitia ſuſpendentes; licet nos nomine Univerſitatis in dicta ordinatione noſtra ſæpius iterato intelligamus, & velimus intelligi omnes Magiſtros, & Scholares Pariſiis exiſtentes. Aſſerebant, ſe cum de Univerſitate non eſſent, ad reſtitutionis, ordinationis, & litterarum, ac ſententiarum ipſarum obſervantiam non teneri, fruſtratorie, ne ſuper hoc præjudicium ipſorum aliquid fieret, appellando, prout in litteris eorum tranſmiſſis nobis, & Fratribus noſtris, perſpeximus contineri. Juraverunt etiam ut Fratres Prædicatores, & Scholares Fratrum regentium in ſcholis ſuis, & ad ſcholaſticam ſocietatem numquam reciperent, niſi prius, quod poſſent ad hoc recipi, eſſet per Eccleſiam definitum. Et ſic hujuſmodi, ac aliis malitioſis exceptionibus, & appellationibus interjectis, quas frivolas reputamus; præfatas reſtitutionem, ordinationem, litteras, & ſententias obſtinato animo non ſervantes, noſtræ intentioni circa effectum ordinationis ipſius præſumunt calumnioſis adinventionibus obviare. Ad tantam nihilominus prorumpendo veſaniam, quod in propriæ ſalutis diſpendium, & ſcandalum plurimorum conati ſunt per damnabilem aſtutiam impedire; ne aliquis prædictis Fratribus eleemoſynas largiretur, vel ab eis, aut in domo ipſorum ſermones, ſeu lectiones, aut diſputationes audirent, vel confiterentur ipſis peccata propria, etiamſi licentia ſuper hoc a nobis, vel a te loci Diœceſano, aut ſacerdote proprio haberetur. Præterea in divinam & noſtram offenſam non modicam, ipſi ſacræ Religionis æmuli, ac turbatores quietis, ac laudabilium operum, quibus dicti Fratres ferventer invigilant, nepharii detractores, clarum & celebrem illorum famam obfuſcare falſis obloquiis molientes, litteras, per quas ipſos virtutum odore perfuſos, ac pium & ſanctum eorum Ordinem, quaſi quoddam ſydus in Eccleſia Dei refulgentem, qui a longis retro temporibus per Sedem Apoſtolicam ſolemniter approbatus, fructus deſiderabiles & felices in eadem Eccleſia continua fœcunditate producit, odibiles redderent, & deſpectos, Prælatis diverſarum partium, & nobis etiam, ac Fratribus noſtris dirigere præſumpſerint, illa ducti credulitate nequiſſima, quod doctrina Catholica, & ſalubris, ac prædicatio Fratrum ipſorum Deo gratiſſima, & delectabilis cum timentibus, contemnatur, ac invaleſcat hæreticorum perfidia, pro qua impugnanda viriliter & omnimode confutanda dicti Fratres, velut ſtrenui pugiles orthodoxæ fidei, ſunt ita vigiles, & intenti, quod ducunt pro deliciis, ſi hac de cauſa bibant aliquando calicem paſſionis. In quoſdam etiam de Fratribus eiſdem quidam ex ſcholaribus ſupradictis, maligno concitati ſpiritu, vel quaſi frenetico furore poſſeſſi, violentas manus, ut dicitur, injecerant. Et ipſos alias tot affecerunt injuriis, ut vix de clauſtro ſuo auderent egredi pro quotidianis eleemoſynis in ſuæ pauperis vitæ remedium acquirendis. Demum vero iidem Fratres tam duris affecti moleſtiis, & opprobriis laceſſiti, ad quamdam compoſitionem cum dictis Magiſtris & Scholaribus ſine conniventia Sedis Apoſtolicæ, minus provide devenerunt: per quam inter alia reprobatione digniſſima, dicti Fratres, & Scholares a ſcholis, & ſcholaſtica ſocietate Magiſtrorum Univerſitatis contemptibiliter excluduntur, quod eſt apertiſſime in contumeliam Creatoris, & animarum jacturam, ac diſcrimen fidei; & in favorem hæreticæ pravitatis: maxime cum non ſolum virtuoſi, & religioſi viri, ſed etiam Judæi, vel quicumque alii Chriſtiani nominis inimici, libere in ſcholis divinæ legis recipi, & etiam ad hoc deberent precibus invitari, ut ibi lumen fidei & morum ſuſciperent diſciplinam. Quid plura? Prædicti Magiſtri, & Scholares hujuſmodi concordiam ſtimulis diſcordiæ circumſcriptam obſervare, ſicut accepimus, non curarunt illis, qui volunt Fratrum ipſorum le-

lectiones, ac diſputationes & prædicationes audire: necnon & illis, qui dilecti filii Fratris Thomæ do Aquino voluerunt intereſſe principio, ſe nequiter opponendo. Licet igitur ex parte dictorum Fratrum, qui pacem cum omnibus habere cupiunt, & perſecutores etiam pro divina reverentia diligere delectantur, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſententias occaſione ipſorum in eoſdem Magiſtros & Scholares prolatas, & expreſſum ſuperius juramentum, cum pax eſſet inter eos, ad invicem reformata relaxare miſericorditer dignaremur. Quia tamen pacem, nobis irrequiſitis, irritam ſeu præſumptam, quod nullo modo provenire debuit, omnino duximus reprobandam, cum ſit iniqua & attentata contra ordinationem noſtram, quam illibatam, & firmam ſemper volumus obſervari, preces Fratrum ipſorum ſuper hoc decernimus nullatenus admittendas: quinimo ne tantæ rebellionis vitium contra Romanam Eccleſiam auſu deteſtabili attentatum, quod diu apud nos ſub nimia diſſimulatione præteriit, poſſet eſſe aliis occaſio ſchiſmatis, & contumaciæ pernicioſæ fomentum, Guillelmum de ſancto Amore, & Odonem de Duaco Doctores Theologiæ, ac Magiſtros Nicolaum Decanum de Barro ſuper Albam, & Chriſtianum Canonicum Beluacenſem, tamquam principales hujuſmodi rebellionis, & contumaciæ incentores, omnibus dignitatibus, & beneficiis ſuis Eccleſiaſticis, ac officio Magiſtrali, dictumque Guillelmum Capellania noſtra privamus. Sub pœna ſimili diſtrictius inhibentes, ne aliquem ipſorum quis audiat, ſi forſan contra inhibitionem hujuſmodi docere præſumpſerint; aut cathedram aſcendere Magiſtralem. Ipſos etiam Doctores, ac Magiſtros jam dictis beneficiis, & aliis indignos reddimus, ac de toto regno Franciæ præcipimus amoveri. Alios autem hujuſmodi rebellionis conſortes pari vel acriori pœna, prout nobis videbitur, puniemus, niſi reverenter, & humiliter infra quindecim dies, poſtquam præſentes fuerint Pariſiis publicatæ, reſtitutioni, publicationi, & litteris ac ſententiis memoratis parere ſtuduerint, ac de præſtanda nobis ſuper iis, juxta beneplacitum noſtrum ſatisfactione plenaria, vel condigna, ſe tibi ſufficienter duxerint obligandos. Juramenta quidem aut obligationes quaſcumque a dictis Doctoribus, ac Magiſtris, & Scholaribus, ſive de non recipiendo ad ſcholas, vel ad ſcholaſticam ſocietatem dictos Fratres, & Scholares Fratres ipſorum regentium, ſive alias contra præfatam ordinationem noſtram facta, decernentes penitus non tenere. Prædictorum executorum ſententias in Doctores & Magiſtros & Scholares eoſdem, aut ipſorum aliquos promulgatas, appellationibus non obſtantibus, auctoritate Apoſtolica confirmamus. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ, ac etiam ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus tenorem præſentium omni dilatione, & occaſione poſtpoſita, per te, vel per alios ſtudeas Pariſiis publicare. Si præfati Doctores & Magiſtri, quæ præmiſimus, non duxerint omni modo adimplenda, ipſos ex tunc excommunicatos denuncies & denunciari facias, ubicumque videris expedire, ac illis ad quos dignitatum, & beneficiorum ipſorum collatio dignoſcitur pertinere, per litteras tuas ſine mora demandes, ut infra XV. dies poſt receptionem earumdem, omni occaſione ceſſante, dignitates & beneficia ipſa conferant perſonis idoneis, & Eccleſiæ Romanæ devotis. Quod ſi facere forte neglexerint, tu illa conferre auctoritate noſtra, infra dies totidem non poſtponas. Cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Franciæ, cui ſuper hoc ſcripta noſtra dirigimus, diligenter moneas, & inducas, ut dictos Doctores, ac Magiſtros, tamquam Eccleſiæ Romanæ rebelles, & Pariſien. ſtudii tarbateres, de toto Regno ſuo, poſtpoſita tarditate, propellat. Contradictores per cen-

cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus appellationibus, aut occaſionibus ſupradictis, vel aliis quibuſcumque ſive litteris, vel indulgentiis ab Apoſtolica Sede conceſſis, per quas præcepti noſtri executio in hac parte impediri valeat, vel differri, aut de quibus plenam & expreſſam, ſeu de verbo ad verbum oporteat in præſentibus fieri mentionem: ſeu etiam quod dicti Fratres omnibus litteris Apoſtolicis impetratis, & impetrandis renunciaſſe dicuntur, quando in compoſitione hujuſmodi conſenſerunt. Præſertim cum ipſam nullam eſſe, ac jam dictas Apoſtolicas litteras in ſuo robore manere velimus, & ipſas tibi, ac eiſdem Fratribus ab earum detentoribus exhiberi: quos ad id, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eamdem, appellatione remota, compellas. Præceptum noſtrum, quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus; ut efficacis obedientiæ gaudeamus in te promptitudinem inveniſſe. Alias autem pro firmo teneas, quod indignationem noſtram ſub incurſu prædictæ pœnæ contra perſonam tuam; licet ipſam in Chriſto ſinceriſſime diligamus, graviſsime provocabis. Quod enim ſuper hoc inveneris, & feceris, nobis fideliter reſcribere non omittas. Datum Anagniæ XV. *Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno* II.

XXVII. Sub menſe Junii jam pertranſiit perturbatio ad Minores, & participes facti ſunt malorum quæ Prædicatoribus evenerant. Quare utroſque Pontifex Epiſcopo commendat, jubens ut ſua ſtatuta omnino obſerventur, nec eludantur, aut evacuentur per colligationes quaſdam nefarias, aut intentionem transferendi alio ſtudium Pariſienſe, in quo tunc non permittebant ſcholares religioſos ſacræ legis lectionibus, aut diſputationibus intereſſe. His ut medeatur Epiſcopus, per has litteras Pontifex hortatur. Tranſiit hæc vexatio ad Minores.

Venerabili Fratri Epiſcopo Pariſienſi &c.

Licet olim pro ſtudii Pariſien. conſervatione quædam circa ſtudium ipſum, de Fratrum noſtrorum conſilio provide duxerimus ordinanda, prout in litteris noſtris exinde confectis, quæ Quaſi lignum vitæ *incipiunt, plenius continetur. Nonnulli tamen Magiſtri, & Scholares Pariſienſes quaſdam obligationes, & colligationes neph, arias, ut audivimus, inierunt; per quas Scholares religioſi, & alii non poſſunt libere, ſicut volunt, ſcholas, maxime ſacræ legis pro lectionibus, & diſputationibus audiendis intrare. Alias etiam non ſine Apoſtolicæ Sedis injuria, & impedimento dicti ſtudii, ac ſalutis animarum diſpendio, intentionem noſtram circa effectum ordinationis ipſius evacuare multipliciter moliuntur. Volentes igitur, & auctoritate præſentium ſtatuentes, quod Scholares omnes tam religioſi, qui de Prælatorum ſuorum licentia morantur in ſtudio, quam etiam ſeculares libere valeant, ubi volunt, lectiones & diſputationes, ac prædicationes audire: quodque præfata noſtra ordinatio ab omnibus Magiſtris, & Scholaribus Pariſiis exiſtentibus reverenter & humiliter obſervetur. Necnon, quod dilecti filii Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres, ac alii Religioſi, qui Pariſiis fuerint pro tempore Doctores Theologicæ facultatis, ſeu Scholares ipſorum, ſeu in conſortium & collegium, ſeu ſocietatem aliorum Magiſtrorum & Scholarium Pariſien. recipiantur ſimpliciter, & efficaciter pro talibus habeantur. Et quod Pariſienſis Univerſitatis ſtudium, præter tenorem ordinationis ejuſdem, aut abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, nullatenus alibi transferatur. Omnes, qui contra hoc ſalubre ſtatutum noſtrum veni-*

Jubet ut Epiſcopus faciat ſuas obſervari conſtitutiones.

Ex eod. cod.

venire, vel occaſione præſentiam, aut aliarum litterarum noſtrarum directarum tibi, quæ incipiunt: Cunctis proceſſibus; *ſtudium ipſum conturbare præſumpſerint, omnibus Eccleſiaſticis beneficiis decernimus eſſe privatos, & ab ordinum executione ſuſpenſos. Omnes autem obligationes, etiam juramento firmatas, a Magiſtris & Scholaribus memoratis, contra ordinationis aut litterarum ſuperius expreſſarum, ſeu præſentiam tenorem præſumptas, vel impoſterum præſumendas, necnon & compoſitionem inter eoſdem Fratres Prædicatores ex parte una, ac Magiſtros, & Scholares ex altera, contra ordinationem ipſam, nobis irrequiſitis, initam, tamquam iniquam, & temerariam penitus irritamus. Ut igitur a ſupradictorum obſervantia nullus ſe poſſit per ignorantiam excuſare, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta; in virtute obedientiæ, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus tenorem præſentium, qualibet occaſione, & dilatione, ac appellatione ceſſante, per te vel per alios publicare Pariſiis non omittens, ſi qui contra prædictorum aliquid venientes, privationem incurrerint memoratam, tu illis, ad quos beneficiorum ipſoram collatio ſpectare dignoſcitur, litteras tuas ſine mora demandes, ut infra* XV. *dies poſt receptionem ipſarum, omnium occaſione ceſſante, beneficia illorum, de quibus videris expedire, conferant perſonis idoneis, & Eccleſiæ Romanæ devotis. Quod ſi hoc facere neglexerint, tu illa conferre perſonis ejuſmodi non poſtponas. Non obſtantibus appellationibus, & exceptionibus, aut occaſionibus quibuſcumque, ſive litteris vel indalgentiis ab Apoſtolica Sede conceſſis, per quas præcepti noſtri executio in hac parte valeat impediri, vel differri: aut de quibus plenam & expreſſam, ſeu de verbo ad verbum oporteat in præſentibus fieri mentionem. Seu etiam quod dicti Fratres omnibus litteris Apoſtolicis impetratis, & impetrandis renunciaſſe dicuntur, quando in compoſitionem hujuſmodi conſenſerunt, præſertim cum ipſam nullam eſſe, ac jam dictas Apoſtolicas litteras in ſuo robore remanere velimus; & ipſas tibi ac eiſdem Fratribus ab eorum detentoribus exhiberi: quos ad id, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellas. Præceptum noſtrum, quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, ut efficacis obedientiæ gaudeamus in te promptitudinem inveniſſe. Alias autem pro firmo teneas, quod indignationem noſtram contra perſonam tuam, licet ipſam in Chriſto ſinceriſſime diligamus, graviſſime provocabis. Quod enim ſuper hoc inveneris, & feceris, nobis per tuas litteras fideliter intimare procures. Datum Anagniæ* V. *Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno* II.

XXVIII. Sub eiſdem datis ſcripſit ad Chriſtianiſſimum Regem, ut quatuor præfatos auctores rebellionis ageret in exilium, vel potius duos in hac re potiores, Guillelmum de Sancto Amore, & Chriſtianum Beluacenſem carceri manciparet. Commendat item Prædicatorum & Minorum Ordines, multa perpeſſos, quorum prædicat innocentiam, & adverſariorum refert verſutias.

Cariſſimo in Chriſto filio Regi Franciæ illuſtri.

Ex eod. cod. Jubet procedi contra auctores tumultus, & cōmendat ei tutelā utriuſque ordinis.

VEræ fidei, & piæ devotionis ſinceritas, quam geris erga Deum, & Romanam Eccleſiam, evidentibus & credibilibus nimis ſanctorum operum teſtimoniis comprobata, cor noſtrum mira perfundit ſuavitate lætitiæ: ac nobis, quod Excellentiam tuam ad omne bonum promptam ſemper experiri poſſumus, efficaciſſime perſuadet. Inter alia vero tuam Regiam Cel-

Celſitudinem commendant clarius dilectionis, & pietatis viſcera, quæ in omnes Chriſti pauperes, & præcipue in dilectos filios Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres affectuoſius effundis, in quo utique ipſius Chriſti te imitatorem exhibens, ipſum, & ejus Eccleſiam, cujus illi officioſa ſunt membra, & eo cariora, quo ſibi firmius cohærentia lætificas & honoras. Sane licet pro dilectiſſimo nobis Pariſienſi ſtudio in vigore debito conſervando, quædam olim circa ipſum, de Fratrum noſtrorum conſilio, diligenti examinatione præmiſſa, provide duxerimus ordinanda, ſicut in ſpecialibus litteris noſtris inde confectis, plenius continetur, certis ſuper hoc executoribus deputatis; quam plures tamen Magiſtri & ſcholares Pariſienſes ſuæ potius, quam Chriſti gloriæ cupidi, pro eo quod ſuper injurioſa ſeparatione dilectorum filiorum Magiſtrorum Fratrum Prædicatorum Pariſien. & ſcholarium eorumdem a Magiſtrorum conſortio, & Univerſitatis Collegio, ac quibuſdam eorum ſtatutis iniquis, & non ſine offenſa Dei, & animarum periculo arctantibus ſtudium ſacræ legis, apud nos non potuerunt, quia nec debuerunt, aſſequi votum ſuum, irrationabili commotione, ac ſuperba indignatione turbati, non ſolum dictos Fratres Prædicatores, quorum felicibus profectibus invidebant, crudeliter & nequiter afflixerunt, ac eorum Ordinem fæcundum fructibus ſanctitatis, & quaſi quoddam ſydus in Dei Eccleſia refulgentem, apud nos & alios conati ſunt verbis & litteris ſacrilegis diffamare, ſicut Tua Serenitas, ut credimus, non ignorat. Verum etiam, quod eſt deteſtabilioris audaciæ, nobis ſe contumaciter opponere præſumentes, adinventionibus fraudulentis, & frivolis appellationibus, prout nobis per ſuas litteras conſtitit, præfatæ ordinationis effectum impedire contra intentionem noſtram multipliciter attentarunt; litteras noſtras excommunicationis, ac ſuſpenſionis ſententias, in eos culpis ſuis exigentibus, auctoritate Sedis Apoſtolicæ promulgatas, rebellione damnabili contemnendo. Sed quia hujuſmodi ſuperbiæ filii diu ſub quadam pia diſſimulatione a nobis ut reſipiſcerent expectati, ſuæ cervicis obſtinatæ duritiam ad obediendum nobis flectere non curarunt, nos ne tantæ temeritatis vitium contra Romanam Eccleſiam auſu deteſtabili attentatum, poſſit eſſe aliis occaſio ſchiſmatis, & contumaciæ pernicioſæ fomentum: & ne Pariſien. ſtudium violato tenore ordinationis noſtræ pro aliquorum libito diſſolvi valeat, vel transferri; nos citra culparum ſuarum exigentiam proceſſimus contra ipſos; & Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Pariſien. ſcripta noſtra direximus, ut proceſſum Pariſius publicare ſtudeat, ac alia quædam circa hæc diligentius exequatur. Ut autem hujuſmodi proceſſus noſtri votiva executio proveniat ſine mora, Serenitatem Tuam, de qua gerimus in Domino fiduciam ſpecialem, omni qua poſſumus, affectione rogamus, ac in remiſſionem tibi injungimus peccatorum, quatenus præfato Epiſcopo ad exequendum ſuper hæc præceptum noſtrum pro divina & noſtra reverentia, tui brachii triumphali virtute ſubveniens, in auxilium ſalutaris, & eccleſiaſticæ diſciplinæ divinitus tibi data, Guillelmum de ſancto Amore, & Odonem de Duaco Doctores Theologiæ, ac Nicolaum Decanum de Barro, & Chriſtianum Canonicum Beluacen. tamquam Eccleſiæ Romanæ rebelles, & aliorum rebellium incentores, ac turbatores Pariſien. ſtudii, niſi ad mandatum noſtrum, juxta formam ipſi Epiſcopo traditam, redeant reverenter, omni dilatione & occaſione, ſeu appellatione ceſſantibus, de toto Regno Franciæ propellere non omittas. Vellemus ad hæc, ſi Tuæ Celſitudini videretur, ut dictos Guillelmum de ſancto Amore, & Chriſtianum, qui fuerunt in perverſitate hujuſmodi potiores, faceres uſque ad beneplacitum in carcere detineri, ceteros de Magiſtris & ſcholaribus ſupradi-

Ut magiſtri rebelles ex univerſo regno pellantur.

dictis præfatæ ordinationis noſtræ, & ejuſdem ſtudii turbatores, ac Fratrum ipſorum vexatores improbos & iniquos, tua præpotenti dextera, prout tibi videbitur, coercendo, ut ipſorum punita malignitas alios doceat quiete vivere, & Eccleſiæ Romanæ humiliter obedire. Preces noſtras in hac parte ſic efficaciter impleturus, quod nos, qui eas tibi ex cordis affectu dirigimus, voti noſtri plenitudinem conſecuti, tuis, cum opportunum fuerit, libentius annuamus. Datum Anagniæ v. *Kalendas Julii Pontificatus noſtri anno* II.

XXIX. Sub menſe Julii revocat quamdam compoſitionem, ſive pactionem factam a Priore & Fratribus Prædicatoribus cum Academicis vi metuque extortam, irritam, caſſamque voluit, quantumvis oraverint Prædicatores, ut probaretur, præſertim cum tales inire cum eiſdem pactiones ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate, pendente coram eadem lite, fuerit attentatum.

Dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Pariſien. &c.

Ex eod. cod. V*Ehementi admiratione ducimur, & etiam non immerito conturbamur, quod licet Sedes Apoſtolica vos pro ſacræ Religionis veſtræ meritis complectatur affectu benevolentiæ ſpecialis, ac viros reputet honeſtate multa coſpicuos, & circumſpecta diſcretione præclaros: ad illius tamen in-*

Non vult approbare initam concordiam. *conſultæ ſimplicitatis prorupiſtis exceſſum, ut cum Magiſtris, & Scholaribus Pariſien. effectum ordinationis pro communi utilitate ſtudii Pariſien. a nobis editæ, de Fratrum noſtrorum conſilio doloſe ac nequiter molientibus, impedire non ſolum præſumpſeritis, & abſque conniventia noſtra cum eis componere, ſed etiam nimis improvide poſtmodum petiviſtis, ut ſententias in præfatæ ordinationis temerarios tranſgreſſores auctoritate noſtra prolatas, prætextu compoſitionis hujuſmodi, relaxare de ſpeciali gratia dignaremur, licet ipſi adhuc in ſua contumacia damnabiliter perſeverent. Sane niſi nos propter enormes & atroces, quas ferebatis injurias, ad conſenſum compoſitionis ejuſdem, quaſi violenter inductos de quadam pietatis abundantia crederemus; debitæ ſeveritas diſciplinæ vos inſtrueret, quod in hoc non leviter deliquiſtis. Preces igitur improvidas, & indignas, quas nobis in hac parte porrigere attentaſtis, nullatenus admittentes, obligationes de non recipiendo ad ſcholas, vel ſocietatem ſcholaſticam, vos ſeu quoſcumque alios Religioſos, aut ſeculares, ſive alias contra præfatam ordinationem noſtram a dictis Magiſtris, & ſcholaribus attentatas, etiam ſi juramento ſint, vel quacumque firmitate alia roboratæ, penitus irritamus: Declarantes auctoritate præſentium, quod vos, & alii Religioſi, qui in præſentiarum Prælatorum ſuorum licentia in ſtudio commorantur, ad ſcholas præcipue Theologicæ facultatis, & ſcholaſticam ſocietatem libere, ſicut alii ſeculares, recipi valeatis; præſertim cum ad hæc infideles ipſi non ſolum affectu deberent admitti promptiſſimo, ſed etiam induci precibus, & muneribus invitari; ut ibi lumen fidei, & morum ſuſciperent diſciplinam. Datum Anagniæ Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno* II.

Guillelmus de S. Amore ſcribit libellum contra Mendicantes. XXX. Erupit jam vulnus & ſaniem emiſit, concepit namque dolorem Guillelmus de ſancto Amore, & peperit iniquitatem, iniquum edendo in Prædicatores & Minores libellum, quem ſtatim curavit Lu-do-

dovicus Rex per duos Clericos, Nuncios ſuos transferri ad Pontificem. Graviter in cauſa procedi voluit Alexander. Quare examinandum commiſit Opuſculum quatuor Cardinalibus, Ottoni de Caſtro Rodulphi Bituricenſi Gallo, Epiſcopo Tuſculano, Joanni Franciogia Burgundo Gallo, tit. ſancti Laurentii in Lucina, Hugoni de ſancto Caro Burgundo, item & Gallo, tit. ſanctæ Sabinæ, & Joanni Cajetano Urſino Romano, Diacono Cardinali ſancti Nicolai in carcere Tulliano; quod ita incipiens: *Ecce videntes clamabunt foris*; & ſic inſcriptum: *Tractatus brevis de periculis noviſſimorum temporum*. Ex Cardinalium conſilio tamquam iniquum, ſcelestum, & execrabile, & instructiones ac documenta in eo tradita, veluti prava, falſa & nefaria condemnavit, ſevere ſub graviſſimis cenſuris præcipiens, ut quicumque hujuſmodi libellum haberent, infra octo dies a promulgatis ſuis litteris, eumdem comburerent. In eo contendebat reprobus auctor, pauperes & mendicos voluntarios non eſſe in ſtatu ſalvationis: neque licere regularibus, quantuuvis auctoritate Romani Pontificis ſultis, Dei verbum prædicare, aut pœnitentum confeſſiones excipere; atque alia plura perverſa & reproba contra poteſtatem, & auctoritatem Romani Pontificis, & Coepiſcoporum ſuorum, (ipſo Alexandro teſtante) nonnulla etiam contra paupertatem Evangelicam: alia contra eos, qui ſalutem animarum zelantes, magnum advehebant Eccleſiæ Catholicæ profectum. Condemnatur a Pontifice.

XXXI. Condemnatum & combuſtum hunc librum fuiſſe (ait Cantipratanus illorum temporum æqualis). non. ſolum in ipſa Curia, ſed & Pariſiis coram Univerſitatis multitudine copioſa, ſcire poterit, qui collationes, & diſputationes legerit, præcipue contra Magiſtros quatuor in capite adverſarios: diſputationes quoque Domini Hugonis presbyteri Cardinalis, Fratris Ordinis Prædicatorum, Domini Richardi, & Domini Cajetani, & aliorum Cardinalium plurimorum: nec non & allegationes Venerabilis Patris fratris Humberti, Magiſtri Ordinis Prædicatorum. Sed & fratris Bonaventuræ Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum, & maxime Magiſtri Alberti, Fratris Ordinis Prædicatorum, ad hoc ſpecialiter a Domino Papa vocati; & aliorum Prælatorum, atque magnorum virorum diſputationes prolixas & magnas, habitas Anagniæ coram multis: & in ipſis invenire poterit rerum geſtarum enncleatiſſimam veritatem. Huic diſputationi, præter jam relatos a Pontifice vocatos, adfuiſſe etiam ſanctum Thomam Aquinatem, & Bertrandum de Bajona Minoritam Provinciæ Aquitaniæ virum eminentem, ſcribit Marianus: atque Bertrandum hunc ita expedite omnia Guillelmi adverſarii objecta recitaſſe, & faciliter diſſolviſſe, ut hærens & ſtupens, hominem non cognoſcens, ille ſubjiceret: *Vel tu es angelus e cælo, vel dæmon ex inferno, vel Strabo de Bajona*. Cui hic reſpondit: *Neque angelus, neque dæmon, ſed Strabo ſum de Bajona*; quod utique verum erat, nam eo audiebat nomine in ſeculo, antequam initiaretur, & ſub hac appellatione valde celebris erat in populis. Bonaventura vero docto contra hominem egit ſcripto; non illo, ut plures autumant, cui titulus; *Apologia pauperum*, hoc enim pluribus poſt annis ſcripſit contra Gyraldum de Abbatis-villa, ut alias obſervabo; ſed altero quod inſcripſit; *de paupertate Chriſti*. Sed & ſanctus Thomas aliud dedit inſcriptum; *contra impugnantes Religionem*. Porro Bajonenſis Roma rediens in patriam, ut intereſſet comitiis ſuæ Provinciæ, dum celebrarentur Lemovicis, feliciter magno ſui relicto deſiderio, diem clauſit extremum. Duravit diſputa-

Cantipr. cit. num. 23.

Marian. cap. 22.

Ann. 1269.

tatio per aliquot hebdomadas uſque ad finem Septembris. Condemnatio autem libri facta eſt hoc anno die v. Octobris, quam per ſuas litteras publicatam voluit Pontifex ad perpetuam rei memoriam.

Ex eod. cod. & ex ſirm. trium Ord.

ALEXANDER PP. IV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Romanus Pontifex de ſummi Apoſtolatus ſpecula Urbi, & Orbi debitn ſervitute proſpiciens, euris occupatur innnmeris, & cogitationibus rapitur infinitis. Quia eminentior ceteris, ſedes ejus ſollicitudines ſibi vehementiores accnmulat, & ipſius auctoritas potior meditntiones ei multiplicat ampliores. Quo enim altius præſidet, eo longius latiuſque circumſpicit, & quanto plus poteſt officio, tanto majoris vigilantiæ ſibi ſarcina incumbente plus penſat. Quoniam maximæ dignitati potiſſima ſollicitudo cohæret, & nltiorem honorem onus gravlas comitatur, curaque profuſior ardentioribus ſtimulis mentem urget: unde cum aliis fidelium plebium paſtoribus, quibus grex Dominicus particulariter eſt commiſſus, immineat de ſuarum Eccleſiarum eminentia vigilantiæ ad ſuas oves paſcendas; incumbit utique Romano Præſali, cui eſt grex ipſe generaliter creditus, de ſublimi Eccleſiarum vertice, ſede ſcilicet Apoſtolica, propenſius ad illum & inſtantius intueri. Quia cum illi ſuis limitatis populis præſint, ſinguli quidem ſingulis: hic ſine diſtrictione prælatus eſt Pontifex univerſis: Dominicæ quidem vineæ caſtos generalis, & cultor; & totius Ovilis Catholici, paſtorumque omnium ſummus Paſtor. Incumbente item ſibi generali ſollicitudine ſuper omnes, cum ex hoc ſuæ mentis intuitum per cuncta diffundere teneatur, ſtupet nimirum ipſius animus, & ſub tam gravis & difficilis euræ pondere contremiſcit, quod poſſet ſufferre, ut convenit, pondus Orbis univerſi. Ad eum namque negotia undique conſluunt, perveniunt lites, dubia deferuntur, & deſtinantur implicita & perplexa, nec unquam horum influens torrens ceſſat, nec hujus alti pelagi validæ infeſtæque procellæ quieſcunt; ſed iis, quæ imminent, nunc expeditis, mox alia ſubſequuntur; nec tot implexarum quæſtionum nodi deciſione Apoſtolica ſolvi poſſunt, quin & aliæ irretitæ, ac nodoſæ superveniant, deliberatione matura, & conſulta definitione ſolvendæ; Immo ex quo de inſtantibus difficilibus, & obſcuris dubietatis caliginem verbo ſuæ declarationis amoverit, ſtatim nova & recentia turbulenta ingruunt Apoſtolico dilucidanda oraculo, & ambiguis ac incertis mentibus claræ diſſertionis luce ſerenanda: propter quod ineſt Romano Antiſtiti ſollicitudo ſine otio, labor ſine quiete, occupatio ſine vacatione, exercitium ſine tranquillo, ingens & ſedula meditatio, & vigilia ſine ſomno, nec ad modicum etiam ſua quotidiana intermiſſionem habet inſtantia; quæ nec omittitur aliquo tempore, nec aliquod ipſa tempus omittit: urget continue, quia cogitandi materia ſemper adeſt; nec ſucceſſu temporis deſinit, ſed cum illius diuturnitate perdurat, quia nec decurſu temporis deficiunt negotia, ſed aſſidue illis ſuccedentibus renaſcuntur; Nam & hoſtis antiquus argutus quidem inſidiator, calliduſque deceptor animarum, vehementis & ardentis ſollicitudinis cauſam præbet. Humanæ quippe pacis æmulus, fraternæ invidus caritatis, diviſionum auctor, diſſipator unionum, & tranquillitatis fidelium anxius perſecutor, interſerit odia, rancores ingerit, livores accendit, movet lites, jurgia ſaſcitat, contentiones irritat, parit ſeditiones, & diſſentiones procurat: Et illorum etiam, qui perfectiores & fir-

Quantum onus ſummi Pontificis.

Dæmonis vituperium.

& firmiores eſſe creduntur, interdum corda ſubvertit, & ibi magis impietatis ſuæ machinas erigere, ac nequitiæ faces accendere nititur, ubi fore plus exiſtimat malignitati ſuæ conamina obfutura. Jacit iniquus laqueos, pedicas objicit, ponit tendiculas, ut prudentiores etiam intercipiat, & captivet. Hinc turbationes oriuntur, ſurgunt inimicitiæ, diſſidia prodeunt, & ſcandala generantur: unde ſic jam ſeculum declinavit ad malum, quod excreſcentibus & invaleſcentibus in eo noxiis, quaſi vix locus in ipſo ſalutaribus invenitur, & excluſa fere inde concordia, quaſi ſtabilem habet ibi diſcordia manſionem. Quare oportet cura inceſſabili vigilare, ut detorta & corrupta per malitiam, bonitatis virtute rectificentur, & reformentur; divulſi per odium, caritate ligentur, commota conſiſtant & pauſent, habeant turbata tranquillum, & ſtatus fidelium ſemper in melius roboretur.

Narratio facti.

Sane quidam Scripturæ ſacræ intelligentiam ſe habere fatentes, ſed divertentes a tramite recti ſenſus, cogitaverunt nuper malitiam: & contra innocuos, & rectos iniquitatem maximam ſunt loquuti. Exarſerunt in cordibus ſuis, & lingua eorum maliloqua dolum & nequitiam excogitavit: ſurgentes adverſus Fratres detraxerunt; & contra dilectos matris Eccleſiæ filios ſcandalum poſuere. Prodiere, inquam, & in prava commenta ex nimio calore animi proruperunt: libellum quemdam valde pernicioſum, & deteſtabilem temere componentes: libellum quidem non rationabilem, ſed reprobabilem; non veritatis, ſed mendacii; non eruditionis, ſed derogationis; non recte monentem, ſed mordentem; non inſtruentem veraciter, ſed fallentem;

Quam pernicioſus libellus Guilelmi a ſancto Amore.

quem nos ad Sedem delatum Apoſtolicam Venerabili Fratri Epiſcopo Tuſculano, & dilectis filiis noſtris: I. tituli ſancti Laurentii in Lucina. H. tituli ſanctæ Sabinæ Presbyteris. Et I. ſancti Nicolai in carcere Tullian. Diacon. Cardinalibus examinandum commiſimus, ut plene ipſam inſpicerent, & univerſa in eo contenta perfecte attenderent, & diſcuterent diligenter. Quo ſtudioſe perlecto, & mature ac diſtricte examinato, nobiſque de hoc plenaria facta relatione ab eis: quia in ipſo quædam perverſa & reproba contra poteſtatem & auctoritatem Romani Pontificis, & Coepiſcoporum ſuorum; & nonnulla contra illos, qui propter Deum ſub arctiſſima paupertate mendicant, mundum cum ſuis opibus voluntaria inopia ſuperantes: alia vero contra eos, qui ſalutem animarum zelantes ardenter, & ſacris ſtudiis procurantes, multos in Eccleſia Dei operantur ſpirituales profectus, & magnum faciunt ibi fructum: quædam autem contra ſalutem pauperum, ſeu mendicantium Religioſorum ſtatum; ſicut ſunt dilecti filii Fratres Prædicatores, & Minores, qui vigore ſpiritus, ſeculo cum ſuis divitiis derelicto; ad ſolam cæleſtem patriam tota intentione ſuſpirant: nec non & alia plura inconvenientia, digna utique confutatione, ac confuſione perpetua, manifeſte comperimus contineri. Quia etiam idem libellus magni ſcandali ſeminarium,

Quam item ſcandaloſus.

& magnæ turbationis materiæ exiſtebat, & inducebat etiam diſpendium animarum, cum retraheret fraudulenter a devotione ſolita, & a conſueta eleemoſynarum largitione, ac a converſione, & Religionis ingreſſu fideles. Nos libellum eumdem, qui ſic incipit: Ecce videntes clamabunt foris, *quique ſecundum ipſius titulum.* Tractatus brevis de periculis noviſſimorum temporum *nuncupatur: tamquam iniquum, ſceleſtum, & execrabilem, & inſtructiones, ac documenta in eo tradita, utpote prava, falſa, & nepharia, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica reprobamus, & in perpetuum condemnamus, diſtricte præcipientes, ut quicumque libellum ipſum habuerit, cum infra octo dies, ex quo hujuſmodi noſtram reprobationem & condemnationem ſciverit, prorſus in toto, & in qualibet*

Condemnatur.

ſui parte comburere, & abolere procuret. In illos enim, qui hujus noſtri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis ſententiam promulgamus: firmiter in virtute obedientiæ probibendo, ne quiſquam prædictum libellum ore Apoſtolico jam damnatum, approbare, vel quomodolibet defenſare præſumat. Si quis vero præſumpſerit, tamquam contumax, inobediens, & rebellis Romanæ Eccleſiæ ab omnibus fidelibus habeatur. Et nos nihilominus alias contra eum taliter procedemus, quod pœna condigna temerarium feriet, & alii ea perterriti a ſimilibus frænabuntur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reprobationis, condemnationis, præcepti, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Anagniæ III. *Non. Octobris Pontificatus noſtri anno* II.

XXXII. Gratias deinde agit Ludovico Regi, quod per ſuos Nuncios librum miſerit, ſignificans jam condemnatum, commendanſque Ordines Prædicatorum, & Minorum ejus protectioni.

Cariſſimo in Chriſto filio Illuſtri Regi Franciæ.

Ex monum. MSS

Commendatur a pietate S. Ludovic. Rex.

VEri ſolis radius in Te vere fulgere conſpicitur, qui depulſis penitus pravis actibus, in lucis operibus delectaris, qui vitatis omnino noctis tenebris, in diei lumine ambulas, horrendo vitia, fugiendo a noxiis, & ſalutaribus inhærendo. Revera clarent in te firma fides, & pura devotio erga cæleſtem Regem, cujus dono Regnum terrenum noſceris obtinere, dum ſic ejus beneplacitis te coaptas, quod ad eum dirigens mentem tuam, & ipſum in tuis actionibus conſtituis fundamentum; ad illa tuum libitum convertis, & ſtudium, quæ in ejus conſpectu ſunt placita, ſibique delectabilem referant ſuavitatem odoris, in benignitate, clementia, miſericordia, & caritatis ſubſidiis te principaliter exercendo: Sed etſi hæc in perſona tua velut ſydera luminoſa reſplendeant, eſt tamen ibi aliud quod ampliori fulgore rutilat, & ſicut luminare majus, & altius profert jubar inter alia in te lucentia, quaſi ſolis innuens majeſtatem. Illa videlicet ardens, & lucens caritas, qua perſonas religioſas, & divinis mancipatas ſervitiis, gratioſe proſequeris, eas tenere diligendo, favore muniendo regio, multis beneficiis confovendo, amplectendo libenter converſationem ipſarum, & eas in tua familiaritate ſpecialiter retinendo. Inter quas dilectos filios Fratres Prædicatores, & Minores, tamquam perfectos Chriſti ſervos, cultores fidei eruditos, & prudentes, ac providos conſiliarios animarum, Tuæ manſuetudini præcipui amoris vinculo aſtrinxiſti. Certe congruit & expedit, quod Princeps tam Catholicus familiares habeat tam electos, quod in ipſius munda, & nitida Curia, viri ſine nota, & macula converſentur, quodque domus ejus, generali præconio laudata per Orbem, etiam ex famulorum, & miniſtrorum Domini ſocietate, ac præſentia commendetur. Horum namque Fratrum clari Ordines jam dudum a Sede Apoſtolica, ſicut ſacri & conſpicui, approbati, velut eminentia candelabra, & duo magna luminaria in Eccleſia Dei lucent, quoniam ab iis ſanctæ doctrinæ lumen ubique per mundum copioſe diffunditur, ab his Evangelium ardenter & efficaciter prædicatur, ab his recta & ſana conſilia, & exempla ſalutaria exhibentur, Convenienter itaque Regia Serenitas in tam proborum Virorum & Religioſorum tam illuſtrium conſortio jucundatur, quia ex hoc ipſa, & merito creſcit & fama,

Quam propitius Religioſis.

Præſertim Prædic. & Minoribus

ma, & principibus aliis ad honeſtum & bonum materia eſt & judex. De tanta ergo benevolentia & gratia, quam eiſdem Fratribus ſincere oſtendis, & exhibes, Celſitudinem Tuam multipliciter in Domino commendantes, dignas tibi gratiarum referimus actiones, recognoſcentes nos, fore tibi de hoc ſpecialius obligatos, quia tu es ipſis in neceſſitate plenum ſubſidium, contra moleſtias tutum præſidium, & in adverſitate ſui ſtatus ſolidum firmamentum. Sane dilectos filios Magiſtros Joannem, & Petrum clericos & nuntios tuos, quos ad Sedem Apoſtolicam deſtinaſti, affectuoſe recepimus, & in his, quæ propoſuerunt, & petierunt ex parte tua pro eiſdem Fratribus, benigne ipſos audire curavimus, & efficaciter exaudire; & ecce libellum illum pernicioſum, & deteſtabilem, quem quidam ſacræ Scripturæ intelligentiam ſe habere fatentes, ſed divertentes a tramite recti ſenſus, contra Chriſti pauperes, vitæ ſuæ ſubſidia ſalubriter mendicantes, componere præſumpſerunt, delatum ad nos per eoſdem nuncios, tamquam iniquum, ſceleſtum, & execrabilem, & inſtructiones, ac documenta in eo tradita, utpote prava, falſa, & nepharia, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, præſente magna fidelium multitudine, reprobanda duximus, & in perpetuum condemnanda. Diſtricte præcipientes, ut quicumque libellum ipſum habuerit, infra octo dies, ex quo hujuſmodi noſtram reprobationem, & condemnationem ſciverit, prorſus deſtruere, & abolere procuret; & in illos, qui hujus noſtri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis ſententiam promulgantes. Firmiter in virtute obedientiæ præcipiendo, ne quiſquam prædictum libellum ore Apoſtolico jam damnatam approbare, vel quomodolibet defenſare præſumat, & ſi præſumpſerit, tamquam contumax, inobediens, & rebellis Romanæ Eccleſiæ ab omnibus fidelibus habeatur: ſicut hæc omnia in litteris noſtris de prædicta reprobatione, ac condemnatione confectis, quas tibi tranſmittimus, plenius continetur. Ideoque Magnificentiam Tuam omni, qua poſſumus, affectione rogamus, quatenus memoratos Fratres conſueta benignitate, ac gratia proſequens, eos tamquam probatos & acceptos Chriſti miniſtros habeas attentius commendatos, & ab injuriis & moleſtiis protegas, & præſerves. Ita quod tuo ſecuri munimine quietam & gratam impendere Domino valeant ſervitutem. Datum Anagniæ XVI. *Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno* II.

XXXIII. Deinde audiens ſub illo tempore doctrinam hujus libri per Academiam Pariſienſem, & Galliarum populos ſpargi, multoſque multa auſos contra utramque Religionem: amare hoc ferens, ſcripſit ad Ludovicum Regem, univerſos Eccleſiarum Galliarum Prælatos, & peculiariter ad Turonenſem, & Rothomagenſem Archiepiſcopos, ac Pariſienſem Epiſcopum, condemnans expreſſius errores, & propoſitiones nefarias detractorum, jubens, ut contra eos procedatur & protegantur Religioſi.

Cariſſimo in Chriſto filio, illuſtri Regi Franciæ.

NOn ſine multa cordis amaritudine, animique turbatione audivimus, quod nonnulli Magiſtri & Doctores, ac alii acuentes ut gladium linguas ſuas, & venenum aſpidum gerentes ſub labiis, ad infamiam, gravamen, & diſpendium innocentum, illud in ſuggillationem & læſionem dilectorum filiorum Fratrum Prædicatorum, & Minorum, nequiter vomuerunt. Et licet ipſos diſtincte non nominaverint, nec vocabulis propriis expreſſerint,

Ex vetuſt. cod.
Pſal. 63. 4.
Pſal. 13. 3.

rint, eos in quibuſdam verborum involucris, & certis, & cautis circumlocutionibus apertius innuerunt. Ita quod ex talibus eorum dictis manifeſte, tamquam ſi expreſſim illos nominaſſent, innotuit, quod de ipſis Fratribus loquebantur, fuderunt iniquum virus, & contra eos in ſcholis, prædicationibus, & alibi aſſeverare præſumpſerunt, quod in ſtatu, & via ſalvandorum non erant; nec meritoria, nec ſalutifera exiſtebat eorum mendicitas,

Recenſentur in libello contenta.

& paupertas, cum deberent, voletudine corporali, & aliis juſtis impedimentis ceſſantibus, propriis manibus operari, ſub ſpe alieni ſubſidii non torpendo, nec pro ſuſtentatione, vel pro neceſſariis extranea mendicando ſuffragia, ſeu ab aliis vitæ adminicula expectando, quodque de licentia, vel commiſſione Romani Pontificis, ſeu Diœceſanorum Epiſcoporum prædicationis exercere officium, & confeſſiones audire libere non valebant, tamquam per hoc ſacerdotibus parochialibus præjudicium inferrent; ad alia nihilominus prava & iniqua in detractionem eorum, & ſuorum Ordinum derogationem, ora maliloqua reloxando. Cum igitur iidem Ordines fuerint dudum a Sede Apoſtolica, ſicut ſacri, clari, & conſpicui, approbati: ex quibus jam nonnulli Fratres ad ſupernam provecti patriam, in Sanctorum numero ſunt adſcripti, & velut eminentia candelabra, & duo magna luminaria in Eccleſia Dei luceant, ac ab ipſorum Fratribus, & cultoribus ſanctæ doctrinæ lumen diffundatur ubique per orbem, Chriſti Evangelium ardenter, & efficaciter prædicetur, ac recta, & ſana conſilia, & exempla ſalutaria præbeantur. Cum etiam dicti Fratres ſacræ Scripturæ, ac verbi Dei ſtudio, & animarum profectibus, necnon divinis officiis, & orationibus inſtanter & inceſſanter intendant, nequaquam marcentes otio, ſed opere ſe optimo & potiſſimo exercentes, cum ſapientia opus exiſtat maximum, nec ſiunt pluris, qui operantur exterius, quam qui ſtudium cognoſcendæ divinitatis exercent:

Luc. 10. 41.

Unde & Dominus, miniſtrante ac operante Mortha, Mariæ audientiam, attentionem, & ſtudium circa verbum ipſius præcipue commendavit; ex quo liquido patet, Fratres ipſos ad operandum ſuis manibus non teneri, quinimo ſi iis intermiſſis, laborarent manibus, potiora utique & utiliora in minora minuſque utilia opera, non ſine animarum diſpendio, commutarent. Cum inſuper iidem Fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtumque imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet in eo ſtatu exiſtere ſalvondorum, & per ſuæ Religionis obſervantiam, quæ quidem ipſius perfectionis Evangelicæ tenet formam; æterno præmia promereri. Cum etiam de licentia, vel commiſſione, aut conceſsione Romani Pontificis, ſeu Legatorum ejus, vel Ordinariorum locorum licite poſsint prædicare populis, & confeſsiones audire, ac pœnitentias injungere ſalutares, Venerabilibus Fratribus noſtris Turonen. & Rothomagen. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Pariſien. damus noſtris litteris in virtute obedientiæ firmiter in præceptis, ut omnes Magiſtros, Doctores, & alios, qui ſive in ſcholis, ſive in prædicationibus, ſeu alibi, præmiſſa dicere attentarunt, ex parte noſtra monere procurent, ut infra certum terminum ab ipſis Archiepiſcopis, & Epiſcopo præfigendum eiſdem, dictum ſuum in his publice revocent, male ſe dixiſſe fatentes, illaque deteſtentur penitus, & recractent, aſſeverando conſtanter contrarium, & illud etiam fideliter prædicando. Quod ſi non fecerint, ex tunc contra eos ad ſuſpenſionis, excommunicationis, & perpetuæ privotionis beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum ſententias, ſublato cujuslibet appellationis obſtaculo, efficaciter procedere non omittant. Laicos de hoc culpabiles, vel fautores hujus præſumptorum, animadverſiono debita per-

cel-

cellentes. Ideoque Celſitudinem Tuam affectuoſe requirimus, & rogamus, quatenus prædictis Archiepiſcopis, & Epiſcopo, cum ab eis requiſitus fueris, tuum favorem & auxilium magnifice largiaris: ita quod tua eis favente potentia, mandatum Apoſtolicum ſibi directum efficaciter exequi valeant: & nos Magnificentiam Tuam exinde dignis in Domino laudibus commendare poſſimus. Datum Anagniæ XIV. *Kalend. Novembris Pontificatus noſtri anno* II.

Venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Prælatis, cujuſcumque Ordinis, vel Profeſſionis per Franciam, Burgundiam, Picardiam, Britanniam, & Normanniam conſtitutis.

N*On ſine multa cordis amaritudine &c.* inſerit hic eaſdem litteras datas ad Regem uſque ad illa verba animadverſione debita percellentes: deinde ſubjungit. *Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Illuſtris Regis Franciæ ad hæc ſi neceſſe fuerit auxilio invocato. Ideoque univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus memoratos Fratres omni benevolentia, & gratia proſequentes, eos tamquam probatos & acceptos Chriſti miniſtros habeatis pro divina, & noſtra reverentia propenſius commendatos. Ipſos ab injuriis, & moleſtiis opportunis præſidiis defendentes. Ita quod ex hoc vobis & veſtris Eccleſiis fortius obligemur. Datum Anagniæ* XII. *Kalend. Novembris Pontificatus noſtri anno* II.

Venerabilibus Fratribus Turonen. & Rothomagen. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Pariſienſi.

Q*Uidam Scripturæ ſacræ intelligentia ſe habere fatentes, ſed &c.* ut ſupra in bulla, quæ incipit. Romanus Pontifex *num.* 31. uſque ad perterriti a ſimilibus frænabuntur. Deinde ſubjungit. *Ideoque fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus hujuſmodi noſtram reprobationem, condemnationem, præceptum, & reprobibitionem, ac præmiſſa omnia Pariſius ſolemniter publicetis; & faciatis per alios in omnibus locis, in quibus expedire videritis, publicari; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Quod ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Anagniæ* XII. *Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri anno* II.

XXXIV. Quatuor præcipua capita tumultus, a nobis nominata, crebreſcentibus ſcandalis, & odiis ex conſilio ipſius Univerſitatis in Curiam Pontificiam venerunt; quibus adnumerat Paris alios duos, videlicet Joannem de Gectavilla Anglum, & Joannem Belin Gallum, Philoſophos Regentes in artibus; pro quibus collecta ſunt, inquit, ex Univerſitate viatica. Videntes porro Chriſtianus Canonicus Belluacenſis, & Odo Duacenſis durum eſſe contra ſtimulum calcitrare, latamque eſſe in ſe exilii, vel carceris ſententiam, ſatius judicarunt coram Pontifice comparere, ſemet excuſare, aut dicta revocare, quam fruſtra reniti. Fecerunt porro, & quæ in proceſſu ſequenti continentur, promiſerunt.

An. 1251. n. 33. in tertio volumine.
Paris an. 1256.
Doctores Pariſien. in Curiam veniunt.

Chro-

Chron. Norman. an. 1244. Chronica Normannica Decanum Barrenſem cum his ſe retractaſſe, ſed Guillelmum de ſancto Amore tenaciter in ſuis erroribus, & Religioſorum inſectatione perſtitiſſe coram Pontifice, commemorant, quæ tamen omnino tacet proceſſus, quem ſubjungo.

IN NOMINE CHRISTI AMEN.

XXXV. *ANno Domini* MCCLVI. *vigeſima tertia die menſis Octobris, Indictione* XV. *in palatio Domini Papæ Anagniæ. Venerabiles Patres Domini H. tituli ſanctæ Sabinæ presbyter, & Joannes ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinales, præſentibus & audientibus me Bernardo de Littera Notario & teſtibus infraſcriptis, ſcilicet providis viris Joanne Archipresbytero Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Caſtro Cerneteris, Thomaſio de Rivo-frigido Canonico Casleten. Joanne presbytero Canonico Capuanen., & quam pluribus aliis ex parte Sanctiſſimi Patris Domini Alexandri Papæ IV. Providis viris Magiſtro Odone de Duaco Theologicæ facultatis Doctore, & Chriſtiano Canonico Belluacen. in eorum præſentia conſtitutis, qui etiam octavodecima die menſis ejuſdem juraverunt corporaliter coram eiſdem Dominis Cardinalibus, & me prædicto Bernardo Notario ſtare præciſe mandatis dicti Domini Papæ, in virtute præſtiti juramenti, mandaverunt: Primo ſcilicet, quod ſalvis aliis mandatis, quæ eidem Domino Papæ ſemel, vel pluries ipſis Magiſtris mandare placuerit; & ſalvo ſi circa infraſcripta idem Dominus aliter ordinaret, ipſi Magiſtri quantum in eis eſſet, ex tunc reciperent, & publice Pariſius recipient, cum ibi fuerint; ex tunc obedirent, & obedient in poſterum ordinationi Domini Papæ, quæ incipit:* Quaſi lignum vitæ *&c. Et quod contra eam ſcienter non venient, nec contradicentibus ordinationi prædictæ in contradicendo auxilium, vel conſilium præſtabunt publice vel privatæ. Secundo, quod Fratres Prædicatores, & Minores Pariſius degentes, Magiſtros & auditores eorum; & ſpecialiter ac nominatim fratrem Thomam de Aquino de Ordine Prædicatorum, & Bonaventuram de Ordine Minorum, Doctores Theologiæ ex tunc, quantum in eis eſſet, in ſocietatem ſcholaſticam, & ad Univerſitatem Pariſienſem reciperent; & expreſſe Doctores ipſos reciperent, ut Magiſtros, & quod cum Pariſius fuerint, facient publice illud idem: Ipſoſque, juxta ordinationem prædictam, ab Univerſitate, ſeu Magiſtris & ſcholaribus Pariſius commorantibus, procurabunt recipi bona fide, & contra prædicta numquam præſtabunt conſilium vel aſſenſum. Tertio, quod ſcienter juramenta, ſtatuta, vel obligationes non facient, ſeu a Religioſis, vel aliis exigent, vel quantum in eis fuerit, exigi permittent, per quæ, vel quos infringatur ordinatio ſupradicta, ſeu contra eam modo quolibet veniatur. Quarto, quod non procurabunt, necnon quantum in eis eſt fieri permittent, quod Pariſien. ſtudium abſque licentia Domini Papæ occaſione cujuſcumque prætenſæ turbationis ſea ſacti, diſſolvatur, ſeu alio transferatur. Quinto, quod tam in Romana Curia, quam Pariſius bona fide, ac ſine fraude, non adjiciendo aliquid ſcienter, quod ſapiat aliquid contrarium principaliter vel conſequenter; ſed iſta quæ eis in hoc articulo injunguntur, prædicent publice, & in Civitate Pariſien. pluries, & in diverſis locis, & aſſeverent fideliter in ipſis prædicationibus infraſcripta: ſcilicet, quod reprobent libellum in ipſis prædicationibus; qui nuper fuit per ſummum Pontificem condemnatus, & errores in ipſo contentos, qui ſunt contra infraſcripta, quæ in ipſis prædicationibus aſſerant, & affirment, videlicet; De poteſtate Romani Pontificis, quod poſſit Prædicatores & Confeſſores mittere ubique per mundum, juxta ſuæ bene-*

Promittunt plura obſervare coram Pontifice.

beneplacitum voluntatis, ſine conſenſu inferiorum Prælatorum quorumcumque, ſeu parochialiam Sacerdotum. Item quod Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuis diœceſibus licentiam dare poſſunt prædicandi, & confeſſiones audiendi ſine conſenſu inferiorum Sacerdotum, vel Rectorum Eccleſiarum, cum viderint expedire; quodque Prædicatores, & Confeſſores ſic miſſi, poſſunt libere prædicare, & licite confeſſiones audire, ac abſolvere pænitentes. Item de mendicitate, quod ſtatus mendicitatis fundatæ per Chriſtum, eſt ſtatus ſalutis, & perfectionis. Item quod Religioſi pauperes, qui omnia relinquunt propter Chriſtum, licite & meritorie poſſant mendicando acquirere victum ſuum ſine labore manuum, etiam ſi ſint validi corpore, maxime qui ſtudent verbo Dei legendo, diſputando, prædicando. Item quod ea quæ continebantur in libello prædicto, & quibuſdam articulis a Magiſtro Chriſtiano præfato confectis, qui explicite vel implicite videbantur, ſeu poterant in prædictorum Ordinum infamiam redundare, ſicut de Pſeudo-prophetis, & Apoſtolicis, & de nunciis Antichriſti, de penetrantibus domos, & periculis noviſſimoram temporum, non intelligunt, nec intellexerunt de Fratribus Ordinum Prædicatorum, & Minorum, quod tales ipſi ſint, vel fuerint, vel etiam ſint futuri: ſed fateantur, ipſos Ordines eſſe bonos, & ab Eccleſia approbatos. Et inter cetera aſſerant, & affirment, quod Deus hoc ipſum per manifeſta indicia noſtris temporibus comprobavit: nonnulla miracula, ſcilicet, quæ per Sanctos utriaſque Ordinis, Sanctorum catalogo per Romanam Eccleſiam canonice, legitime, fideliter, ac rite aſcriptos, eſt miſericorditer operari dignatus. In cujus rei teſtimonium ego præfatus Bernardus Apoſtolicæ Sedis auctoritate Notarius, qui præmiſſis rogatus interſui de mandato dictorum Dominorum Cardinalium, hoc præſens publicum inſtrumentum propria manu ſcripſi, ac in publicam formam redegi, & ſignum meum appoſui.

XXXVI. Demum ſcribit hoc anno Pontifex ipſi Univerſitati Magiſtrorum, & ſcholarium, mirifice laudans ſtudium Pariſienſe, ſubjungens deinde malam doctrinam diſſeminatam contra duos hos Ordines, quos etiam valde commendat. Suadet item pacificum convictum, neque quidpiam cogitent de transferenda alio Academia.

Dilectis filiis univerſis Magiſtris & ſcholaribus Pariſien. *Ex prædicto codice.*

P*Ariſius, peritiæ ſummæ ſinus, de ſuæ ſcientiæ ſummæ plenitudine repiens orbem, & tamquam fulgidus ſol doctrinæ per totum orbem claræ intelligentiæ lumen fundens; depellit ignorantiæ tenebras, ruditatis abſtergit caliginem, aufert imperitiæ nubilum, promit illuminationis auroram, cognitionis pandit ſerenum, & lucidum ſcientiæ monſtrat diem, rigat documentorum ſuorum fluentis paradiſi omnem terram, & bonorum influentia dogmatum inſtruit, & imbuit univerſum, copioſis, & dulcibus ſapientiæ fructibus reficiens Eccleſiam, mundum paſcens, quia de Pariſiis, velut de parentis ſinu, partus ſcientiarum plurimi prodeunt, de ipſa rectæ ac perfectæ diſciplinæ ſoboles gignuntur: Hinc procedit inclyta doctorum proſapia, hinc alta progenies provenit peritoram, quibus Chriſtianus illuſtratur populus, & fides Catholica roboratur. Hunc profecto amœnitatis, & commoditatis locum univerſæ artes de totius Orbis ambitu ſibi habitaculum communiter elegerunt, & conſideratis ceteris ſeculi manſionibus, quaſi deliberatione concordi ſuam fixerunt ibi immobilem ſtationem. Hæc eſt egregia* Encomia Univerſitatis Pariſien.

litterarum Civitas, artium Urbs famoſa, eruditionis ſcholæ præcipua, ſumma ſapientiæ officina, & potiſſimum gymnaſium ſtudiorum. Hic converſantur & degunt ſcientiæ: hic firma & læta ſocietate convivunt: hic ſuas habent, & poſſident cathedras: hic ſua profunda, & arcana veritatis magiſterii inſinuatione revelant, & cujuſque ipſarum propria virtus ſuo ibi propitio innoteſcit affectu; inter quas ſacra & venerabilis Theologia locum Laus Theologiæ. *obtinet altiorem: Præeſt etenim reliquis, ſicut ſuperior, & tamquam inferiores, ceteræ ſibi ſubſunt. Imperat aliis ut domina, & illæ ſibi ut famulæ obſequuntur; gubernat alias ut prælata, & ipſæ ſibi tamquam ſubditæ reverenter intendunt. Ad hanc ſingulæ in viis levant, & habent intuitum, ut juxta permiſſum ejus ſe metientes, inoffenſæ incedant, & greſſum ad aliquod inconveniens non impingant. De Pariſiis itaque fons limpidus ſcientiarum emanat, de quo potant cunctarum populi nationum. Ibi erumpit altus puteus ſcripturarum, de quo profundæ intelligentiæ pocula mundus haurit. Cum igitur Civitas ipſa Pariſius, tamquam arbor fructifera in campo fidei ubertate præpollens, tamquam ſpiritualium proventuum copiam Eccleſiæ afferat generali; cum honorabilis Univerſitas Magiſtrorum, & ſcholarium Civitatis ejuſdem, quaſi vitæ vitis in vinea Eccleſiæ, vini liquore affluens, vitalis potus abundantiam Catholicæ plebi propinet, convenit quidem, & expedit, ut ad eas multipliciter in æternæ caritatis extendentes & oſtendentes affectum, ad perpetuam ipſius Univerſitatis conſervationem, ut firma ſemper ſtabilitate vigeat, & pleno vigore aſſidue convaleſcat, totius diligentiæ ſtudium impendamus: quatenus Apoſtolica ſollicitudine continuo ſibi procurato munimine, contra noxia quælibet, & adverſa ſolida permaneant & ſecura, ut ſua non quatiatur firmitas, integritas non frangatur, nec corrumpatur ſinceritas, nec unitas dividatur. Sane ad id in Civitate ipſa generalis ſtudii fundamenta divino nutu olim locata, & ſtabilita eſſe noſcuntur, quod ex omnibus gentibus illuc pro acquirendis magnis ſcientiæ opibus confluat continue multitudo, & virtute ibi ac eruditione proficiens, ex ſuo exercitio theſaurum jam pretioſum, in cujus utique conſervatione furum nullatenus timentur inſidiæ, ſed unuſquiſque ex labore ſapidum* Inſatiabilis appetitus ſciendi. *ſapientiæ fructum reportet: qui ſumme profecto reficit, nec unquam afficit faſtidio comedentem; imo quanto plus editur, tanto ad ſui eſum accendit edentis fortius appetitum: nec uſu quidem conſumitur, ſed ſervatur potius & augetur. Ob hoc enim longa tempora ſub vigiliis & laboribus in eadem Civitate decurritis, bona ibi propria expendendo. Ideo parentes, & propinqui veſtri ſedula ibidem vobis ſubſidia de ſuis facultatibus ſubminiſtrant, ſubtrahentes interdum ſibi, ut plenius veſtris poſſint neceſſitatibus ſubvenire; quod inibi tamquam in odoramentorum delectabili paradiſo, cum aviditate legentes, reficiamini jugiter ſuavibus, & electis epulis litterarum, proficientes quotidie bonitatis augmento, & creſcentes in viros, morum honeſtate compoſitos, & ſcientiarum cognitione perfectos, ut tamdem labor veſter, & ſtudium ad laudem Dei, veſtrumque honorem & commodum, & propinquorum gaudium eluceſcat. Sed ſunt quidam, qui vos in his frivolis occaſionibus adinventis impedire conantur, veſtrumque laudabilem in ſtudii exercitatione proceſſum, immiſſione diſſidii, & ſcandali concitatione turbare; ſicut his diebus aliqui ſpiritus malignitatis impulſu fecerunt, qui ſtatum veſtrum integrum, & tranquillum novis pravitatis immiſſionibus immutarunt, adducentes in vos commotionis turbinem, & inferentes diſcordiæ tempeſtatem, crebras faciendo convocationes, prava conventicula ordinando, & vos ad hæc iniquis, & callidis ſuggeſtionibus pertrahendo, ita quod cum debeba-*

debebatis in ſilentio, & quiete imminere libris, & lectioni vacare: oportebat vos propter iſta, intermiſſo ſtudio, clamoribus & ſtrepitibus intereſſe, ac pro vanis, & incongruis tractatibus inutiliter evagari. Si ergo viros tempeſtuantes corripimus: ſi eccleſiaſtica diſtrictione talium temeritatem arcemus; ſi horum maliloqua molimina Apoſtolica poteſtate conterimus, impias colligationes, & reproba conſilia diſſipamus, orditas malitiæ ſuæ machinas confringentes, ne libere feriant, & præconceptas inferant læſiones; de hoc vehementer gaudere debetis, & tamquam de magni beneficii dono communiter exultare, quia reſiſtendo taliter his perverſis, & ſi bonum generale agimus, veſtrum tamen profectum ſpecialiter procuramus. Porro cum dilecti filii Fratres Prædicatores & Minores Pariſien. ſacræ Scripturæ ſtudio ſedule inhærendo, ſibi & aliis multum proficiant, inſignia lucis opera de ſua inſtanti vigilantia, & inſtantia vigili proferentes, propter quod ipſum Pariſien. ſtudium grande augmentum recipit, & eximium veſtra Univerſitas ornamentum: nos turbamur quamplurimum, & vobis etiam debet non modicum diſplicere, cum aliqui ſui æmuli ſtatum ipſorum humilem, & quietum ſubvertere moliuntur, & vos adverſum eorum innocentiam commovere; quorum profecto multi fuerunt ex vobis, & de veſtro conſortio ad regularo collegium tranſiverunt, quorumcumque neceſſitatibus de veſtræ caritatis eleemoſynis, & ſubſidiis potiſſime ſubvenitur: & qui pro vobis divinam clementiam devota, & aſſidua ſupplicatione depoſcunt. Unde quia intelleximus, quod aliqui contra eoſdem Fratres, quantum ad prædicationem, confeſſionum audientiam, mendicitatem ipſorum, & quoad alia in ſcholis, prædicationibus, & alibi linguas relaxare maliloquas præſumpſerunt, non ipſos forte propriis exprimendo vocabulis, ſed aperte quibuſdam certis circumlocutionibus innuendo: Nos attendentes, quod dicti Fratres ſacris Scripturis, & verbi Dei ſtudio, ac animarum profectibus, necnon divinis Officiis, & orationibus inſtanter, & inceſſanter intendunt, nec torpent otio, ſed opere optimo ſe ipſos exercitant, cum ſapientia opus exiſtat maximum, nec ſint pluris, qui operantur exterius, quam qui ſtudium cognoſcendæ divinitatis exercent. Nam & Dominus, miniſtranto ac operante Martha, Mariæ audientiam, attentionem, & ſtudium circa verbum ipſius præcipue commendavit. Per quod liquido patet, quod iidem Fratres ad operandum ſuis manibus non tenentur. Quinimo ſi his intermiſſis laborarent manibus, potiora utique ac utiliora in minora, minuſque utilia opera, non ſine animarum diſpendio commutarent. Conſiderantes etiam, quod reliquerunt omnia propter Deum, exilia vitæ ſubſidia ſalubriter mendicantes, Chriſtumque pauperem imitantur, perfectionem Evangelicam amplexando. Ex quo evidenter apparet, quod in ſtatu ſalvandorum exiſtunt, & per ſuæ Religionis obſervantiam, quæ quidem ipſius perfectionis Evangelicæ tenet formam, æterna præmia promerentur. Penſantes inſuper, quod de licentia, aut conceſſione Romani Pontificis, ſeu Legatorum ejus, vel Ordinariorum locorum, licite poſſunt prædicare populis, & confeſſiones audire, & pœnitentias injungere ſalutares; Contra omnes, qui adverſus prædictos Fratres ſtulte in iis, & improvide ſunt loquuti, efficaciter procedi mandamus, graveſque pœnas infligi, niſi per ſufficientem ſatisfactionem ſibi duxerint celeriter conſulendum. Libellum etiam quemdam valde pernicioſum, & deteſtabilem temere de novo compoſitum, poſt plenam examinationem ipſius, quia in eo quædam contra poteſtatem, & auctoritatem ipſius Romani Pontificis, & Coepiſcoporum ſuorum, & aliqua contra ſalutarem pau-

Luc. 10. 41.

pauperum, ſeu mendicantium ſtatum, ſicut ſunt Fratres præfati; ac alia plura nefaria, & perverſa manifeſte comperimus contineri. Cum etiam gravis ſcandali ſeminarium, & materia multæ turbationis exiſteret, tamquam iniquum, ſceleſtum, & execrabilem, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica reprobandum duximus, & in perpetuum damnandum: excommunicando cunctos, qui libellum ipſum habuerint, niſi eum infra octo dies, ex quo hujuſmodi noſtram reprobationem, & condemnationem ſciverint, curaverint penitus abolere. Ideoque univerſitatem veſtram, quam affectione paterna proſequimur, requirimus, & hortamur, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ſicut viri prudentes, cogitantes diſcrete quod digne ac juſte proceſſimus in præmiſſis, & quod veſtram in hoc utilitatem operati ſumus, deprimendo Univerſitatis ejuſdem tam noxios turbatores: Ac exinde pariter congaudentes, virtutum, & ſcientiæ ſtudio principaliter intendatis, veſtros ad hoc affectus convertentes totaliter, & firmantes, a detractionibus, oblocutionibus, & doloſis perſuaſionibus, aures & animos avertendo, & evitando, ac repellendo longius ſeditioſos, & pernicioſos viros, quibus amœnum & delitioſum eſſe videtur, adinvenire diſſenſiones, & diſcordias procurare. Ac ſupradictos Fratres, tamquam acceptos Chriſti miniſtros, & interceſſores ad Deum pro populo efficaces, habentes attentius commendatos, nullis eos vexetis aut inquietetis moleſtiis: ſed pro divina & noſtra reverentia, ſuæque ſacræ Religionis intuitu, fraterna ipſos proſequamini caritate, ac iis benevolentiæ veſtræ ſuffragiis faveatis, quia ex hoc retributorem bonorum omnium reddetis vobis magis propitium, & favorem noſtrum plenius acquiretis. Ad hæc, quia ſtudium in Civitate prædicta, favente Domino, proſperis ſemper excrevit augmentis, & optimos produxit effectus, unde nullatenus expediret ipſum exinde removeri, ſed valde damnoſum exiſteret, ſi forſitan alibi transferretur, de veſtra, & ipſius translatione ſtudii ad locum alium, nihil, his penſatis, ſtatuatis penitus, aut firmetis. Nos enim parati ſumus in omnibus, quæ ipſius Univerſitatis honorem & bonum reſpiciunt, vobis Apoſtolicæ gratiæ januam liberaliter aperire. Datum Anagniæ xv. *Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno* II.

Clerus Fabrian. gravis Minoribus

XXXII. Graviſſimæ & celebris diſcordiæ ſerie hujus anni largius, ſed non inutilius relata, ad aliam progrediendum, quam excitarunt Clerus Fabrianenſis, & Parochi circumvicini adverſus Fratres, qui extra urbem Fabriani, in loco qui dicebatur Cantia, oppidulo ad ter mille paſſus a Fabriano ad radices Apennini (de quo nos alias egimus, & inferius ſermonem inſtituemus) religioſe vivebant. Plura paſſi ſervi Dei tam in rebus domeſticis, propriiſque perſonis, quam in benefactorum amicorumque honore: qua decebat humilitate veniam ſuæ qualiſcumque culpæ, & remiſſionem tot injuriarum, jugiter ſed inaniter deprecabantur. Recurrendum itaque fuit ad optimum Protectorem Pontificem Alexandrum, qui dolenter ferens illatas Minoritis injurias, veniam nihilominus, & pacem deprecantibus, ſequentem dedit ad Clerum epiſtolam, quam nos ex monumentis ejuſdem Monaſterii, & opuſculo vitæ beati Franciſci Fabrianenſis, hic duximus miniſtrandam.

An. 1215. n. 19. An. 1267.

Dile-

Dilectis filiis ..... Cleri Fabriani, Camerinen. Diœc.

IMplacida de veſtris actibus relatio nuper noſtrum turbavit auditum, quod videlicet, cum deberetis dilectos filios Fratres Minores in noſtro Caſtro commorantes, quorum Ordinem Dominus, ut lucernam inſignem ad illuminationem domus ſuæ inter alias cœleſtium exemplarium lampades ſuſcitavit, pro divina reverentia & favore, quo iidem vobis in animarum Cura & cultu divino per operis & ſermonis potentiam obſequuntur, fraterna pietate fovere, & grata eis conſolationis ſolatia, & uberiora ſubventionis auxilia miniſtrare, vos multis eos gravaminibus afficitis, & ipſorum pacem multipliciter perturbatis, ipſos & eorum benefactores compellentes ad ea, quæ ſunt contra privilegiorum Apoſtolicæ Sedis indulta, & præfati Ordinis inſtituta; & licet iidem Fratres, & eorum Miniſter vobis humiliter ſupplicaverint, ut ab hujuſmodi moleſtiis propter Deum abſtinere deberetis, nec imponeretis eis intolerabiles novitates, aſperius quam alii Clerici convicini faciant, tractando eoſdem; vos tamen ipſorum Miniſtri, & Fratrum ſupplicationibus contemptis humilibus, & divino timore poſtpoſito, a prioribus noluiſtis ceſſare injuriis, quin pejora eis potius cumulaſtis, in eorumdem Fratrum ſcandalum, & dicti Ordinis præjudicium, & gravamen. Quocirca diſcretioni veſtræ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ab ipſorum Fratrum injuriis deſiſtentes, omnino revocetis prudenter ſine difficultate aliqua per vos ipſos, quidquid contra eos minus provide attentaſtis, ipſoſque habeatis ob noſtram reverentiam propenſius commendatos; ita quod exinde valeatis merito commendari. Alioquin, cum ipſorum nos afficiamur injuriis, & moleſtationibus moleſtemur, utpote qui eos in intimis caritatis noſtræ viſceribus ſpecialiter continemus, diſſimulare nequaquam poterimus, quin celeri remedio hujuſmodi præſumptionibus occurramus. Datum Laterani 11. *Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno* 11.

Jubet Pontif. ut a moleſtiis deſiſtant.

XXXVIII. Superioribus annis diximus miſſum Joannem Parmenſem Miniſtrum Generalem, ut de pace & unione tractaret cum Imperatore Græcorum in Aſia, Joanne Duca, Manuele Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, & aliis Orientis Patriarchis; eumque licet benigne, & honorifice receptum, non tamen negotium tunc abſolviſſe, quantumvis eouſque animos induxerit Imperatoris, & Patriarchæ, ut bis, aut ter ſolemnes inſtituerint Legationes ad Pontificem pro unione perficienda. Sed ſpoliati ſemper Apocriſarii in itinere, reverti cogebantur, neque litteræ ad Pontificem perferri potuerunt, donec redeunte paulo ante mortem Innocentii Joanne Parmenſi Legato, cum miſſis a Joanne, & Eccleſia Græcorum Quiſicen. & Sardicen. Archiepiſcopis, Angelo Comite, & Theophylacto interprete, conditiones & pacta ineundi fœderis eidem Innocentio aſportarunt. Actum de eiſdem coram Cardinalibus, & concluſum, quantumvis aliquantum devia, eſſe tamen admittenda pro reducendis vaſtæ regionis hominibus. Ob res turbatas Eccleſiæ, & mortem Pontificis non licuit Nuncium tunc remandare, dilatumque eſt negotium in præſentem annum, quo miſſus eſt Epiſcopus Urbevetanus, cum conditionibus & pactis ſub certa menſura jam approbatis, & peculiari inſtructione, quatenus in his perficiendis ſe gerere oporteret. Ea damus ex regeſto Vaticano num. 325.

Anno 1249. *nu.* & 1250. *num.*1.

Conditiones concordiæ a Græcis miſſæ.

Admittuntur temperatæ.

XXXIX. *Hæc*

XXXIX. *Hæc ſunt recognitionis & petitionis capitula, quæ dudum Quiſicen. & Sardicen. Archiepiſcopi, & Angelus Comes, ac Theophylactus magnus interpres ex parte quondam Calojoannis Imperatoris, & Eccleſiæ Græcorum, felicis recordationis Innocentio Papæ prædeceſſori noſtro, & Sedi Apoſtolicæ obtulerunt, videlicet.*

Prima conditio.

Romanæ Sedi, ejuſque Summo Pontifici præ ceteris Patriarchalibus Sedibus, ſummi recognitionem, ac profeſſionem in Eccleſia Catholica Principatus. Canonicam obedientiam præfato prædeceſſori, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus exhibendam.

Secunda.

Prærogativam appellandi Romanam Eccleſiam, cum ſacræ perſonæ Eccleſiæ Græcorum a ſuperioribus ſuis crediderint ſe gravari.

Tertia.

Liberum recurſum ad Sedem Romanam in quæſtionibus, quas inter Prælatos, & alias perſonas Eccleſiaſticas Græcas contigerit ſuboriri.

Quarta.

Obedientiam quoque in ſententiis, quas Romanus Pontifex ſacris non adverſas canonibus promulgabit.

Quinta.

In Conciliis inſuper eidem Pontifici primam ſedem, & primam ſubſcribendi vicem, cum ſubſcriptiones fuerint faciendæ.

Sexta.

In quæſtionibus fidei, ſi quæ ibidem fortaſſis emerſerint, præ aliis dare ſententiam, ſuæque voluntatis proferre judicium: quod dummodo evangelicis & canonicis non obviet inſtitutis, obedienter ceteri ſuſcipient, & ſequentur.

Septima.

In aliis vero Eccleſiaſticarum perſonarum cauſis & negotiis, quæ in Conciliis tractabuntur, ſententiis, quas Romani Pontificis dictabit auctoritas, dummodo ſacrorum non adverſentur Conciliorum decretis, ceteri acquieſcent.

Octava.

Ad hæc iidem Nuncii ſæpedicto Calojoanni Conſtantinopolitanæ Civitatis Imperium, & Patriarchis Græcis ibidem & alibi Patriarchalium ſedium jura reſtitui petierunt, ac Imperatorem, & Patriarchas Latinos ab eiſdem Civitate, ac ſedibus amoveri, Antiocheno Patriarcha in illa Eccleſia, dum viveret, tolerato.

Sane oblationem, profeſſionemque præmiſſas felicis recordationis Innocentius Papa prædeceſſor noſter, de Fratrum ſuorum conſilio nobis tunc in minori officio conſtitutis, ut per hujuſmodi benignitatis aſſenſum deſiderabili tantæ reconciliationis incremento tota lætaretur fidelium univerſitas, approbavit, ſperans quod poſtquam prætacta Eccleſia in maternæ pacis amplexum, dante Domino, rediiſſet, oblationis, ac profeſſionis ſuæ terminos per liberam dilectionis latitudinem ampliaret. Verum cum inter alia hoc prædictæ oblationis & profeſſionis ſeries contineret, ut poſt Concilium & reſtaurationem uniformitatis Romanus Pontifex ante alios habeat dare ſententiam, quod utique verbum ita proponentium expoſitio declaravit; ut videlicet; ſi de aliquo articulo fidei in Concilio forte quæratur, quidquid ſuper eo dixerit Romanæ Sedis Antiſtes, dummodo evangelicis, vel Apoſtolicis non obviet traditionibus, in eo ceteri ſibi obediant, ejuſque auctoritatem ſequantur; idem prædeceſſor ſatis abſonum reputavit, quod in Concilio celebrando ille ſolus articulus ſymboli Nicenæ Synodi, in quo de proceſſione Spiritus ſancti Græca Eccleſia aliquantulum a Romana diſſonare videtur, per præfatos Nuncios a Romani Pontificis excipiebatur judicio, adjicientes quod definitioni ejus in Concilio Græca non acquieſceret Eccleſia, niſi quod definitum eſſet per ſcripturæ authenticæ teſtimonium, vel divinum oraculum comprobaret. Non enim videbatur rationabilis cauſa, qua Græca Eccleſia movebatur, ut definiendi poteſtatem, quam Romanum Pontificem habere non negat in ceteris fidei articulis, velit cum in hoc uno articulo non habere.

Dura ſemper renitentia Græcorum circa proceſſionem Spiritus ſancti.

re. Verumtamen ne aliquid ex hoc reconciliationem ipſius Eccleſiæ impedimentum, vel obſtaculum impediret; prædeceſſor ipſe conceſſit in Concilio imminenti tenorem prædicti ſymboli, adjectione qualibet, niſi forte de mutua convenientia, quam ſicut confidimus, reconciliationis inducet concordia, non mutari. Sed in ea forma penes Græcam Eccleſiam remanere, quam dicta ſynodus promulgavit, dummodo de Sanctæ Trinitatis fide Græca Eccleſia in omnibus catholice ſentiat cum Romana. Porro de Imperii negotio iidem Nuncii hoc receperunt ab eodem prædeceſſore reſponſum; quod ſuper eo, non vocato Imperatore Latino, contra ipſum juris ratio non patitur aliquid definiri; quia definitio irrita videretur, niſi adverſus citatum confeſſum procederet, vel convictum. Sed ut nihil de iis, quæ reconciliationi Orientalis Eccleſiæ cooperarentur omitteret, paratum ſe obtulit ad compoſitionem inter præfatum Calojoannem & Imperatorem eumdem, interponere ſtudioſius partes ſuas, confidens eam per ſuum ſtudium provenire. Si autem placita partium in compoſitione convenire non poſſent, offerebat ſuper hoc idem prædeceſſor eidem Calojoanni exactum juſtitiæ complementum, jus ejus proſequuturus favore, quo poſſet, ut juſtum pro ſuo voto judicium reportaret. Confidere namque debebat, ac tenere pro certo, quod Eccleſia Romana in judicialis cognitionis examine foveret tanto favorabilius cauſam ſuam, quanto majorem de ipſius, quam alterius devotione, atque potentia eadem Eccleſia, ſi eum ut cariſſimum, & ſublimem filium Deus daret ſuo gremio contineri, poterat habere profectum, ad cujus tutelam Chriſtianis ſunt diſtributæ Principibus adminiſtrationes ſecularium dignitatum. Ceterum quia Patriarchalium ſedium ſtatus abſque judicio immutari, fas juſque non patitur; reſponſum eſt, oportere illas in ea, quam nunc obtinent, ordinatione dimitti, niſi forte ſuper iis cauſam per conſultam ſacri deliberationem Concilii dirimi placuiſſet; ſuper quo, cum beneplacito ſæpefati Imperatoris prædeceſſoris noſtri concurrebat aſſenſus. Verum ut circa Conſtantinopolitanum Patriarcham Græcum, in eo quod poſſet, idem prædeceſſor, condeſcenderet voto ejus, hoc pro illo ſuæ duxit Excellentiæ offerendum, quod ipſum ex tunc Conſtantinopolitanum Patriarcham, veræ appellationis nomine nuncuparet, & poſtquam Conſtantinopolitanam Civitatem ad ejuſdem Imperatoris dominium devolvi caſu quolibet contigiſſet, eum faceret in antiquam Patriarchatus ſedem reduci; ut ibi reſidens ſuis præeſſet ſubditis, quibus in præſentiarum noſcitur præſidere; Patriarcha Latino ſuis, quos nunc habet, ſubditis pacifice præfuturo. Volumus autem, ut tu Frater Urbevetane Epiſcope, quem cum legationis officio ad partes Græcorum tranſmittimus, juxta ea quæ præmiſſa ſunt, caute procedens, ſi plura iis utiliora, & honorabilia Romanæ Eccleſiæ; ac aptiora reconciliationis negotio a Græcis impetrare potueris, non repente proſilias ad præmiſſa capitula exponenda illis, vel etiam acceptanda. Si vero utilius te non poſſe procedere compereris, tunc iſta prudenter, ſicut expedire videris, noſtro & Eccleſiæ Romanæ nomine acceptabis. Quod ſi forſitan iidem Græci noluerint tecum finaliter omnia conſummare, ſed aliqua petierint, quæ tibi gravia videantur, ſuper quibus acceptandis, & conſummandis poteſtatem non habes, ac noluerint dicti Græci tunc Eccleſiæ Romanæ canonicam obedientiam præſtare: tu ſi de futura reconciliationis conſummatione ſperaveris, ne per te rumpi tantum negotium videatur, recipias eumdem ſaltem obedientiam vice noſtra, ut ipſa recepta, ad ulteriorem facilior ſit progreſſus. Si autem nec hoc facere voluerint, ſed nobiſcum adhuc, vel ſuper ipſis capitulis, vel ſuper aliis, ſi qua de novo emerſerint, prolixiorem habere voluerint tractatum, & tu de negotii conſummatione all-

Nihil quod liceat, non admittit Pont. pro unione fienda.

Inſtructio Epiſcopi legati.

aliquam ſpem habueris; ordines, quod ſolemnes Imperatoris, & Eccleſiæ Græcorum Nuncii, tam Prælati, quam alii ad Sedem Apoſtolicam una tecum accedant, habentes plenitudinem poteſtatis ab ipſis Imperatore, & Eccleſia Græcorum, in noſtra præſentia negotium conſummandi. Demum ſi per te in partibus illis juxta traditam tibi formam, ad conſummationem negotii procedi contigerit, ſecure cum eis ordines de Generali Concilio per nos in partibus iſtis, vel circa eas ad locum ſecurum & idoneum convocando, cum aſſignatione temporis competentis, infra quod idem poſſit commode, pro locorum diſtantia, & temporum malitia Concilium congregari &c.

Ann. 1233. n. 8. Ann. 1249. n. 4. Ann. 1250. n. 1. Ann. 1274. n. 2. & ſeqq.

XL. Sæpius ad unionem hanc tractandam miſſi in Orientem Minores, ut ſuperioribus retulimus annis, nec deſtiterunt, donec ad exitum deduxerunt in Concilio Lugdunenſi, ut ſub illo tempore referemus. Hoc autem anno commiſſa cura uni ex eiſdem, & Priori Prædicatorum cum Epiſcopo Wratislavienſi, ut jentuoſos Paganos, vicinos terris Kaſimiri Cujaviæ & Lanſitiæ Ducis, ad fidem ſponte venientes, dominio ejuſdem adjungerent, & a quibuſcumque moleſtatoribus defenderent.

Epiſcopo Wratislavien. & Priori Fratrum Prædicatorum in Calmebach, Fratri Bartholomæo de Ordine Fratrum Minorum, Prædicatori Crucis contra Paganos Poloniæ.

Reg. Vat. ep. 350

Commiſſio circa convertendos ex Paganis Poloniæ.

SIcut dilectus filius nobilis vir Kaſimirus Cujaviæ & Lanſitiæ Dux, Eccleſiæ Romanæ devotus, ſua nobis inſinuatione monſtravit, nonnulli Pagani, qui Jentuoſi vulgariter in illis partibus appellantur; ſuarum terrarum contigui, ſponte cupiunt ad fidem Chriſtianam redire, ac ſe ſuæ ſubjicere ditioni; & felicis recordationis Innocentius Papa prædeceſſor noſter tibi, & dilecto filio nobili viro Bolezlavo Duci Cracoviæ, ac Sandomiriæ ſuis litteris dicitur conceſſiſſe, ut quoſcumque Paganos, eorum terris contiguos, vel confines, qui ſponte, ac ſine bello, & gladio vellent ad Chriſtianam fidem redire, ac ſuæ ſe ſubjicere ditioni, liceat eos recipere, ac ſicut alios Chriſtianos manutenere, protegere, ac etiam in omnibus defenſare, non obſtante conceſſione, qua dicebatur prius ab Apoſtolica Sede fore conceſſum dilectis filiis Fratribus domus Teutonicorum partium earumdem, ut quos de partibus illis Paganos poſſent ſibi bello, & gladio ſubjugare, ſuo dominio applicarent. Verum quia gratuita debet eſſe converſio, non coacta, & ipſe Deus coacta ſervitia non acceptat, ipſius Ducis ſupplicationibus inclinati, mandamus, quatenus dictos Paganos, & quoſcumque alios, ſponte ad eamdem fidem redire volentes, contra quoſcumque auctoritate noſtra manuteneatis, & defendatis. Non obſtante indulgentia, qua tibi fili Prior, vel Ordini tuo a Sede Apoſtolica dicitur eſſe conceſſum, quod tu vel ipſius Ordinis Fratres, de cauſis cognoſcere inviti minime teneamini, quæ vobis a Sede committuntur eadem. Quod ſi non omnes &c. Datum Anagniæ Idibus Julii anno II.

Converſio infidelium non debet eſſe coacta.

XLI. Duobus etiam Epiſcopis, ex Ordine Prædicatorum & Minorum, injunxit ut per ſe, ac per alios prædicarent verbum Crucis in adjutorium Fratrum Teutonicorum Hieroſolymitanorum, pro dilatanda fide in terris Livoniæ, Pruſſiæ, & Curoniæ.

Hen-

Hendrico Culmen. & Henrico Curonien. Epiſcopis de Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus.

Prædicanda crux in adjutorium Teutonicorum.

Qui juſtis cauſis hominum promovendis promptum favorem impendimus, tanto libentius vigilanti cura proſequi pia debemus negotia Jeſu Chriſti, quanto Deus homini præferendus eſſe dignoſcitur, & omnis ſibi deberi reverentia comprobatur. Igitur cum ſicut relatu fide dignorum percepimus exultantes, Conditor omnium in Livoniæ, ac Pruſſiæ, & Curoniæ partibus dilectorum filiorum Fratrum hoſpitalis ſanctæ Mariæ Teutonicorum Hieroſolymitanorum, ac aliorum fidelium, triumphanti dextera favente, ſit multipliciter exaltatus, & ſpes ſit, quod ibidem magis ac magis ſui nominis gloria protendatur, ſi plantationi ſuæ partium earumdem favorem, quem in ipſo poſſumus, impendentes, opportunum illi per devotos Eccleſiæ ſubſidium procuremus: fraternitati veſtræ præſentium auctoritate committimus, quatenus per vos, aut alias perſonas providas & honeſtas, ad hæc idoneas in terris illis, quas Sedes Apoſtolica prædictarum Livoniæ, & Pruſſiæ ſubſidio deputavit, ac etiam Maguntin. & Colonien. Provinciis de conſilio & voluntate dictorum Fratrum ipſius hoſpitalis, officio ſanctæ prædicationis aſſumpto, fideles in terris, & Provinciis hujuſmodi conſtitutos ad nimiam caritatem, qua Chriſtus nos dilexit, & diligit, reſpectum habere, & ei retribuere aliquid, pro omnibus, quæ retribuit ipſe illis, piis exhortationibus ſecundum datam ſibi a Deo prudentiam, ſtudeant informare diligenter & ſollicite petituri, ut ipſi redempti pretio glorioſo, in quos, tamquam viros Chriſtianos & Catholicos, cadere opprobria exprobrantium Chriſto debeant, ſe viriliter, & potenter accingant, tamquam zelum Dei habentes ad ampliandam gloriam Crucifixi, & liberandum proximos de manu paganorum proſectari, & acturi ſecundum conſilia prædictorum Fratrum hoſpitalis ejuſdem: ita quod & ipſis præmium debeatur æternum, & infideles non poſſint, quod impune Chriſti nomen impugnaverint, gloriari. Illos vero de terris, & Provinciis memoratis, qui Crucis ſignaculo in Livoniæ, ſeu Pruſſiæ, vel Curoniæ ſubſidium inſigniti, propter paupertatem, ſeu debilitatem illuc nequeant perſonaliter proficiſci, a voto Crucis abſolvant, dummodo de bonis ſuis, juxta proprias facultates, congruam ſubventionem exhibeant, per manus eorumdem Fratrum dicti hoſpitalis in idem ſubſidium convertendam. Nos enim, ut quod pro nomine Redemptoris tam digne depoſcitur, effectu facili compleatur, omnes dictarum terrarum, & Provinciarum in ſuccurſum eorumdem fidelium, ſuſcepto propter hoc Crucis ſignaculo, proceſſuros, necnon eorum familiam & bona donec de ipſorum reditu, vel obitu certiſſime cognoſcatur, ſub protectione ac defenſione Sedis Apoſtolicæ admittentes, illis ac aliis, qui juxta facultatem, & qualitatem ſuam illuc bellatores idoneos in expenſis propriis duxerint deſtinandos, nec non qui ad ſubventionem dictarum Livoniæ, vel Pruſſiæ, ſeu Curoniæ de bonis propriis congrue miniſtraverint, vel qui in alienis expenſis illuc acceſſerint, ibidem ad minus per unius anni ſpatium ſervituri, juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum, illam indulgentiam, idemve privilegium elargimur, quæ tranſeuntibus & ſubvenientibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conceduntur. Præterea ut præfatum negotium, eo magis incrementum proſperitatis optatæ ſuſcipiat, quo ipſum pluribus remediis contigerit adjuvari, vobis & perſonis, quæ volentibus, & conſentientibus ſupradictis Fratribus hoſpitalis ejuſdem, fuerint hujuſmodi negotio de-

Ephes. 2. 4. Pſal. 115. 12.

Pſal. 68. 10.

deputatæ, præſentium auctoritate concedimus, quod illi earumdem terrarum & Provinciarum, qui ad veſtram, vel perſonarum ipſarum ſolemnem prædicationem acceſſerint, viginti dies de injuncta pœnitentia relaxare, ac eorum ſingulis illuc aſſumpto propter hoc Crucis charactere, proceſſuris, qui pro incendiis, & injectione manuum in Clericos, vel alias religioſas perſonas, excommunicationis laqueum incurrerunt, abſolutionis beneficium impertiri, juxta formam Eccleſiæ valeatis. Proviſo ut paſſis damna, & injurias ſatisfaciant competenter, illis dumtaxat exceptis, quorum exceſſus adeo ſunt difficiles & enormes, quod merito ſint ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi. Datum Anagniæ XII. *Kalend. Septembris anno* II.

Tom. 2. an. 1230. num. 8.

Committitur examinatio miraculorum Epiſcopi Ciceſtrenſis.

Harsfeeld. ſeculo 13. cap. 17. Pariſ. & Weſmonaſt. ad ann. 1252. Pitſ. de ſcrip. Angliæ. Trivet. ad ann. 1242.

XLII. Epiſcopo Wigornienſi, Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum in Anglia, & fratri Adæ de Mariſco, viro docto & pio Ordinis Minorum (de quo alias præfati ſumus, & iterum honorifica occurret mentio) commiſit examen miraculorum piæ memoriæ Richardi Epiſcopi Ciceſtrenſis, de quo canonizando inſtabant Henricus Angliæ Rex, & nonnulli Epiſcopi cum aliis Angliæ Prælatis. Vitam ejus ſanctitate inſignem, ac virtutibus glorioſam, rudi quidem, ſed veraci ſtylo ſcripſit Rodulphus quidam, Ordinis Prædicatorum, qui ei fuit a confeſſionibus. Compendium extraxit Harsfeeldius; de quo agunt uterque Matthæus digna affigentes elogia, Joannes Pitſæus, & ante hos Nicolaus Trivetus vetuſtus auctor. Multa ejus miracula breviter refert Harsfeeldius. Mortuus eſt anno MCCLII. vel, ut quibuſdam placet, altero poſteriori.

Epiſcopo Wigornienſi, & Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum in Anglia, & fratri Adæ de Mariſco Ordinis Minorum in Anglia commoran.

UT corda fidelium in ſui amorem Rex cœleſtis accendat, & incredulas convertat ad fidem, Sanctos ſuos miraculis magnificat glorioſis: devotiores namque fideles ipſi redduntur Altiſſimo, dum vident electos ipſius poſt exitum hujus vitæ felicem virtutibus coruſcare; ac eum ſequi deſiderant, cum ſe ſequentibus æterna præmia largiatur. Sane dignas Domino referimus gratias, quod ſicut venerabiles Fratres noſtri nonnulli Epiſcopi, & Prælati alii Regni Angliæ, ac cariſſimus in Chriſto filius noſter Illuſtris Rex Angliæ, nobis inſinuare curarunt, recolendæ memoriæ Richardum Ciceſtrenſem Epiſcopum, cum ipſe vixiſſet in hoc ſeculo, viam ſalutis docendo, verbis pariter & exemplis, tamdem præſentis vitæ curſu feliciter conſummato, & etiam ante ipſius obitum multis miraculis Omnipotens decoravit. Unde nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum non deceat eum apud homines ſine veneratione relinqui, quem merita & miracula ſanctum oſtendunt, ipſum adſcribere Sanctorum catalogo curaremus. Quia vero nobis plenius non conſtitit de præmiſſis, diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, de Fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de vita & miraculis ipſius diligenter, & ſollicite inquirentes, quæ inveneritis nobis per litteras veſtras fideliter intimetis. Non obſtante ſi Fratribus veſtri Ordinis, fili Prior, & frater Adam, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod de cauſis, quæ ipſis a Sede committuntur eadem, cognoſcere minime teneantur. Quod ſi non omnes his, &c. Tu frater Epiſcope &c. Datum Anagniæ X. *Kalend. Julii anno* II.

XLIII. Mo-

XLIII. Moriuntur hoc anno Hermannus & Matthæus Fulginates, viri ſanctiſſimi, & miraculis clari: quorum corpora condita ſunt in æde primæva Minorum illius urbis, ex qua plerique prodiere Fratres & Sanctimoniales, vita & factis illuſtres. Illorum memorias per ea tempora, quibus floruerunt aut obierunt, diſtribuemus.

B. Hermannus, & Matthæus Fulginates. Jacobillus de Epiſcopis Fulgin.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ XLIV. Hoc anno miſſus eſt in Siciliam ab Alexandro Pontifice „ frater Franciſcus Placentinus Minorita, ut Siculos ab obedientia „ Manfredi Tyranni retraheret ad Sedis Apoſtolicæ reverentiam. Ita „ dextere egit, ut tam Panormitanos, quam Meſſanenſes ad Pontificis „ partes adeo inclinaverit, ut confeſtim miſerint Jacobum Sallam, ſuum „ oratorem, qui eamdem, quam promiſerunt in manibus fratris Jacobi „ fidelitatem, erga Sedem Apoſtolicam coram confirmaret.

Fr. Franciſcus Placentin. Sedis Apoſtolicæ Legatus. Bonfil. in hiſtor. Sicula par. 1. l. 7.

XLV. Hoc eodem anno, non præcedenti, ut alias diximus ex Rodulpho, data ſunt Minoribus Eccleſia & Clauſtrum SS. Naboris, & Felicis cum horto, viridario, & aliis cohærentiis per fratrem Leonem Valvaſorium Mediolanenſem Archiepiſcopum, ex Ordine Minorum aſſumptum, translatis Præpoſito & Capitulo hujus Eccleſiæ, ita ipſis acceptantibus, ad Templum Beatæ Mariæ ad Falcorinum Portæ Vercellinæ. Ita præcepit Alexander Pontifex ut fieret, intercedentibus quibuſdam Fratrum amicis; & translationem factam ſuo diplomate probavit, inſertis litteris Archiepiſcopi. Incipiunt: *Licet ea*. Datæ x. Kalendas Februarii. Datam Minoribus Eccleſiam, auguſtiorem fecerunt viri nobiles & pii, quorum numero ſuæ familiæ homines connumerat Bernardinus Corius, gravis Hiſtoricus Mediolanenſis, idque conſtare ait ex gentilitiis inſignibus, in Monaſterio inciſis, & domeſticis monumentis. Huc introducta corpora SS. Naboris & Felicis a ſui ſtemmatis viris, ait Paulus Morigia in Sanctuario Mediolanenſi, qui factam conceſſionem dictæ Eccleſiæ Minoribus ab Henrico Sattala ſcribit, ſed contradicentibus clericis capitularibus ejuſdem Eccleſiæ, non obtinuiſſe, niſi poſt ejus obitum; fortaſſis ita vivens deſideravit, ſed ex actis ipſius conceſſionis, quæ in appendice miniſtramus, conſtat nonniſi ſub Leone Archiepiſcopo donationem factam hoc anno ab Alexandro Pontifice. „ Præextitiſſe ſcri-„ bunt hoc loco celebre cœmeterium, a Cajo III. Antiſtite Mediola-„ nenſi, qui illud in uſum ſepulturæ fidelium conſecravit, ſic nuncupatum: „ a ſancto Ambroſio, hortus irriguus, a D. Paulino, ager Evangelicus, „ in quo theſauri omnes, vel perſice gaza pretioſiores conderentur, ap-„ pellatus eſt; Polyandron vocavit Bonaventura Caſtillionæus, ob mul-„ titudinem ibidem ſepultorum. Duravit area, & cœmeterii facies uſque „ ad tempora Divi Simpliciani, qui ſancto Ambroſio in Epiſcopatu Me-„ diolanenſi ſucceſſit; paulatim deinde ceſſit in ſtructuram Templorum, „ SS. Ambroſii, Franciſci, & Valeriæ, & demum pars poſtrema variis „ hujus cœnobii incrementis ita immutata eſt, ut ne leviſſima quidem „ tam præclari monumenti veſtigia deprehendantur, quod illius urbis „ Antiquarii non immerito deplorant. Quam vero multa hic condita „ fuerint ſanctorum Virorum corpora, referunt hæc carmina vetuſta „ marmoreæ tabulæ in Templo ſancti Franciſci inciſa.

Tom. 1. an. 1212. num. 57. Mediolani datur Minoribus Eccleſia SS. Naboris & Felicis.

Corius in hiſtor. Mediolanen. 2. p. fol. 222. Morig. c. 4.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Caſtilion. de antiq. Mediol. p. 1. faſcic. 3.

„ *Alma nitet renovata piis cultoribus aula,*
„ *Tempore quam modico Fratres ſtatuere Minores;*
„ *Hortus erat quondam locus iſte, Domuſque Philippi,*
„ *Corpora martyrium pro Chriſto paſſa recondens.*
„ *Hortus fœcundus dictis domus unde repletur*

 Fru-

„ *Fructibus immenſis totus generaliter orbis.*
„ *Barnabam huc perbibent translatum ſcripta vetuſta,*
„ *Fama refert, uſti cineres, & plumbea tumba;*
„ *Hic Nabor, hic Felix, hic Fortunatus habetur;*
„ *Et cum Materno, Gayus, dictuſque Philippus,*
„ *Necnon Savinæ ſanctæ venerabile corpus.*
„ *Ambroſio Paulus cælos hic mente petente*
„ *Protaſium cum Gervaſio pandendo revelat.*
„ *Sanguine Sanctorum totus locus iſte ſacratus*
„ *Multipotens factus delere piacula plebis.*
„ *Atque unum ex pueris Sanctis, quos dira necavit*
„ *Ambitio Herodis pro Chriſto, continet hujus*
„ *Sacriſta ædis, quo tota hæc patria gaudet.*
„ *Quam bene nudipedes loca hæc ſacratiſſima ſervant*
„ *Cernere cum Moyſe, Joſueque, Hierarchica digni.*
„ *Perpetuo rita feria redeunte ſecunda,*
„ *Plebs prius Ambroſii meritum, templumque requirens*
„ *Huc venit, & domini verbis impleta recedens,*
„ *Læta Deum laudat tantis dotata patronis.*

XLVI. Alia ſimiliter Eccleſia conceſſa in Civitate Tyburtina Fratribus Minoribus, quos ſuperius diximus in loco incommodo parumque decenti conſtitutos, voluiſſe Gregorium Pontificem in alium meliorem transferri, eiſque dari Eccleſiam ſanctæ Mariæ majoris. Illa erat Ordinis Benedictini, cujus quatuor vel quinque dumtaxat perſonæ ibidem morabantur; quas per alias Eccleſias ejuſdem Ordinis, videlicet ſancti Clementis, & ſancti Angeli in Arceſe, in eadem urbe collocari præcepit. Ita expreſſe habetur in diplomate Pontificio denuo repetitum, & in Chronicis Monaſterii ſancti Michaelis ejuſdem urbis MSS. ad me miſſis aperte dicitur fuiſſe Monachos Benedictinos, necnon in aliis litteris hujus Pontificis inferius producendis. Quare neſcierim unde errorem traxerit Gonzaga, aſſerendi fuiſſe Moniales Benedictinas, quibuſdam de cauſis Tyburtinis exoſas. Commiſſum munus Beraldo Epiſcopo Tyburtino, qui diligentiſſime tradidit executioni litteras Pontificias, removendo Benedictinos, & Eccleſiæ poſſeſſionem concedendo die v. Julii fratri Sinibaldo Cuſtodi, & Andreæ Guardiano Minorum. Acta probavit ſuis litteris Alexander *Ut illibata permaneant* III. *Kal. Septembris.* Auctoritate primi diplomatis Pontificii dati IV. Nonas Maii introducti ſunt in Eccleſiam, ſed poſt paucos dies deturbati, iterum reſtituti ſunt. Ut in pacifica poſſeſſione manutenerentur, & procederetur adverſus deturbatores, ſcripſit Pontifex Vicario Epiſcopi, & Canonico cuidam Tyburtino. *Cum dilecti filii* XIII. *Kal. Julii.* Alto, ſalubri, amœno, optimo denique loco ſitus eſt Conventus: contiguos habet ortos Eſtenſes ex majeſtate, ex varietate, ex aquarum abundantia, ex deliciarum copia, ex impenſis immenſis ſumptibus undique notiſſimos. Communes habet parietes Monaſterium, & magnificum Palatium a magno Hippolyto Eſtenſi Cardinali fabricatum, cui ædificando ceſſerunt multæ Fratrum officinæ, quas ad oppoſitam domus partem oportuit reficere. Auxit ædem his diebus pulchro & ſolido dormitorio, adjectis aliis officinis Theodoſius Romanus bis ædis præſes; decoravitque Eccleſiam ſtructo majori altari (in quo eſt egregia imago beatæ Virginis a ſancto Luca depicta, quæ ſanctæ Mariæ Majoris nomine Monaſterium affecit) altiſſima & ſum-

Tom. 3. an. 1241. num. 29.
Fratrib. Tyburtinis conceditur Eccleſia S. Mariæ Majoris.

Chron. MSS. cit.

An. 1258.

Gonz. in Prov. Rom. Conv. 6.

Google

& ſumptuoſa nimis, adfabricata turri campanaria, multis additis ornamentis, Conſtantius Romanus anno MDXCII. Super præcipuam Eccleſiæ portam inciſum eſt lapidi marmoreo charactere vetuſto, hoc quod ſequitur perpetuæ peccatorum remiſſionis monumentum. *In nomine Domini Amen. Anno Domini* MCCCXCII. *tempore Domini Bonifacii Papæ IX. Dominus Cardinalis de Alencario, ex revelatione facta per beatum Ludovicum cuidam ſanctæ Dominæ Tyburtinæ, ex parte beatiſſimæ Virginis, procuravit a Domino Papa plenam remiſſionem peccatorum omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis viſitantibus altare majus Eccleſiæ ſanctæ Mariæ majoris de Tybure, Ordinis Fratrum Minorum, in die Nativitatis beatæ Virginis, & per Octavas temporibus perpetuis valituram, tempore Capomilitiatus Nicolai Brunelli.* Paulo inferius: *Hoc opus fecit Magiſter Angelus Francisci de Tybure tempore Guardianatus fratris Franciſci do via majori.* Jacent in ſacello majori tres Illuſtriſſimi & potentiſſimi Cardinales Eſtenſes, Hippolytus, Aloyſius, & Alexander, atque alii plures conditi in Eccleſia viri primates. Dedit ad hos Dominos Eſtenſes Antonius del Re librum de antiquitatibus Tyburtinis, ubi honorificam agit hujus Monaſterii mentionem. Quando tranſierit ad Obſervantes, alias commodius dicetur. Hic autem annus translationis Fratrum ipſe ille fuit, quo introductæ ſunt Damianitæ in illam urbem, datis eiſdem prioribus domibus Fratrum Minorum ſancti Joannis Baptiſtæ de Votano dictis; ut notarunt Chronica MSS. proxime a nobis citata, ipſo illo loco, quo ſuperius opinati ſumus, conſtitutis. *Tom. 3. an. 1241. num. 29.*

XLVII. Circa hunc annum in Civitate Ariminenſi commodum obtinuerunt habitaculum Minores, emptis domo & horto contiguo a Præfecto Abbatiæ Pompoſianæ Ordinis ſancti Benedicti. Eccleſiam vicinam & opportunam ſanctæ Mariæ in Trebio, quantumvis in alia æde ſanctæ Crucis, parva tamen, habitarent, Fratribus donavit Jacobus Epiſcopus Ariminenſis, cui acceſſit Alexandri confirmatio. Spectat ad Provinciam Bononienſem, & Cuſtodiam Forolivienſem Patrum Conventualium. (Conv. Ariminen. *Rodulph. fol. 268.*)

Monaſterium Thermarum in Sicilia, & Cuſtodia Agrigentina eorumdem Patrum circa hoc etiam tempus conſtructum; habetur enim in campana memoria, eamdem factam eſſe tempore beati Gandulphi; ille autem obiit anno MCCLX. Floruit ibidem cum eodem Gandulpho beatus Ghirardus, de quibus alias accuratior erit ſermo. Conſtructa hoc anno Eccleſia Conventus Forolivii, cujus fabricam per ſuas litteras fidelibus commendavit promovendam Alexander II. Non. Januarii. Primum locum obtinuerunt Fratres extra urbem, ſed ſub Innocentio IV. anno MCCXLIX. translati ſunt in ipſam Civitatem. Laudat quemdam ejuſdem Conventus virum ſibi familiarem & amicum Rodulphus, cui Fulginei mortuo lapidem poſuit hiſce verbis inciſis: *Marco Antonio Pagano Forolivienſi, viro integerrimo, qui Viſitatoris Apoſtolici in Provincia Genuæ, & præfecturæ Provincialis munere perfuncto, dum Romam petit ad Sixtum V. Pont. Max. obiit anno ætatis ſuæ* LXIX. *die vero* XX. *Octobris. Fr. Petrus Rodulphus Toſſinianenſis mutuæ neceſſitudinis memor, grati ſui animi monumentum poſuit.* (Conv. Thermarum. *Idem fol. 181.* *Anno 1260.* *Idem fol. 268.* Conv. Forolivii. *Rodul. prox. cit.*)

XLVIII. Monaſterii Clariſſarum oppidi Methymnæ Campi in Regno Caſtellæ, primam originem omnino incertam, ante hunc annum obtigiſſe, probatum ſcribit Gonzaga ex vetuſtis monumentis. Prima ædicula titularem habebat ſanctam Catarinam Virginem & Martyrem, ceſſit tamen Claræ Virgini, paulo ante canonizatæ, dum ædes ampliarentur: (Monaſt. Methymnæ Campi. *Gonz. in Prov. Concep. Conv. 10.*)

ſed

ſed ne titulorum mutatio fieret cum cœlitum offenſa, quotidie ſanctæ Catarinæ memoria fit in choro. Plures mortuæ ſunt in hoc loeo Virgines religioſiſſimæ, & pietate notiſſimæ: ceteras præcellunt Franciſca Braccamonte, & ſoror Agnes ab Ortega. Prima ob eximias virtutes certiſſime mortis horam meruit præſcire: ſecunda vero hujus loci excidium, & Sororum diſperſionem prædixit, quæ poſt annos ſexdecim, ut prædicta ſunt, evenerunt; nam collapſa majori parte domus, triginta ex accolis ad diverſa Monaſteria ejuſdem Provinciæ tranſmiſſæ ſunt, dum

Monaſt. Majoricæ.
Idem in Prov. Majoric. Monaſter. 2.

ædes reficeretur. Circa hoc idem tempus Monaſterium Clariſſarum Majoricanum in inſulis Balearibus, quod ſanctæ Claræ dicitur (aliud eſt enim in eadem urbe earumdem Cœnobium ſub titulo Oliveti) extructum paulo a morte ſanctæ Claræ publicis civium facultatibus, communi fertur traditione; neque ſolidius aliud nobis primæ originis indagare licuit monumentum.

Indulta Pontificia.

XLIX. Dedit etiam hoc anno Alexander plura indulta. Voluit ut qui aſſumebantur in ſocios quorumcumque Prælatorum, etiam Apoſtolicæ Sedis auctoritate, vel legatorum ejuſdem, poſſent corrigi & revocari a Prælatis Ordinis: neque indiſcriminatim poſſent Archiepiſcopi vel Epiſcopi quoſcumque ſibi aſſumere, ſed quos judicarent Ordinis Præfecti expedire: *Sacræ religionis*. Idibus Maii. Fratres Pariſienſes, & aliorum locorum incolæ ſtatuerunt, ut qualibet hebdomada ſinguli Sacerdotes unam miſſam de Spiritu ſancto, vel de beata Virgine, deinde conventualiter omnes ſolemnem pro ſalute Pontificis, & bono Eccleſiæ regimine celebrarent; aliiſque orationum ſacrificiis pro tanto benefactore apud Deum interpellarent; cui profecto quidquid erat obſequii & gratitudinis, debebatur. Conceſſit ille ad preces Fratrum, ut in hujuſmodi miſſis angelicus hymnus, *Gloria in excelſis*, & Sequentiæ, ſeu Proſæ eiſdem competentes dicerentur, non obſtante ſtatuto capituli Metenſis,

Tom. 3. an. 1249. n. 1.
Additio Patris Lucæ Waddingi.

quod ſuperius dedimus: *Preſſi gravi orbis ſarcina*. Kalen. Junii. „ Fratres Conventus Trecenſis in Gallia, de quo ſuo diximus loco, a variis liberavit moleſtiis Decani, & Canonicorum Capituli Trecenſis, „ commiſſa litis deciſione Archiepiſcopo Senonenſi, cujus auctoritate „ cuncta pacifice compoſita ſunt. *Ad audientiam noſtram*. v. Idus Julii. Indultum Miniſtris Generali & Provincialibus, ut idem abſolutionis beneficium, quod aliis ex auctoritate Pontificia in quibuſdam caſibus impendebant, ſibi etiam per alios Sacerdotes applicare liceret: *Ordinis veſtri*. xi. Kalen. Auguſti. Enumeratis graviſſimis injuriis, & multis gravaminibus, quæ patiebantur Minores ab Eccleſiarum Prælatis, eoſdem ab omnibus exemit, quod & ejus prædeceſſores Gregorium, & In-

Tom. 3. an. 1231. n. 55. & 1245. n. 29.

nocentium, eodem emiſſo diplomate, feciſſe ſuperius admonuimus: *Nimis iniqua*. v. Kalen. Septembris. Eaſdem litteras, mutatis mutandis, ipſo eodem die dedit ad Aretinum, Florentinum, & Lucenſem Epiſcopos. Juſſit ut libera eligi poſſit ſepultura in Eccleſiis Minorum: *Cum a nobis petitur*. Idibus Maii. Viſitantibus Eccleſiam Aracœli in Capitolio, in quibuſdam diebus feſtivis, Indulgentias largitus eſt. *Cam ad promerenda*. v. Idus Julii. Clariſſis Monaſterii ſancti Angeli Eſculani peculiariter tribuit ix. Kalen. Aprilis, quod omnibus conceſſiſſe diximus

Tom. 3. an. 1255. num. ult.

anno ſuperiori, de non præſtandis procurationibus legatorum Sedis Apoſtolicæ; & viii. Kalen. Auguſti indulſit ne poſſent per litteras Apoſtolicas conveniri, niſi de eiſdem ſpecialem facerent mentionem. Sæpius hujus indulti dedimus in regeſto tenorem. Amplum dedit exemptionis

pti-

privilegium Damianitis Monaſterii ſanctæ Mariæ Novæ de Colazzo, juxta montem Politianum, aliudque confirmavit jam datum a Willielmo Epiſcopo Aretino: *Religioſam vitam*. II. Non. Aprilis. Alterum tribuit Monaſterio ſancti Salvatoris ejuſdem Ordinis de Paſſiniano, prope caſtrum ſancti Severini Cameracen. diœceſis ne domus alia, cujuſcumque inſtituti, ibi poſſit ædificari abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto: *Sincera quam ad vos*. XII. Kalen. Januarii &c.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. MOnaſterium ſanctæ Agathæ Papiæ ad Ticinum, Ordinis ſan- *Partaritus Monaſt. S. Agathæ Papiæ extruxit.*
,, ctæ Claræ perantiquum, a Partarito Rege Longobardorum
,, conſtructum, Monialium D. Bernardi fuit: at ab Alexandro IV. ini-
,, bi eo Ordine ſuppreſſo, noſtræ a Placentia ſancti Damiani nuncupatæ,
,, obtinuerunt, olim ab Innocentio IV. Epiſcopo Terdonenſi ejuſdem
,, rei executio commiſſa fuerat: verum, quibuſdam appellationibus
,, interpoſitis, Epiſcopo ſuſpendente executionem ſibi commiſſam, ab
,, Alexandro IV. poſtea eidem iterum commiſſum fuit, ut quibuſcum-
,, que in contrarium facientibus, rejectis, ad corporalem poſſeſſionem
,, illius Monaſterii præfatas Damianitas ſanctæ Claræ introduceret, ut
,, ex ſubſequenti Bulla apparet.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI:

*Venerabili fratri Epiſcopo Terdonenſi ſalutem,
& Apoſtolicam benedictionem.*

,, §. 1. *LEcta coram nobis dilectarum in Chriſto filiarum Monaſterii ſan-* *Breve Tranſlat. Monaſt. S. Claræ ad Mon. S. Agathæ Papien.*
,, *cti Franciſci Placentini Ordinis ſancti Damiani petitio contine-*
,, *bat, quod felic. record. Innocentius PP. prædeceſſor noſter, intellecto,*
,, *quod ipſæ jam dudum non habuerant unde ſibi poſſent in vitæ neceſſariis*
,, *providere: tibi ſuis dedit litteris in mandatis, ut Sorores ipſas in Mo-*
,, *naſterio ſanctæ Agathæ Papienſi, Ordinis ſancti Benedicti, quod, ſicut*
,, *dicitur, ad Romanam Eccleſiam nullo pertinens mediante, propter mali-*
,, *tiam habitantium in eodem, adeo erat in ſpiritualibus, & temporalibus*
,, *deformatum, quod vix poterat in ſuo Ordine reformari, per te, vel alium*
,, *collocare curares, concedens eis dictum Monaſterium, cum omnibus per-*
,, *tinentiis ejus, ac juribus, perpetuo poſſidendum: quinque aut ſex Mo-*
,, *nialibus ibidem dumtaxat, ut aſſeritur, exiſtentibus, niſi vellent in una*
,, *cum eiſdem Sororibus ſub eorum regula perpetuo Domino famulari, in*
,, *aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis ſancti Benedicti, prout expedire cogno-*
,, *ſceres, collocatis: contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatio-*
,, *ne poſtpoſita, compeſcendo.*
,, §. 2. *Licet autem Syndicus, ſeu Procurator dictarum Monialium, con-*
,, *tra Sorores ipſas ſuper hoc, coram Abbate ſancti Sepulcri Papien. cui*
,, *in hac parte commiſeras vices tuas, duxiſſet exceptiones quamplurimas*
,, *proponendas: quia tamen exceptiones ipſæ fabulæ erant, & in eluſionem*
,, *Apoſtolici mandati propoſitæ, dictus Abbas, Procuratore dictarum Soro-*
,, *rum præſente, præfato vero dictarum Monialium Syndico ſe per contu-*
,, *maciam abſentante, ſententialiter pronunciavit, dictas Sorores in poſſeſ-*
ſio-

,, *ſionem dicti Monaſterii, & pertinentiarum ejus, juxta mandatum Apo-*
,, *ſtolicum eſſe mittendas.*
,, §.3. *Verum quia interim eodem Monaſterio ſanctæ Agathæ Abbatiſſa*
,, *vacante,* Aydella *tunc ipſius Monaſterii Monialis, poſt inhibitionem,*
,, *auctoritate prædictarum litterarum factam, in ejuſdem Monaſterii Ab-*
,, *batiſſam ſe eligi procuravit, & per litteras ſuper electione ſua ad Archi-*
,, *presbyterum de* Fligazolo *Terdonenſis Diœceſis ab Apoſtolica Sede obten-*
,, *tas, dictas Sorores coram ipſo Archipresbytero multipliciter inquietat;*
,, *pro parte ipſarum Sororum fuit ſuper hoc providentiæ remedium implo-*
,, *ratum.*
,, §.4. *Nolentes igitur, Sorores eaſdem occaſione hujuſmodi ulterius ali-*
,, *quibus litigiorum quæſtionibus implicari; fraternitati tuæ per Apoſtoli-*
,, *ca ſcripta mandamus, quatenus electionem prædictam, poſt inhibitionem*
,, *hujuſmodi præſumptam temere, ac litteras ſuper ipſa obtentas, & omnes*
,, *proceſſus ſuper eas habitos; necnon quaſcumque exceptiones contra dicti*
,, *Prædeceſſoris noſtri litteras ad te, ſuper appellatione dicti Monaſterii*
,, *ſanctæ Agathæ impetratas, nuncies irritas, & inanes, in negotio pro-*
,, *cedens eodem, juxta priorem continentiam litterarum, inducendo per te,*
,, *vel alium Sorores ipſas in ejuſdem Monaſterii ſanctæ Agathæ poſſeſſionem*
,, *corporalem, ac inductas eas defendendo.*
,, §. 5. *Non obſtantibus prædictis litteris ad Archipresbyterum obtentis*
,, *eumdem, ſeu alium, vel aliis quibuſcumque cujuſvis tenoris exiſtant, &*
,, *proceſſibus habitis per eaſdem: contradictores per cenſuram Eccleſiaſti-*
,, *cam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit,*
,, *auxilio brachii ſecularis.* XIII. *Kal. Februarii Pontif. noſtri anno* II.

Transfertur ad illud Damianæ S. Claræ Placentiæ. *Ex monu. Prov. S. Didaci MSS.* Regul. Damianitarum mitigata ab Urbano IV. *Vide infr. ad ann.* 1262.

,, II. Fuerunt igitur introductæ Sorores Ordinis ſancti Damiani,
,, auctoritate Pontificis, in poſſeſſionem Monaſterii ſanctæ Agathæ præ-
,, dicti hoc anno MCCLVI. & certum eſt, ſub eadem regula Damianarum
,, tunc extitiſſe, eamque obſervaſſe; cum mitigata fuerit tantum ſub
,, Urbano IV. anno MCCLXIII. qui quidem Urbanus huic Alexandro ſuc-
,, ceſſit anno MCCLXI. Sed harum Sororum Sanctimonialium D. Agathæ
,, cura, & regiminis ſollicitudo ad PP. Ordinis noſtri cœnobii D. Fran-
,, ciſci Papienſis, ab initio pertinuit.

Monaſter. Monialium Major. antiquum.

Mon. MSS. Prov. Major. an. 1680.

Præcipit Pontif. Cuſt. & Guard. Aragon. ut eas proteg.

,, III. Poſtquam autem Papienſis Monaſterii ſanctæ Agathæ tranſi-
,, tum ad Sorores ſanctæ Claræ Damianitas expenderimus, alterum
,, etiam earumdem Majoricenſe in Balearibus Inſulis calamo noſtro oc-
,, currit: illius enim ſtructuram, cum ex Gonzaga Wadding. aſſerat
,, extructum fuiſſe publicis Civium facultatibus paulo poſt mortem ſan-
,, ctæ Claræ, ut traditio fert: nec ejuſdem originis ſolidius argumen-
,, tum habere potuiſſet: reliquum erat aſtruere circa hunc annum exti-
,, tiſſe fundatum: attamen ex monumentis noviſſimis Provinciæ Majo-
,, ricenſis, cum habeamus Alexandrum IV. Summum Pontificem, cui
,, tempora excurrebant, de quibus ſcribimus, Apoſtolicis ſuis litteris
,, dat. Romæ ſub hoc anno MCCLVI. Kal. Aprilis Pontificatus ſui anno II.
,, præcipere P. Provin. Aragoniæ, Majoric. Cuſtodiæ Cuſtodi, & ejuſ-
,, dem Civitatis Majoricarum Conv. S. P. Franciſci Guardiano, ut ſub
,, ſua protectione dictas Moniales, & earum Monaſterium ſuſcipiant;
,, invictiſſimum autem Regem Aragonum Jacobum, earumdem Balea-
,, rium Regem primum, proprio ære illius Monaſterii territorium a
,, nobili viro Bernardo de ſancta Eugenia anno ſequenti MCCLVII. emiſ-
ſe:

Google

„ ſe: & altero ſubſequenti anno MCCLVIII. interpoſito diplomate, firmaſſe valde nobis arridet Summum Pontificem ad inſtantiam Regis, cui erat in votis præfatum Monaſterium conſtruere, dictum diploma expediviſſe; ædem vero ſua initia anno ſequenti, vel MCCLVIII. habuiſſe. *Vide inf. ad an. 1260.*

„ IV. Præter vero litteras Apoſtolicas, quas Annaliſta retulit, quæ ſequuntur nobis notanda occurrunt: Fratri Guillelmo executorialis *Ex parte &c.* VI. Kal. Februarii: Confirmatio privilegiorum Ordinis *Quia Ordinem veſtrum &c.* V. Kal. Februarii: Pro Monialibus Montis lucis Peruſii *Si quibuslibet &c.* VI. Nonas Martii: Ut Moniales Auſculanæ non ſolvant exactiones *Paupertatis veſtræ &c.* IX. Kal. Aprilis: Indulgentia pro Eccleſia XII. Apoſtolorum de Urbe *Vitæ perennis &c.* VIII. Idus Maii: Pro ſtudiis Pariſienſibus *Licet olim pro ſtudioſis &c.* V. Kal. Julii: Quod Fratres non poſſint compelli *Cum non deceat &c.* V. Idus Julii: Ut Moniales Auſculan. non poſſint conveniri *Cæleſtia quærentibus &c.* VIII. Kal. Auguſti: Pro Monialibus Montis Lucis Peruſini *Volumus &c.* IX. Julii: Fratri Thomæ de Rubeo executorialis *Ex parte &c.* Kal. Auguſti: Pro abſolutione Fratrum ab irregularitate *Licet ad hoc &c.* X. Kal. Septembris: Contra Guillelmum de ſancto Amore .... III. Nonas Octobris.

Indic. ex Vat.

Dipl. var. in favorem Fratrum, & Monialium.

Vatic. Oder. fol. 23. 10. 14.

ARGUMENTUM.

„ *Declarat Conſtitutionem quamdam Innocentii IV. circa negotia ſanctæ „ Inquiſitionis, & „ tumultus Pariſienſes iterum tentat Pontifex ſopire. Clarent plerique hoc tempore præſtantiſſimi Minoritæ. Bonaventura ſodalitio excolendo diligenter incumbit, cujus zelum laudat Pontifex, & auctoritatem adauget. Pii eventus, & proficua exempla quorumdam Minoritarum referuntur. Circa res Polonicas quædam a Pontifice ſtatuuntur. Et in Bohemia inſtituuntur Inquiſitores Minoritæ. Lupus Epiſcopus Marrochitanus, legatus Pontificias in Africa, etiam hoc anno pietatis inſiſtit officiis. Adamus de Mariſco Eccleſiæ præficitur Elienſi in Anglia. Extruuntur domicilia, & conceduntur privilegia.* ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ I. CUM circa graviſſimam Conſtitutionem Innocentii IV. cui initium: *Ad extirpanda de medio populi Chriſtiani*; quam ſuo loco exſcripſimus, aliqua occurrerent dubia, Alexander Pontifex duabus his decretalibus, ea voluit explicata. Prima data eſt hoc anno, ſecunda ſequenti; ſed cum eamdem ferme materiam concernant, eas duximus hic adnectendas. ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Dilectis filiis Inquiſitoribus hæreticorum in Lombardia, & Marchia Januenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ *EXortis in agro fidei Chriſtianæ per partes Italiæ abundantius ſolito, hæreticæ pravitatis zizaniis, ſeminante illa per temporis impacati malitiam homine inimico, felicis recordationis Papa Innocentius prædeceſſor noſter, conſtitutiones quaſdam ad peſtis extirpationem prædictæ noſcitur edidiſſe, quas in ſuis litteris annotatas, mandavit a dilectis filiis Poteſtatibus, ſeu Rectoribus, Conſiliis, & Communitatibus Civitatum,*

,, *tum, nliorumque locorum, per Lombardiam, Romnniolam, Marchiam*
,, *Terviſii conſtitutis, tamquam fidelibus ejuſdem fidei defenſoribus exnčta*
,, *diligentin obſervari; porro inter conſtitutiones bujuſmodi tria contineri*
,, *noſcuntur, u Poteſtatibus, ſeu Rectoribus Civitatum & locorum, ſub*
,, *debito juramenti infru certos terminos obſervanda. Primum videlicet,*
,, *quod Poteſtas, ſeu Rector infra tertium diem poſt introitum ſui regimi-*
,, *nis, duodecim viros probos, & Catholicos, duos notarios, & duos ſervi-*
,, *tores, vel quotquot fuerint neceſſarii, inſtituat; quos ad negotium fidei*
,, *contrn bæreticos, eorumque fautores, diœceſanus, ſi præſens fuerit, &*
,, *intereſſe voluerit, & duo Fratres Prædicatores, & duo Minores ad boc*
,, *n ſuis Prioribus & Miniſtris, ſi conventus ibi fuerint eorumdem Ordi-*
,, *num, deputati, duxerint eligendos. Secundum, quod idem Poteſtas,*
,, *ſeu Rector in deſtructione domorum, condemnationibus faciendis, & in*
,, *rebus inventis, vel occupatis conſignandis, & dividendis, infra decem*
,, *dies poſtquam accuſatio, ſeu denunciatio ſuper bæreſi, vel bæreticorum*
,, *favore facta fuerit, exequatur omnia cum effectu. Tertium vero; quod*
,, *prædictus Poteſtas, ſive Rector, infra decem dies ſui regiminis, ſyndicet*
,, *præcedentem proximo Poteſtatem, vel Rectorem, & ejus etiam Aſſeſſores*
,, *per tres viros catbolicos & fideles, electos ad boc per Diœceſanum, ſi*
,, *præſens extiterit, & per Fratres Prædicatores, & Minores, de omnibus*
,, *bis, quæ ſtatutis ſeu conſtitutionibus, & legibus contra bæreticos, &*
,, *eorum complices continentur, & eos puniat de omnibus & ſingulis,*
,, *quæ omiſerunt, & compellat reſtituere de propria facultate. Cum igi-*
,, *tur, ſicut accepimus, ſupradicta tria, infra præmiſſos terminos propter*
,, *ipſorum terminorum nimiam brevitatem, nequeant n Poteſtatibus, vel*
,, *Rectoribus de fncili adimpleri; propter quod iidem Poteſtates, ſeu Re-*
,, *ctores, in animarum ſuarum periculum perjurii retiaculo ſæpius invol-*
,, *vuntur: Nos de veſtræ fidei puritate, ac circumſpectionis induſtria, ple-*
,, *nam in Domino fidnciam obtinentes, prorogandi eiſdem Poteſtatibus ſeu*
,, *Rectoribus ſupradictos terminos, uſque ad decem dies, prout expedire*
,, *vel neceſſe fore videritis ad præmiſſa efficaciter exercenda, ita quod per*
,, *prorogationem bujuſmodi nec perjurii reatum, nec notnm incurrant,*
,, *plenam vobis, & ſingulis veſtrum, ubi commode ad boc convenire nequi-*
,, *veritis, concedimus auctoritnte præſentium fncultatem. Nulli ergo om-*
,, *nino bominum liceat banc paginnm noſtræ conceſſionis infringere, vel ei*
,, *nuſu temerario contraire. Si quis nutem boc nttentare præſumſerit, in-*
,, *dignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum*
,, *ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Lateruni II. Idus Martii, Ponti-*
,, *ficntus noſtri anno II.*

Dilectis filiis Fratribus Prædicatoribus, Iuquiſitoribus bæreticæ pravi-
tatis, in Lombardia, & Marchia Januenſi, ſalutem
& Apoſtolicnm benedictionem.

,, F*Elicis recordationis Innocentius Papa prædeceſſor noſter dudum con-*
,, *ſtitutiones quaſdam edidit, ſecundum quas rigor debet exerceri ca-*
,, *nonicus, in extirpandis ex agro fidelium zizaniis bæreticæ pravitatis,*
,, *quarum aliquæ videntur nmbiguæ, ſuper quibus noſtræ reſponſionis ora-*
,, *culum implornſtis. Ne igitur ipſarum conſtitutionum obſcuritns commiſ-*
,, *ſæ vobis ſollicitudini, pernicioſas vineæ Domini pie perſequendi, capien-*
,, *dique vulpeculas obſtaculum objiciat tarditatis; quinque ipſarum conſti-*
tutio-

Digitized by Google

„ *tutionum capitula, quæ vobis dubia videbantur, auctoritate præſentium*
„ *de Fratrum noſtrorum conſilio, duximus declaranda. Primum ſane du-*
„ *bitationis veſtræ capitulum continet, quod tam duodecim viri, quam*
„ *notarii, & ſervitores eorumdem, ad capiendum hæreticos depatati, ſimul*
„ *& diviſim plenariam præcipiendi ſub pœna & banno, quæ ad officium*
„ *ſuum pertinent, habeant poteſtatem. Poteſtas vero talis loci vel Rector,*
„ *teneatur habere firma, & rata omnia præcepta, quæ occaſione officii ſui*
„ *fecerint duo ex ipſis officialibus ſive plures, & pœnas exigere non ſervan-*
„ *tium. Hoc itaque, quod de pœna, & banno dictum eſt, de illis dumtaxat*
„ *pœnis interpretamur intelligi, quæ conſequenter in eiſdem conſtitutio-*
„ *nibus ſunt expreſſæ. Poſſunt autem prædicti officiales, communitati,*
„ *burgo, & villæ præcipere ſub pœna & banno, uſque ad ducentas mar-*
„ *chas argenti, & ultra ad arbitrium Poteſtatis loci ejuſdem, quod Pote-*
„ *ſtati, vel Diœceſano, aut ejus Vicario, ſeu Inquiſitoribus hæreticorum,*
„ *præſentabunt infra præfigendum eis terminum competentem, omnes hæ-*
„ *reticos, quos ſibi dicti officiales duxerint aſſignandos, & Poteſtas loci non*
„ *ſervantibus, pœnam hujuſmodi exigere teneatur. Secundum vero eſt,*
„ *quod domus, in qua prohibiti fuerint hæreticorum captores, ſine ſpe reæ-*
„ *dificandi funditus deſtruatur, & bona quæ ibi reperta fuerint, fiant*
„ *capientium, ac ſi hæretici fuiſſent ibidem inventi. Quodque habet, quod*
„ *domus in qua repertus fuerit aliquis hæreticus, ſeu hæretica, ſine ulla*
„ *ſpe reædificandi funditus deſtruatur, niſi dominus domus ibidem procu-*
„ *raverit reperiri; & ſi dominus domus illius alias domos habuerit conti-*
„ *guas illi domui, omnes illæ domus ſimiliter deſtruantur, & bona quæ*
„ *fuerint inventa in domo illa, & in domibus illis adhærentibus, publi-*
„ *centur, & fiant auferentium, niſi auferentes fueriut in officio conſtituti.*
„ *Hæc autem duo capitula uno declarationis Sedis Apoſtolicæ radio lucidan-*
„ *tes, volumus abſolute, ut pœnæ taxatæ per conſtitutiones eaſdem in præ-*
„ *miſſis caſibus infligantur, niſi Diœceſanis, vel in eorum abſentia Vicariis*
„ *ipſorum, una cum Inquiſitoribus, vel ſolis ipſis Diœceſanis (cum ipſorum*
„ *Inquiſitorum præſentia de facili haberi non poterit) legitime conſtiterit*
„ *præfatarum domorum dominos in his caſibus penitus innocentes, & pror-*
„ *ſus inculpabiles extitiſſe: ac etiam eos non eſſe credentes, vel receptato-*
„ *res, aut defenſores, ſive fautores hæreticorum, ſeu de hæretica labe ſu-*
„ *ſpectos. Bona vero, quæ inventa fuerint in domibus ſupradictis, debent*
„ *in his caſibus ſimiliter publicari, niſi legitime conſtiterit, per teſtes fide*
„ *dignos, & omni exceptione majores, ipſa bona eſſe aliarum perſonarum,*
„ *quam dominorum domorum earumdem. Quartum vero veſtræ dubitationis*
„ *capitulum enodamus, quod videlicet, ſi dominus domus, pro eo quod in*
„ *ipſa repertus fuerit hæreticus vel hæretica, ſine ſpe reædificationis fun-*
„ *ditus deſtruendæ, habeat alias domos illi domui demoliendæ contiguas,*
„ *omnes illæ ſimiliter deſtruantur: illud de appendiciis domus illius debere*
„ *intelligi declaramus, ut ſcilicet domus illa cum aliis ejuſdem, domui ipſi*
„ *contiguis, hoc eſt ipſa, & ipſius etiam appendicia, cum eadem ſive in do-*
„ *mo, ſive in appendiciis ejus, hæreticus vel hæretica repertus fuerit, de-*
„ *ſtruantur: cum domus quamvis diverſis manſionibus diſtinguatur, una*
„ *nihilominus ſit cenſenda. In quinto autem dubitationis capitulo legitur;*
„ *quod teneatur Poteſtas, ſeu Rector, infra decem dies ſui regiminis ſyn-*
„ *dicare præcedentem proximo Poteſtatem, vel Rectorem, & ejus etiam*
„ *aſſeſſores per tres viros catholicos & fideles electos ad hoc per Diœceſa-*
„ *num, & per Fratres Prædicatores & Minores, de omnibus his, quæ in*

,, *ſtatutis ipſis, ſive conſtitutionibus, & legibus contra hæreticos, & eorum*
,, *complices editis continentur. Hunc itaque dubitationis articulum declarantes, reſpondemus, quod una cum Diœceſano loci, Fratres prædictorum*
,, *Ordinum, a Priore & Guardiano ſuis, vel ab eorum altero, ſi ibidem*
,, *alterius dumtaxat eorumdem Ordinum conventus extiterit, aſſumendi,*
,, *viros eligant ſupradictos. Si vero neutrius Ordinis conventus ibi forſitan*
,, *habetur, ad ſolum Diœceſanum eorumdem virorum electio pertinebit.*
,, *Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus*
,, *eadem capitula conſtitutionum prædictarum accipientes, juxta declarationis Apoſtolicæ intellectum, tenorem præſentium, ſimul cum eiſdem*
,, *conſtitutionibus, faciatis de verbo ad verbum in capitularibus civitatum,*
,, *ad tollendas de aliorum cordibus ambiguitates hujuſmodi, annotari.*
,, *Datum Lateran.* XI. *Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno* III.

Quædam ſtatuit Pontifex contra contumaces Pariſienſes.

II. Perſiſtentibus etiam hoc anno in ſua contumacia Pariſienſibus, neque Pontificia obſervare volentibus ſtatuta, ſcripſit Alexander ad Cancellarium Pariſienſem, ne ulli ex his contumacibus licentiam faceret in ulla facultate regendi, niſi prius juraret ordinationem Apoſtolicam obſervare. Deinde Turonenſi & Rothomagenſi Archiepiſcopis ſcripſit gravamina, Prædicatoribus & Minoribus illata, quos vult ab invaſoribus defendi. Duo hæc diplomata damus in regeſto. Novas deinde addit vires primæ ſuæ illi graviori ordinationi, annullans quidquid in contrarium eſt conventum, aut pactum, excuſationes, & appellationes declarans ineptas & frivolas; adjiciens, quod ſcholares religioſi quicumque de licentia ſuorum Prælatorum poſſunt libere prædicationes, lectiones, & diſputationes audire ubicumque Pariſiis voluerint: jubens item ut Magiſtri Prædicatorum, & Minorum, qui pro tempore erunt, & ſcholares ipſorum in ſocietatem, conſortium, & collegium Magiſtrorum, & ſcholarium recipiantur.

ALEXANDER PP. IV.

Ad perpetuam rei memoriam:

Reg. Vatic. Ep. 318.

III. *Circa frequens quotidianæ ſollicitudinis miniſterium occupati ſupra vires noſtras aſſiduis ingruentium undique diſceptationum incurſibus fatigamur, quæ nos inevitabili neceſſitate conſtringunt emergentibus litigiorum morbis varia remedia providere. Sed interdum pacem credimur dediſſe negotiis, & eadem majori ſtrepitu recidivant; dumque offenſionis lapides, quibus viæ vitæ hujus inhorret aſperitas, ut rationalium affectuum pietas liberius procurrat in Deum, ſalutaribus ſtudiis removemus, hominis inimici malignitas petras aliquando ſcandali ſuperjacit gravioris. Sic utique fit, quod operoſior cura plerumque nobis imminet circa plurima, quæ ſalubri ſatagimus curaſſe medela, & propenſior nos labor repetit poſt labores, quibus aliam aliis ſtuduimus præparare requiem. Dudum ſane cum ſuper quibuſdam articulis ſtatum Pariſien. ſtudii contingentibus controverſia emerſiſſet, nos qui ejuſdem ſtudii incrementa zelamur, ne viri ſcholaſtici ſummotis altercationibus, quæ profectum diſciplinæ præpediunt, in pacis otio pacificis ſanæ doctrinæ occupationibus imminerent, per ordinationem quamdam, quæ* Quaſi lignum vitæ *incipit, ſuborta diſſidentium jurgia duximus de Fratrum noſtrorum conſilio dirimenda. Verum Magiſtri, atque ſcho-*

ſcholares Pariſien. ordinationem eamdem, qua in plana curavimus aſpera commutare, ad turbationis materiam aſſumentes, adverſus dilectos filios Fratres Ordinis Prædicatorum maxime in ſcandala ſurrexerunt; eidem ordinationi, erecto inobedientiæ vertice, reſiſtendo, nec conſiderando prudenter, ordinationi temere obviari divinæ, dum Apoſtolicæ contradicitur poteſtati: Ad quod eos credimus non tam voto communi, quam particulari quorumdam Rom. 13. 2.
ſeductione commotos, cum vix ad contumaciam pari conſenſu multitudo prorumpat, niſi forſitan incitetur a paucis, qui ſi poſſint peccare cum plurimis, impunitatem ſibi ſuorum exceſſuum, quos per hoc potius exaggerant, repromittunt. Cum autem iidem Fratres Magiſtrorum atque ſcholarium infeſtationibus laceſſiti, & inſecutionibus fatigati, compoſitionem quamdam cum ipſis in derogationem ordinationis Apoſtolicæ ſubiiſſent: nos compoſitionem hujuſmodi, quæ Fratres ipſos excludebat a ſcholis Magiſtrorum ſecularium, reprobantes, ordinationem ipſam, in cujus contemptu noſtra vilipendebatur auctoritas, mandavimus inviolabiliter obſervari, coercendo pœna debita transgreſſores. Ipſi vero Magiſtri & ſcholares, cum præſumptioni peccatum, peccato contemptum, & contemptui pertinaciam adjeciſſent, tamdem Nuncios, & procuratores ad Sedem Apoſtolicam deſtinarunt, per quos ad excuſandas excuſationes ſuas coram nobis, & Fratribus noſtris, inter cetera proponere curarunt, quod cum ipſi de conſortio Univerſitatis Magiſtrorum, & ſcholarium Pariſien., a quo omnino receſſerant, eis renunciando privilegiis, & actum poſtmodum dimittendo legendi, non debeant reputari ordinationem prædictam, quæ in Univerſitatem ipſam promulgata extitit, obſervare, vel Magiſtros aut ſcholares prædictorum Fratrum ad Magiſtrorum conſortium, vel ejuſdem Univerſitatis Collegium, de quo jam eſſe deſierant, admittere nullatenus tenebantur; præter id quod ad ſocietatem nemo eſt cogendus invitus. Et ipſi Fratres duobus non debent, Univerſitatis videlicet ſcholarium, & Conventus Prædicatorum Collegiis contineri. Addentes quod ipſorum diſpar profeſſio eos eidem Univerſitati reddit incongruos, & ad ſuſtinenda ipſius onera, cujus gauderent commodis, efficit paupertatis conditio impotentes. Propter quæ, necnon & alia quædam a præfatæ ordinationis, aliorumque mandatorum noſtrorum eamdem ordinationem contingentium, executoribus, ne contra ipſos procederent, fuerat pro parte ipſorum Magiſtrorum & ſcholarium ad Sedem Apoſtolicam multoties appellatum. Proponebant quoque in mandatis Apoſtolicis, quæ contra eos emanarant, ſe gravatos injuſte; per quæ ipſos puniri graviter conſtat, qui culpabiles non exiſtunt; & prædictam compoſitionem, quam partes acceptaverant, irritare; ad ultimum ſuper his provideri ſibi per Sedem Apoſtolicam poſtulantes. Sed fortius allegabat e contra rebelles eorumdem Magiſtrorum & ſcholarium contumacia, & pertinacia divulgata, quæ non ſolum in nobis, ſed etiam in felicis recordationis Innocentio Papa prædeceſſore noſtro auctoritatem Sedis Apoſtolicæ contempſerunt; directis ſibi pro memorati Ordinis Fratribus in pagina ſacra docentibus, eorumque ſcholaribus ad ſuæ Univerſitatis conſortium admittendis, ipſius prædeceſſoris, & noſtris juſſionibus reſiſtendo. Aggravat autem culpam eorum exempli contagium, quo fideles tam Principes, quam populi facile poſſent in debita Deo, ejuſque Vicario obedientia, & devotione corrumpi, ſi qua ex diſſimulationis noſtræ patientia illorum inobedientiæ proveniret auctoritas, quibus fidem præbet in plebe fideli ſcientia fidei, quæ eminere creditur per doctrinæ ſtudium & exercitium diſciplinæ. Inſurgit quoque adverſus eorum duritiam arguendam non ſolum noſtræ ordinationis, quam calumniari conantur, æquitas manifeſta,

com-

communis utilitatis compendium omnibus afferens, & privatæ jacturæ diſpendium cuiquam non importans. Verum etiam juramentum, quo ſe contra ejuſdem ordinationis tenorem, ne Fratres ipſos reciperent, donec utrum ſint in Magiſtrorum & ſcholarium conſortium receptibiles? definitum fuerit, temere aſtrinxerunt. Cum autem iidem Fratres receptabilitatis hujus aptitudinem habeant, ipſius ordinationis auctoritas ambiguum non relinquat. De compoſitione ſane prædicta eis patrocinium adeſſe non debet, cum fuerit ex quadam impreſſionis improbitate præſumpta. Nec poſſunt ob revocationem ipſius, aut de mandatorum noſtrorum animadverſione iſtam formare querelam, cum in derogationem ordinationis noſtræ, ac impedimentum Theologicæ facultatis eadem compoſitio attentata fuiſſet, & per conſequens in periculum fidei orthodoxæ, quæ ſicut proficiente ſacræ paginæ ſtudio, incrementum recipit & vigorem; ſic deficiente perniciosum incurreret detrimentum. Cum etiam mandata prædicta ſub ea moderationis forma præceſſerint, ut obtemperantes eiſdem contenta in illis animadverſionis ſeveritas non feriret, apparet, per ea non obedientium innocentiam, vel prætenſæ rebellionis culpas percuti; ſed inſolentes contumacium auſus juſtiſſime cohiberi. Porro per hoc quod præfati Magiſtri & ſcholares ab Univerſitate Pariſien. ſtudii receſſiſſe, ipſiuſque privilegiis renunciaſſe dicuntur, excuſationis ſuæ intentio non juvatur; cum conſtet, eos in eluſionem mandati Apoſtolici, quando jam de ipſa ordinatione ſervanda notitia eorum attigerat, id feciſſe: Ipſi etiam nihilominus Pariſius remanentes, ſtudii ſcholaſtici occupationibus incumbebant; licet ad tempus actum legendi aſtutæ cogitationis conſilio poſtmodum dimiſiſſent. Unde ad removendum pallium, quod ſibi ex hujus receſſione, ac renunciatione prætendunt, abnegantes verbis, quod operibus profitentur; omnes Magiſtros & ſcholares, qui Pariſius doctrinæ vel diſciplinæ ſtudiis ſe ſic exercent, intelligimus, & intelligi volumus ejuſdem Univerſitatis conſortio, ſive illam profiteantur, ſive abnegent, contineri. Nos igitur omnibus, quæ ſuper præmiſſis, coram nobis fuere propoſita, plenius intellectis, excuſationes, & allegationes præmiſſas, ac appellationes quaſcumque Magiſtrorum & ſcholarium prædictorum, tamquam eluſorias, ineptas & frivolas, de Fratrum noſtrorum conſilio repellentes: ſententialiter decernimus ordinationem ſæpedictam, & omnia, quæ continentur in ipſa compoſitione; & aliis in contrarium allegatis, nequaquam obſtantibus, ab omnibus Magiſtris, & ſcholaribus Pariſius exiſtentibus, ceſſante contradictione qualibet, integre, & inviolabiliter obſervari, & Apoſtolica ſcripta, quæ ſuper ipſius ordinationis executione, vel obſervatione proceſſiſſe noſcuntur, habere ſui roboris firmitatem. Inſuper adjiciendo ſtatuimus, ut ſcholares omnes, tam religioſi de Prælatorum ſuorum licentia Pariſius gratia ſtudendi quomodolibet commorantes, quam etiam ſeculares ubicumque voluerint lectionibus, & prædicationibus audiendis, ſive quæſtionibus diſputandis, libere valeant intereſſe; utque tam Prædicatorum, quam Minorum Ordinum Fratres, & Religioſi alii, qui pro tempore Pariſius Doctores fuerint in Theologica facultate, ac ſcholares ipſorum in ſocietatem, conſortium, & collegium aliorum Magiſtrorum, & ſcholarium Pariſienſium recipiantur plenarie, ſemperque in eis efficaciter habeantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſententiæ, ac conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani IV. *Idus Maii, Pontificatus noſtri anno* III.

Digitized by Google

IV. Cum vero per vulgus ſpargeretur, Prædicatores gentem eſſe inquietam, quæ in tantum diſcrimen Univerſitatem induxerit Pariſienſem, pacem turbaverit, totque excitarit tumultus; neceſſarium duxit Pontifex teſtimonium perhibere veritati, atque horum omnibus prædicare innocentiam, quod & fecit datis his litteris ad Eccleſiarum Prælatos, in quibus miras, ſed dignas congerit laudes Prædicatorum. Id ut faceret, rei ſtatus exigebat, *tunc etenim amara & exercenda* (ut ſcribit Cantipratanus) *contra Fratres Prædicatores primo, & poſtea contra Fratres Minores ſimul, per univerſalem Eccleſiam diſcordia ſuſcitata eſt: quia cordibus non tantum clericorum ſecularium & laicorum: verumetiam omnibus quorumcumque Religioſorum, tam dirum ſcandalum eſt impreſſum, ut nullis rationibus, nullis auctoritatibus Sanctorum, flecti poſſent, donec per Dominum Papam, & totam Curiam Romanam judiciaria ſententia flecterentur.*

Pontif. innocentiam deprædicat Prædicatorum.

Cantip. cit. n. 28.

Venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, & Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Prælatis &c.

Cœleſtis ille Agricola, ſummus actor fidei, præcipuuſque, ac protector, ſacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem, quaſi lignum fertile inſeruit in Eccleſiæ paradiſo, ut delectaret amœnitate, ubertate ſatiaret, fructuum ſuavitate mulceret; hoc itaque ſpecioſum, fœcundum, & dulce lignum, imbre ſuperno rigatum, pulchra plurima & dulcia poma profert, quorum odore ac ſapore confortantur, & convaleſcunt debiles, variiſque detenti languoribus liberantur: In hoc utique vitæ ligno mortales carnis infirmitatibus prægravati pabulum ſalutis inveniunt, & internam recipiunt ſoſpitatem: hujus, inquam, ligni percepta fragantia concurrerunt undique ad libamen ipſius innumeri profeſſores fidei, & concurrunt, qui perfruentes aſſidue illo, & ſalutaribus ejus convaleſcentes fructibus, de ipſorum prægustata dulcedine miniſtrant & ipſi aliis ſuavia libamenta ſalutis. Hi ſunt viri probati, & plene in lege Domini eruditi, Fratres videlicet dicti Ordinis, efficaces quidem in opere, ac in prædicatione potentes, quorum labia gratia cœleſtis edocuit ad propinandum ſalubrem doctrinam aliis, & exponendum commodum animarum. Unde ubique per mundum ipſorum ora intonant, velut tubæ, ac in omnem terram exivit ſonus prædicationis eorum, & uſque ad fines orbis ſua ſalutifera verba ſonant. Hi ſunt viri præclari, conſpicua religione fulgentes, qui tamquam lucentia ſydera in Eccleſiæ firmamento ſuis ſplendidis documentis inſinuant mortalibus viam vitæ. Hi ſunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui ſua ſacra converſatione ſuaviter redolentes, hortantur per hoc alios & inducunt, excuſſa prorſus inertia ſurgere, ac properare ad opera bonitatis. Pro his ergo ab univerſis Eccleſiarum Prælatis, cunctiſque Chriſti fidelibus diligendi ſunt præcipua caritate; ac tamquam venerabiles Dei miniſtri, & populo ſuo neceſſarii, honorandi condigne, & favoribus ſpecialibus muniendi. Sane quia linguæ malliloquæ detractorum conſueverunt falſa confingere, ac illa pudicis etiam auribus inſtillare per oblocutionem aliquorum ex livore latrantium, quod per Fratrum ipſorum culpam diſcordia inter eos, & Magiſtros, ac ſcholares Pariſien. emerſerit; ne tamen hoc bonæ, ac nitidæ Fratrum eorumdem famæ valeat derogare, ſcire vos volumus, quod cum ſuper hujuſmodi diſcordia coram nobis, & Fratribus noſtris diligens habita fuerit diſcuſſio, ipſos nequa-

Laus Ordinis Prædicatorii.

Pſal. 18. n. 5.

Apoc. 5. 8.

In hac lite innocentes.

nequaquam culpabiles invenimus in hac parte, ſed potius innocentes: Ideoque Univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus dictos Fratres Prædicatores habentes de his penitus excuſatos, & eorum in his innocentiam veſtris ſubditis exponentes, ipſos ad reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram tamquam ſpeciales, & amabiles Eccleſiæ Romanæ filios, ac ſalutis animarum fervidos zelatores, cum omnium caritate ac benignitate tractetis, & optimis conſiliis, & ſubſidiis foveatis; ita quod affectum, quem ad nos, & ad eamdem habetis Eccleſiam, ex hoc plenius agnoſcentes, reddamur exinde ad veſtra, & Eccleſiarum veſtrarum commoda promptiores. Datum Viterbii x. *Kalend. Junii Pontificatus noſtri anno* III.

V. Renitentibus adhuc Pariſienſibus præceptis Apoſtolicis, voluit Pontifex tantam infringere contumaciam, ſcribens efficaciter Epiſcopo Pariſienſi, ut procederet etiam invocato brachii ſecularis auxilio, contra rebelles. Incipiunt litteræ *Cum adverſus proviſionis noſtræ* II. Idus Julii. Et Regem Ludovicum per alteram rogavit Epiſtolam, ut Epiſcopo ita facienti ſua velit adeſſe protectione. *Bona meritoria*. II. Kalend. Auguſti. Deinde Guillelmo de ſancto Amore ex Curia in terram ſuam redeunti, ut habent Chronica Normanniæ, interdixit ingreſſum in Franciæ Regnum, aliaſque pœnas addidit, miſſo hujus tenoris præcepto.

Chro. Nor. anno 1245.

ALEXANDER &c.

Guillelmo de ſancto Amore in bonum dirigere greſſus ſuos.

Gravis ſententia in Guillelm. de ſancto Amore.

CUm propter multiplices culpas & grandes offenſas, quas temerarie commiſiſti, & ſpecialiter propter libellum pernicioſum & deteſtabilem a te compoſitum; & per nos olim de Fratrum noſtrorum conſilio reprobatum, & in perpetuum condemnatum, merueris graves pœnas; volumus, & per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus in virtute obedientiæ ſub debito juramenti præſtiti de ſtando præciſe mandatis noſtris, necnon & ſub excommunicationis, ac privationis perpetuæ ab officio & beneficiis, pœnis, quas eo ipſo te incurrere volumus, ſi contra hujuſmodi præceptum venire tentaveris, ſalvis aliis mandatis tibi faciendis a nobis, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus nullo unquam tempore Regnum Franciæ abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia intrare præſumas. Et nihilominus omnem docendi ac prædicandi auctoritate Apoſtolica perpetuo interdicimus facultatem. Ita quod nec docere alicubi, nec unquam alicui clero, vel populo ſine ipſius Sedis permiſſione, de cetero audeas prædicare. Datum Viterbii v. *Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno* III.

VI. Ejuſdem formæ litteris inſinuavit Regi hoc edictum, commemorans ipſum hoc ejus eſſe conſilium, & Epiſcopo Pariſienſi addens, quod ſi ulterior id exigeret protervia, gravius contra eum procederetur. Incipit utraque epiſtola: *Cum propter multiplices culpas*. Deinde ad inſtantiam Fratrum Prædicatorum commiſit auctoritatem abſolvendi reſipiſcentes Epiſcopo Pariſienſi. *Dilecti filii* v. Kalendas Octobris. Chriſtianum vero Canonicum Beluacenſem, & Odonem Duacenſem jubet in priſtinum ſtatum reſtitui, modo ſteterint promiſſis, quæ ſupra nar-

narravimus: ſin aliter publice perjuros denunciari jubet ab Epiſcopo Pariſienſi, fulminataſque ſententias ferri in eoſdem. *Cum olim apud ſedem.*

VII. In ſua pertinacia Guillelmum male obiiſſe ſcribit Marianus, atque inter hæreticos reponunt, qui de eis ſcribunt Prateolus, Caſtro, Sanderus cum aliis, pluresque ejus referunt errores. *Chriſtianus vero Beluacenſis* (inquit Cantipratanus) *infirmatus & amariſſimo corde contritus, recognovit nil ſe, & complices ſuos contra dictos ordines habuiſſe, niſi quod illis æquari ſcientia non valerent; & ob hoc eos parvipenderent auditores. Et addidit: quoniam, ait, nihil habeo, quod vobis pro injuria gravi illata refundam, in ſignum tamen quod ex corde pœniteo, corpus meum apud vos Fratres Prædicatores tradendum ſepulturæ relinquo. Similiter & Magiſter Laurentius Anglicus, poſt graviſſimam Fratrum perſecutionem, datis librorum ſuorum copiis Fratribus Prædicatoribus, Pariſiis mortuus, apud eos mire pœnitens, delatus eſt & ſepultus.*

Ann. 1255. Marian. cap. 22. Prateol. de heretic. Caſtro verbo paupertas. Sander. in Moran. Cantipr. cit. nu. 27.

Male moritur Guillelm. Alios ex Magiſtris pœnitet facti.

VIII. Non defuerunt ſub illo tempore, qui præter Bonaventuram, & Bertrandum Bajonenſem ſupra nominatos, Religionem Minorum illuſtrarent viri præſtantiſſimi, quantumvis illam adverſarii obſcurare volebant. Alexander de Villa Dei, patria Dolenſis, vir undecumque, ut ait Trithemius, exercitatus, Grammaticus, Philoſophus, Aſtronomus, & calculator inſignis. Scripſit tam metro, quam proſa non pauca Opuſcula. Guibertus de Tornaco, in ſtudio Pariſienſi tanti nominis vir, ut bis eum Alexander Pontifex ſuis litteris excitarit ad ſcribendum. Vincentius Coventrianus, (quem perperam Lelandus Carmelitam facit) primus ex Minoritis ſacras litteras in Academia Cantabrigienſi profeſſus, quem Joannes Weſtonus, & Guillelmus Pictavienſis in eadem ſequuti ſunt functione. Joannes Cantianus Anglus, ex Canonico Andegavenſi factus Minorita, uti ex Thoma Eccleſtono ſcribit Pitſeus. Hic ille eſt, quem alias diximus ab Innocentio IV. miſſum in Angliam Legatum. Guillelmus de Militona, qui ſummam Theologicam Alexandri Alenſis, ob auctoris mortem imperfectam, abſolvit, ita hortante Alexandro Pontifice, & ſcribente anno 1. ſui Pontificatus ad Franciæ Miniſtrum, ut huic doctiſſimo viro adjudicaret alios, qui in tanto opere ei adlaborarent. Ut perfecit opus a ſeptuaginta duobus Magiſtris Pariſienſibus commendatum, & ſigillis appoſitis comprobatum, Pontifex etiam ſuo diplomate confirmavit. Virum hunc ſe vidiſſe teſtatur Cantipratanus, & eminentis vitæ hominem vocat, de quo hæc ſubjungit: *Magiſter Theologiæ Pariſiis ſanctiſſimam, & devotiſſimam vitam duxit. Hic cum die quadam Pariſius prædicaret, per horam obmutuit, & verbum vitæ reſumens, omnibus cum vultu ſereniſſimo valedixit, & ſic in pace quievit.* Præter hunc alium ſe vidiſſe ſanctum Minoritam idem Auctor teſtatur, Conradum ſcilicet Miniſtrum Teutoniæ: *Qui mira*, inquit, *gratia præditus fuit, & Sanctorum ferventiſſimus venerator in multis enituit.* Præclara hi omnes reliquerunt poſteris ſuæ eruditionis monumenta, quæ in peculiari ſcriptorum dabimus, Deo auxiliante, libello.

Ann. 1256. n. 31.

Florēt docti Minoritæ.

Trith. in ſcriptorib.

Alexan. de Villa Dei.

Guiber. de Tornaco.

Vincentius Coventrian.

Harpsfeeld. ſeculo 13. cap. 36. Pitſ. ad annum 1251.

Joannes Cantianus.

Pitſ. ad annum 1248. Ann. 1254.

Guillelm. de Militona.

Abſolvit ſummam Alexandri Alenſis.

Cantipr. cit. c. 1. n. 16.

Obit ſanctiſſime

Ibid. n. 18.

IX. Hoc anno evenit, quod alias breviter attigimus, de diruto a Florentino milite Caſtro Podii Bonitii, ſeu Imperiali, & ſublato corpore beatæ Bonæ uxoris beati Lucheſii. Nam cum Florentini eriperent Senenſibus, uti ſcribit Villanus, illorum temporum ferme æqualis, prædictum caſtrum anno MCCLIV. caſtrenſes vero in fide ſervanda nutarent, pluresque Gibellinis & Senenſibus Imperatoriæ factionis faverent,

Tom. 3. An. 1248. n. 14.

Transfertur in Germaniam corpus B. Bonæ.

Villanus lib. 6. cap. 58. & 65.

repentino ictu irruentes Florentini cuncta dilapidarunt. Aſportatum in hoc tumultu per quoſdam Germanos in Alemanniam corpus prædictæ Bonæ creberrimis miraculis tunc famoſæ, remanente ſolo brachio apud Minoritas.

Bonaventura invigilat ſui Ordinis regimini.

X. Bonaventura, proſtratis Religionis hoſtibus, ad eamdem gubernandam, & probe excolendam, non tantum ad priſtinum ſtatum reſtituendo, ſed in omnes recte ac religioſe agendi partes optimis regulis conformando, totum animum appoſuit. Experientia itaque jam compertis Ordinis jacturis, cauſiſque detectis, ſequentem dedit ad univerſos Ordinis Prælatos epiſtolam, quam etſi antiquorum noſtrorum monumentorum habeant codices, & circumferatur inter Viri ſancti Opuſcula, ſolus tamen Petrus Galeſinus locum & tempus ſcriptionis notavit.

Galeſ. in vita S. Bonaven. cap. 9.

In Chriſto ſibi cariſſimis Miniſtris, Provincialibus, & Cuſtodibus univerſis: Fr. Bonaventura Ordinis eorumdem Generalis Miniſter & ſervus: ſalutem & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum.

Jubet tolli quoſdam defectus.

Licet inſufficientiam meam ad ferendum onus impoſitum, cognoſcerem manifeſte propter debilitatem corporis, imperfectionem mentis, inexperientiam actionis, & repugnantiam voluntatis: quia tamen durum eſt contra ſtimulum calcitrare, tantæ & Congregationis, & ſummi Pontificis, ac per hoc, & Altiſſimi Dei voluntati pertinaciter reſiſtendo: ſarcinæ gravi, & quaſi importabili humeros ſuppoſui imbecilles, ſperans de adjutorio virtutis Omnipotentis, & confidens de adminiculo veſtræ ſollicitudinis in idipſum. Nam etſi ſit impoſſibile homini quantumcumque forti, induſtrio, & experto totam tanti oneris ſarcinam ſuis humeris bajulare: ſi tamen diviſa in partes, & humeris impoſita diverſorum, viriliter a quolibet comportetur; non eſt quantumcumque debili capiti horrore quodam rei inſolitæ deſperandum. Quoniam igitur de veſtra præſumo induſtria, ſollicitudine, & zeli vivacitate: quod prompti ſitis ad extirpanda mala, promovenda bona, fovenda debilia; & fortia conſervanda: videns me ſpeculatorem datam domui Iſrael: ne ſanguis animarum de manibus meis requiratur: cogitovi quædam vobis breviter ſcribere: quæ verbotenus ſi in Capitulo Generali fuiſſem, libentius enodaſſem. Nunc autem quia pericula temporum urgent & læſiones conſcientiarum, necnon & ſcandala mundanorum, quibus cum Ordo deberet eſſe ſanctitatis totius ſpeculum: in diverſis orbis partibus in tædium vertitur, & contemptum: quæ mihi de conſilio diſcretorum viſa ſunt corrigenda, nec penitus tacens, nec omnino exprimens, nec nova ſtatuens, nec vincula ſuperinducens, nec onera gravia alligans aliis & imponens: ſed tamquam annunciator veritatis aliqua breviter explico, videns illa nullatenus reticenda. Sane perquirenti mihi cauſas, cur ſplendor noſtri Ordinis quodammodo obſcuratur; Ordo exterius inficitur, & nitor conſcientiarum interius defædatur; occurrit negotiorum multiplicitas, quia pecunia, noſtri Ordinis paupertati ſuper omnia inimica, avide petitur, & incaute recipitur, & incautius contrectatur. Occurrit quorumdam Fratrum otioſitas, quæ ſentina eſt omnium vitiorum: qua plurimi ſopiti, monſtruoſum quemdam ſtatum inter contemplativam, & activam eligentes: non tam carnaliter, quam crudeliter ſanguinem comedunt animarum. Occurrit evagatio plurimorum, qui propter ſolatium ſuorum corporum, gravando eos per quos tranſeunt: non exempla poſt ſe relinquunt vitæ; ſed ſcandala potius animarum.

Ezech. 3. 17. Ibid. 33. 6.

Fugienda pecunia.

Fuganda otioſitas.

Item evagatio.

rum. Occurrit importuna petitio, qua omnes tranſeuntes per terras adeo abhorrent Fratrum occurſum, ut eis timeant, quaſi prædonibus obviare. Occurrit ædificiorum conſtructio ſumptuoſa, & curioſa, quæ Fratram pacem inquietat, amicos gravat, & hominum perverſis judiciis multipliciter nos exponit. Occurrit multiplicatio familiaritatum, quam Regnla noſtra prohibet, ex qua ſuſpiciones, infamationes, & ſcandala plurima oriuntar. Occurrit improvida commiſſio officiorum, qua Fratribns nondum uſquequaque probatis, nec carne maceratis, nec ſpiritu roboratis imponuntur officia vix portanda. Occurrit etiam ſepulturarum, & teſtamentorum avida quædam invaſio, non ſine magna turbatione Cleri, & maxime ſacerdotum parochialium. Occurrit mntatio locorum frequens, & ſnmptuoſa, cum quadam violentia, & perturbatione terrarum, cum nota inconſtantiæ, non ſine præjudicio paupertatis. Occurrit tamdem ſumptuoſitas expenſarum. Nam enm Fratres paucis nolint eſſe contenti, & caritas hominnm refrigerit: facti ſumus omnibus oneroſi magiſque ſiemus in poſternm; niſi remedium celeriter apponatur. Licet autem plurimi reperiantur, qui non ſunt cnipabiles in aliquo prædictorum: tamen omnes involvit hæc maledictio, niſi a non facientibus, iis qui faciunt reſiſtatnr; cum luce clarius omnia ſupradicta in maximum, & nullo modo diſſimulandum vergant noſtri Ordinis detrimentum: licet tepidis & indevotis, & ſecundum carnem ſapientibus, & conſiderantibus conſuetudinem, & allegantibus multitudinem, quaſi facilia, & excaſabilia, etiam & irremediabilia videantur. Excitetnr ergo cordis noſtri devotio, & fervor ad zelum: & ejectis negotiatoribns de domo Patris cæleſtis, Fratres omnes ad orationis, & devotionis ſtadium accendatis. Reſtringatis receptionem multitudinis: qaia modis omnibus volo, quod conſtitutio de receptione ſtricte ſervetur. Pravas prædictorum vitiornm conſuetndines etiam reſecetis; quia licet videatur Fratribus grave: reqairit tamen hoc perfectio profeſſionis noſtræ, requirit tribulationis incurſns, requirit mundus. Clamabat hoc beatus Franciſcus, & ſanguis Chriſti aſperſus, & Dominus de excelſis. Otioſos ſtimuletis ad laborem: vagantes compeſcatis ad quietem: importune petentibns imponatis ſilentium: intentos exaltandis domibus profundius deprimatis: familiaritates quærentes arceatis ad ſolitudinem. Officia prædicationis, & confeſſionis cum mnlto examine imponatis. Conſtitutionem de teſtamentis olim factam, & de novo de ſepulturis, faciatis arctius obſervari. Locorum vero mutationem nullatenus concedatis alicui ante Capitulum generale. Nam de conſilio diſcretorum, propter ſcandala vitanda, juxta prædeceſſoris mei mandatum, hoc mihi reſervo, diſtricte per obedientiam jubendo: ut nullus deinceps locum mutet ſine mea licentia ſpeciali. Diſcant etiam Fratres modicis eſſe contenti: quia vehementer a ſapientibus, & rationabiliter formidatur: quod oportebit eos modicis eſſe contentos, velint, nolint. Si igitnr obedientes fueritis verbo per epiſtolam, & hoc per viſitatores intellexero: (quos volo ſuper prædictis corrigendis tam in capitibus, quam in membris diligentius vigilare) gratias agam omnium Conditori & vobis. Quod ſi aliter, quod abſit, acciderit; indubitanter ſciatis, quod nullatenus pateretur conſcientia mea prædicta ſilentio pertranſire. Licet enim non ſit mei propoſiti novis vos vinculis innodare: oportet me tamen conſcientia compellente, totis viribus extirpationi intendere prædictoram. Quatenus vitatis ſcandalis, ut tenemur; regulæ quam vovimus, ſine cujus obſervatione ſalvari non poſſnmus, veritatem perſpicaciter videamus, & impleamus profeſſionem, & totis viribus puritatem cuſtodiamus: quæ impugnatur evidenter ex omnibus ſupradictis.

Importunæ etiã petitiones.

Tẽperanda ſtructura.

Non habẽdæ familiaritates mulierum.

Diſcrete danda officia.

Non procuranda legata.

Loca non mutanda.

Parcendum ſumptibus.

Matt. 21. 12.

ſtis. Hanc autem epiſtolam legi in ſingulis Conventibus veſtræ Provinciæ faciatis. Datum Pariſiis IX. *Kalend. Maii anno* MCCLVII.

XI. Videns vero Alexander Pontifex ſedulam hominis in Miniſteriatu curam, perfectum in corrigendis exceſſibus zelum, in rebus adminiſtrandis prudentiam, animum addidit & auctoritatem, dato ad eumdem hoc gravi diplomate.

Fratri Bonaventuræ Generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum.

Reg. Vat. n. 610.

Plenam dat in omnibus auctoritatem Pontif. Generali Miniſtro.

UT miniſterium tibi commiſſum ad Dei gloriam, & proſperum tui Ordinis ſtatum libere & efficaciter valeas exercere, nulluſque Fratrum ejuſdem Ordinis, prætextu alicujus licentiæ, poſſit mandatum obedientiæ regularis, aut ipſius Ordinis ſubterfugere diſciplinam, univerſis & ſingulis Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, ceteriſque Fratribus prætacti Ordinis tenore præſentium, in virtute obedientiæ diſtrictius inhibemus, ne ipſorum aliquis privilegiis, indulgentiis, litteris, mandatis, vel licentiis quibuſcumque pro ipſis, vel ipſorum aliquo, ſeu aliquibus, ſub quacumque forma verborum ab Apoſtolica Sede obtentis, uti quoquo modo præſumat, abſque tuo mandato, & licentia ſpeciali. Nos enim omnem pœnam, quam hujuſmodi noſtræ inhibitionis traſgreſſoribus rite duxerit infligendam, ratam habebimus, & obſervari, auctore Deo, inviolabiliter faciemus. Si vero ipſorum aliqui electiones, ſeu poſtulationes, aut proviſiones, quas deinceps celebrari de ipſis in Eccleſiis cathedralibus, aut fieri contigerit, abſque tuo arbitrio acceptare, ſeu illis conſentire præſumpſerint, nos omnem proceſſum, qui de ipſis, & pro ipſis in hac parte habitus fuerit, irritum decernimus, & inanem, nolentes ut eis quidquam juris per electiones, poſtulationes, vel proviſiones hujuſmodi, eorumque acceptationes, & conſenſus quomodolibet acquiratur. Ad hæc, ut eo efficacius commiſſum tibi officium exequi valeas, quo majori per nos fueris auctoritate munitus, illam tibi poteſtatem circa abſolutionem Fratrum ejuſdem Ordinis ab excommunicationum ſententiis, & diſpenſationem ſuper eorum irregularitatibus, præſentium tenore concedimus, quam noſtri Pœnitentiarii habere ab Apoſtolica Sede noſcuntur. Ceterum quia pro certo tenemus, quod data ſit tibi cœlitus gratia regendi ſalubriter populum ſanctum Dei, ac ejuſdem gubernacula Ordinis proſpere dirigendi; nobis de te fiducia magna probetur, quod dictus Ordo te illi præſidente continuatis concreſcet augmentis, ejuſque ſtatus, auctore Deo, grata ſuſcipiet per tuum miniſterium incrementa virtutum. Ideoque diſcretionem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, ac per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus in remiſſionem tibi peccaminum nihilominus injungentes, quatenus ſic te cultorem Religionis exhibeas, & vindicem vitiorum, quod eodem Ordine tuæ doctrinæ rore compluto, tuaque ſalubri diſpoſitione compoſito, creſcat exinde meritis apud Deum, penes nos gratia, & apud homines clara fama. Nos enim, qui ejuſdem profectum, & augmentum Ordinis toto cordis zelamur affectu, tibi in omnibus, quæ tuum contingunt officium, firmiter Apoſtolico favore adeſſe proponimus, ac ut idem Ordo ſub tuo regimine titulis refulgeſcat inſignibus, omnem quam poterimus intendimus opem & operam adhibere. Datum Viterbii XII. *Kal. Novembris, Pontificatus noſtri anno* III.

Promittit ſe in omnibus fautorem.

XII. Neque hoc etiam anno ceſſavit, ſed ultro duravit Fabrianenſium,

ſium, quam ſupradiximus, in Minores perſecutio; cui ut finem daret, ſcripſit Pontifex minaces has litteras. Ex illis quantum ægre ferebat quodcumque Minorum detrimentum, Lector apertius apprehendet.

Jubet Pontif. ut Fabrian. a moleſtiis deſiſtant.

Dilectis filiis .... de Fabriano Camerinenſis Diœceſis &c.

Ex Chron. MSS. Fabr.

NUlla dubietas Chriſtifidelibus imminet, quin dilecti filii Fratres de Ordine Minorum pro innocentis ſuæ vitæ meritis occurrant gratiſſimi divinæ oculis Majeſtatis: maxime cum ipſorum ſtudentium ſub extrema paupertate vivere, ac virtutum cultui deſudare, ad hoc frequenter aſpiret affectio, ut per eorum miniſterium ſalus proveniat animarum. Hæc ſiquidem præclara merita, vos prout mirantes accepimus, & referimus cum dolore, attendere dedignantes, dictos Fratres multis gravatis injuriis, & ipſorum quietem ac pacem, divino timore poſtpoſito, damnabiliter impeditis: ad illius exceſſum malitiæ nequiter prorumpendo, quod eos ac ipſorum Ordinem in læſione famæ non minus graviter offendiſtis, quam ſi de ipſorum cordibus vitæ ſpiracula auferretis; præſertim cum dedecoris, vel improperii ſarcina damno præponderet cuicumque, & minor perditione famæ omnis gravitas reputetur. Ad hæc licet dicti Fratres malum in bono vincere ſatagentes, a vobis humili ſupplicatione petiverint, ut ab ipſorum moleſtiis divinæ pietatis intuitu ceſſaretis: vos tamen quaſi ducatis pro ſolatio haberi de offenſa Chriſti notabiles, & miniſtrorum ejus reputari nefarios contemptores, piis dictorum Fratrum votis noluiſtis annuere; ſed adjeciſtis ipſos per vos, & alios gravius ſolito perturbare, prohibentes eoſdem in Eccleſia veſtra proponere verbum Dei, & ceteros Clericos Caſtri veſtri, ut hoc ipſum in ſuis Eccleſiis faciant, inducentes; quinimo & Indulgentias Fratribus eiſdem favorabiliter ab Apoſtolica Sede conceſſas, temerarie, ut fertur, contemnitis, comminantes, quod ſicut nec pro jam conceſſis; ita nec pro impoſterum concedendis, ab ipſorum Fratrum vexatione proponitis reſilire. Cum itaque nil ſit magis menti noſtræ contrarium, vel oppoſitum voluntati, quam quod omnium Conditor & Redemptor in membris ejus, & præcipue in eiſdem Fratribus, qui ſunt ipſius ſpeciales nuntii, & præcones, pati contumeliam videatur; diſcretioni veſtræ (ſi tamen in vobis habetur aliqua, qui contra Fratres ipſos tam enormiter, atque impie proceſſiſtis) per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ, ac etiam ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſicut divinam, & noſtram offenſam devitari cupitis, a qualibet prædictorum Fratrum injuria & moleſtatione ceſſetis, dantes nihilominus operam efficacem, ut hoc ipſum faciant alii Clerici, qui veſtra procurante nequitia, facti ſunt eiſdem Fratribus inimici. Studeatis etiam Deum, & perſonam noſtram in Fratribus ipſis ita mente vigili aſſidue venerari, quod & præcedens culpa veſtra in oblivionem veniat, & debitæ vobis maledictionis meritum in benedictionis gratiam convertatur. Alioquin per privationem officii, & beneficii vobis ſcire dabitur, quam deteſtabilis apud nos dictorum Fratrum perſecutio cenſeatur; quorum evangelizantium pacem, evangelizantium bona, manus mundiſſimas, & etiam pedes innoxios, ſi eſſet in vobis ſpiritus conſilii, & timoris Domini, piis aliquando deberetis affectibus oſculari, maxime cum Fratrum ipſorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedat, & creſcat uſque ad perfectum diem, ſub cultu devotiſſimo divini nominis, & continuo ſtudio pœnitentiæ ſalutaris. Datum Laterani XI. *Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno* III.

Quanta famæ jactura.

Gravamina Fabrianenſium.

XIII. Quæ-

Marian. c.23. Chron. antiq.

Tiro Minorita diligenter ſuas occulit virtutes.

XIII. Quædam jam libet pietatis hic attexere monumenta. Fuit ſub hoc tempore in cœnobio Aracœlitano tiro, qui dum primo experimenti anno obſervaretur a Fratribus, in nullo deprehenſus eſt potioris virtutis indicio. Sedulo namque actiones ſuas commendabiliores occultabat; noctu dum ceteri ſomno indulgebant, hic ſolus orabat in Eccleſia, durius in ſuum corpus animadvertebat, longas trahebat excubias; quibus ut ſufficeret, aliquando dormiebat ceteris evigilantibus. Ventum erat ad ſuffragia, quæ ſtatutis tirocinii temporibus Fratres vel præſtant in ſodalitatem admittendo, vel negant ab eadem ejiciendo, juxta tironis merita vel culpas. Non fuit, qui adoleſcentem commendaret: neque Miniſtro Raynerio de Senis interroganti potuit quidpiam Magiſter novitiorum reſpondere; quam illud ſolum ſibi laudabile viſum in juvene, quod magnam vim lacrimarum ſemper profuderit in confeſſionis arcano. Diſtulit Miniſter judicii ferendi diem, donec ipſe diligentius exploraret, quid eſſet in homine. Ipſo illo die ceteris celerius cubitum iviſſe comperit, idque vituperatum a Fratribus. Sed dum ſub prima noctis vigilia exploraturus regreditur, non invenit, niſi in Eccleſia coram ſanctiſſimæ Virginis ſimulacro a terra elevatum, imbre lacrimarum perfuſum, Virginem deprecantem, ut concitatos in ſe Fratres pacaret, & ne permitteret e ſocietate dimitti: lacrimas hinc inde colligebant duo Angeli, & Deiparæ offerebant, dicentes; non eſſe ſpernendas afflicti juvenculi preces, quibus ſuas addiderunt, ut novitius exaudiretur. Tamdem benigna Virgo reſpondit, eum in Ordinem recipiendum, in eo feliciter perſeveraturum, & felicius obiturum. Sequenti die convocavit Superior Religioſos, quibus rem viſam expandit: illi vero nullo denegato ſuffragio, in ſuum conſodalem libenter cupientem admiſerunt, & benignius cum honore tractarunt. Doluit tamen ille ad ſublatas occaſiones amplius merendi per injurioſas Fratrum moleſtias, timuitque adhibitos honores. Petiit itaque a Miniſtro ut ad partes transferretur ignotas, in quibus pie vixit, & ſancto fine quievit.

Sed moleſtias patitur.

Defenditur a B. Virgine.

Coquus periclitatur ob lautiora fercula, & murmur contra Prælatos.

XIV. In eodem Monaſterio infirmatus ad mortem frater Laicus culinæ præfectus, cœpit Fratribus adſtantibus clamare: *Heu mihi quia condemnatus ſum*. Advenit vir pius, confeſſarius, ad meliorem ſpem excitaturus; rogavitque, ut ſi quid eſſet quo conſcientia ſtimularetur, confidenter aperiret; indubitanter a Domino ſui errati, quantumvis maximi, veniam reportaturus. Sæpius admonitus acquievit: *Et illa*, inquit, *ſola, ceteris jam per ſacram confeſſionem maculis deterſis, mihi objiciunt horridi circumſtantes dæmones; quod meliora aliquando mihi aliquoties præparabam, vel ſervabam fercula, & ſæpius murmurabam contra Prælatos*. Abſolvit eum a reatu confeſſarius; neque amplius terruerunt eum inimici, ſed placide poſt unum atqne alterum diem, clauſit extremum.

Periculoſum quodcumq; peccatum in confeſſione celare.

XV. Alter infirmus cetera confeſſus peccata, unum verecundabatur enarrare; ſed in ſacramentalis ritus concluſione rogavit obnixe Confeſſarium, ut pro ſe tribulato ſollicitius oraret. Intellexit animi ulcus, deprecatuſque eſt ſerio Dominum, ut periculoſo mederetur diſcrimini. Vidit nocte ſequenti pœnitens Chriſtum, in throno ſedentem, plures Angelos pro ſe deprecantes, ut miſereri vellet animæ perituræ; demum poſt ceteros id ipſum oraſſe Confeſſarium, & feliciter exoraſſe. Summo mane fecit ad ſe Confeſſarium eumdem vocari, & omni ſepoſito rubore, ſuo cavit damno, cuncta plene confeſſus, paulo poſt magno gaudio in Chriſto requieſcens.

XVI. Di-

Compatiendum ſubditis afflictis.

XVI. Diſcretionis habendæ, & remedii adhibendi in miſeriis ſubditorum, ſubjicio hoc aliud exemplum. Patiebatur quidam frater Laicus gravem infirmitatem, podagram, intenſoſque dolores in pedibus, maxime ſub veſpere, & quando frigus urgebat. Laborabat nihilominus; rediens ſedebat ad ignem, ſuiſque medebatur malis. Loci Guardianus aliquanto rigoroſus, ſemel & iterum reprehendit otioſitatis & moroſæ ſeſſionis ad ignem; juſsitque ut abiret in cellam, neque amplius permitteretur in culina moram trahere. Obedivit ſubditus, & cruciatibus agitatus intenſis, rogabat Dominum, ut ſibi compateretur, leniretque animum Præfecti. Exaudita eſt oratio ejus; tranſierunt enim omnia ejus mala in eum, qui non novit compati ejus infirmitatibus; ita ut repente indigeret Guardianus igne, quem alteri interdixit, plurimis fomentis, & auxiliis medicorum. Agnoſcens multo ſuo malo factam ſuper ſe manum Domini, in humilitate cordis juſsit vocari ad ſe Fratrem; recognoſcens manſuete ſuam culpam, rogavit, ut pro ſe Dominum interpellaret. Fecit ſubditus, & ſanatus eſt Prælatus, revertentibus iiſdem doloribus pro majoris meriti cumulo ad eum, qui primos patiebatur; cui compaſſivum & benignum ſe deinceps præſtitit Guardianus conſolatorem.

ADDITIO Patris Lucæ Waddingi.

Platina in vita Alex. IV.

Varia munia impoſita Minoritis.

XVII. Scriptis litteris „ ad Miniſtrum Provinciæ Bononienſis, miſit „ quoſdam Theologos Minoritas ad Civitatem Brixienſem, Pontificiæ „ parti nimis adverſam, qui adeo prædicando profecerunt, ut Brixien„ ſes longo tempore extorres Guelphos admiſerint, & partes Eccleſiæ „ ſint ſecuti. Scriptis etiam aliis litteris „ ad Priores Prædicatorum, & Guardianos Minorum in terra Pruſsiæ, eis mandavit hoc anno Pontifex, ut facerent obſervari ſententiam a ſe latam pro conceſſione terrarum Paganorum, quæ Goleas & Polexici vulgariter nuncupabantur, Kaſimiro Lanſitiæ & Cujaviæ Duci ſuperiori anno, ut retulimus, facta: *Exhibita nobis*. Nonis Januarii. Fratri Bartholomæo de Bohemia amplam commiſit auctoritatem in Polonia, Bohemia, Moravia, & Auſtria prædicandi verbum Crucis contra Lituanos, Jacuenganos, Ruthenos, & alios Paganos: in quo miniſterio, ſi a quoquam impediretur, collata eſt ei poteſtas compeſcendi clericos, & laicos cujuſcumque forent dignitatis, vel Ordinis. Plura recepit hujus functionis obeundæ privilegia, quæ in regeſto licebit conſulere; necnon aliud Miniſtris, aliiſque Minoritis in eiſdem terris circa hoc ipſum conceſſum. Miniſtro Minorum in Romania mandatum, ut Patriarchæ Conſtantinopolitano, redditibus, ob frequentes incurſus Græcorum valde diminutis, providere faciat de congrua ſuſtentatione a Prælatis Eccleſiarum Moreæ: *Neceſſitatis venerabilis*. Idibus Julii. Bartholomæum de Brunna, & Lambertum Theoronicum ejuſdem Ordinis viros doctos, ad inſtantiam Regis inſtituit in Bohemia, & Poloniæ confiniis Inquiſitores. Patentes ſuæ creationis litteras hic damus ex regeſto Vaticano.

An. 1256.

Creantur Minores Inquiſitores in Bohemia, & Polonia terminis.

Bartholomæo Lectori de Brunna, & Lamberto dicto Theoronico Fratribus Ordinis Minorum Norvvicen. & Pragen. Diœceſis.

Reg. Vatic. n. 365.

XVIII. P*Ræ cunctis mentis noſtræ deſiderabilibus Catholicæ incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus aliquos, vel ſentimus, ad illius depreſſionem quacumque malignitate ſatagere, vel damnabilibus ipſam depravando reprehenſionibus, aut detractionibus, & abrogationibus derogando, ſeu commentis eamdem mendacibus per-*

Digitized by Google

Tom. 5. fol. 385.

pervertendo; ad quorum iniqua ſternenda molimina eo animoſius aſpiramus, quo in animarum ſtragem pernicioſius eos agnoſcimus conſpirare. Unde quia in aliquibus partibus Regni, & dominii cariſſimi in Chriſto filii noſtri Illuſtris Regis Bohemorum, & Poloniæ confiniis, adeo infidelitatis error invaluit, quod ibi quamplurimi a via veritatis prorſus averſi, mentes per devium falſitatis peſtiferas ad concutiendum orthodoxæ fidei murmur machinas conſtruebant, &c. ut habetur in ſimili bulla pro Regno Franciæ, poſita anno MCCLV. num. XIV. verbis convenienter mutatis uſque ad finem. *Datum Laterani* XV. *Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno* III.

Tom. 3. an. 1246. n. 13. An. 1247. n. 31.

Lupus Minorita Africæ legatus hoc anno in Urbe.

XIX. Venit circa hoc tempus Romam frater Lupus Marrochiorum Epiſcopus, & ſanctæ Sedis Legatus in Africa, de quo nos plura præfati ſumus, acturus cum Pontifice de multis rebus Provinciæ ſibi commiſſæ, & Chriſtianorum commodo, qui in Africa commorabantur: dehinc Hieroſolymam profecturus. In Urbe hoc anno fuiſſe, probat monumentum regeſti Vaticani, in quo ex commiſſione ſibi facta a Pontifice, Fernandum Joannis, Decanum Braccaren. Capellanum Pontificium, inveſtivit in Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Craſtelo Aurien. Diœceſis, ad quam fuerat præſentatus a Rege Caſtellæ, & Legionis Alphonſo. *Juſtis petentium*. Kalend. Martii.

Mortuus Epiſcopus Elienſis.

Harpsfeeld. ſecul. 13. c. 26.

Ei ſubrogatur Fr. Adam de Mariſco.

Tom. 1. an. 1220. n. 65. an. 1222. n. 32. & alibi.

Pariſ. an. 1257.

Pitſ. de ſcriptor. ad an. 1257.

Annal. Hibern. hoc anno.

Juſticiarius Hiberniæ ſepelitur apud Minores.

Pariſ. citat.

Tom. 2. an. 1230. n. 20.

Pariſ. hoc anno.

XX. Mortuo Guillelmo Ludhamo, aliis de Kilkenni, Henrici III. Cancellario,' Epiſcopo Elienſi in Anglia, Monachi Hugonem Balſamum ſuum ſuperiorem, communibus ſuffragiis ſubſtituerunt. Rex ægre tulit hujus electionem propter repulſam Henrici Wengami Cancellarii ſui, pro quo Monachos accurate rogarat. Contradixit etiam hominis promotioni Archiepiſcopus Cantuarienſis, quare Hugone ſuam cauſam Romæ agente, collatus eſt Epiſcopatus Adamo de Mariſco Minoritæ, ſeni, gravi, & docto viro, Roberto Lincolnienſi Epiſcopo unice caro, Oxonienſi olim Theologiæ profeſſori, de quo alias inſtitutus eſt ſermo, qui mundanam excellentiam, & amplos redditus, teſte Pariſio, in ſeculo, Minorum habitum aſſumpturus, reliquit. Neſcio unde acceperit Pitſeus, eum numquam conſecratum, aut Epiſcopatum poſſediſſe, prævalente contra eum prædicto Hugone, cum eventus fuerit omnino contrarius. Obiit hoc anno in Hibernia Mauritius filius Geraldi, uti habent Annales Hiberniæ, miles ſtrenuus, facetus, nulli ſecundus, teſte Pariſio, qui tota ſua vita, inquit, vixit laudabiliter, & aliquando Juſticiarius fuit totius Hiberniæ. Sepeliri voluit Yoghaliæ apud Fratres Minores, quorum domicilium ipſe conſtruxit, veluti ſupra narravimus.

Conven. S. Edmundi in Anglia.

XXI. Obtinuerunt per hoc tempus Minores domicilium in Urbe ſancti Edmundi Regis & Martyris Norvvicen. Diœc. in Anglia, Pontificio freti diplomate, & favore adjuti Comitis Gloverniæ, & Gileberti de Preſtona. Contradixerunt Abbas & Monachi Benedictini illius loci, impetraruntque in Curia litteras contradictorias. Has tamen, certior factus totius controverſiæ, revocavit Pontifex per ſequens diploma.

Miniſtro Provinciali, & Fratribus de Ordine Fratrum Minorum in Anglia.

Reg. Vat. n. 695.

VEſtræ mentis religionis inducimur, ut vos favore benevolo proſequamur, & in iis, quæ digne depoſcitis habeamus providentiæ ſtudium efficacis. Hinc eſt, quod nos veſtris ſupplicationibus annuentes, quidquid con-

contra litteras, privilegia, ſeu indulgentias vobis ſuper recipiendo, & obtinendo loco in Villa ſancti Edmundi Regis & Martyris, quæ Beei vulgariter appellatur, Norvvicen. Diœc. a nobis conceſſo, per quaſcumque alias litteras, vel indulgentias, ſeu privilegia, non facientia de præmiſſis mentionem expreſſam, attentatum eſt, vel contigerit attentari, ex nunc auctoritate præſentium decernimus irritum, & inane. Eadem auctoritate nihilominus ſtatuentes, ut hujuſmodi litteræ, vel indulgentiæ ſeu privilegia a Sede Apoſtolica impetrata, vel impetranda, nullis perſonis religioſis vel ſecularibus communiter vel diviſim contra vos, & conceſſionem præſentis loci, ac decretum, & ſtatutum noſtrum aliquatenus ſuffragentur. Nulli ergo &c. noſtræ conſtitutionis &c. Datum Viterbii Kalendis Novembris anno III.

XXII. Alia interceſſit cum Benedictinis lis in oppido ſancti Facundi, vulgo *Sabagun*: Legionen. Diœc. in Hiſpania, propter receptum Guillelmum Arnaldi Ordinis Minorum transfugam, virum rixæ & diſcordiæ, qui multa jam Benedictinus, machinatus eſt contra Minoritas, auxilio fiſus & opera adjutus Epiſcopi Auxitani; de qua re ſcripſit Pontifex ad Monachos, eorumque Abbatem, necnon ad Epiſcopum Legionenſem Martinum, ejuſque Archidiaconum, præcipiens, ut prædictum apoſtatam loco pellerent, inhabilem ad quæcumque beneficia, officia & dignitates declararent. Paulo tamen ante ex magna, quæ inter utrumque Ordinem intercedebat neceſſitudine, inſtante etiam, & præſente Rege Alphonſo, conceſſerant Benedictini locum cum ſuis pertinentiis, extra oppidi muros, in Minorum habitaculum. Dum vero hi dubitarent, Monachos propter exortam hanc controverſiam, conceſſionem revocaturos, neque ullum donationis factum eſſet inſtrumentum, petierunt hunc defectum a Pontifice ſuppleri; quod & fecit miſſo ſequenti diplomate. Confirmatio ædis S. Facundi.

Guardiano, & Fratribus Ordinis Minorum de ſancto Facundo Legionen. Diœceſis.

Merita veſtræ ſacræ religionis & piæ devotionis efficiunt, ut Sedem Apoſtolicam, in iis quæ ſunt favoris, & gratiæ, gaudeatis benignam & benevolam inveniſſe. Sane nuper veſtris, & cariſſimi in Chriſto filii noſtri Illuſtris Regis Caſtellæ ac Legionis, ſupplicationibus inclinati, locum quem Abbas & Conventus Monaſterii ſancti Facundi Ordinis ſancti Benedicti ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinen. Legion. Diœc. veſtris uſibus ad ipſius Regis inſtantiam, in ejus præſentia liberaliter pia & provida donatione conceſſerunt, ac etiam hujuſmodi conceſſionem ipſius loci vobis per noſtras litteras confirmantes ſupplevimus defectum, ſi quis in hoc fuit, de noſtræ plenitudine poteſtatis. Verum quia ſuper conceſſione prætacta nullum extitit ex parte prædictorum Abbatis & Conventus confectum publicum inſtrumentum, non immerito dubitatis, quod ipſi proceſſu temporis reproba pœnitentia ducti, vos eodem loco ſpolient, & expellant exinde pro ſuæ arbitrio voluntatis. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis ut providere ſuper hoc vobis de benignitate Apoſtolica curaremus. Ne igitur quod pro Dei gratia, & animarum ſalute, quarum lucro nil carius reputamus, fuit ex pio devotionis ſtudio inchoatum, in divinam offenſam, & animarum diſpendium, quod abſit, impoſterum revocetur. Nos propter hoc volentes, ut omnis de cetero dubitationis ſcrupulus in hac parte de veſtris cordibus auſera- Reg. Vat. n.657.

feratur, voſque libere ac pacifice valeatis in prætacto loco virtutum cultui, & ſaluti intendere animarum, ipſum locum, ſicut præſente dicto Rege vobis extitit aſſignatus, ac vos recepiſtis eumdem, & hactenus poſſediſtis cum ſuis pertinentiis, auctoritate Apoſtolica in perpetuum deputamus, veſtris veſtrorumque ſucceſſorum uſibus, donamus: non obſtante defectu inſtrumenti, aut alterius ſcripturæ authenticæ, ſeu quibuſcumque litteris, vel indulgentiis a Sede Apoſtolica impetratis, vel impoſterum impetrandis, per quas hujuſmodi noſtræ deputationis, & donationis robur valeat infirmari, aut de quibus oporteat in præſentibus plenam & expreſſam fieri mentionem. Nulli ergo &c. noſtræ deputationis & donationis &c. Datum Viterbii VIII. *Idus Octobris, anno* III.

Gonzag. in Prov. Concept. Conv. 4.

XXIII. Primum hujus ædis lapidem a ſe, Pontificis juſſu, benedictum, poſuit prædictus Legionen. Epiſcopus, & fabrica ex piorum crevit eleemoſynis, ad eas hortante Pontifice. Majus ſacellum, erectum a nobiliſſima fœmina Maria, ſtrenui illius militis & generoſi herois Roderici Ciſnerii uxore, illorum ſepulturæ deſeruit; conſepulta etiam eorumdem filia Joanna Roderiquez, pientiſſima, & generoſa heroina. Ad latus dextrum aliud nobile noviter ædificatum ſacellum ſumptibus, & cura nobiliſſimæ fœminæ Dominæ Franciſcæ de Bozmediano, quæ ibidem inſigni tumulata eſt Mauſolæo anno MDC. In Provincia Marchiæ & Cuſtodia Firmana originem accepit ante hunc annum Conventus Montis Rubiani, ut patet ex Bulla Innocentii IV. hoc anno data & ibidem aſſervata.

Conv. Montis Rubian.

Idem in Provinc. S. Jacobi Conv. 9.

Conv. Majoricæ.

Hiſtor. MS. Provinc.

XXIV. Ante hunc annum ædificari cœptum Monaſterium Majoricæ Urbis, tunc Villæ, in Hiſpania, conſtat ex Bulla quadam Alexandri IV. data hoc anno Kalend. Novembris in ejuſdem Conventus tabulario aſſervata, qua fideles hortatur, ut Fratribus ſuis adſint eleemoſynis. Eſt qui illius originem ad ſanctum Franciſcum referat, inani tamen fundamento. Primam cœnobioli Eccleſiunculam in prophanos verſam uſus reſtitui curarunt pii viri in ſacrum cultum ſub invocatione ſancti Franciſci, quo magis invaluit error, locum primævum a ſancto Franciſco conſtructum. Eumdem auxit Sancius IV. Caſtellæ, Legionis Rex ſub anno MCCXCII. adjuncta etiam ad cœnobii amplitudinem publica platea. Ad latus ſiniſtrum majoris ſacelli jacet ejus conſtructor Didacus Badam Minorita, poſt Miniſterium Provinciæ ſancti Jacobi, ad tres promotus Eccleſias Pacis Auguſtæ, vulgo *Badajoz*, Placentiæ, & Carthaginis Spartariæ. Anno MCCCC. vita defuncto appenſum hoc rude & impolitum epitaphium.

Didaci Badam epitaphium.

Hunc Majorica genuit, quem ſummus ad alta perduxit,
Hunc religio docuit, quem aptum virum produxit.
Badam hic vulgo Didacus vocatus
Eſt, gratum donum, de hac ſtirpe natus.
Gradibus ternis præfuit excelſus,
Gratia Chriſti moribus præventus.
Puer undemnis mundana contempſit,
Minorum veſtes minimus accepit.
Profeſſus Tauri ſtuduit artes,
Audivit legitque per varias partes,
Doctrinæ ſacræ eſt factus Magiſter,
Provinciam rexit electus Miniſter.
Succeſſit Paſtor Eccleſiæ trinæ.

Car-

Carthaginis , Placeæ , atque Placentinæ .
Sex vixit undemnis annorum ætates .
Jeſus illi merces ſit fons pietatis .
Carthaginenſis Præſul hic eſt ſepultus .
Poſt hanc mundi vitam morte defunctus ,
Bis ſeptingentos Domini poſt annos .

Deinde adduntur numeri Arithmetici ferme deleti ; & ſubditur :

Die hoc & menſe migravit prædictus .
Quieſcat in pace , ſitque benedictus . Amen .
Vivens ſic ſcribit de ſua certus morte :
Incertus de hora , gaudet mortis mora ,
Tempus ſi addatur ſummo dirigente ,
Verſus mutabitur , vivo congaudente .

Jacet in alio ſacello propriis ſumptibus extructo hujus frater Garſias Badam , vitæ inculpatæ vir, qui terminum præſcivit vitæ, ut ſubjectum indicat carmen :

Is qui jacet , mortis diem novit & horam .

Franciſcus Ruiz electus Epiſcopus Calaguritanus Minorita . Martinus Valentinus Minorita . *Rodulph. fol. 165.* Conv. Radicofoni . *Idem fol. 281.* Conv. Villacen. *Vide anno 1252.*

XXV. Obiit hic frater Franciſcus Ruiz electus Epiſcopus Calaguritanus per Philippum II. cum quo abiit in Angliam : noluit tamen dignitatem admittere . Hujus ædis alumnus eſt vir ille vere Evangelicus Martinus Valentinus , Indiarum Occidentalium vere , & præ omnibus Apoſtolus . Hoc etiam anno conventum Radicofoni (celebris caſtri Pontificii , ultimi ea ex parte Tuſciæ , prope Cetonam , patrimonii D. Petri fortalitii) ædificatum docet appoſita præ foribus Eccleſiæ inſcriptio iſta : *Anno Domini* MCCLVII. *Indict.* XV. *tempore Domini Alexandri Papæ IV.* Spectat ad Provinciam Tuſciæ , & Cuſtodiam Cluſinam Patrum Conventualium . Hoc anno mortuus eſt Henricus de Catalonia Epiſcopus Balbergenſis, ſeu Bambergenſis , prius Imperatorius Notarius , deinde Minorita ; cujus memoria habetur in catalogo Epiſcoporum Bambergenſium apud Gaſparem Bruſchium . Extruxit ſub titulo ſanctæ Mariæ Monaſterium Minorum Villacenſe in Walſperch , in Provincia Auſtriæ , & Cuſtodia Styriæ , modo dilapidatum , unius vel alterius dumtaxat Fratris receptaculum . Epiſcopi epitaphium hoc aræ majori affixum eſt . *Anno Domini* MCCLVII. *obiit Dominus Henricus Epiſcopus Balbergenſis Ordinis Fratrum Minorum , fundator hujus loci .*

Convent. Metenſis . *Gonzag. in Prov. Franc. con. 9.*

XXVI. De Conventu Metenſi in Lotharingia , SS. Petro & Paulo Apoſtolis ſacro , agendum foret ſub ætate ſancti Franciſci , vel ſaltim ante annum MCCXLIX. quo diximus Metis apud noſtros capitulum 15. celebratum , ſi nobis aliunde conſtaret , hunc illum eſſe qui extructus eſt ſub tempore ſancti Franciſci . Namque Franciſcus Gonzaga , a quo dumtaxat hujus Monaſterii hiſtoriam accepimus , duo Minorum , totidemque Clariſſarum Metis extructa Cœnobia , atque horum unum vel alterum originem accepiſſe , vivente adhuc ſancto Franciſco , commemorat : mox tamen ſubjicit unum ex Minoritanis , quod Provinciæ erat Franciæ Pariſienſis , ſolo adæquatum ante XXX. annos a tempore , quo ipſe ſcribebat ; neque ſcire ſe indicat , utrum deſtructum an ſuperſtes fuerit prius . Atque hujus tempus expiſcatur ab epitaphiis ſepulcrorum , ex quibus vetuſtiora ſunt hujus anni MCCLVII. qua de cauſa ad illum uſque nos ejus reſervavimus tractatum , dum altius repetendæ originis nullum certum ſubfuit fundamentum . Auctorem ejuſdem fuiſſe ferunt Canonicum matricis Eccleſiæ Metenſis , qui ſe ſuaque devovit ſancto Franciſco , cujus

pio ſerebatur affectu. Quare Regula Minorum profeſſus, ex pingui facultate fundum emit, ædemque conſtruxit. Obiit anno MCCLXXXV. conditus honorifico ſepulcro.

Monaſter. Ferrarien.

XXVII. Venerunt ſub hoc anno ex Clariſſis Mantuanis, & ſanctæ Claræ diſcipulis Ferrariam celebrem Romanulæ urbem, olim Principum Eſtenſium, modo ditionis Pontificiæ, quæ de ſuo propagando Inſtituto cogitarent. Commodior viſa eiſdem recipiendis quædam domus Patrum Eremitarum ſancti Auguſtini, divo Guillelmo ſacra, tunc extra urbis muros ſita, uti notat Marcus Antonius Guarinus in ſua hiſtoria Ferrarienſi, quam tamen intra mœnia ponit Gonzaga, ſed juxta temporum mutationes concilientur diverſæ ſententiæ. Hanc ex eleemoſynis ſibi oblatis emerunt hoc ipſo anno, ea tamen lege, ut diverſus non induceretur Divus titularis. Ampliarunt demum ex legatis a Miniato .... cive Ferrarienſi, eujuſdam Antoniæ unius ex Sanctimonialibus progenitore: cujus varias poſſeſſiones diverſis operibus piis applicatas, huic uni loco perficiendo Alexander adjudicavit. Auguſtius adhuc reddidit Nicolaus cognomento Claudus, ſecundus Marchio Eſtenſis, ubi Deo ſacravit Marchionis Aldobrandini quarti, ſui fratris filiam, adhibitis duodecim Virginibus comitibus, quas ſequutæ ſunt aliæ duæ nobiliſſimæ ejuſdem proſapiæ Eſtenſis puellæ Alda & Iſotta. „ Ibi etiam vixiſſe & ſub ſanctæ „ Claræ inſtituto obiiſſe anno MCCCC. Viridem Azonis 10. Marchionis „ Eſtenſis filiam, quondam uxorem Comitis Taccenſis in Germania ſcri- „ bit Elias Reuſnerus in genealogia Imperatorum, & Principum „ Germanorum. „ His incrementis pulcherrimum, & illius regionis omnium optimum evaſit Monaſterium, ex diſciplina regulari laudatiſſimum; donec ex quorumdam incuria monaſticus rigor, & primævæ leges ſolvi cœperunt, oportuitque illuc mitti Joannem Capiſtranenſem, qui mores collapſos reformaret, uti alias referemus; atque evocari e ſanctæ Paulæ Mantuano Monaſterio religioſiores fœminas, per quas ad priſtinum nitorem unde deflexerat, ædes feliciter rediret; accepta inde felici reſtauratione, unde primam obtinuit inſtitutionem. Reſtitutam regularem diſciplinam aliis large communicavit Monaſteriis, nempe ſanctæ Mariæ Gratiarum Parmenſi, ſancti Ludovici Mirandulano, de Ripa Foroliviano. Eccleſiam conſecravit ad annum MCCCLIV. Aprilis XXIX. frater Guadagnus Epiſcopus Cerviæ in Romandiola. Altare vero majus Nicolaus Maria Eſtenſis Epiſcopus Adriæ in Aprutio anno MCCCCLXXXIX. XXVII. menſis prædicti. Inter Sanctorum reliquias, quæ in hujus loci ſacrario aſſervantur, illa eſt celeberrima, ſacratiſſimi Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ad hæſitationem eujuſdam Sacerdotis celebrantis adeo rubicundus apparuit, & perſeverat, vt ex ipſiſſimis Chriſti venis effluxiſſe haud dubie affirmares. Sepeliuntur hic Rinaldinæ nobilis familiæ poſteri, ornaturque Eccleſia optimis Benevenuti Tiſii picturis. Hoc item anno conſtructum eſt Monaſterium intra muros Lutzelburgenſes, in ſublimi & extremo pene Montanæ Civitatis angulo ſitum, per Duciſſam Lutzelburgenſem, prius collegium pœnitentium Sororum, poſtea inſtituti ſanctæ Claræ. Vide anno MCCLXIV. n. 12.

Guarini lib. 4. fol. 217. Gonzag. in Prov. Bononiæ monaſt. 2.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Monaſt. Lutzelburgen. Bruſch. de Archie. Trevirenſ. n. 81.

Vide Reg. to. 1. an. 14.

Greg. bulla. 89. Indulta Pontificia.

XXVIII. Indulſit hoc anno Pontifex, quod alias Gregorius: ut Miniſtri Provinciales in comitiis provincialibus, adhibito Definitorum conſilio, Fratres examinarent, & prædicandi facerent licentiam. *Prohibente Regula*. XIII. Kalend. Febr. Vetuit ne Benedictini, Ciſtercienſes, Præmonſtratenſes &c. Minores abſque ſuorum Prælatorum licentia recipe-

perent. *Veſtram & veſtrorum*. Nonis Februar. Regulam declaravit. *Ordinem veſtrum*, x. Kalend. Januarii. Declaravit etiam poſſe Fratres prædicare, & confeſſiones excipere ex commiſſione Legatorum Sedis Apoſtolicæ, quantumvis reluctarentur Diœceſani. *Non ſine multa*. III. Kalend. Aprilis. Electos ad Epiſcopatus prohibuit ad eoſdem promoveri, non accedente conſenſu ſuperiorum. *Petitio tua*. v. Kalend. Junii. Conceſſit Fratribus, ut de uſuris, rapinis, & alias quocumque modo illicite acquiſitis, quæ fideles mandant reſtitui in ultima voluntate, vel dum vivunt, etiamſi ſoſpitate fruuntur, reſtituere ſunt parati, ſi quibus ipſorum reſtitutio fieri debeat, omnino inveniri non poſſint, necnon de legatis indiſtincte in pios uſus, non expreſſis locis aliquibus, vel perſonis, poſſint ad ſuas relevandas neceſſitates recipere. *Felicis recordationis*. XVII. Kalend. Novembris. De hoc ipſo eodem die univerſis teſtamentorum executoribus ſuas litteras miſit, incipientes. *Ex parte dilectorum*. Præſcripſit deinde Regulam a Miniſtris ſervandam in dimittendis Fratribus, ut poſſint ad alias Religiones tranſire. *Cum & plantare*. I. Non. Decembris. Viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum, & Clariſſarum Wratislavien. in quibuſdam diebus, indulgentias largitus eſt. *Sanctorum meritis*. Similiter conceſſit Fratribus Bohemiæ, Moraviæ, Poloniæ, & Pruſſiæ. Guardiano, & Fratribus Neapolitanis conceſſit, ut in ſolemnibus feſtis ſericis poſſent indumentis uti. *Locis pia*. v. Non. Julii.

XXIX. Sanctimonialibus Hiſpellatibus confirmavit donationes quarumdam terrarum, ſibi factas juſſu Gregorii IX. per Epiſcopum Spoletanum. *Ex tenore veſtræ* IV. Kalend. Febr. Eſculanis conceſſit, ut privilegiis, & indulgentiis Fratrum Minorum fruerentur. *Devotionis veſtræ*. VIII. Kalend. Februar. Deinde ſpirituales largitur gratias omnibus ad harum Eccleſiam accedentibus in die Paſſionis Dominicæ. *Vitæ perennis*. VI. Idus Januarii. Privilegium exemptionis, aliaſque gratias tribuit Sanctimonialibus ſancti Donati de Fauce Eugubinis, confirmavit etiam privilegium antea conceſſum a Jacobo Epiſcopo Eugubino. *Religioſam vitam*. XVII. Kalend. Aprilis. Aſtenſibus Monaſterii ſanctæ Agnetis conceſſit, ut presbyter Capellanus eas ſolvere poſſet ab injectione manuum violentarum. *Deſideriis veſtris*. x. Kalend. Aprilis. Januenſes liberat a canonica portione. *Quanto ſtudioſius*. XII. Kalend. Auguſti. Eiſdem aggregat Monaſterium ſancti Joannis de Logamo Ordinis ſancti Benedicti. *Intellecto quod Monaſterium*. II. Idus Auguſti. Judicem controverſiarum circa legata aſſignat eiſdem, Præpoſitum Eccleſiæ ſancti Donati Januenſis. *Ex parte dilectarum*. III. Idus Auguſti. Concedit ut tempore interdicti in earumdem Eccleſia celebrari poſſint ſolemniter divina. *Exigentibus veſtræ devotionis*. VI. Idus Septembris. Repetitis litteris hortatur Archiepiſcopum Piſanum, ut conferat Clariſſis de Ripa Arni Hoſpitale ſancti Leonardi de Stagno, quod dum ille facere neglexit, accepta commiſſione alius fecit. *Juſtis petentium* VI. Kalend. Novembr. Translationem Abbatiſſæ ſanctæ Mariæ de Maſſa ad Monaſterium ſancti Bartholomæi de Faliſio a fratre Raynaldo de Socco factam confirmat, & duo hæc Monaſteria diſtincta eſſe declarat. *Cum a vobis petitur*. Idibus Decembris.

Conceſſa Monialibus.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Caſtin. ſocius B. Cæſar. accepit Con. Anger. Monach.

,, I. BEatum fratrem Caſtinum, unum ex illis, quos ſanctus Pater
,, cum beato Cæſareo Spirenſe in Germaniam ad Ordinem pro-
,, pagandum emiſerat, virum religioſiſſimum, ſuique ſtatus zelantiſſi-
,, mum, & ob id Monacenſibus Bavariæ gratiſſimum, Sacellum D. Jaco-

Wadd. ad ann. 1284. n. 21.

,, bo in Anger Monachii ab antiquis erectum facillime impetraſſe,
,, illudque infra breviſſimi temporis ſpatium ex diverſis fidelium elee-
,, moſynis ſumma ſibi liberalitate oblatis ad juſti Conventus dignitatem

Illud Monial. cedit.

,, promoviſſe, ac per aliquot annos, una cum ſociis, ſat commode inha-
,, bitaſſe Gonzaga, ex quo Waddingus enarrat: ac etiam quomodo ſub
,, anno MCCLXXXIV. ex Monaſterio Seflingenſi admiſſis Sororibus Cla-
,, riſſis illis Cœnobium ceſſerit, alio pro Fratribus erecto, ſatis ſuper-
,, que aperit: ſed quando illud primum apud ſanctum Jacobum in Anger

Chron. Pr. Bavar. de Monaſt. I. Monaci.

,, initium habuerit, adhuc deſideratur. Verumtamen ex quo in Archi-
,, vo Provinciæ Bavariæ duas Bullas Pontificias ſervari monemur, qua-
,, rum una edita ſit ab Alexandro IV. Idibus Januarii Pontificatus ſui

Vide ad ann. 1350. n. 2.

,, anno III. altera vero ab eodem Pontifice etiam præfato anno, ſed
,, Kalend. Aprilis, quibus iterato conceſſit 100. dierum indulgentias
,, omnibus Chriſtifidelibus, vere pœnitentibus, & confeſſis, viſitantibus
,, in quibuſdam certis feſtivis diebus Eccleſiam Fratrum Minorum Mo-

Indiculus.

,, nachii exiſtentem, affirmandum utique venit ante hunc annum illud
,, primum Cœnobium conſtructum fuiſſe. „ Sed tempus, quo id Cœ-

ADDITIO ALIORUM.

,, nobium fundatum eſt certis fortaſſis conjecturis aſſequemur, ſi Fra-
,, trem Caſtinum, de quo ſupra dictum eſt, aut ipſo anno MCCXXI.

Ex Arch. Prov. Bav.

,, quo Auguſtæ vindelicorum Comitia habita ſunt, aut ſub initium ſe-
,, quentis anni Monachium veniſſe animadvertimus: eidem Templum
,, ſancti Jacobi in ea urbe attributum; cujus Templi locus Angerium

Wad. Tom. 2. ad ann. 1223. n. 25.
Chr a. MS. f. 22.

,, dicebatur: brevique piorum hominum liberalitate Cœnobium extru-
,, ctum. Nam Comitiorum Spirenſium tempore, quæ anno MDCCXXIII.
,, coacta ſunt, certum domorum numerum, quem noſtri Cuſtodiam
,, appellant, in Bavaria fuiſſe, Angelumque Wormatienſem Bavariæ
,, ſimul, ac Sveviæ Cuſtodem eiſdem Comitiis declaratum, comper-
,, tum eſt. Cum vero ex Tabulariis Provinciæ primas ædes Cuſtodiæ in
,, Angerio fuiſſe intelligamus, inde conſequitur, Cœnobium illud ante
,, hunc annum excitatum fuiſſe, adeoque anno MCCXXI. vel proxime
,, ſequenti, initium habuiſſe: id, quod tum Alexandri diploma, tum

Gonz. Prov. Arg. Con. 1.

,, ea quæ diximus, monumenta diſerte teſtantur. Putamus igitur cor-
,, rigendum Gonzagam, qui anno MCCLXXXIX. jacta Cenobii funda-
,, menta per errorem commemorat.
,, II. Ceterum ſummus Pontifex, præter recenſita & allata a Waddin-
,, go, plura alia diplomata pro Minoritis hoc anno conceſſit, ut Indul-
,, gentiam pro die ſanctæ Claræ Uratiſlavien. *Sanctorum meritis &c.*

Apoſtol. litteræ n. 24. in favorem FF. & mon. citantur.

,, prid. Non. Januar. Pro fratre Bartholomæo contra Lactuanos, & Ter-
,, ra S. *Dignum eſt &c.* Nonis Januar. Pro Monialibus Montis Lucis
,, Peruſii. *Perſonis quæ &c.* Idib. Januar. pro Monialibus Aſtenſibus.

Ex Oder. n. 22.

,, *Cum dilectæ in Chriſto &c.* XII. Kalend. Februarii, incluſa in alio
,, Nicolai IV. anno I. Quod Eremitæ ſancti Auguſtini non recipiant
,, Fratres Minores. *Veſtram &c.* Nonis Februar. Indulgentiæ 100. die-
,, rum pro Capitulis Provincialibus. *Licet corporalia &c.* IV. Kal. Mar-

tii.

,, tii. Minoribus pro Indulgentia Terræ ſanctæ: *Ex relato &c.* IV. Kal. *Ex Arch. SS. Apoſt.*
,, Aprilis. Pro Inquiſitoribus Poloniæ Pragen. *Præ cunctis &c.* V. Kal.
,, Maii. Provinciali Provinciæ Romanæ pro Græcis: *Neceſſitatibus ve-*
,, *nerabilis &c.* Idibus Julii. Ad Regem Franciæ contra Guillelmum de
,, ſancto Amore: *Cum propter &c.* III. Idus Auguſti: Indulgentia pro
,, Monte Alverna: *Sanctorum meritis &c.* Kalen. Septembris. Pro ele-
,, ctione Abbatiſſæ Liraben. executorialis: *Dilecta in Chriſto &c.* Nonis
,, Septembris. Abſolutio Scholaſticorum Pariſienſium: *Dilecti filii &c.*
,, V. Kal. Octobris. Ad Clariſſas Aſſiſinaten. commendatitia: *Largiſſimæ*
,, *paternæ &c.* XVI. Kal. Novembris. Ad ſanctum Bonaventuram pro
,, ejus regimine: *Ut miniſterium &c.* XII. Kal. Novembris. Pro Monia-
,, libus Montis Lucis Peruſii: *Ad aures noſtras &c.* VI. Kal. Novembris.
,, Pro eiſdem: *Ad aures &c.* VI. Idus Novembris. Pro Conventu Ty-
,, burtino: *Ille ſpecialis affectus &c.* III. Idus Novembris. Ad Abbatem
,, de ſancto Facundo pro quodam Fratre: *Ex parte dilectorum &c.* V. Kal.
,, Octobr. Pro fabrica Conventus confluen. *Quoniam ut ait &c.* prid.
,, Non. Decembr. Ne Plebanus impediat prædicationes: *Implacida de-* *Specul. fol. 9.*
,, *tuis &c.* Nonis Decemb. Ut Fratres Uratislavien. utantur ornamentis
,, ſericis: *Ex parte dilectæ &c.* X. Kal. Januarii. Ne Prælati Eccleſiæ im-
,, pediant Fratres prædicare, & confeſſare: *Plantatus &c.* V. Kal. Ja-
,, nuarii. F. G. executorialis pro quadam diſpenſatione: *Cum ſicut &c.*
,, V. Kal. Januarii. Pro vulneribus S. P. Franciſci: *Grande & ſingulare*
,, *&c.* Quod ex ſpeculo hic ad litteram referimus.

ALEXANDER EPISCOPUS &c.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis &c.

Breve pro vulneribus S. Patris Franciſci.

,, *GRande, & ſingulare miraculum, quo beatum Franciſcum ipſe San-*
,, *ctorum ſplendor, & gloria Dominus Jeſus Chriſtus mirabiliter de-*
,, *coravit; vobis fel. record. Gregorius Papa IX. predeceſſor noſter, clara*
,, *ſua inſinuatione litterarum expreſſit, videlicet, quod idem Sanctus cum*
,, *adhuc ſpatium præſentis vitæ percurreret, & poſtquam illud feliciter*
,, *conſummavit, in manibus, latere, ac pedibus ſpecie ſtigmatum divinitus*
,, *extitit inſignitus: Cum igitur tam inſigne amoris divini ſignum, quod*
,, *utique ante ejus obitum patuit, & nobis etiam tunc notum fuit, eodem*
,, *prædeceſſore in minori adhuc officio conſtituto, ab omnibus Chriſticolis*
,, *credi firmiter cupiamus: Devotionem veſtram rogamus, & hortamur in*
,, *Domino Jeſu Chriſto in remiſſionem vobis peccaminum injungendo, qua-*
,, *tenus ab aſſertione contrarii, quæ nonniſi ex cordis malignitate procede-*
,, *ret, aurem, & mentem penitus avertatis; reddentes vobis eumdem*
,, *Sanctum digna veneratione propitium apud Deum, ut adjuti ejus preci-*
,, *bus, & meritis, felicitatis æternæ poſſitis participium obtinere. Datum*
,, *Anagniæ Pontificatus noſtri anno* III.

,, III. Conceſſit pariter Fratribus de male acquiſitis, & incertis reli-
,, ctis, poſſe recipere quæcumque ſibi donentur, juxta tenorem ſequen-
,, tis litteræ Apoſtolicæ.

ALEXANDER EPISCOPUS &c.

Generali, & aliis Provincialibus Miniſtris, ac Fratribus Ordinis Minorum ſalutem, & Apoſtolicam &c.

Aliud, quo concedit Minoribus poſſe recip. dona quæcumque ex reſtitutione male acquiſitorũ, vel incertorum &c.

Specul. fol. 8.

„ 1. F*Elic. record. Innocentius Papa prædeceſſor noſter, & nos poſtmo-*
„ *dum ad inſtar ipſius, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus domus*
„ *militiæ templi Hieroſolymitani, pro exoneratione debitorum, quibus*
„ *teneri dicuntur, ut de uſuris, rapinis, & alias quocumque modo illicite*
„ *acquiſitis, quæ Chriſtifideles mandant reſtitui in ultima voluntate, vel*
„ *dum vivunt, etiam ſi ſoſpitate fruuntur, reſtituere ſunt parati, ſi quibus*
„ *ipſorum reſtitutio fieri debeat, omnino inveniri non poſſint: nec non de*
„ *legatis indiſtincte in pios uſus, non expreſſis locis aliquibus, vel perſonis,*
„ *uſque ad decem millia marcarum argenti, ubique locorum, extra Regnum*
„ *Alemaniæ, recipere valeant: per Apoſtolicas, ſub certa forma, litteras,*
„ *dicimur conceſſiſſe, diverſis ſuper hoc eis executorialibus deputatis.*
„ 2. *Verum quia, ſicut intelleximus, dicti Magiſtri, & Fratres ſuper*
„ *præmiſſis, ſive vobis, ſive depoſitioni, vel ordinationi alicujus, vel ali-*
„ *quorum ex vobis quomodolibet relinquuntur: ſeu ſi executores deceden-*
„ *tium, de talibus eorum diſpoſitioni relictis vobis velint aliqua elargiri:*
„ *vos occaſione conceſſionis inquietant multipliciter, & moleſtant.*
„ 3. *Nos volentes paci, & tranquillitati veſtræ paterna ſuper hoc ſolli-*
„ *citudine providere: Vobis univerſis, & ſingulis, ut tales litteras prædi-*
„ *ctis Magiſtro, & Fratribus ab Apoſtolica Sede conceſſas, nullum vobis*
„ *veſtroque Ordini præjudicium generetur: quin eiſdem litteris nequaquam*
„ *obſtantibus, ea, quæ de præmiſſis vobis, & ipſi Ordini relinquuntur, &*
„ *ab executoribus decedentium exhibentur, recipere, ac de eis, quæ veſtræ*
„ *committuntur diſpoſitioni, ordinare, ac diſponere libere valeatis: aucto-*
„ *ritate præſentium indulgemus, prædicto Magiſtro, & Fratribus, ac*
„ *etiam executoribus eorumdem in virtute obedientiæ diſtrictius inhibentes,*
„ *ne vos, vel veſtrum aliquos prædictarum litterarum prætextu mole-*
„ *ſtare contra hujuſmodi tenorem, inquietare, ſeu quomodolibet perturba-*
„ *re præſumant. Nos enim nihilominus omnes excommunicationis, ſuſpen-*
„ *ſionis, & interdicti ſententias, quas per eoſdem executores in vos, vel*
„ *veſtrum aliquos occaſione hujuſmodi promulgari contigerit, decernimus*
„ *irritas & inanes. Nulli ergo &c. Dat. Viterbii* XVII. *Kal. Novembris*
„ *Pontif. noſtri anno* III.

Prohibet Fratribus milit. Templi Hieroſolymit. ne eos moleſt.

„ IV. Ad idem aliud conceſſit, ut ſequitur.

ALEXANDER EPISCOPUS &c.

Univerſis exetutoribus teſtamentorum præſentes litteras inſpecturis &c.

Aliud ad idem.

Specul. fol. 8.

„ 1. E*X parte dilectorum filiorum Miniſtri Generalis, & Fratrum*
„ *Ordinis Minorum fuit propoſitum coram nobis, quod cum aliqui*
„ *veſtrum de male ablatis, & illicite acquiſitis, quæ fideles neſcientes,*
„ *quibus horum reſtitutio fieri debeat, nec non de iis, quæ iidem fideles*
„ *indiſtincte non expreſſis perſonis, vel locis veſtro arbitrio, ſeu de conſilio*
„ *alicujus, per vos in pios uſus eroganda committunt, velint eorumdem*

Fra-

,, *Fratrum indigentiis providere: nonnulli Eccleſiarum Prælati, nec hoſpi-*
,, *talis, & militiæ Templi Hieroſolymitani, ac etiam militiæ ſancti Jaco-*
,, *bi domorum Magiſtri, & Fratres, & alii, pro quibus ſuper obtinendis*
,, *ab eis certis quantitatibus legatorum, hujuſmodi litteras noſtras direxiſ-*
,, *ſe dicimur: per executores ſibi ſuper hoc deputatos a nobis impedire pro-*
,, *curant, ne prædictorum Fratrum Minorum indigentiis de prædictorum*
,, *legatis per vos valeat ſubveniri: propter quod duxerunt ad Apoſtolicæ*
,, *Sedis auxilium recurrendum.*
,, 2. *Cum igitur noſtræ intentionis non fuerit, nec exiſtat, per hujuſmo-*
,, *di litteras providendi eiſdem Fratribus de prædictis legatis vobis adimere*
,, *facultatem: Univerſitati veſtræ præſentium auctoritate concedimus, ut,*
,, *non obſtante contradictione prædictorum executorum, eiſdem Fratribus*
,, *Minoribus de prædictis legatis providere poſſitis, prout eorum neceſſitati-*
,, *bus videritis expedire.*
,, 3. *Nos enim interdicti, ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſenten-*
,, *tias, ſi quas per executores eoſdem in aliquos veſtrum, vel Fratres prædi-*
,, *ctos, ſeu quoſcumque alios occaſione hujuſmodi contigerit promulgari,*
,, *decernimus irritas & inanes. Dat. Anagniæ Pontif. noſtri anno* III.

,, V. Hoc tamdem anno in Italia beatus Prodtus Confeſſor, humilli-
,, mus, atque modeſtus, glorioſo fine quievit in Domino, cujus memo-
,, riam habuit Gonzaga, & ex eo Piquetus: Arturus vero diem XIX.
,, Decembris in minoriticis faſtis ei adſignavit.

Obit B. Prodtus.

Gonz. p. 1. in BB. Viris. ex eo Piquet.

,, VI. Kaliſienſem Conventum a Caſimiro II. Poloniæ Rege fun-
,, datum, & dedicatum ſancto Stanislao MCCCXXXIX. refert Waddin-
,, gus, & ex eo ejus Epitomator Haroldus. Verum fratre Daniele Pro-
,, vinciæ Bohemiæ, & Poloniæ in Provincialem electo anno MCCLVI. ce-
,, lebrante hoc anno MCCLVII. Congregationem capitularem Provinciæ
,, Inouladislaviæ in Cujavia die feſto ſancti Antonii, non tantum Kaliſii,
,, ſed etiam Niſſæ Conventus tunc acceptatos fuiſſe, ſcribit Caſimirus,
,, qui tamen Waddingo non contradicit, admittens Caſimirum II. cogno-
,, mento *Magnum* anno MCCCXXXIX. eum coctilibus muris cinxiſſe:
,, cum idem etiam aſſerat Miechovius lib. 4. c. 23. his verbis, An-
,, no MCCCXXXIX. Monaſterium Fratrum Minorum ſub titulo ſancti
,, Stanislai, Caſimirus Rex Poloniæ in ſuo Regio oppido Kaliſſi funda-
,, vit, & muro coctili erexit: At nihilominus id ad reædificationem, &
,, quidem a fundamentis, unde poſſet dici vere fundatio, eſt referen-
,, dum, & non quod ibidem antiquius Cœnobium Minoriticum non
,, eſſet, in Capitulo præmiſſo acceptum hoc anno MCCLVII. a Boleslao
,, Pio Duce Kaliſienſe, beatæ Julentæ marito, fundatum: Et ejus qui-
,, dem antiquioritatis, & Ducalis magnificentiæ, luculentum ex Dugloſ-
,, ſo noſtrate hiſtorieo laudatum affert documentum in vitis Archiepi-
,, ſcoporum Gneſnenſium Stephanus *Damalewicz* vir non minus doctus,
,, quam multiformis experientiæ ſenex: hic de Archiepiſcopo Jacobo
,, *Suink*, in ordine vigeſimoquinto loquens, ait, conſecratum fuiſſe
,, anno MCCLXXXIII. in Eccleſia ſancti Stanislai Fratrum Minorum, his
,, verbis: is cum ab Urbe rediiſſet, Kaliſii in Eccleſia D. Stanislai Fra-
,, trum Minorum Conventualium XVII. Kal. Ianuarii Sacerdos ordina-
,, tus, ſequenti deinde Dominico die a Thoma Uratislavienſi, Joanne
,, Poſnanienſi, Goslao Plocenſi, Volimirio Lubuſſenſi, præſente Pre-
,, mislao Duce majoris Poloniæ, in Epiſcopum conſecratus, pallium

Ad Ord'n. recip. Conventus Kaliſii, & Niſſæ.

Arturus ad 19. Decemb.

Wadd. ad ann. 1114. n. 4.

Kaliſſienſe Cœnobium a Caſimiro Poloniæ Rege fundatur.

Harol. ad eund. an. n. 1.

Caſimir. Biern. art. 18. n. 14.

Stephani Damalev. relatio.

Jacobus Suinck conſecratur Epiſcop.

,, ibidem Metropolitanæ dignitatis, præſtito juramento Sedi Apoſtoli-
Miechov. l. 4. c. 23. ,, cæ, aſſumpſit: in qua ſolemnitate annulum gemma, & opere inſignem
Dugloſſ. MS. tom. 2. ,, ab eodem Duce dono accepit, ut diſerte meminit Dugloſſus in MSS.
,, Tom. 2. Quod autem Lucas Waddingus ex Rodulpho in Provincia
Miech. l. 4. 21. ,, Bohemiæ, & Cuſtodia Gneſnenſi aſſerit, anno MCCCXXXIX. a Caſimi-
Bielſcius l. 2. fol. 239. ,, ro cognomento *Magno* Minoribus extructum Conventum Kaliſii,
,, muriſque cinctum coctilibus: id ita debet intelligi, ut mœnibus Civi-
,, tatis ſeptus ſit Conventus a Caſimiro, quibus jam ante ſtetit Eccleſia,
,, ut ipſi muri ſunt teſtes in angulum Eccleſiæ jam ſtantis immiſſi: quid
,, enim erat neceſſe contra normam architecturæ, angulum, qui acuto
,, reſpondere debuit, factum in altera parte obtuſum: nimirum fluvius
,, Civitatem præterlabens, urſit partem circuitus muri, in Eccleſiam
,, ante conſtructam: quæ ſi una cum muris Civitatis fuiſſet ædificata,
,, ſatis habuiſſet protenſæ in alteram partem longitudinis, abſque de-
,, trimento proportionis. Fuit igitur Eccleſia ſancti Stanislai Fratrum
,, Minorum ante muros Caſimiri, quod noſter affirmat hiſtoricus Du-
,, gloſſus, in qua conſecratus eſt Jacobus, & pallium accepit: hucuſque
,, ille. Cujus aſſerti non leve eſt veritatis argumentum: quod inter
,, opera a Caſimiro Magno muris coctilibus extructa, non memoretur
,, Conventus, vel Eccleſia Fratrum Minorum fabricata, ut videre eſt
Kaliſſium oppidum deſcribitur. ,, apud ipſum Miechovium, & Bielſcium. Kaliſſium autem ad amnem
,, in Vartam defluentem, nobile, & regale Oppidum eſt, Meridiona-
,, lius a Gneſne Archiepiſcopali Urbe inferioris Poloniæ, ab ipſa Gne-
,, ſne in meridiem per decem leucas abiens, ſub latitudine Septentrio-
,, nali grad. 52. 10. & longitudine a Canariis grad. 40. circiter; Regio
,, algore quidem horrida, ſed ſolo fertilis, abundans, & chriſtiana Reli-
,, gione clara, Tartarorum incurſionibus ſubjecta, facile ſanguine per-
,, fuſa; Martyres cœlo gignit.
Brugæ C. E. habet Monaſterium S. Claræ. ,, VII. Brugis in Flandria Urbe a pontium frequentia dicta, vel a
,, ponte *Brugſtok*, juxta Oldenburgum, & Ardenburgum, e quarum
wadd. ad ann. 1289. ,, Urbium ruinis extructa eſt, totius Belgii amæniſſima, Monaſterium
,, Urbaniſtarum ſub titulo S. Claræ conſtructum fuiſſe anno MCCLXXXIX.
,, vix enarrat Waddingus: quod monumentis illius Monaſterii nullo
,, pacto cohæret: cum illa ad hæc tempora præfatam fundationem refe-
,, rant, hiſtoriamque perpulchram, & pientiſſimam, nullo modo præ-
,, termittendam recitent in hunc modum.
Colonia Agrippina Patria Ermentrudis V. ,, VIII. Celeberrima in Urbe Coloniæ Agrippinæ Germaniæ infe-
,, rioris, ad citeriorem Rheni ripam, Virgo quædam Ermentrudis no-
Ex Mon. MSS. illius Monaſter. prac. S. Andreæ. ,, mine nobilibus orta parentibus, a teneris annis gratia divina excitan-
,, te, non ſeculi vanitatibus, ſed in orationibus, corporiſque mortifica-
,, tionibus, ad exterorum, & domeſticorum ſtuporem Deo vacare
,, aſſueta, inter ætate creſcendum virtutibus mire gliſcebat, quibus
,, corporea venuſtas etiam & ipſa illuſtrata, non adſpicientium obtutus
,, ad cupidinem, ſed imo venerationem alliciebat: & quidem animæ
,, ſuperna mentis acie Deum quærenti, ac ſagaci diligentia comprehen-
,, denti, fax divina illuminans, & non comburens, purgans, & perfi-
,, ciens, ſic illucet, ut illam quodammodo ipſi Deo aſſimilet, & qua-
,, dam inenarrabili divinitate exornet, qua tuto intemerata perſeve-
,, rare queat: eſt enim lumen, & pax tenebras diſcutiens, bellumque
,, profligans: quia vero Deus eam præordinaverat ad alta, & præele-
,, gerat in multorum ſalutem, & ad id ſuis chariſmatibus diſponebat, ut

,, idonea fieret, pergravi tentamine prius probatam, ab omni quod
,, amorem mundi olere quoquomodo poſſet, præpotenter diſtraxit.

Ejus parentes decumbunt.

,, IX. Ermentrudis inexpectate decubuere parentes, ambo ſuprema
,, infirmitate correpti, & illa de eorum ſalute ſollicita, eorum ſervitiis
,, intenta, licet non deeſſent famuli, & ancillæ, nihil prætermittebat,
,, quod eorum recuperandæ incolumitatl opportunum viſum fuiſſet:
,, etenim poſt Deum, nil ipſi carius erat: ſincere amabat eos, & filiali
,, reverentia ex corde proſequebatur, memor primorum elementorum,
,, quæ ab infantia didicerat: & hæc inter corde exorabat Altiſſimum pro
,, eorum ſalute; at Deus, in cujus manu ſunt dies hominis, aliter,
,, quam ipſa voluiſſet, diſpoſuit: paucis enim poſt diebus ambo finem
,, vivendi adinvenere: parentum mors gladius fuit utraque parte acu-
,, tus, qui Ermentrudis præcordia diſſecuit: in longos ſingultus proru-
,, pit, ac tota in lacrimas ſolvebatur, quando memor voluntatis divinæ
,, cura parentandi aliis domeſticis relicta, in ſuum cubiculum ſola, &
,, feſtina ſe recepit, & clauſo oſtio, ante Crucifixi imaginem poſitis ge- *Pro ipſis orat.*
,, nibus, diu gemens, & plorans pro æterna ſalute ſuorum parentum,
,, miſericordiam Dei exoravit, & ut ardentius oraret, cruentis flagellis *In ſpiritu rapta*
,, in ſuum corpus ſæviebat; tamdem poſt prolixam orationem, facta eſt *vider animã Pa-*
,, manus Domini ſuper illam, & rapta in ſpiritu damnatam æternis cru- *tris in Inferno*
,, ciatibus animam patris ſui, quam videbat, exhorruit, extremiſque *cruciari.*
,, pavoribus, ac timoribus aggreſſa pene deficiebat. Quando altera *Matris vero in*
,, ex parte matrem in gloria cæleſti, ſummo cum gaudio intuita ſibi di- *gloria cœleſti.*
,, ctum audivit: vidiſtine Ermentrudis? Magiſtros habes: fac, iis do-
,, centibus, talem vitæ normam inſtituas, ut cum pluribus aliis virgi-
,, nibus, quarum futura es primiceria, ad æterna gaudia fœliciter pro-
,, peres, & ne ſecus facias, pave ignes æternos; ita, Domine, faciam,
,, reſpondit illa: ſtatimque ad ſe rediit.

,, X. Ermentrudis interea, quid ſibi deliberandum eſſet, minime *Conſilium petit*
,, videns, conſilium petere decrevit, & maxime quod ſciret, non eſſe *a pio Sacerdote.*
,, temere credendum omni ſpiritui. Erat Coloniæ Vir ſacerdos reli-
,, gioſus Ordinis ſancti Patris Dominici doctus, prudens, & valde pius,
,, qui Ermentrudis ſacramentales confeſſiones excipere, & eam in via
,, ſalutis dirigere ſolebat: ad eum Virgo prudens, & ſollicita declina-
,, vit, eique omni re aperta, ſupplex ſuis orationibus præcipue inter
,, celebrandum commendavit, exceptura ſubinde in re tanti momenti
,, ſuum conſilium, eoque ſuas actiones directura: promiſit religioſus
,, Vir, abiit, & in celebratione Miſſæ pro Ermentrude Deo cum inſtan-
,, tiſſimis precibus incruentum Corporis, & Sanguinis Domini obtulit
,, holocauſtum: Ermentrude interea preces, & ipſa offerente, ut Sa- *Admonetur re-*
,, cerdoti ſupplicanti benignum præſtaret auditum, & a ſua mente du- *linquendam eſſe*
,, bietatem, qua plurimum angebatur, removeret, vireſque ad exe- *Patriam.*
,, quendam ſuam ſanctiſſimam voluntatem de ſua benignitate augeret:
,, his ita peractis, regreſſus piiſſimus Sacerdos ad Virginem, quæ genu-
,, flexa oraculum expectabat, dixit: Ermentrudis filia confortare, &
,, eſto virilis, non fuit illuſio vana, quam habuiſti, ſed viſio vera, &
,, quod in corde audiſti, Dei beneplacitum eſt, & non deceptio mentis,
,, ac tuum eſt obſervare promiſſa: plura dicere vetor, quibus vel te
,, præmoneam, vel inſtruam, cum ab unctione Spiritus ſancti, qui tibi
,, vires ſuppeditabit, & conſilia ſuggeret optima, in dies edoctura ſis:
,, hoc tantum addam, quod reticere non debeo, voluntatem Dei eſſe,

„ ut, relicta patria, alio te conferas, viam diriget ipſe, locumque
„ oſtendet: quibus dictis, benedixit ei, & in pace dimiſit: illa vero
„ ſurrexit, & ſtans oculis levatis in cœlum, & expanſis manibus, dixit:
„ gratias tibi ago Domine Deus, Dux & Magiſter meus, qui ſcripſiſti de
„ me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, & ſemper le-
„ gem tuam in medio cordis mei habebo: indeque verſa ad Sacerdotem
„ demiſſo capite dixit: Pater ſancte ora pro me: & nulla interpoſita
„ mora diſceſſit.

„ XI. Propoſiti tenax Ermentrudis, conſcia, Spiritus ſancti gra-
„ tiam neſcire molimina tarda, aſſumpta in ſociam itineris devota qua-
„ dam virgine Sapientia nomine, cui ſui cordis arcana, ſobrie tamen,
„ reſeraverat, dixit: in nomine Chriſti dilectiſſima ſoror procedamus
„ in pace, & Angelus ejus comitetur nobiſcum in via, qui nos protegat,
„ defendat, & dirigat greſſus noſtros in ſemitis ſuis; quibus dictis,
„ nec verſa facie ad Civitatem, Colonia diſceſſerunt, eo ituræ, quo
„ Spiritus Domini ducturus erat: nec enim gnaræ viarum, aut locorum
„ quidquam certi ſibi præfigere poterant: dum irent pedites, & invi-
„ cem colloquerentur de divino amore, & de virtutibus fortiter adi-
„ piſcendis, ut illo, & his dignæ mererentur haberi: nec labor eas
„ defatigabat: nec fames, aut ſitis torquebat, ſed vegetiores, & ſupra
„ ſe ipſas fortiores, lætæ proficiſcebantur; quando tamdem, adveſpe-
„ raſcente die, oculis in quadam ſolitudine inter frondoſas quercus,
„ non nimis remotum Ermentrudis Tuguriolum offendens Comiti di-
„ xit: en illuc, dilectiſsima ſoror, nobis hoſpitium præparavit Deus,
„ ne ſub dio hac nocte eſſemus, properemus ad illud: ut autem appli-
„ cuerunt, Eremitorium noverunt eſſe, nec eas cujuſquam viri ſubiit
„ cogitatio, qui locum incoleret, cum omnes cogitatus ſuos in Deo adju-
„ tore ſuo repoſuiſſent, ipſeque ab earum cordibus omnem pavorem
„ abegiſſet,

Cum ſocia abiit quo a Spiritu ferebatur.

„ XII. Silva erat religioſis receſſibus, & egregia ſanctitate digna,
„ frondoſorum, & virentium arborum pulchra, & amabili varietate
„ referta; non artis quidem ſumptuoſa induſtria, ſed naturali ſua ſponte
„ liberrime nata: quæ ſalebroſis, & ruinoſis ſaltibus circumquaque mu-
„ nita, feris, & quibuſque agreſtibus beſtiis aditu præcluſo, aves cœli
„ ſolas admittebat, quæ diverſo, ſed canoro garritu Silvicolampium
„ oblectare poſſent, & ejus animum ad divinas laudes excitare: ab
„ omni via longe remota hominum nullos, nec venatorum canes videre
„ ſolebat: & nihilominus non omnino impervia erat: ad eam enim itur
„ per tramitem tortuoſum, ſecretum, herboſum, dumetis, & ſentibus
„ plenum, ideoque ſoli incolæ notum: in medio ſinum aperit, haud
„ inelegantem, ſed herbido, & floreo prato gratum, quem mixtis odo-
„ ribus fragrantem, de ſaxo fons mire ſcaturiens perenniter irrorat,
„ udumque reddit. Hunc locum quædam transfuga mundi ad Chriſti
„ partes, pluribus ab hinc annis occupaverat: de arborum ramis, &
„ ſtraminibus permixta creta Eremitorium ipſa ſibi conſtruxerat, &
„ parvulum hortum, quem ſuo labore colebat; ſolus hujus rei conſcius
„ erat Antiſtes, & pius quidam ſacerdos, qui, ſtatis temporibus, ad
„ eam accedens Sacramenta miniſtrabat, fruſtulaque panis, & ſimilia
„ deferebat.

Deſcribitur Silva.

Eremitorium offend.

Quod incoleb. quædã alia Virgo.

„ XIII. Ad illud ergo Eremitorium Ermentrudis cum Comite ſub
„ veſpertinis crepuſculis, eo ferme momento, quo e ſilva redux loci
in-

A qua hoſpitatur cum ſocia.

„ incola pervenit, quæ admirata juvenculas ad oſtiolum ſui tugurii,
„ dixit: unde eſtis vos, o juvenculæ, & quis Angelorum huc vos con-
„ duxit? Jeſu pax nobiſcum ſit, ad hæc Ermentrudis reſpondit, amen.
„ Sit nobiſcum Deus pacis & amoris: e Colonia ſumus, o Mater, ambæ
„ juſſam a Deo fugam a rumoribus Urbis, & Orbis exequentes; & An-
„ gelus ejus ad hunc locum ſalvas, & incolumes deduxit: nunc ergo
„ Mater cariſsima, tecum ex caritate Dei hac nocte tantum excipe nos,
„ quas vides transſugas mundi, mane ituras eo, quo voluerit Dominus;
„ quibus reſponſioni, & humili petitioni aquieſcens Silvicola, ſtatim eas
„ in ſuum tugurium perhumaniter excepit, intelligenſque, per totam
„ diem jejunas, ex arcula lignea fruſtula panis, quæ ſibi ſuperfuerant,
„ cum pyris, & pomis agreſtibus protulit: ſaxeoque ſedili locatis, ſu-
„ per humile ſcamnum obtulit: arreptaque cucurbita pro urceo, quo
„ carebat, pro potu, ſeſtina cucurrit ad fontem, indeque regreſſa
„ exhortabatur, ut hilariter ederent, quæ paupertas Eremi poterat mi-
„ niſtrare: Ermentrudis autem cum Comite ſurgens de ſaxo, elevatis
„ in cœlum oculis, junctis manibus Deum præcata eſt, ut ſe, & ea,
„ quæ de ſua liberalitate ſumpturæ erant, benedicere dignaretur: ſubin-
„ deque ſedentes comederunt, poſtque cibum iterum ſurgentes, pro
„ beneficiis collatis cum humilitate gratias reddidere Deo, & ſuæ ho-
„ ſpiti, quæ religioſum modum earum obſervata, de vita ſolitaria pium
„ ſermonem inſtituit dicens: a frequentibus, & ſollicitis mundi pericu-
„ lis, adjutorio ſpeciali Dei huc multis ab hinc annis me recepi, ut vide-
„ tis, ubi nec homo, nec bellua hucuſque apparuit, & pro miraculo mihi
„ eſt vos intueri. Sit benedictus Deus, qui ut puto, ſorte vos ad Ana-
„ choreticam vitam vocat, quæ certe ardua nimis non omnium eſt:
„ omnium enim melius, quod in Eremo haberi poſſit, eſt orare, ſuper-
„ na meditari, & ſuper omnia Deum diligere, cujus conſolationes ani-
„ mam diligentis ipſum ex corde lætificant: cetera vero eſurire, jeju-
„ nare, penuriam pati, vigilare, aſſiduis flagellis corpus edomare ſunt
„ ea, quæ vitam conſumunt; unde perrari ſunt, qui hoc genus vivendi
„ amplecti velint, & eorum, qui amplexantur, tanta rigiditate devi-
„ cti, plures relinquunt. Nunc ergo ſi ſorte hujuſmodi vitæ amor vos
„ tangit, quid reſpondetis ad hæc?

Ermentr. tentatur ab hoſpita, cui prudenter reſpondet.

„ XIV. Ermentrudis, ut audivit attente, petita venia, dixit: li-
„ cet, o veneranda Mater, juvenum ſit in ſilentio ſenem audire, & re-
„ verenter tacere: tamen quia exploratura noſtram mentem loquuta
„ es, reſpondebo: at ſi ſorte inepte, corriges, & inertiæ parces; hi,
„ qui difficultatibus anachoreticæ vitæ, quam aliquando admiſerant,
„ devicti ignave deſerunt: meo judicio ſunt, qui Deum ignorantes,
„ nec ejus præmia in cœlis repoſita juſtis, nec ejus pœnas in Inſerno
„ reſervatas reprobis, norunt: iique ſorte, factis ſaltem Deum eſſe ne-
„ gant, ſi belluino more vivant: etenim qui Deum, ejuſque prœmia,
„ & pœnas ſic ignorant, ſacile a bene cœptis male recedunt. Deum
„ autem ignorant ii, qui ſcire negligunt, & pejus ſi contemnant; cum
„ alioquin ſacillime cognoſcere poſſint retributorem bonorum, vindi-
„ cemque malorum: Deus enim quærenti ſe prior occurrit, ut inven-
„ tus teneatur, & ſincero corde ametur: hic, o veneranda Mater, a
„ bene cœptis non deficit, ſed imo ferventius ſemper inſiſtit, & diffi-
„ cultatea quantumvis maximas, divino jugiter confortatus amore fa-
„ cile ſuperat: o Mater, novi, & certe novi, quæ dico: quamobrem
ſcias,

,, ſcias, me Deo devotam nulla mundi terriculamenta pavere: quibus
,, dictis, ab imo pectore ſuſpirans, tacuit: at admirata loquentem ho-
,, ſpita, ut gemitus audivit, ſiluit & ipſa: & dilatato ſtramine, ſuper
,, quod ſola cubabat, recubitus locum in anguſtia ſitus ampliavit, ut &
,, ipſæ quieſcere poſſent; ac tugurium clauſit.

Angelus admonet hoſpitam ut eam dimittat.

,, XV. Ut experta eſt Eremicola Ermentrudis ſpiritum, morum in-
,, nocentiam, & propoſiti in bono tenacitatem, cogitavit eam ſecum re-
,, tinere: jamque in tenebris ſtrati tugurium aliquantulum ampliare
,, parabat, animo ligna ſcindebat, ſtramina colligebat, Cretamque pin-
,, ſibat: ſed ibi eam nolebat Altiſſimus ad egregia, & altiora facinora
,, deſtinatam: apparuit enim talia cogitanti Angelus Domini dicens:
,, Noli anxiari Ancilla Chriſti, & cogitatus, quos mente revolvis, ab-
,, jice, vani quippe ſunt, & divinæ voluntati adverſantur: tibi enim
,, mandat Dominus: dimitte in pace Ermentrudim, quam mihi ſervavi:
,, ut novit Dei voluntatem Eremicola plurimum gaviſa eſt, quod me-
,, ruiſſet videre, audire, & hoſpitari tantam Virginem tantopere a Deo
,, dilectam. Facto autem mane cum omnes flexis genibus Deum oraſſent,
,, gratiaſque egiſſent, exiliens Eremicola, quod antea non fecerat,
,, amplexata Ermentrudim, oſculata eſt dicens: benedicta ſemper ſis a
,, Domino, qui tibi magna facit: ipſe dirigat greſſus tuos in ſemitis
,, ſuis, ut non moveantur veſtigia tua: comes tibi ſit, qui mihi loqu-
,, tus eſt Angelus Domini dicens: hæc ait tibi Dominus: dimitte in
,, pace ancillam meam, quando te mecum tenere putabam: iterumque
,, oſculatam dimiſit in pace: illa vero gratias agens ex corde, ita loqu-
,, ta eſt: ſit ſemper benedictus Deus, qui dignatur reſpicere humilitatem
,, ancillæ ſuæ: faciat de me quidquid ſibi placuerit, doceatque me face-
,, re voluntatem ſuam.

Dimiſſa deſcendit in Fland.

Ad Burg. & ad S. Bavonem ſe recepit.

,, XVI. Dimiſſa Ermentrudis in pace abiit, quo ſpiritus Domini
,, eam ducebat: eratque ei dulcis labor, via levis, & ſingulare ſolatium
,, Sapientia comes, cum qua de rebus divinis vel loquebatur, vel ora-
,, bat, vel ambæ in Deum jugiter abſorptæ meditabantur æterna: ſicque
,, procedentes, in Flandriam deſcenderunt, regionem aeris tempera-
,, tiſſimi, & ſoli fertilitate abundantem, ac ideo valde populoſam; at
,, Flandriæ primam Urbem tenuere Brugas tertio milliari a mari, &
,, loco plano amœniſſimo ſitam, vaſtam, populo multo refertam, opibus
,, florentem, & omnium rerum copia affluentem: locus eſt prope Bru-
,, gas ſancto Bavoni dicatus, ad eumque Ermentrudis ſe recepit, ac ibi-
,, dem ſolitaria aliquandiu vivens, orationi, meditationi, ceteriſque
,, exercitiis perfectionis intenta, divinam vocem præſtolabatur: nolens
,, ex ſe quidpiam audere: Joannem ſæpe meditabatur vix natum in Ere-
,, mum iviſſe, ibique nutritum agreſtibus Chriſti expectaſſe adventum:
,, id generis vitæ (dicebat intra ſe) forte Deo meo placebit: arbor enim
,, juxta viam, licet ferax, difficulter ad maturitatem fructus perducit,
,, & ſervat: ac permixtus ſeculi turbis, ſi non ex toto Dei oblitus fue-
,, rit, ſaltem illi ſoli non vacabit; ac ſolitudo novit quidem Sanctis pu-
,, riſſimam contemplationem cœleſtium reſerare, & ſynceram ſpiritua-
,, lium Sacramentorum ſcientiam revelare, non vero iis, qui minus
,, emendati ſunt, cum imo eorum vitia fovere, ac etiam exaggerare ſæ-
,, piſſime noverit. Hæc mente revolvens dicebat: o Ermentrudis, adeo
,, ne ſuperbies, ut te ſanctam exiſtimes, cum viliſſima beſtiola ſis om-
,, nium peccatorum ſarcina onuſta? deprime te ſuperba, comprime
talium

,, talium cogitationum inſolentiam, ac tantam ſpiritus ambitionem ſup-
,, prime: nudum cœpiſti Deo ſervire, & perfectionis apicem attigiſti?
,, o quam fatua es! cave tibi ſuperba; & converſa ad Dominum humil-
,, lime deprecans dicebat: Inſtrue me, quæſo, o amor meus, & Deus
,, meus, doce me facere voluntatem tuam.
,, XVII. Latebat, & quibat omnium oculos interea Ermentrudis ſo- *Solitariam vitam ducit.*
,, litaria, quæ doceri expectabat: at ejus virtus nequaquam latere po-
,, terat, cum veluti ſolis radii, compeſci minime poſſet, & (ut unguen-
,, tum fragrans ex obturata Pixide) longe, lateque profunderet odorem:
,, de Virgine Colonienſi loquebatur ubique fama: nec enim tenebræ,
,, nec ſolitudo (ut intentio dicendi erat) obſtabant, ne Ermentrudis
,, vita propalaretur, quin potius lumen addebant, ut ab omnibus inſpi-
,, ceretur: accurrebant ergo omnes propriis oculis viſuri, quæ adeo
,, egregia fama in ea laudabat: miraculum erat iis, intueri Virginem
,, venuſtate decoram, majeſtate gravem, morum ſanctimonia venerabi-
,, lem, & in omnibus ſuis actionibus irreprehenſibilem, tanta pœnitentia
,, non fractam, aut fatiſcentem, ſed vegetam, atque florentem, quaſi
,, quotidie epularetur opipare, quæ quotidie jejunabat, ſolis fruſtulis
,, panis, & aqua ex caritate oblatis contenta: virorum, quos, quam
,, poterat, declinabat, vix, at honeſtarum mulierum, & virginum ju-
,, vencularum congreſſus admittebat, cum eiſque de vita chriſtiana rite *Concurrentes ad eam inſtruit.*
,, inſtituenda, de morum honeſtate ſervanda, de Deo ſuper omnia dili-
,, gendo, & virtutibus adipiſcendis, prima verba faciebat tanta ſuavi-
,, tate, & eloquentia, ut omnes eam admirarentur: loquens ſubinde de
,, vanitate mundi, ejuſque fallacitate, in illius ſpretum commovebat au-
,, ditum: at de gloria Paradiſi lingua angelica plane loquebatur, ac ita
,, clare arcana illa referabat, ut e Cœlo dilapſa videretur ad annuntian-
,, dam magnitudinem cœleſtium gaudiorum, ac beatitatem æternam eo-
,, rum, qui merito vitæ miſericorditer ad illam transferuntur: cum vero
,, de damnatorum pœnis diceret, horrore ipſo inferni loquebatur, &
,, ſacro quodam furore agitata ipſa tormenta referebat ad vivum adeo,
,, quod eadem pati judicari potuiſſet, unde quotquot audiebant, ma-
,, ximo terrore concutiebantur: nec mirum, cum noſſet ea, quæ dice- *Exordium Monaſterii Brugenſis.*
,, bat. Non defuerunt ejus exemplo, & doctrina commotæ quæ illam
,, imitari vellent, ob idque ad ejus conſortium, & convictum admitti
,, poſtulabant: illa vero, niſi prævio divino conſilio, tali petitioni
,, conſenſit: ſed prolixa oratione ad Deum fuſa, audivit, ſuum bene-
,, placitum eſſe, ut ſecum plures in Cœlum traheret, quod ab initio illi
,, revelaverat: quamobrem plures ſolutas, & juvenculas ibi ad ſanctum
,, Bavonem admiſit, quibus magiſtra, & primiceria erat, illudque de-
,, votum gynæceum quo ſe ſociaſque recluſit, quod virtutum miram fra-
,, grantiam diffunderet, in magna veneratione haberi cœpit: & hæc eſt
,, Monaſterii Brugenſis origo.
,, XVIII. Sanctorum glorioſa fama ad eos imitandos pios bonæque
,, ſpei viros potenter allicit, efficaciterque diſponit; Gandavum urbs
,, ejuſdem regionis primaria, quarto a mari lapide ſita juxta tres fluvios, *Ex P. Bert. in deſcript. Flandriæ fol. 158.*
,, *Scaldim*, *Liſam*, & *Levinum*, e quibus per aquæductum, quem vo-
,, cant *Nievvaert*, qui ſe ad oſtion Saſſen in Oceanum exonerat (cata-
,, ractis ad hanc rem ſtupendo artificio extructis) in mare patet via, *Ermentrud. apud Gandavum locum excipit.*
,, diſtatque a Brugis ſeptem milliaribus regionis, optimam famam Er-
,, mentrudis ejuſque ſociarum Brugenſium ad ſanctum Bavonem, ma-
gnalia

,, gnalia loquentem audivit, eamque ad ſe ſpiritu Dei ductam vidit, ac
,, admirata eſt, quamobrem eodem modo quo Brugenſes ſolutæ, & ho-
,, neſtæ juvenculæ illam imitaturæ magiſtram, in unam domum conve-
,, nere, & magno virtutis fœnore proficiebant, fueruntque loca plura
Pluraque xenodochia fundat. ,, alia, in quibus conſtructis Xenodochiis fœminas pias, ac devotas ſuæ
,, diſciplinæ ad eorumdem curam ſtatuit: unde nomen Ermentrudis per
,, univerſam Flandriam celebrabatur, eo ferme tempore quo beata Cla-
,, ra Aſſiſias per univerſum orbem prædicabatur, & adhuc vivebat.

Petit a Domino vivẽdi normam. ,, XIX. Interea vero anxiabatur Ermentrudis neſcia quam certam
,, normam vivendi teneret, quaque ſuas aſſeclas tuto dirigeret; qua-
,, propter ſpeciali oratione munita jejuniis, & armata flagellis, cinere
,, conſperſa, & cilicio induta, Altiſſimo ſupplex in hunc ſenſum loquuta
,, eſt; tu ſcis Domine infœlicem eam ſortem Patris meì, quam mihi
,, oſtendiſti, me deteſtari: optimam vero matris ſuſpirare, ex tuæ gra-
,, tiæ liberalitate; eduxiſti me de domo, & de cognatione inſuper, & de
,, patria mea, ac per tuum Angelum cum ſocia, & comite incolumem
,, in Flandriam deduxiſti me, & miſericorditer de tua menſa paviſti nos:
,, ecce nunc ſorores, & filiàs dirigendas, & educandas in lege tua, &
,, in via mandatorum tuorum mihi minimæ, & humillimæ ancillæ tuæ
,, feciſti, nec recuſavi laborem: verumtamen huic muneri obeundo im-
,, parem me cognoſco, niſi tu Deus meus, & amor meus auxiliatus fue-
,, ris mihi: ideo deprecor majeſtatem tuam, ut lumine ſapientiæ tuæ
,, me illumines, nec enim ſine eo lumen videbo ambulans in tenebris
Revelatur ipſi Claram imitandam eſſe. ,, ignorantiæ meæ: doce me, quæſo, per viſcera miſericordiæ tuæ viam,
,, per quam ambulem, & dirigam eas, quas dediſti mihi: Diſpone nos
,, Domine in beneplacito tuo, & oſtende nobis viam rectam per quam
,, veniamus ad te, qui Deus noſter es; prolixa fuit ſub eruentibus fla-
,, gellis in hujuſmodi oratione Ermentrudis, quam tamdem exaudire
,, dignatus eſt Altiſſimus, qui deprecationem pauperum ſuorum non
,, deſpicit, quinimo libenter exaudit, revelavitque ipſi imitandam eſſe
,, virginem Claram Aſſiſiatem, cujus præconia jam audiverat.

S.Clara novit in ſpiritu Ermentrudem, & ei ſcrib. ,, XX. Ut ſurrexit ab oratione, convocatis Sororibus, Dei volun-
,, tatem omnibus gratam, & acceptam expoſuit; at ſi Ermentrudis per
,, famam noverat Claram Aſſiſiatem, hæc etiam in ſpiritu viderat Er-
,, mentrudem, quam ut caram Deo ſummopere diligebat; ideoque ad
,, eam binas ſcripſit epiſtolas hujuſmodi tenoris: *Ermentrudi ſorori ca-*
,, *riſſimæ Clara Aſſiſias humilis ancilla Jeſu Chriſti, ſalutem & pacem.*
,, *Novi te o cariſſima ſoror, mundi e cœno, opitulante gratia Dei, fœliciter*
,, *aufugiſſe: quamobrem gaudeo & congratulor tibi, ac iterum gaudeo, te*
,, *ſemitas virtutis cum tuis filiabus ſtrenue calcare: eſto cariſſima fidelis ei,*
,, *cui promiſiſti uſque ad mortem; ab eodem enim coronaberis laurea vitæ:*
,, *brevis eſt labor hic noſter, at merces æterna: non te confundant ſtrepitus*
,, *mundi fugientis ut umbra: ſeculi fallacis non te dementent inania ſpe-*
,, *ctra: ad ſibila inferni aures obtura, & ejus conatus fortis infringe:*
,, *adverſa mala libenter ſuſtine, & proſpera bona non te extollant: hæc*
,, *enim fidem expoſcunt, & illa exigunt: quæ Deo voviſti fideliter redde,*
,, *& ipſe retribuet: o cariſſima, cælum ſuſpice, quod nos invitat, ac tolle*
,, *crucem, & ſequere Chriſtum, qui nos præcedit: etenim poſt varias &*
,, *multas tribulationes per ipſum intrabimus in gloriam ſuam: ama ex*
,, *totis præcordiis Deum, & Jeſum filium ejus pro nobis peccatoribus cruci-*
,, *fixum, nec de tua mente unquam excidat ejus memoria: fac mediteris*
jugi-

,, *jugiter myſteria Crucis, angoreſque matris ſub Cruce ſtantis: ora &*
,, *vigila ſemper, & opus quod bene cœpiſti inſtanter conſuma, & miniſte-*
,, *rium quod aſſumpſiſti in paupertate ſancta, & humilitate ſincera adim-*
,, *ple: noli pavere, filia; fidelis Deus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus*
,, *in omnibus operibus ſuis effundet ſuper te, & ſuper filias tuas benedictio-*
,, *nem ſuam, & erit auxiliator veſter & conſolator optimus, redemptor*
,, *noſter eſt & merces æterna: oremus Deum invicem pro nobis, ſic enim*
,, *altera alterius onus caritatis ferentes, leviter adimplebimus legem Chri-*
,, *ſti. Amen*. Legit hæc attente Ermentrudis, & ſuis dilectis in Chriſto
,, filiabus commuoicavit, & omnes cum lætitia cordis majorem perſeve-
,, raodi in bono propoſito fecerunt ardorem; unde mira pariter incre-
,, meota virtutum ſumpſerunt.

Ermentrud. communic. epiſtolam ſuis affecl.

,, XXI. Non hærebat autem uni loco ancilla Chriſti, quæ varias in
,, partes filias & ſorores diſtributas habebat, ac ideo ſedula nunc huc,
,, nuoc illuc ad eas viſitandas, & ſua præſentia cooſolandas, necnon
,, pabulo doctrinæ confortandas properabat; officium vere matris &
,, magiſtræ adimplens: non ut ignavus ille Paſtor gregis, qui curſu
,, præpropero eſt illi damnoſus & damooſior agris: vel ut ille alter,
,, qui ſomno deditus eum lupo commendat, ſed vigil & prudeos, ſtatis
,, temporibus, cum profectu ſuas inviſebat: ſemper tamen io ſuis mo-
,, tibus quieſcebat io Deo, vel mente ad ſpiritus cœleſtes, quorum opem
,, expoſtulabat, nonnumquam divertebat, præcabaturque ex corde, ut
,, ſibi portas juſtitiæ aperireot, proteſtans, ſe confeſſuram Domioo io-
,, greſſus in eas, ad paſcua æteroa reperienda.

Viſitat eas in variis locis exiſtentes.

,, XXII. Hypræ, vel *Ipræ* ioterea ex primariis & ipſa urbs Flan-
,, driæ, remota a Gandavo undecim, & a Brugis milliaribus regionis
,, octo, dives & opulenta, cujus fundus dicitur eſſe plumbeus, ob ma-
,, gnam plumbeorum tuborum multitudinem, quibus aqua varie per
,, Civitatem univerſam diſtribuitur: ſuas etiam pias, honeſtas ac devo-
,, tas fœminas & puellas habebat, quæ audito oomine præclaro Ermen-
,, trudis, ſub ejus magiſterio Deo ſervire deſiderabaot: debuit ergo eo
,, ſe transferre, quod oon detrectavit, cum aoimarum lucrum, & glo-
,, riam Dei ſollicita quærens, nullo parceret labori. Ad eam Urbem per-
,, venta reverenter ab omnibus excepta, & devote audita, in ea pariter
,, conſtituta domo, plures ad ſe confugieotes admiſit, & ſummo ſtudio,
,, exemplo atque doctrina inſtruxit, docens eas cor muodum & imma-
,, culatum cuſtodire Deo, & ſemitas virtutum animo forti calcare, ut
,, Chriſto ſpooſo obviare fœliciter poſſent, & aliquando perenniter frui
,, mererentur.

Ipræ civitas deſcrib.

Ubi domum conſtruxit.

,, XXIII. Creſcebat autem io Ermentrude deſiderium videndi,
,, audiendi & imitandi Claram Aſſiſiatem, quam ſibi io exemplum pro-
,, poſuerat Altiſſimus, & Romæ res ſuas Pontificis auctoritate fulcire:
,, ac proiode prudentibus conſiliis, caritativiſque mandatis, diſpoſitis re-
,, bus pro ſuarum in Chriſto filiarum regimine, dum abeſſet, ſuæ ſexus
,, fragilitatis oblita, Romam acceſſit, quando Clara io cœlum migra-
,, verat, & de ejus caoonizatione palam & ubique agebatur: itaque
,, ſua ſpe eam videodi fruſtrata remanſit. Petri ſolium ea tempeſtate di-
,, gne tenebat Alexaoder IV. ad cujus pedes provoluta Ermeotrudis,
,, humiliter petiit poſſe Monaſterium erigere, io quo Clariſſarum, ſeu
,, Damianitarum vivendi regula obſervaretur: at ea vice exaudita non
,, fuit: quamobrem ad orationem confugit, inſtantiſſimeque Deum de-

Deſiderio videndi S. Claram mota.

Ad pedes Pontificis provoluta non exauditur.

,, precabatur, ut ſe deſiderantem juxta ſua monita Claram Aſſiſiatem
,, imitari, auxiliari dignaretur, & ſummi Pontificis voluntatem ad ſua
,, vota movere.

Adiit devotum Minoritam, a quo confortatur.

,, XXIV. Erat iis diebus quidam Frater Minorita ſanctimonia vitæ
,, clarus, qui nedum conſortia, ſed etiam quarumvis mulierum adſpe-
,, ctus & colloquia ſeveriſſime declinabat, munditiam cordis cuſtodire
,, ſatagens: ejuſque mos omnibus notus, etiam Ermentrudem non la-
,, tebat, quæ nihilominus eum audire non dubitavit, ſecum de ſuis re-
,, bus conſultura: & ad oſtium cœnobii ut fuit, & ſuum expoſuiſſet in-
,, tentum, ab oſtiario adivit, quod illa non ignorabat; nihilominus
,, in ſua petitione alloquendi ſervum Dei perſiſtens dixit, i, quæſo, pa-
,, ter ob amorem Dei, & dic illi Belgica eſt, quæ te expectat: abiit oſtia-
,, rius, & advocans ſervum Dei, ea tantum protulit verba: *Pater Belgica*
,, *eſt, quæ te expectat*. Ille vero cum in ſua cella oraret, ſtatim exiliens
,, reſpondit, Ermentrudis eſt, Deo gratias: ad eamque protinus ſine
,, mora deſcendit; miraculum autem ſuis confratribus viſum eſt videre,
,, quod cum muliere loqueretur; eo in colloquio magis ſpiritus, quam
,, verborum, in quo corda invicem patebant, & neuter oculos aperie-
,, bat, mire Chriſti ſervus conſolatus eſt eam, atque in boni propoſiti
,, perſeverantia confirmavit, dicens exiguo tempore ſe exaudiendam
,, fore, ac interim bono animo eſſet, quia Deus verax eſt, unde nec vel
,, minimum dubitaret: ſpei plena tamdem dimiſſa Ermentrude, accidit,

A Pontifice obtinuit quod deſiderabat.

,, ut Pontifex e Vaticano cum Purpuratorum Patrum cœtu egrediens,
,, eam inopinato obviam habuerit: quæ ut advertit Pontificem eſſe, ſta-
,, tim in omnium conſpectu genuflexa ad ejus pedes ſilens procubuit:
,, ſtetit Pontifex, & miratus Virginis egregiam venuſtatem, egregiori
,, modeſtiæ, integritatis animi, & corporis indici, conjunctam, quam-
,, que prima virtutum ſincera humilitas comitabatur, in corde laudavit,
,, & conſolatam dimittere in ſuis petitionibus, alio nomine interceden-
,, te, decernebat: igitur ejus piis votis non tantum annuit, ſed etiam
,, pluribus donatam privilegiis, ad propria remiſit.

Regreditur Brugas, ad S. Bavonem, & locus tranſiit in Monaſterium.

,, XXV. Ad votum, cum res deductæ fuiſſent, Roma Brugas di-
,, ſceſſit Virgo: quo perventam priſtina ſolitudo ad ſanctum Bavonem
,, excepit, & ejuſdem opera, cooperante gratia Dei, facile in Mona-
,, ſterium pauperum Clariſſarum ad honorem Altiſſimi, & urbis ædifi-
,, cationem evaſit: dicebantur nihilominus Sorores Damianitæ; quod
,, Eccleſia ad quam ſancta Clara cum ſuis Aſſiſii morabatur, ſancto Da-
,, miano dedicata eſſet; ſubinde Ipris in Parochia de longa Marcha, ſub
,, titulo beatæ Mariæ, indefeſſa virago honoris divini zelatrix, & ani-
,, marum ſalutis, facile aliud excitavit: ac utrobique tam Brugis ſcili-
,, cet, quam Ipris puellæ nobiles odoramentis virtutum novarum San-
,, ctimonialium allectæ, turmatim ad eam confugientes, adeo Sororum
,, numerum auxerunt, ut anguſtiarentur ædes, unde nec eas commode

Ipris aliud excitavit.

,, capere poterant: has Iprenſes (ita deſiderantes & ſupplicantes) Ale-
,, xander IV. per ſuum breve: *Cum ſicut ex parte veſtra &c.* dat. Viter-

Moniales Iprenſes Pontif. commiſit Prov. Franciæ.
Vide Wadd. in Regeſt. ad hunc ann.
Indiculus.

,, bii. x. Kalend. Maii anno MCCLVII. Ordinis noſtri Miniſtris Generali,
,, & Provinciali Franciæ regendas commiſit, & anno ſequenti MCCLIX.
,, per breve: *Meretur honeſtas &c.* VII. Idus Martii, pluribus privilegiis,
,, & indulgentiis donavit, ut indicat Petrus de Alva & Aſtorga: in-
,, terea, ut dicebamus, Sororum numerus utrobique plurimum auctus
,, ampliores ædes expoſcebat: ob idque de novis aliis parandis cogitan-

dum

Anno Christi 1257.	Alexandri IV. anno 3.	Schiſmatis Imper. Occid. anno 2.	Religionis Minorum anno 50.

„ dum fuit. Ermentrudis ergo, per ſuas ſupplices enarratis neceſſitatibus, alio transferendi præfata duo Monaſteria ab Alexandro IV. licentiam obtinuit, ac inſuper decem ſui Ordinis fundandi tam in finibus Galliæ, quam Germaniæ gratiam accepit: hoc in negotio translationis Monaſterii Brugenſis nonnullas difficultates, obſiſtente Epiſcopo Tornacenſi, cui tunc Brugæ in ſpiritualibus ſuberant, inexpectate paſſa eſt: quas tamen per duplex breve ejuſdem Alexandri, quorum uno Epiſcopum cohibebat, & altero, Magiſtratui Brugenſi commendabat, ut intra ſuæ Civitatis mœnia locum Sanctimonialibus determinaret; ac ita a Magiſtratu locus aſſignatus fuit ad quamdam Capellam, beatæ Mariæ de Bethelem nuncupatam, a qua poſtea Monaſterium extructum, denominatum fuit.

Ermentrud. plura Monaſteria fundat.

„ XXVI. Ipris autem res faciliorem exitum habuerunt: etenim ſine ulla contradictione in ſuburbii Iprenſis loco, dicto *Roſendal* Parochiæ ſancti Joannis, tunc Morinenſis diœceſis fœliciter fundatum novum Monaſterium, fœlicius excrevit, atque fœliciſſime brevi temporis ſpatio conſummatum, anno MCCLX. ipſo Alexandro IV. facultatem concedente: *Meretur honeſtas &c.* VII. Idus Martii &c. Ermentrudem cum ſuis Sororibus translatis a longa Marca excepit: ibique ſolemniter cum ſuis Deo, pro collatis beneficiis gratias reddidit; habuit tamdem ultimam manum ea nova domus anno MCCLXII. quo ad eam Moniales a ſancto Bavone translatæ fuerunt a *Roſendal*. Adfuit impigra huic devotæ functioni Ermentrudis, quæ cum in ejus Monaſterii Eccleſia prima celebraretur Miſſa, inter meditandum rapta in ſpiritu, vidit mirabilia Dei, a quo de pluribus ad præfatam domum ſpectantibus edocta, inter alia revelatum habuit, neminem earum excludendam fore a regno cœlorum, quæ ibidem bona voluntate ingrederetur, eamque vitam profiteretur. Ex his Sanderum, minus vero, videtur aſſeruiſſe Ermentrudem anno redempti Orbis MCCLXX. Brugas veniſſe, ibique hujus Monaſterii fundamenta jeciſſe, contra ejuſdem cœnobii monumenta, licet & ipſe ea citet.

Ipris facile ſua vota exequitur.

Vide Wadding. in Regeſt. ad ad hunc ann.

Sanderus minus tem ſcripſit.

Sanderus lib. 4. rerum Brug. c. 6.

„ XXVII. Ceterum Ermentrudis, ita potenter a ſeculo erepta, ſapientiſſime inſtructa, gratia divina clementer fota, potuit magna operari, & eſſe mundo univerſo pœnitentiæ ſpeculum, virtutum exemplar, & ſponſæ Jeſu Chriſti vivax idea: & utinam omnium cordibus ſit ejus infixa memoria. Obiit incerto loco ac tempore; Moniales tam Burgenſes, quam Iprenſes de prima Regula ſanctæ Claræ ſeu D. Damiani, ab anno MCCLXIII. ab Urbano IV. denominationem ſumpſere.

Vide inf. ad an. 1521.

Obitus Ermentrudis.

ARGUMENTUM.

In univerſas ferme infidelium terras Minores ſe diffundunt, fidem diſſeminaturi, quibus multa & magna dantur privilegia. Inquiſitoribus Minoritis multa præſcribit, elargiturque Pontifex. Referuntur acta Gualteri Vimaranenſis, Angeli Reatini, Stephani, Juniperi ſancti Franciſci ſociorum. Moriuntur Pacifica & Chriſtiana beatæ Claræ diſcipulæ. Multiplicantur Cœnobia, & privilegia.

Pergunt plurimi Minoritæ in terras infidelium.

I. NON minor Alexandri Pontificis, quam Innocentii ſui prædeceſſoris cura circa nitorem fidei retinendum, vel reſtituendum: quare omni conatu ſedulos adhibuit cooperarios, qui devios in viam reducerent veritatis, recte ambulantes intra ſtatutos limites continerent. Abierunt ejus zelo excitati plurimi Minores ad univerſas hæreticorum, ſchiſmaticorum, & paganorum terras verbum vitæ propoſituri, pro nihilo habentes tot vitæ diſcrimina, quæ inter efferas gentes Crucis Chriſti irriſores parabantur. Amplam iis auctoritatem abſolvendi, ad Eccleſiam reducendi, plura præſtandi per ſubſequentes litteras conceſſit. Breviori tenore verborum hoc ipſum alias Gregor. IX. conceſſit. Duas bullas videre licet tom. 1. anno MCCXXXIII. num. 6. Servantur hæ in Archivo ſancti Franciſci Aſſiſiatis, & habentur apud Pennam ſub calce Directorii.

Dilectis filiis Fratribus de Ordine Minorum in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zichorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moſcelinorum, Tartarorum, Hungarorum, Majoris Hungariæ, Chriſtianorum captivorum apud Turcas, aliarumque infidelium Nationum Orientis, ſeu quarumcumque partium proficiſcentibus &c.

Apoc. 10. 11.
Plura eis conceduntur privilegia.

CUm hora jam undecima diei ſit hominibus, ut exeant ad opus uſque ad mundi veſperam deputata; & illud Apocalypſis elogium cito credatur cum matris Eccleſiæ conſolatione complendum, videlicet, oportere viros ſpirituales vitæ munditiam, & intelligentiæ gratiam cum Joanne ſortitos, populis & gentibus, linguis, regibuſque multis denuo prophetare; quia non ſequetur reliquiarum Iſrael per Iſaiam prophetata ſalvatio, niſi juxta Paulum Apoſtolum prius introeat gentium multitudo. Nos, licet immeriti, ſuper Apoſtolicæ Sedis ſpeculam conſtituti, fideliter ac prudenter diſpenſandis Dei myſteriis & operibus coadjuvandis intendimus: ſi vergente plenitudine temporis, poſt pia priorum ſtudia, in vineam Domini Sabaoth novos, & pene noviſſimos, qui ſapientiam longam didicere per otium, operarios mittere procuremus. Vos igitur, quos juxta profeſſæ religionis officium, zelus comedit animarum, & in quadriga quarta, quam variis cariſmatum donis, & fidei fortitudine trahitis, ubique diſcurrere, ac vexillum Regis gloriæ procul levare geſtitis ad gentes, quæ Jeſum Chriſtum Dominum non cognoſcunt: & ad ſubtractionis filios, qui ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ non obediunt, deſtinamus: vobis in remiſſionem peccatorum omnium injungentes, quatenus ſeminaturi ſuper aquas multas, in illo tantum, qui mundum dixit

Iſaiæ 10. 21.
1. Cor. 4. 1.
Matt. 20. 16.
Zach. 6. 3.

ſe

ſe viciſſe confiſi, ad illuminationem cæcæ multitudinis, exterminium hæreticæ falſitatis, ad confirmandos nutantium animos, & fideliam confortandos, in luce ſermonis, & certitudine operis, propoſitum vobis iter, ſine quorumlibet offenſione curratis. Ut autem miniſterium veſtrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, præſentium vobis auctoritate concedimus, ut in terris, quæ adhuc Sedis Apoſtolicæ magiſterio non intendunt, proponere verbum Dei, & conſtitutis ibidem, non obſtantibus ſi aliqua ſunt excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo, ac in aliis ſecure communicare, & ipſos ſeu etiam alios converti ad unitatem Chriſtianæ fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Eccleſiæ filiis valeatis: & presbyteri ex vobis ipſos aggregatas poſſint inſignire caractere clericali, & ipſos ad Acolytatas ordinem promovere. Liceat etiam vobis ibidem redeuntibus ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, qui ſunt excommunicatione ligati, abſolutionis beneficium, juxta formam Eccleſiæ impertiri, & ſuper eo diſpenſare cum ipſis, quod ſacros receperunt ordines, & divina celebrarunt officia ſic ligati. Hoc ipſum vobis ſit licitum, circa illos de terris eiſdem, qui temporibus indebitis, vel infra ætatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel qui ſuperiores prætermiſſis inferioribus conferre, ſeu recipere ordines præſumpſerunt: ſi tamen in hoc, ſervata forma talis extiterit, per quam ordines recepiſſent. Vobis præterea diſpenſare licet, ut illi ex nationibus veſtræ prædicationi commiſſis, qui poſt ſuſceptionem ſacrorum ordinum, vel in gradibus & caſibus, a divina minime lege prohibitis, matrimonia contraxerunt, remaneant in eiſdem: necnon quod Clerici nationum ipſarum, publice ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ redeuntes, gaudeant privilegio clericali. Sit etiam vobis licitum, omnium fidelium in terris prædictis confeſſiones audire, ac ipſis injungere pœnitentias ſalutares, & excommunicatos a canone, vel alio modo, juxta formam Eccleſiæ abſolvere, dummodo injuriam & damna paſſis ſatisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earum caſibus, in quibus ſolent Legati Sedis Apoſtolicæ diſpenſare, ac etiam cum Clericis ipſarum partium patientibus defectum natalium, dummodo non ſint de adulterio, vel inceſtu, aut de regularibus procreati, ſit vobis diſpenſandi facultas: quam circa illos ſimiliter habeatis, qui ab unitate Eccleſiæ Catholicæ, ſeu Religione, vel clericali Ordine diſceſſerunt, ſi humiliter redire voluerint, & digne ſatisfaciant de commiſſis: ita quod ipſi religioſi ad ſua loca, ſalva diſciplina ordinis, reſumantur; & illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo ſunt aſtricti, juxta præmiſſam formam, & prædictæ ſatisfactionis modum abſolvere valeatis: & cum irregularibus ex eiſdem, ſicut expreſſum ſuperius, diſpenſare. Ad hæc, ſit vobis facultas abſolvendi occiſores clericorum, & religioſarum perſonarum, in prædictis partibus conſtitutos: fundandi de novo ibidem Eccleſias, & reconciliandi illas, quæ ſunt caſu aliquo prophanatæ: ac de novo fundatis Rectores idoneos providendi: & illis, qui de gentibus, vel ſchiſmaticis noviter ſunt converſi, dandi licentiam, ut uxores ſuas, cum quibus ex gradibus a lege divina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere. De cauſis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam noſtram deferri contigerit, legitime cognoſcendi, ac diſcordantes inter ſe ad invicem, quoad pacem & concordiam redeant: necnon quod inordinate viventes, de ſuis exceſſibus (ſicut juſtum fuerit) ſatisfactionem exhibeant, compellendi per cenſuram eccleſiaſticam, vobis libera ſit poteſtas. Inſuper in locis in quibus vos hoſpitari contigerit, vel in locis partium earumdem, in quibus reſidentiam facietis, Miſſum, & cetera divina Officia celebrandi,

Iſa. 32. 20.
Joann. 16. 33.

& in

& in eiſdem partibus Cœmeteria benedicendi, ac dandi indulgentias, commutandi vota, facultatem & licentiam habeatis. Ceterum vobis concedimus, quod a Catholicis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis poſsitis ordines, & alia eccleſiaſtica ſacramenta ſuſcipere, ac veſtes ſacerdotales altaris, pallas, & corporalia, per vos, qui ex vobis ſunt presbyteri, cum neceſſe vobis fuerit, benedicere, ubi Catholicorum Epiſcoporum copia non habetur: necnon alia facere, quæ ad augmentum Dominici nominis, & ampliationem Catholicæ fidei, ac reprobationem, & irritationem illorum, qui ſacris traditionibus contradicunt, ſicut pro loco & tempore videritis expedire. Nulli ergo &c. Datum Viterbii XIII. *Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno* IV.

Reſcriptum ad Minoritas Inquiſitores in Urbe.

II. Ita ſuccreſcebant hoc tempore lethiferæ hæreſis zizania, ab inimico homine ſuperſeminata; & parvæ vulpeculæ vineam Domini Sabaoth demoliri callide ſatagebant, ut optimas Italiæ regiones penetrarint, atque ipſam ſacram Urbem infecerint. Minores contra hos voluit convocare, atque reſcriptis eiſdem regulis, quas antea præſcripſerat Innocentius, & nos ſuperius miniſtravimus, contra eoſdem excitaret.
Ann. 1254. n.
Incipiunt: *Licet ex omnibus mundi partibus*. Datum Anagniæ XVIII. Kalendas Decembris. Habentur in Archivo Aracœlitano, num. 30.

Reſpondet Pontifex ad quoddam dubium Inquiſitorum.

III. Conſuluerunt Pontificem Inquiſitores Minoritæ Marchiæ Anconitanæ & Romaniolæ; an filii eorum, qui ſub vitæ terminum induci ſibi volebant hæreticos conſolatores, admitti deberent ad probandum eos tunc fuiſſe a mente alienatos, ne ipſi juxta leges Imperatorias, & Pontificias fierent extra hæreditates? Reſcripſit utriſque Pontifex juxta eamdem formam: Piceno Viterbii VIII. Kalendas Octobris, Romaniolo tenore ſequenti. Habetur utrumque diploma in eodem Archivo, n. 1191. & 73. Adjuvabit hoc diploma ad penetrandum ſenſum *cap. filii de hæret. lib. 6.*

Dilecto filio fratri .... Ordinis Minorum Inquiſitori hæreticæ pravitatis in Romaniola &c.

EX parte tua fuit propoſitum coram nobis, quod nonnulli de partibus, ubi tibi contra hæreticos Inquiſitionis officium eſt commiſſum in mortis articulo conſtituti, ſalutis remedium abhorrentes, conſolatores hæreticos ad ſe introduci faciunt, & ab eis per impoſitionem manus deſolationis ſuæ conſolationem accipiunt, ſecundum peſſimam conſuetudinem eorumdem; ſed filii & hæredes ſic decedentium, propter hoc exhæredari timentes, ac volentes ob id eorum malitiam excuſari, proponunt ſe velle probare per teſtes, quod iidem quando recipiebant conſolationem hujuſmodi, loquelam amiſerant, & erant alienati a mente; cum moris ſit apud eos, ut dicitur, quod nullum taliter conſolentur, qui non ſit ſanæ mentis, & memoriam habeat ordinatam. Quare nos conſulere voluiſti utrum debeant tales probationes admitti? Nos igitur conſultationi tuæ taliter reſpondemus; ut ſi legitime conſtiterit, quod prædicti dum ſanæ mentis eſſent, petierint hæreticos conſolatores, ſicque viam fuerint univerſæ carnis ingreſſi, licet conſolationem hujuſmodi, immo verius deſolationem, non ſanæ mentis affectu, vel poſt perditam jam loquelam ſuſcepiſſe dicantur, nulla ſuper hoc probatio admittatur, cum in nullo ſic decedentes debeant præterea relevari. In dubio vero admitti poterit, non tamen uxores, filii, ſeu familiares, aut de ſuis aliqui

Google

qui ad hoc probandum recipiantur in teſtimonium: ſed alii teſtes idonei, & ſpecialiter fidei zelatores, cum contra tales ſit non modicum præſumendi fundamentum, ſitque in talibus propter fidei privilegium, cum multa cautela, ſummaque diligentia præ ceteris negotiis procedendum. Datum Anagniæ Idibus Decembris Pontificatus noſtri anno IV.

IV. Scripſit deinde ad univerſos Eccleſiarum Prælatos, ut Minoritis Inquiſitoribus adjutorio eſſent, & auxilio. Quatuor varia exemplaria juxta diverſas regiones, in quibus Inquiſitionis munus exercebant Minoritæ, habentur in eodem archivo ſub numeris 6. 111. 147. & 148. Damus miſſum ad Prælatos Ducatus Spoletani.

Venerabilibus Fratribus .... Epiſcopis, & dilectis filiis, ... Electis Abbatibus, Prioribus, Miniſtris, Guardianis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, & Rectoribus: necnon & univerſo Clero, tam Religioſis cujuſcumque profeſſionis, & Ordinis, quam ſecularibus in Ducatu Spoletano conſtitutis.

EXortis in agro fidei Chriſtianæ per partes Italiæ abundantius ſolito hæreticæ pravitatis zizaniis, ſeminante illa per temporis impacati malitiam homine inimico, Sedes Apoſtolica, ejuſdem caput fidei & magiſtra, volens circa zizaniorum extirpationem hujuſmodi per aliquos de Fratribus Ordinis Minorum, partes ſuæ ſollicitudinis adimpleri, dilecto filio .... Miniſtro Provinciali ejuſdem Ordinis in adminiſtratione ſancti Franciſci mandavit, ut ipſe duos ex Fratribus ſuis viros zelum habentes Chriſtianæ fidei, & opere, ac ſermone potentes aſſumeret, eiſque in partibus veſtris Inquiſitionis officium contra hæreticos, eorumque fautores, & complices injungere procuraret. Nos itaque Chriſti nomen in populo exaltari gaudentes, ac fidei ejus maſſam, ab omni per quod infici valeat emundari totis affectibus cupientes, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus attendentes prudenter, quod Inquiſitores hujuſmodi a prædicto deputati Miniſtro pro defenſione ipſius fidei, & cum ſalute fidelium laborantes, & periculis perſonas proprias ſalubriter exponentes, nequeunt ad omnia, quæ tanto expediant negotio ſufficienter per ſe ipſos; eiſdem & aliis, ſi quos ad hoc ex ipſis Fratribus contigerit deputari, in prædicto exequendo negotio efficaciter aſſiſtatis, opportunum ſibi conſilium, favorem, & auxilium impendendo, ita quod exinde veſtræ fidei ſinceritas merito valeat commendari, nec contingat Dei opus periculoſe per veſtram negligentiam, vel incuriam intermitti, quas procul dubio, præter id quod horrendis notaret maculis infamia negligentes, ultrix omnis inobedientiæ, ac negligentiæ Apoſtolica ſeveritas acri percelleret diſciplina. Datum Anagniæ XVII. *Kalend. Decembris Pontificatus noſtri anno* IV.

Matt. 13. 25.

Hortatur Eccleſiarum Prælatos ut adeſſe velint Inquiſitoribus Minoribus.

V. Ut autem Inquiſitores ardue laborantes in negotio fidei magis animaret ad opus, varias eiſdem Indulgentias conceſſit, ita ſcribens ad Inquiſitorem Romaniolæ, atque ad alios ſimiliter. Exſcripſimus ex eodem archivo num. 61.

Concedit eiſdē amplas Indulgentias.

Dile-

Dilecto filio Fratri . . . . . Ordinis Minorum Inquiſitori hæreticæ pravitatis in Romaniola &c.

Firmiſſime teneat tua prudentia, & nullatenus dubitet quod Deus indulgentiarum, & Pater miſericordiæ conſiderans materias ſingulorum, contentus noſtris diligentiis non exiſtit, quin benefacientibus gratiam potiorem indulgeat, & gloriam ſuperaddat, ad quas per fructum boni operis promerendas fideles Chriſti frequenter & libenter noſtris remiſſionibus invitamus. Cum itaque te propter Deum in negotiis fidei laborantem hujuſmodi ſalutaribus præmiis deceat recreari: Nos tibi vere pœnitenti & confeſſo de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, plenam concedimus veniam peccatorum. Socio autem tui Ordinis Fratri, & Notoriis tuis, qui una tecum in proſecutione hujuſmodi negotii laborabunt, & aliis, qui ad impugnandum hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defenſores eorum tibi ex animo auxilium præſtiterint, vel favorem, tres annos de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus, & ſi qui ex iis in proſecutione hujuſmodi negotii forte deceſſerint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, ac ore confeſſi fuerint, plenam veniam indulgemus. Datum Anagniæ Idib. Decembr. Pontificatus noſtri anno IV.

Ut ſcribantur leges latæ contra hæreticos.

VI. Illas ipſas pœnas, legeſque, quas Fridericus Imperator contra hæterodoxos ſtatuit, & Innocentium confirmaſſe ſcripſimus ſupra, innovavit Alexander eodem tenore verborum. Diploma cuſtoditur in eodem archivo, num. 116. quod ſuperius exſcripſiſſe ſat ſuperque eſt. Ut vero hæ leges in ſingulis capitulis Civitatum, conſiliorum, & communitatum annotari facerent, injunxit Inquiſitoribus. Ibidem num. 34.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in Patrimonio D. Petri, Ducatu Spoletano, Tuſcia, Maritima &c.

Cum adverſus hæreticam pravitatem, quondam Fridericus, tunc Romanorum Imperator, promulgaverit quaſdam leges, per quas ne pervagetur, compeſci poterit peſtis illa: nos illas volentes ad robur fidei, & ſalutem fidelium obſervari, dilectis filiis Poteſtatibus, Conſiliis & Communitatibus Civitatum aliorumque locorum Patrimonii ſancti Petri, Tuſciæ, Ducatus Spoletani, Campaniæ, Maritimæ, & Romaniæ, noſtris damus litteris in mandatis, ut eas quarum tenores ipſis mittimus inſertos noſtris litteris, faciant ſinguli in eorum capitularibus annotari, contra hæreticos ſectæ cujuslibet ſecundum eas exacta diligentia proceſſuri. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi dicti Poteſtates, Conſilia & Communitates mandatum noſtrum ſuper hoc neglexerint adimplere, vos eos ad id per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terram, appellatione remota, cogatis. Quod ſi duo ex vobis his non interfuerint, unus ea nihilominus exequatur. Datum Viterbii v. *Kalend. Octobris Pontificatus noſtri anno* IV.

Reſpondet ad varias quæſtiones Inquiſitorum. Prima quæſtio.

VII. Demum ad plurimas difficultates ſibi propoſitas ab Inquiſitoribus, graviter reſpondit. Magnam lucem afferet diploma (quod in ſupradicto habetur archivo ſub num. 45.) *cap. Accuſatus de hæret. lib. 6.*

Dile-

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in partibus Italiæ, præſentibus & futuris.

QUod ſuper nonnullis quæſtionum articulis, in quibus cauſa fidei tangitur, nos conſulere voluiſtis, ſollicitudinis veſtræ prudentiam in Domino commendamus. Primus igitur veſtræ conſultationis articulus continebat, utrum diei debeat relapſus in hæreſim, qui lapſus eſt in eam poſt abjurationem ipſius, in qua non invenitur antea commiſiſſe, cum ſecundum proprietatem verborum, non videatur relapſus, qui non fuerat ante lapſus? Ad quod taliter reſpondemus, quod talis ſi tamquam accuſatus vel ſuſpectus de hæreſi eam in judicio abjuravit, & poſtea conſiſtat in ipſa, cenſeri debet quadam juris fictione relapſus, licet ante abjurationem ſuam plene roboratum non fuerit crimen hæreſis contra ipſum, dummodo hujuſmodi prius orta ſuſpicio violenta fuerit, & certis ac veris indiciis comprobata. Si vero levis & modica, quamquam ex hoc ſit gravius puniendus, relapſorum tamen in hæreſim non debet pœna puniri, ex quo præſumi non poteſt veroſimiliter ante lapſus in eam. Quæſiviſtis etiam circa idem, ſi is qui hæreſim abjuravit, & per ſolam inexcuſabilem receptionem, vel receptationem, aut deductionem, ſeu aſſociationem, vel viſitationem hæreticorum, ſive dationem, vel miſſionem munerum, aut etiam alias in favorem eorum, qui excuſari non poſſit, ſine adoratione tamen (ut verbis veſtris utamur) lapſus eſt poſtmodum, propter hoc debeat judicari relapſus? Et quidem ſi legitime conſtitit, vel etiam nunc conſtaret, quod tales ante hujuſmodi abjurationem, in hæreſi commiſiſſent, non eſt dubium, per hoc fuiſſe relapſos: quia tunc dubitari non debet, illos ex approbati a ſe prius erroris conſequentia, id fecisse. Præterea nonnulli talium, ut proponitis, jurant coram Inquiſitoribus tam de ſe, quam de aliis ſuper facto hæreſis, veritatem dicere, ſed perjurant, non odio tamen vel pretio, ſed timore ſui potius & ſuorum: corrigunt autem ſe poſtmodum ſuper iis, contra ſe, ac alios ſuos complices deponendo. Cum itaque perjurus ſecundum jura, etiam poſt pœnitentiam in criminalibus a teſtimonio repellatur; hinc quæritur utrum contra illos ſuos complices ſit per teſtimonia talium procedendum? Super quo taliter reſpondemus, quod cum crimen hujuſmodi ſit exceptum, ſi ex manifeſtis indiciis apparuerit, tales non animi levitate, aut odii fomite ductos, ſeu corruptos pecunia: ſed zelo fidei tamquam pœnitentes propriæ culpæ, aſſerere, quod talia prius tacuerant, & velint in hoc errorem ſuum corrigere, ac alios nominare, ſtari debet in favorem fidei, niſi aliud obſiſteret atteſtationibus eorumdem. Ad illud autem quod quæritur, utrum ad Inquiſitores hæreſis pertineat de divinationibus, & ſortilegiis, quæ contra aliquos ſibi denuntiantur cognoſcere, ac punire talia exercentes? Brevibus reſpondetur, quod cum negotium fidei, quod ſumme privilegiatum exiſtit, per occupationes alias non debeat impediri, Inquiſitores ipſi, de iis niſi manifeſte ſaperent hæreſim, ratione hujuſmodi officii ſibi commiſſi, ſe nullatenus intromittant, ſed eos relinquant ſuis judicibus pœna debita caſtigandos. Quidam inſuper (ut adjicitis) pro iis, quæ commiſerunt in hæreſi, aſtringunt ſe Inquiſitoribus, ſub obligatione bonorum ſuorum, ad recipiendum ab eis pœnitentiam, & complendam: ſed ea licet injuncta, non tamen peracta, quin potius in toto, vel in parte neglecta, decedunt. Ad quod dicimus, quod ſi per hujuſmodi pœnitentiam aliquod onus ad ſalutem proficiens, impoſitum fuerit, in bonis temporalibus exequendum, ad complementum ipſius per

Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Inquiſitores cogi debent hæredes, vel alii, ad quos bona talium cum ſuo onere
Sexta. *devenerant. Injungitur etiam aliquibus ad pœnam, in pœnitentia pro hære-*
ſi, ab ipſius peſtis Inquiſitoribus, ut uſuras reſtituant, ad quod obligave-
rant in judicio Eccleſiæ ſe & ſua. In quo quæritur, utrum Inquiſitores ipſi,
vel qui ſuccedunt in locum eorum, ad reſpondendum coram ſe conquærentibus
de uſuris hujuſmodi, & ad reſtitutionem earum, ſi de ipſis conſtiterit,
poſſint compellere taliter pœnitentes, prout ab eis in aliis injunctis ſibi pœni-
tentiis fieri conſuevit? Ad quod reſpondemus, quæſtionem ſuper uſuris mo-
tam, contra tales judicialiter non debere audiri ab Inquiſitoribus hæreſis,
nec decidi. Nolentes quod per cauſas hujuſmodi, offendiculum negotio fidei
præparetur; eos tamen ad reſtitutionem uſurarum, de quibus conſtiterit,
compellere poterunt; quibus in ſatisfactionem pro prædicto crimine hujuſ-
modi reſtitutionem in pœnitentiam injunxerunt. Sunt & alii qui confeſſi
Septima. *ſunt in judicio de hæreſi coram Inquiſitoribus hujuſmodi pravitatis, ſed ante-*
quam eis injungeretur pœnitentia, deceſſerunt. Super quo quæritur; ſi
hæredes talium compelli poſſint ab Inquiſitoribus, ut ad ipſorum arbitrium
ſatisfaciant pro defunctis? præcipue cum iidem dum viverent, ad faciendam
pœnitentiam, quam Inquiſitores eis vellent injungere, bona ſua Inquiſitori-
bus obligarint. Cui quæſtioni ſic duximus reſpondendum; quod poſtquam
tales non deceſſerunt hæretici, ſed reincorporati potius Eccleſiæ unitati,
non videmus quod eis poſt mortem, vel eorum hæredibus, qui ad ſucceſſionem
talium admittuntur, ſit ſatisfactio pro extincto jam crimine injungenda. In
eo vero caſu, in quo hæredes hujuſmodi ad ſucceſſionem non deberent, ob
culpam ſui actoris, admitti: non obſtante quod actoribus ipſis viventibus,
hoc non fuerit intercedente ipſorum morte per ſententiam declaratum, ad
confiſcationem bonorum poſt mortem nihilominus procedatur. Adjeciſtis
Octava. *præterea, negotium, ſeu officium Inquiſitionis contra hæreticos dilecto filio…*
Prædicatorum Pariſien. a Sede Apoſtolica fuiſſe ſub ea forma commiſſum, ut
idem ſuper hoc poſſet inquirere, tam per ſe, quam per alios, quos ad hoc
idoneos reputaret, in quo quæritur, utrum tales delegati, vel ſubdelegati exi-
ſtant, & quid poſſint etiam ſic electi? Super quo taliter duximus ordinan-
dum, quod idem Prior poſſit tres, vel quatuor idoneos ad hoc opus aſſumere,
qui parem cum ipſo habeant poteſtatem, & amovere illos, ac ipſorum loco
alios ſubſtituere, quotieſcumque viderit expedire: ipſis tamen Priori, &
aliis ſic aſſumptis committendi dumtaxat citationes, & examinationes
teſtium, cum de hujuſmodi crimine, ac circumſtantiis ejus inquiritur, ac
denunciationes ſententiarum, quas ſuper ii. contra quoslibet contigerit ferri.
Nona. *& iis ſimilia faciendi conceditur ab eadem Sede facultas. Quæſtioni vero qua*
quæritur, utrum conſtitutus in ſacris deprehenſus in hæreſi, & propter hoc
immurandus perpetuo, prius ſit ab ordinibus a ſuo Epiſcopo degradandus,
antequam tradatur hujuſmodi pœnitentiæ? Reſpondemus, quod talis qui
Decima. *eſt perpetuo immurandus, prius debeat a ſuis ordinibus degradari. Nonnul-*
li quoque Clerici, & quod eſt deterius Sacerdotes, prætextu pecuniæ, vel
alicujus ſervitii temporalis, inveniuntur aliquando Inquiſicionis impedire
negotium, inſtruendo citatos hæreticis credentes de celanda veritate,
falſitate dicenda, vel eos indebite liberando, de quibus quæritur utrum In-
quiſitores poſſint tales capere, ac etiam retinere? aut quod ſic accepta reſti-
tuant, coarctare? Dubium itaque non videtur, quod ii quos conſtat exerce-
re præmiſſa, ea faciunt in favorem hæreticæ pravitatis: quare poſſunt a tali-
bus per Inquiſitores compeſci, & pœna debita caſtigari, tam per captionem
perſonarum, quam etiam alias, prout culpa exegerit delinquentis. Quod
autem

*autem poſtmodum quærebatur , quomodo eſſent puniendi Religioſi , qui inve-
niuntur in hæreſim deliquiſſe , cum ſeculares peccantes in ſimili caſu , immu-* Undecima.
*rationis , vel alia pœna plectantur ? ejus ſolutio ſatis patet , cum certum ſit
tales in hoc , & in conſimilibus delinquentes , gravius etiam ſecularibus pu-
niendos . Frequenter etiam vobis ab Apoſtolica Sede committitur , ut tam* Duodecima :
*hæreticos , credentes , receptatores , fautores , & defenſores eorum , quam
ipſorum filios , & nepotes , ac alios etiam , qui prædictorum interventu , vel
gratia talia eſſent adepti , vel aſſequerentur in poſterum , privandi perſo-
natibus , dignitatibus , & honoribus quibuſcumque , ac beneficiis eccleſiaſti-
cis , & officiis publicis , de Diœceſanorum , vel eis abſentibus , Vicariorum
ſuorum conſilio , habeatis liberam facultatem : Quod qualiter intelligi de-
beat , petiviſtis ejuſdem Sedis oraculo declarari . Hoc ſane de filiis & nepoti-
bus illorum hæreticorum , credentium , & aliorum hujuſmodi , qui modo
tales eſſe probantur , intelligendum eſſe videtur , non autem illorum , quos
emendatos conſtiterit , & pro culpa hujuſmodi ad mandatum Eccleſiæ pœni-
tentiam recepiſſe , quam ipſi vel jam perfecerunt , vel humiliter proſecutioni
ejus inſiſtunt , vel parati fuerunt , dum viverent ad recipiendam eamdem .
Diœceſani quoque in privandis talibus ſunt generaliter requirendi , niſi for-
ſan conſtaret legitime , quod iidem ſcienter eis beneficia contuliſſent : tunc
enim eos in iis requirendos eſſe non credimus , ſed potius a ſuo judice punien-
dos . Vos igitur hæc & alia contingentia in hac parte , commiſſum vobis offi-
cium , ſic prudenter & fideliter exequi procuretis , ſic ad ea pure propter
Deum , cujus cauſam geritis , veſtra feratur intentio , quod labor veſter vo-
bis ad vitæ præmium , & aliis ad ſalutem , quæ ſolum in talibus quæritur ,
proficiat animarum . Datum Anagniæ Idibus Decembris , Pontificatus noſtri
anno* IV.

VIII. Sub hoc tempore obiit beatus Gualterius ſancti Franciſci diſci- Moritur S. Gualterius.
pulus , in Monaſterio Vimaranenſi in Luſitania , de quo nos alias præfati
ſumus . Eum devotiſſimum , & perfectum virum vocant Chronica anti- *Tom. 1. an. 1217. n. 25.*
qua Ordinis , necnon tam inſigni floruiſſe perhibent ſanctitate , ut popu- *Marian. l. 2.*
los longe lateque Ordini devinceret , eique plures aggregaret . Mortuus *c. 17.*
multis claruit miraculis , atque eo perenni , ut ex ejus ſepulcro continuo *Chron. antiq.*
oleum , morbis quibuſque medendis optimum , ſcaturiret . Qua de cauſa *Marc. lib. 6. c. 30.*
ſecunda menſis Auguſti die , quæ mortis anniverſaria erat , convicini po- *Rodul. fol. 105.*
puli ad illius cultum , & ejus gratia ad indictas nundinas confluebant , Ex ejus ſepulcro
quod etiam adhuc obſervant . Translatis Fratribus a primo , uti diximus, oleum ſcaturivit
Monaſteriolo , neque ſtatim ſecum ferentibus ſancti Viri corpus , Cano- *Tom. 1. an. 1217.*
nici collegiatæ Eccleſiæ pio furto cogitarunt ſecreto illud in ſuam ædem *n. 25.*
abducere . Admoverunt operam & manus ; ſed inaniter , neque enim Miraculis ac cul-
ſepulcralem lapidem ulla poterant arte removere . Vires viribus adjun- tu celebris.
xerunt , plures in auxilium convocarunt , juga bovum appoſuerunt , ut
miraculum ſuperarent . Illuſtrius porro reddiderunt adauctæ vires , dum
nullæ ſuffecerint vel minimum lapidi commovendo . Tamdem victi ,
divinam cognoverunt virtutem , quæ ſuum volebat illæſum Fratribus
remanere theſaurum . Evocati in conſpectum Fratres , nullo negotio
ſepulcrum aperuerunt , ſuum pignus aſportarunt . Frigeſcentibus tam-
dem fidelium animis & caritate , cum anniverſaria ſancti Viri dies juxta
morem minime coleretur , nobiles quidam ac perdevoti Vimaranenſes
confraternitatem in ejus honorem in Fratrum Monaſterio anno MDLXXIII.
erexerunt . Poſt quatuor deinde tranſactos annos , populus eidem Divo

ex publico ærario ſacellum ædificandum curavit, ad quod ejus oſſa maxima cum veneratione, & concurſu univerſæ gentis convicinæ transferenda curavit. Translationi adfuit Dominus Fulgentius Eccleſiæ Vimaranicæ Prior, potentiſſimi Ducis Brigantinorum filius, necnon Canonici, ceterique Sacerdotes, & Miniſtri cum univerſo Clero & populo, indicta ſolemni proceſſione per præcipuas oppidi plateas. Translationis dies, qui incidit in primam Auguſti anni MDLXXVII. ex Senatus-conſulto ſingulis annis feſtiva & ſolemnis habetur, ut præſens ipſe aliquando conſpexi. Et ne hoc ullo tempore excideret, in anteriori præfati ſacelli parte, quæ ſequuntur inſcriptæ ſunt litteræ.

DIVO GUALTERO D. F. D. VIMARAN. PATRONO
INSTAURATI FESTI VOTO IV. ANNO M.D.LXXVII.
P. V. F. C.

Deinde inciſum hoc epitaphium breve.

GUALTERI TEGIT HOC VENERABILIS OSSA SEPULCRUM.

Gregorius XIII. eodem anno XVII. Decembris ad ſancti Viri majorem venerationem commendandam, magnas largitus eſt Indulgentias hujus ſodalitatis confratribus, & præcipue eo die, quo ſuum dederint nomen; nec non omnibus Chriſti fidelibus, qui ejus ſepulcrum prædicta die viſitaverint.

Obiit Angelus Reatinus.

Tom. 1. Anno 1210. num. 3. & alibi ſæpius.

B. Stephanus.

Tom. 2. An. 1229. n. 32.

Marian. lib. 2. cap. 6.

Quam paucis contenti primi Ordinis Patres?

IX. Circa idem tempus obierunt alii ſancti Franciſci diſcipuli, quorum mortis certum annum nemo aſſignavit. Inter hos Angelus Reatinus, cujus frequens jam incidit mentio, duodecimus inter ſancti Patris ſocios, ſignis & miraculis clarus, Aſſiſii vitam terminavit, ſepultus in Eccleſia inferiori prope ſanctum Franciſcum. Frater Stephanus ignotæ patriæ Vir ſanctus, de quo præter alia jam relata, illud ſcribit Marianus, Thomam Papienſem, Tuſciæ Miniſtrum, aſſeruiſſe eumdem hæc ſibi dixiſſe: *Ego Fr. Stephanus aliquot menſibus ſteti in quodam Eremitorio cum ſancto Franciſco, aliiſque Fratribus, triclinii, & culinæ curam agens; ubi hæc illa fuit ratio vivendi ex magiſterio ſancti Inſtitutoris. In oratione & ſilentio tempus antemeridianum inſumebamus, donec per tegulæ ſonum vocabamur ad prandium. Solebat ſanctus Magiſter circa horam tertiam de cella exire, & ſi ignem non videbat in culina, deſcendens in hortum, manipulum colligens herbarum, ad me deferebat, dicens: Coque iſtas, & bene erit Fratribus. Et cum aliquando ova, lacticiniaque a fidelibus miſſa eiſdem apponerem cum aliquo juſculento, alacriter manducans cum ceteris, ajebat: nimis feciſti frater, nil volo prepares in craſtinum, nec facias in culina. Ego vero in omnibus ſolum ejus obſequens præceptis, nihil tam curabam quam ſanctiſſimo Viro obedire. Dum vero veniret, & variis fruſtulis panis menſam paratam cerneret, hilariter manducare incipiebat: me deinde nihil afferentem carpebat, interrogabatque cur aliquid non condierim? Ad hæc reſpondenti, quia tu, Pater, ita mihi præcepiſti, dicebat: cariſſime, egregia eſt virtus diſcretio, nec ſemper implendum quidquid Prælatus, præſertim turbatus, imperaverit.* In ſancta humilitate pius hic Vir ſuos dies tranſegit, probe edoctus ab ipſo Inſtitutore. Ubi requieſcit, ignoratur.

Chron. antiq. Marc. 1. parte lib. 6. cap. 36.

Mariani lib. 2. cap. 7.

Antiſt. tit. 24. c. 7. §. 8.

X. Ante hoc tempus, ſuum terminaſſe Juniperum volunt aliqui; at mihi vel inde probatur non prius defunctum, quod ex actis ſanctæ Claræ conſtet morienti adſtitiſſe Juniperum, & uno vel altero poſt anno viventis

Juniperus nudus percurrit plateas

tis quædam detexerim veſtigia. Ex multis jam dictis de homine facile ejus ſanctitas innotuit; humilitatis vero, cujus admirandus erat ſectator, aliqua hic libet ſubjicere monumenta. Miſſus Viterbium præ foribus exuit pauperem lacernam, qua ad faſciculi modum collo alligata percurrit plateas, factus omnibus in deriſum, & pueris in luſum. Re narrata conſodalibus, durius increpare cœperunt, unoquoque pro ſua opinione tanti perpetrati ſcandali, & illati Sodalitio vituperii pœnas taxante. Hilariter omnes audiebat, atque ille magis placebat, qui aſperiorem addebat reprehenſionem. Animi conſtantiam increpationibus quibuſcumque ſuperiorem conſiderantes admirati ſunt, & venerationi habere cœperunt, quem prius affecerunt injuriis. Hoc ipſum ſe mortificandi genus alias exercuit Aſſiſii in ſolemnibus quibuſdam ſpectaculis, Spoleto per Hiſpellum, atque alia intermedia caſtra nudus illuc pergens, inter publica hominum ſpectacula peculiarem requirens ſui contemptum. Ductus ad Monaſterium aſperrime receptus eſt ab ædis Præfecto, quem dum coram omnibus durius argueret, demum ſubjunxit: *Neſcio quam tibi pro tanta amentia dignam injungam pœnitentiam?* Cum ille genuflexus: *Ego*, inquit, *dicam Pater: jube ut per eamdem viam, atque eodem modo, quo veni, revertar.* Ex mauſuetudine loquelæ, & patientia in ſufferendo perceperunt altum ſibi ſtruxiſſe humilitatis fundamentum; neque aliud, uti de Chriſto Domino dixit acute Tertullianus, hominem deſideraſſe quam *ſaginari voluptate patientiæ*.

Patienter fert quaſcumque injurias.

Tertull. lib. de patien. cap. 3.

Apud pium hoſpitem inſani ſibi opinionem cōparavit.

XI. Importune rogatus a quodam generoſo & pio viro, ut ſecum per unum, aut alterum moraretur diem, noluit acquieſcere: ſed ad Prælati præceptum oportuit obedire, ut pio hoſpitis ſatisfieret deſiderio, qui eum familiarius alloqui cupiebat, quem vere ſanctum judicabat. At integro obmutuit die, nec voculam ullam potuit ab eo bonus hoſpes extorquere. In cubiculum ductus noctem omnem inſomnem duxit in oratione Dei; ſed ſummo mane inſalutatis omnibus receſſit, lecto incompoſito, rebus omnibus ſuſque deque projectis. Matutino ſpectaculo, & furtivo receſſu vir valde commotus, quem ſanctum antea putavit, deinceps cenſuit inſanum; quo audito Juniperus: *Tamdem*, inquit, *obtinui, ne circa me bonus vir deciperetur, & qualis ſim, talem me vere prædicaret.*

Deſpicabiliter ſepeliri deſiderat.

XII. Confabulatus cum Fratribus, invicem de morte colloquentibus, dum ex eis unus diceret: *Frequenter a Domino flagito, ut banc mibi gratiam præſtare dignetur, ne extra clauſtra moriar; ſed Chriſtiano ritu ſepeliar cum Fratribus, qui morienti conſilio, & precibus adſiſtant.* Subjunxit Juniperus: *Ego cuperem ut multi eſſent Fratres, qui pro me orarent; attamen ita deſpicabiliter mori vellem, ut non eſſet qui mortuo parentaret: imo ita fœtere mallem, quod nullus prope aeeedere auderet, nec funus pararet, ſed tamquam rem abominabilem, & immundam in ſterquilinium projicerent, volucribus cœli eſcam futurum: neque enim in vita, ſed neque poſt mortem homini vili, & indigno honorem ullum vellem attribui. Majora pertulit pro nobis peecatoribus Chriſtus innocens & impoliutus opprobria, quam facile a nobis explieari poſſint: neque tamen quidquam adeo cogitamus, quam ſemper & ubique in vita, & poſt mortem honorari.* Mirabilis ſane & ſingularis fuit in hoc genere proprii contemptus, *non eſt inventus ſimilis illi*, qui ita ſe vilificari toto conatu ſtuderet; neque verius dicere poſſet illud Apoſtoli: *Mibi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*; dum quidquid erat in mundo, divitias, honorem, auctoritatem,

Eccl. 44. 20.

Gal. 16. 14.

tem, & quidquid hominibus in pretio eſt, tamquam vile, contemptibile, opprobrioſum, inhonorum, velut in furcas, & crucem actum, vilipendendum & conculcandum exiſtimaret.

Ejus cura erga infirmos.

XIII. Commiſſa ei per ſanctum Franciſcum infirmorum cura apud ſanctam Mariam de Angelis, omnia eis exhibebat caritatis officia, ſed majora erga diutini languoris unum, quem vires & manducandi appetitus deſtituerant. Hunc dum interrogaret aliquando, quid appeteret? aut quo cibi genere appetitum revocaret? & ille reſponderet: pernam, vel porci pedem aceto coctum ſe concupiſcere: bono juſſit animo ut eſſet, ſeque ſtatim quod cupiebat, faſtidienti ſtomacho præparaturum. Arrepto gladiolo abiit in proximum campum, ubi porci veſcebantur; apprehenſo uni pedem præſcidit, quem mox conditum ægroto miniſtravit. Dominus gregis a ſubulco audiens illatum ſibi a Fratribus damnum, ad Monaſterium clamitans acceſsit, conquerens injurioſe de Fratribus, latrones & prædones appellans. Admiratus optimus Inſtitutor Franciſcus ad hominis clamoſas querelas, rogavit ut patienter ferret, & mitius ageret, dum quid factum eſſet, examinaret; ſi quid vero damni illatum, abſque dubio reſarciendum. His nihilo pacatior factus abiit querulus, omnia vociferatione replens, obviis quibuſque Fratrum inſolentiam intrudens. Inveſtigat, examinat, diſquirit factum Franciſcus, ventum per indicia ad culpæ auctorem Juniperum. Faſſus ille ſtatim quod fecerit, acriter reprehenditur, omnibus juſtam hominis commotionem, Fratrum exprobrationem, furti ſcandalum objicientibus: quibus mira ſimplicitate ille reſpondit: *Fratres cariſſimi, ego certe valde admiror cur hic bonus vir adeo conturbetur, dum ego de bonis Domini, quæ ſublevandis egenis eidem conceſsit, accepi ex tanto pecude petiolum unum, languenti, & miſello Fraterculo miniſtrandum. Potius eſt quod Deo reddat gratias, qui potuit adeo exigua re tantæ ſuccurrere neceſsitati, per quam Frater noſter melius habet, & nauſeam ſuperavit. Vos etiam unde indignemini non video; caritatis enim & miſericordiæ opus eſt miniſtrare infirmis, & ſi quibus egent, undecumque afferre*. Dixit ita candide & ſincere, ut commotos facile ſedarit, veniam ab Inſtitutore impetrarit, miſſus tamen ad hominem, ut ſcandalo mederetur & damno. Abiit ille confeſtim, genuflexus ſe latronem illum dixit, qui porcum cecidit in moribundi Fratris levamen. Plus excanduit vir ad malefactoris præſentiam, cui quidquid in buccam venerat, exponebat injuriæ. Suſtulit omnia patienter Juniperus, nec amplius dicenti, ſed verbis verbera addituro ſe humiliter proſtituit, indulgentiam imploravit, addens quidquid haberet, a Deo datum, ut egenis & miſeris redderet; neque ſcandalizari debere ad opus caritatis, cui omnia temporalia oporteret inſervire. Victus homo patientia & manſuetudine, durum cor molliente Domino, in proſtrati coram ſe, atque ictus excepturi amplexus irruit, rogans obnixe, ut parceret eouſque Fratribus maledicenti. Deinde dimiſſo in oſculo pacis humili viro, occidit ipſe læſum pecus, & commode præparatum Fratribus miſit, deprecatus ut manducarent, & Deum obſecrarent, quatenus eiſdem illatas injurias vellet ignoſcere.

Lepidum, ſed pium, Juniperi factum.

Quidquid habet effundit in pauperes.

XIV. Non ſolum Fratribus, verum & aliis quibuſque egenis ex corde compatiebatur, nec quidquam ſibi retinebat, quo alium judicabat egere; aliquando mantellum, aliquando habitum ipſum, alias lacernæ præſegmina pauperibus diſtribuebat, ſolis ſibi relictis femoralibus, veſtitis aliis, ſua nuditate contentus. Reprehenſus ſæpius a ſuperioribus, ſub ſan-

ſanctæ obedientiæ præcepto, tamdem juſſus eſt, ne amplius poſſet quidpiam ex veſtibus largiri. Obvio tamen nudo pauperi, atque eleemoſynam petenti, reſpondit: *Frater mi, noveris nihil mihi præter habitum ſupereſſe, neque hunc ipſum meum eſſe, ſed Prælatorum, qui mihi per ſanctam obedientiam præceperunt, ne cuiquam darem. Depoſitum itaque illorum, non rem meam porto; donare non poſſum; ſi tu mihi auferas, non contradicam.* Dum hæc mendicus audivit, ex tempore ſpoliavit non reſiſtentem, ſuæ potius, quam hujus inhumane ſuccurrens nuditati. Guardianus nudum aſpiciens, quid actum de habitu interrogavit? Cui Juniperus: *Mendicus miſellus mihi abſtulit; cui ſumme egeno reluctari non potui; ille tulit, egeno non dedi.* Quid ad hæc diceret Prælatus, non habebat; ſed commendavit, ut Fratrum pauperiei, ſuæ honeſtati, & ſpectantium temerario conſuleret judicio.

XV. Ultra veſtes ſuas quidquid offerebatur ex tenero erga pauperes affectu largiebatur, neque libris aut utenſilibus, neque ulli ſupellectili parcebat, quin abunde erogaret egenis. Ita in his videbatur excedere, & prodigus effundere, ut non tam a furibus, quam a Junipero Fratres caverent. Attamen dum in ſolemnitate quadam relinqueretur ab æditua, vel ſacriſta in Eccleſia, ut dum ille manducaret, hic excubias ageret, ſupervenit paupercula quædam vetula ſuam, filiæ, neptiſque miſerias egeſtatis expandens Junipero, præ altari oranti. Compaſſus tantæ inopiæ, conjectis hinc inde oculis, ut quid dare poſſet, aſpiceret; notavit in antipendio magni pretii, olim a Gregorio IX. ad majorem corporis ſancti Franciſci ſubtus ſepulti cultum oblato, campanulas pependiſſe argenteas: quas excidens pauperculæ dedit, monens ut quantocyus abiret, ne ab alio donum revocaretur. Accedens ædituus vidit exſectas campanulas, objurgatoque Junipero cuſtode, abiit ad Joannem Parentem, tunc Miniſtrum Generalem, conqueſturus. Cui ille: *Non tam admiror Juniperi, quam tuam fatuitatem, qui pio furi, & prodigo rerum omnium effuſori, ſupellectilem commendaſti eccleſiaſticam; attamen ego hanc puniam amentiam.* Vocatum itaque poſt veſperas ad Capitulum, culparum eluendarum officinam, vehementer reprehendit tanto conatu, ut ex raucedine jam ferme loqui non poſſet. Juniperus ſedato ferens animo quidquid ſibi dicebatur, plus doluit ad reprehendentis incommodum, quam ad acrem objurgationem. Quare expleto judicio ſui criminis, miro animi candore, & ſincera caritate de raucitatis cogitavit medela. Perquiſivit hinc inde, quibus medicamentum exterſorium conficeret; dulciculam mox potionem poſt primam noctis horam, neque enim prius potuit præparare, in ſcutula manu una, candelam altera portavit: pulſato oſtio Miniſtri ter aut quater, inſanum abire jubentis, importune inſtitit, donec tamdem aperiret. Rogatus acerbe quid adeo intempeſtive, moleſtius quam par eſſet, ad oſtium jam quieſcentis Prælati requireret? ſimpliciter & humiliter dixit: *Pater venerande, venio gratias acturus ob tantum in me beneficium hodie collatum, miſericordiam item laudaturus, qui majores, & meis culpis dignas, pœnas remiſiſti: ſed juſte facientem raucum factum indolui: paravi itaque hanc medicinam, potu ſuavem, & effectu mitem, quam oraverim ſumere digneris.* Iracundior factus Miniſter, abire juſſit indignanter hominem, nullo, inquit, tempore ſaniorem, ſemper amentem. Ille placide inſtitit: ſed dum abigere ſecundo, & ſæpius vellet commotus Miniſter: *Rogo*, inquit candida ſimplicitate, *ut ſaltim hanc teneas candelam, dum ego ſumpſero illinctum hunc,*

Campanulas argenteas dat pauperculæ.

Acriter objurgatur.

Ridiculum pii hominis factum.

hunc, ne frigeat, aut pereat. Subriſit præfectus, admiratus hominis candorem, & ſimplicem caritatem interius ſecum perpendens, pietate victus, inquit: *Dum ita urget, frater Junipere, ſimul comedamus*. Sorbuerunt itaque alternatim pia utrinque conſideratione devotionem excitante.

Declinat Romanorum honores.

XVI. Romæ fuerunt, qui hominem valde a ſanctitate commendatum, videre deſiderabant. Evocatus Aſſiſio per Superiorem, dum accederet expectabatur a magna piorum multitudine. Admonitus, declinavit ad ludieros quoſdam puerorum ludos, quibus totus intentus, quaſi unus ex illis, ſe fatuellum monſtrare curavit. Acceſſerunt, qui eum videndi deſiderio ferebantur, variiſque opinionibus acti, quidam dicebant non tanti faciendum hominem ridiculum, alii inſanum, alii rectius declinandi honoris artem excogitaſſe judicabant. Vocatus, rogatus, interrogatus, nihil cuipiam voluit reſpondere, neque ad aliud præter jocum attendere. Videntes itaque circumſtantes nihil ſibi ab homine ſperandum, receſſerunt. Mox ille obtenta ſui contemptus victoria, tamquam ſi ſpoliis onuſtus magna reportaſſet trophæa, alacriter ad ſuos abiit conſodales.

Varia ciborum genera uno coxit cacabo.

XVII. Exeuntibus Fratribus ad quaſdam benefactoris exequias, commendata eſt cura refectionis Junipero. Abiit ille in Civitatem mendicaturus, ubi quæcumque offerebantur admiſit. Domi ſecum cogitavit magnam eſſe moleſtiam, & frequens ſanctæ orationis impedimentum quotidie manducare, quare decrevit ad ſtipem collecta, gallinas, ova, caſeum, herbas, legumina, uvas ſimul omnia coquere, ut ſemel per quindenam coquus laboraret, & Fratres manducarent. Ut erant omnia data, gallinas plumatas cum inteſtinis, variaque illa edulii genera in ahenum conjecit, ſollicite inſudans, magno ſuppoſito igne, ut omnia eſſent in promptu, antequam Fratres redirent. Primus, qui acceſſit perſpectis gallinis ſupernatantibus, & re examinata, abiit ad ceteros rem ridiculam narraturus. Viſum veniunt omnes opiparum convivii apparatum; ſed præfectus ædis tantam inſipientiam ferre non valens, coram omnibus vehementer redarguit: cui ille humiliter genuflexus: *Putavi certe pater, me recte feciſſe, atque mea ſollicitudine magna cura per quindenam Fratres levaſſe, dum hodie ad ſatietatem edentes, per totidem dies non eſurirent, neque de indulgendo ventri cogitarent, ſed ſolum orationibus ſanctis intenti, animæ impinguandæ ſtuderent*.

Feliciter moritur.

XVIII. Demum in ſancta hac ſimplicitate per omnem vitam incedens, meritis & virtutibus plenus, in ſenectute bona feliciter conſummatus, poſtremis menſibus totus ferebatur in cœleſtia. Quodam die inter ſacra myſteria extra ſe factus in choro, vidit pulchra ſanctorum agmina, & ſummam gloriam paradiſi. Ab illa hors ſemper ingemuit & ſuſpiravit, terminari ſuum incolatum, & a corporis ergaſtulo liberari deſiderans. Tamdem exauditus a Domino, vocatus, eſt ad cœleſtem requiem, ſuavi ſopore ſolutus in æde Aracœli, ubi defunctum, & appoſitum epitaphium alias enarravimus.

Tom. 3. an. 1251. n. 56.

Duæ diſcipulæ S. Claræ moriuntur.
Gonzag. in Prov. Fland. Conv. 2.

XIX. Duæ ex diſcipulis ſanctæ Claræ, Pacifica, & Chriſtiana, perfectæ ejuſdem ſectatrices, multis virtutibus ornatæ, ſignis & prodigiis illuſtres, hoc anno glorioſo fine quieverunt, in Eccleſia ſancti Georgii, magno accurrente populo, tumulatæ.

Tom. 2. an. 1233. n. 40.

XX. Hoc anno fundatum intra oppidum Brugenſe Monaſterium Minorum a Joanna Comitiſſa ſcribit Gonzaga; ſed errorem eſſe in nume-

me-

merandi ratione admonuimus ex eo ipſo, quod adjungit; id factum anno v. Pontificatus Innocentii IV. qui incidit in annum MCCXLVIII. vel ſequentem. Eſt etiam quod hic modo moneamus, dum calculorum hunc deprehenſum errorem nos voluimus attingere, ſub anno MCCXLVII. ex incuria noſtri amanuenſis irrepſiſſe integram & largam ex Gonzaga relationem hujus Conventus, de quo nos ſuperius jam accuratius egeramus, & errores aliquos dictæ narrationis obſervatos refelleramus. Venit itaque reperta illa, & minus vera narratio, ex negligentia ſecundo loco inſerta, a lectoribus expungenda.

Repetita narratio Conv. Brugen. expungenda.

Tom. I. an. 1247. n. 31. Repetitam hanc narrationem expunximus, ut eſt videre loco citato.

XXI. Conventus caſtri ſanctæ Agathæ (quod in Romanula inter inſulas Comitis Matildis, & Manzolinum caſtellum, oppidum eſt non ignobile) primam & certam originem comperire haud licuit: campana hunc annum indicat inciſis his verbis: *Ave Maria. Anno* MCCLVIII. Sunt, qui putent a ſancto Franciſco primam domunculam ædificatam. Extant enim veſtigia cujuſdam cellæ, in qua habitavit, & pœnitentiam egit, ex qua etiam pluries prodiit prædicaturus in populo. Ab hac nomen ſortitus eſt locus antiquitus *Cella fuſti*; poſtea decidente hoc nomine, cœpit vocari locus ſanctæ Agathæ ab oppido. Putant quidam Dominos ex familia Caſa Faggiola, qui tunc temporis erant Domini Corneti Sarſinæ Diœceſis, ſolum & aream Monaſterii conceſſiſſe. Spectat ad Patres Conventuales Provinciæ Bononienſis, & Cuſtodiæ Forolivienſis. Conventum ſancti Sepulcri hoc anno die XII. Septembris dedit Minoribus Orlandus de Detegnardi, communi totius populi aſſenſu, acceptante eumdem locum nomine totius Religionis fratre Thoma Hiſpellate. In cujus Monaſterii Eccleſia jacet corpus beati Raynerii laici, cujus vitam & miracula dabimus ſub mortis tempore. Inhabitant Patres Conventuales Provinciæ ſancti Franciſci Tuderti, Cuſtodiæ Thiferni.

Conv. Agathen. *Rodulph. fol. 269.*

Conv. S. Sepulcri. *Idem fol. 253.*

Anno 1304.

Idem fol. 282.

XXII. In urbe Cataniæ in Sicilia, ante hunc annum fuit Conventus Cuſtodiæ Drepani, ſub nomine Caſtri Orſini, dedicato Templo Archangelo Michaeli, Fratribus conceſſo ab Ottone Epiſcopo, accedente confirmatione Alexandri IV. Pontificatus anno II. Aliorum eſt ſententia, hoc anno originem accepiſſe ſub invocatione ſancti Franciſci. Rectius putant alii tunc refectum vel translatum. Varias paſſi ſunt aliquoties moleſtias; quare Gregorium X. Apoſtolico diplomate eos muniviſſe contra Manfredum Principem Tarentinum ſcribit Rodulphus: ſed error eſt: nam ante electionem Gregorii X. occiſus eſt Manfredus a Carolo Andegavenſi. Fortaſſe moleſti amici vel ſequaces Manfredi: vel alius fuit Pontifex. Meminit hujus ædis Maurolycus Abbas Siculus in ſuis Chronicis de rebus præclaris Siciliæ. In marmoreo ſepulcro Reginam Leonoram requieſcere, docet affixum hoc rude & ſubobſcurum epitaphium.

Conv. Cataniæ.

Rodulph. prox. cit.

Maurol. l. 5. rer. Sicularum.

Jacet ibi Regina Leonora.

Illuſtris Regina jacet hic Aleonora:
Cui ſacra Clara dedit habitum.
Quam frater honorat ſanctus Ludovicus.
Siciliæ Regina jacet hic Aleonora.
Regum nata, parens, conjux inſignis, honoro,
Heu Caroli, Petri, Friderici, Sanciæ ſoror.
Accipe en dignam Ludovice prædicande ſororem.
Quamvis Arenæ Nicolai migraverit æde,
Cataniæ petiit Franciſci ſiſtere ſede,
Ordinibus devota ſuis. Sydus bene mite.
Hic jacet, inſpicite.

Quænam hæc à Rodulpho citata.

Fazzel. de rebus Sicul. decad. 2. lib. 9. c. 3. Zurita 1. par. lib. 5. cap. 56. & 60.

XXIII. Mirum quas offundit tenebras epitaphium hoc Petro Rodulpho, & quorum Regum Leonoram ille conſtituat ſororem. Sanctum Ludovicum Regem Franciæ, Carolum, Petrum, & Fridericum Reges, fratres ei tribuit, cum nihil hujuſmodi aperte carmina ſubindicent: neque quidpiam exacte in hac re ſciri poſſit, neque abſque certo errandi periculo dici, niſi prius conſulatur Reginæ genus & ætas. Non perfunctorie mihi laborandum fuit in evolvendis Siculis Auctoribus, & tamdem inveni Leonoram hanc Caroli II. cognomento Claudi, Caroli I. filii, & Caroli Martelli genitoris, Siciliæ ſeu potius Neapolis, Regis filiam fuiſſe, quæ Friderico Regi etiam Siciliæ (ſive per fas, ſive per nefas, modo non libet diſputare) hujus nominis ſecundo, Petri Aragonenſis filio, in uxorem data eſt anno MCCCII. teſte Maurolyco citato, ad reformandam pacem inter prædictos Carolum & Fridericum de eodem Regno ſanguinolenter contendentes. Hujus frater fuit ſanctus Ludovicus, non Rex Franciæ, ut habet Rodulphus, ſed Epiſcopus Toloſanus, dicti Caroli filius ſecundo genitus. Filium habuit Petrum, hujus nominis ſecundum, Regem Siciliæ, Friderici patris ſucceſſorem. De his itaque Carolo, Petro, Friderico, & Sancia ſorore, intelligenda ſunt illa carmina bina:

Regum nata, parens, conjux inſignis, honora,
Heu Caroli, Petri, Friderici, Sanciæ ſoror.

Combinandi ſunt in conſtructione verſus, ita ut dicatur, nata Caroli, parens Petri, conjux inſignis Friderici, honora Sanciæ ſoror; necnon ſancti Ludovici Præſulis Toloſatis. Mortuo viro Friderico, ſuſcepit habitum ſanctæ Claræ, vixitque inter Sanctimoniales annis quatuor. Dum vero moritur apud ſanctum Nicolaum ab Arena in Ætna monte, jubet ſuum corpus deferri ad Monaſterium Minorum Cataniense, ubi ejus ſepulcro inciſum dictum epitaphium.

Gonzag. in Prov. Franc. Monaſt. 6. Monaſt. Metenſe.

XXIV. Conſtructum vel mutatum hoc anno Metis in Gallia Monaſterium Clariſſarum. Jacobus Epiſcopus Metenſis, Friderici Ducis Lotharingiæ filius, conſecravit Eccleſiam ſub invocatione ſanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani. Temporis injuria everſum eſt cœnobium, ſed aliud ſubſtitutum juxta Monaſterium Minorum in declivitate Civitatis. Dentem ſervant Sorores ſuæ Primiceriæ Claræ, & burſam cum corporalibus ab eadem factam, quibus utitur Pater Confeſſarius in feſtis ſolemnioribus.

Idem in Prov. Portug. Monaſt. 10. Monaſt. Portuenſe.

XXV. Aliud conſtruxerunt in Civitate Portuenſi in Luſitania, ubi Durius celebris fluvius profundo alveo rapide fertur in Oceanum, Rodericus Floſius, & Chamua Gomezula, extra urbis mœnia inter duos rivulos. In urbis locum munitiſſimum, & excelſum tranſtulit Joannes I. Rex Luſitaniæ, dum Hiſpanæ, ſeu Caſtellanæ copiæ frequentes in Luſitaniam irruerent; eamdem poſt mortem Ferdinandi Luſitani Regis aſſerturi Joanni II. Caſtellæ Regi, propter Beatricem Luſitanam uxorem, prædicti Ferdinandi filiam, ad quam jure hæreditario Regnum ſpectabat, Joanne fratre, qui Luſitaniæ conclamatus eſt Rex, ex pellice orto, tranſlationem hanc factam anno MCCCCLIV. ex Innocentii VII. auctoritate tradit Gonzaga: quæ conſtare non poſſunt, Joannis morte incidente in annum MCCCCXLVIII. dum regnaret annos XLVIII. atque Innocentio creato anno MCCCCIV. & ſedente annis duobus. Errorem eſſe judicem in nnmeris, & pro MCCCCIV. ſcriptum MCCCCLIV. ut in hujuſmodi facile ſolet evenire.

XXVI. Di-

XXVI. Diximus alias hoc anno primum ingreſſas Clariſſas Monaſterium Seſſlingenſe in ſuperiori Alemannia, ab Ulma recedentes. Sunt præter ea, quæ tunc de hoc Parthenone diximus, alia hic annectenda ex vetuſtis Germanorum monumentis. Antequam Ulma recederent, præter donationem, quam notavimus Udalrici de Friberg, alia addiderunt Monachi Divitaugienſes Benedictini, qui nondum amiſerant totius Ulmenſis urbis poſſeſſionem: Abbas namque Conradus, generoſus Baro Cimbrenſis donavit eiſdem Sororibus aliquas curtes, prædioloſque pagi Pfullenſis. Quæ vero Monaſterium in Seſſlingen ædificavit, Wilpurgis nuncupabatur, Comitiſſa Kelmintzenſis conjux Hartmanni Dillingenſis Comitis, quæ, occiſo patre Ægidio ab Hartmanno marito, atque hoc ob facinus cæſo, verſabatur in ſummo luctu, elegitque inter Sanctimoniales reliquam vitam tranſigere; quorum Abbatiſſa fuit poſt Hedwigem, & Annam de Friberg annos octo, menſes tres. Antequam ſe eiſdem connumeraret, audiens inter eas verba conſolationis plena, piam itidem conſpicata converſationem, dono dedit eis pro ſalute animarum tum parentis, tum mariti ſui arcem Seſſlingenſem, cum omnibus vicinis ad eam ſpectantibus pagis, juſſitque ut majori ſplendore cœnobium, quam hactenus fuiſſet, conſtrueretur: imo etiam ob recipiendum majorem numerum Sororum, majore laxitate ædificaretur; quod ſic factum eſt, advocatum agente Cœnobii D. Ulrico Helffenſtamio Comite, Wilpurgis genero. Obiit illa anno MCCLXXXI. quam ſequutæ ſunt in officio Barbara a Reckberg, & Barbara a Friberg. Cetera qui videre voluerit, conſulat Martinum Cruſium, fidum in hujuſmodi auctorem, licet corruptæ Catholicæ fidei reum.

Tom. 2. an. 1237. n. 16.

Ditatur & ampliatur Monaſterium Seſſlingenſe.

Cruſius lib. 3. annal. Suevic. cap. 11.

XXVII. Hoc anno ait Rodulphus, de conſenſu procerum, & ad preces Salomeæ ſororis ſuæ, olim Galatiæ Reginæ, Boleslaum Pudicum, Cracoviæ, & Sandomiriæ Ducem, erexiſſe Monaſterium Clariſſarum in Zavicoſto oppido, ad ripam Viſtulæ, quod hodie temporum injuria deſtructum eſt, & Moniales Cracoviam translatæ, in Monaſterio ſancti Andreæ commorantes. Sed aliquanto anteriorem primam fuiſſe originem hujus Monaſterii, mihi probat diploma ejuſdem Boleslai donantis Sanctimonialibus pagos Venderoviæ, Sauloniæ, Breſanii, Vagroviæ, Dambeni, Chotoro, Vöſchenicki, atque alias villulas, quæ ad numerum viginti quinque perveniunt, præter prædia, lacus, gabellas, & alia beneficia. Datum eſt apud Zavichoſtum anno MCCLV. XIV. Kalend. Maii, Indictione XIII. quod ſuis litteris inſertum confirmavit Alexander anno I. Pontificatus.

Rodulph. fol. 191.

Monaſt. Zavicoſti.

XXVIII. Dum dubitaretur de variis privilegiis Minorum, dicerenturque multa ex eiſdem eſſe antiquata, voluit Pontifex omnia colligere, & ſuis litteris inſerta confirmare. Ob gratiarum multitudinem & qualitatem vocari cœpit: *Mare magnum*, tranſeunte hoc nomine ad ſimiles Pontificias collectiones. Huic initium eſt: *Virtute conſpicuos*. Viterbii IV. Nonas Auguſti. Varia opinantur alii circa tempus, quo datæ ſunt hæ litteræ; quod ſcripſimus habetur in originaria membrana ſub plumbo, quam penes me ſervo, necnon aliud autographum archivi Salamanticenſis. Epiſcopum Tyburtinum hortatur, ut reſtitui faciat libros & ſupellectilem a Benedictinis ablatam, dum ex Monaſterio Tyburtino removerentur: *Guardianus, & Fratres*. IV. Nonas Decembris. Probat conceſſionem factam Sororibus de Gattajola Lucanæ Diœceſis, de Monaſterio ſancti Salvatoris de Fiſcedo ejuſdem Diœceſis Ordinis Vallis

Varia privilegia.

Umbroſæ, cum omnibus pertinentiis & juribus ſuis, inſeritque ſuis litteris omnem rei proceſſum: *Ea quæ judicio*. xv. Kalend. Aprilis. Monaſterium Clariſſarum ſanctæ Mariæ de Longa-Marcha Morinen. Diœceſis, ſubjicit regimini Generalis, & Provincialis illius regionis: *Cum ſicut ex parte*. x. Kalend. Martii. Clariſſis Eſculanis conceſſit, ne per litteras Apoſtolicas juris communis conveniri poſſent: *Cæleſtia quærentibus*. vi. Kalend. Maii. Amplum privilegium tribuit, poſſeſſiones, quas etiam enumerat, confirmat Sanctimonialibus de Faleſio Maſſanæ diœceſis: *Religioſam vitam*. x. Kalend. Junii. Sororibus Surrentinis donationem factam Eccleſiæ ſancti Georgii ratam voluit: *Ex ſerie veſtræ*. vii. Idus Junii. Eadem litterarum formula, quod Monialibus de Faleſio, largitur Sororibus ſancti Euſtachii de Clavaro. ii. Idus Auguſti. Jubet omnino ut Miniſter Provinciæ Aragoniæ neceſſarium numerum Fratrum obſequiis Clariſſarum Barchinonenſium concedat: *Sub certa forma*. iv. Non. Octobris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Extremorum Opp. deſcribit. — Wadd. ad ann. 1294. n. 8. 4. 4. — F. Minor. Conv. accipiunt. — Epiſcopi Bracharen. & Compoſtellanus conſervatores Conv. Minor.

„ I. EXtremi, vulgo Hiſpan. Extremoz, oppidum in Luſitania non „ obſcurum, inter Eboram, cujus Diœceſis eſt, & Portam læ„ tam, ab eis, & ab Elva urbe ad vii. m.p. Hiſpanicos recedens, Algar„ biis adſcriptum, Fratres Minoritas admiſiſſe, eiſque cœnobium con„ ſtruxiſſe certum eſt: & quidem Waddingus de his rebus habet, licet „ ſero; ejus enim fundationis initia ſe neſcire fatetur: verumtamen ex „ ſequentibus non aſpernendis rationibus, huic anno, vel certe non „ nimis ante vel poſt, ejus fundatio reddenda eſſe videtur: & quidem „ in conventus Eborenſis archivo, Alexandri Papæ IV. cujuſdam Bullæ „ tranſumptum aſſervatur, virtute cujus Bracharenſis, & Compoſtel„ lanus Archiepiſcopi, Fratrum Minorum Conſervatores conſtituebantur, ſimulque Magiſtro militaris Ordinis *De Aviz*, & ejus regularibus, „ ne conventus de Extremoz erectionem impedirent præcipiebatur; „ delatum enim fuerat Summo Pontifici eum cum Fratribus ſuis noctu „ deſtruere quid Fratres de die conſtruebant: ejus autem Apoſtolici „ mandati virtute Ægidius Portuenſis Compoſtellanus Archiepiſcopus „ ſuis litteris providit, ut Vincentius *Perez* Canonicus Eborenſis præfatam bullam Alexandri IV. executioni mandaret: conſtat autem Ale„ xandrum IV. in Summum Pontificem aſſumptum fuiſſe anno mccliv. „ die xxv. Decembris, & ſediſſe annis vi. menſ. v. & obiiſſe xxv. Maii: „ cum ergo præfata bulla data fuerit ſub xiii. Decembris anni iv. ſui „ Pontificatus, ſequitur eam fundationem conſignari debere huic anno „ mcclviii. quo quidem ſui Pontificatus annum iv. percurrebat, ſed „ nondum abſolverat, deficientibus xii. diebus ad ejus complemen„ tum.

„ II. Petrus Mauris Chronologus, Regni Secretarius, & Regiæ „ Bibliothecæ, communiter dictæ *Torre de Tombo* in libro regalium Ge„ ſtorum aſſerit, Dionyſium Luſitaniæ Regem hoc ſancti Franciſci Cœ„ nobium ædificaſſe: ſed perperam, & ſine fundamento, & ſi recogitaſ„ ſet, non Dionyſium, ſed Alphonſum III. Dionyſii, conjugis ſanctæ „ Eliſabethæ patrem per ea tempora Luſitaniæ Regni moderaſſe habe„ nas, nequaquam ita ſcripſiſſet; Alphonſus enim regnare cœpit an„ no mccxlvi. & perduravit uſque ad annum mcclxxix. duxit conjugem

,, gem Beatricem filiam Alphonſi Regis de Caſtella , & Lugduno : ejus
,, inſignia in angulari capite tecti Capellæ majoris id oſtendunt : videtur
,, ſiquidem ibi ſcutum regium in duas diſpertitum areas, quarum, quæ a
,, dextris eſt Portugalliæ, & Algarbiorum , ut Alphonſus III. additis
,, quinque caſtris decreverat : & altera a ſiniſtris , Caſtellæ , & Lugduni ,
,, propria Beatricis uxoris ſuæ ſtemmata continet : nec ea , quæ a ſini-
,, ſtris ſunt , Eliſabethæ uxori Dionyſii attribui poſſunt , cum hæc inſi-
,, gniis Aragoniis uteretur . His autem addere placet, hunc Alphon-
,, ſum III. Sancii II. fratrem , Beatricis virum , & Dionyſii Patrem,
,, celeberrimum oppidum Extremorum ædificaſſe cum arce inexpugnabi-
,, li : quamobrem haud mirum eſt , ſi civilibus , & martialibus expenſis ,
,, conſtructione præfati Conventus , Chriſtianæ pietatis liberalitatem
,, addiderit . Hæc magna attentione collegimus , & non minori ſtudio
,, ex noviſſimis Provinciæ Algarbiorum monumentis digeſſimus .

Inſignia regia teſtim. fundation.

Alphonſus III. Extremos ædificat cum arce .

Monum. Prov. Alg. 1680.

,, III. Lama, ſive Lamacum, vulgo luſitano *Lamago* , Civitas Epi-
,, ſcopalis in Luſitania, cujus Antiſtes Archiepiſcopi Braccarenſis eſt
,, Suffraganeus , ad fluvium Durium ſita , reſpectu univerſi in longitu-
,, dine a Canariis graduum 11. 54. & latit. ſeptemtrionali grad. 40. 48.
,, ab oſtiis ejuſdem Durii in ortum XI. M. P. Hiſp. diſtans , circa hunc
,, annum MCCLVIII. Moniales ſanctæ Claræ admiſit : hortante enim
,, Alexandro IV. ſummo Pontifice , applaudente, atque favente Al-
,, phonſo III. Rege , piiſſimæ quædam Religioſæ , quæ jam mundo
,, renuntiaverant , ſub rigidiori Clariſſarum Regula Cœnobium funda-
,, runt : ibique in altiſſima paupertate Deo famulantes , ſub clauſura
,, perpetua viventes virtutum odorem mirabilem diffundebant :
,, unde ſanctiſſimæ vitæ fama decoræ maximo in pretio apud omnes
,, erant .

Lamacum C. E. deſcribitur .

Vide inf. ad an. 1423. *n.* 3.

Orb. Seraph. to. 2. *l.* 11. *c.* 10.

Moniales ſanctæ Claræ habẽt Cœnobium .

Vide inf. ad an. 1260. *n.* 11.

,, IV. At ſummus Pontifex hæc inter zelans honorem Dei in Sanctis
,, ſuis , quia forte per Hiſpanias non communiter , nec ab omnibus æque
,, granditas miraculi plagarum Chriſti in S. P. Franc. credebatur , ſeu
,, non venerabatur , volens illa mirifica paſſionis Redemptoris noſtri ,
,, & Dei Jeſu Chriſti ſigna magnificari ubique , & ab omnibus venerari ,
,, Archiepiſcopis , & Epiſcopis per Regna Caſtellæ , & Legionis conſti-
,, tis , ſequentis tenoris litteras direxit .

ALEXANDER EPISCOPUS &c.

Univerſis Archiepiſcopis , & Epiſcopis per Caſtellæ , & Legionis Regna conſtitutis præſentes litteras inſpecturis ſalutem , & Apoſtolicam benedictionem .

,, 1. *QUia longum eſſet nedum exarare per ſingula verborum , ſed*
,, *etiam ſuccinta relatione perſtringere clara divinæ virtutis*
,, *prodigia , quæ tam in operationibus ſanctitatis , quam etiam*
,, *in aliis mirabilibus argumentis probaverunt , beatum Franciſcum Chriſti*
,, *confeſſorem tenere cum Sanctis ſolium gloriæ in excelſis , ſignanter vobis*
,, *ante oculos proponi volumus recolenda frequentius , & vehementius ad-*
,, *miranda illa ſalutis Dominicæ paſſionis inſignia , quæ in ejuſdem Sancti*
,, *corpore , dum adhuc vitali ſpiritu foveretur , manus cæleſtis operationis*
,, *impreſſit , viderunt namque oculi fideliter intuentes , & certiſſime con-*
,, *trectantium digiti palpaverunt , quod in manibus ejus , & pedibus ex-*
preſſa

Breve ſuper veritate ſtigmatum S. P.

Specul. fol. 90.

Eadem deſcribuntur.

Quam prætioſa debent eſſe in Eccleſia.

,, *preſſa undique ſimilitudo clavorum de ſubjecto propriæ carnis excrevit,*
,, *vel de materia novæ creationis accrevit: quam equidem idem Sanctus*
,, *ſtudioſe ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, dum viveret,*
,, *abſcondebat: Inventa eſt quoque patentius in ipſius defuncti corpore non*
,, *inflicta humanitus nec facta, plaga vulneris lateralis, quaſi aliquid*
,, *inſtar lateris Salvatoris, quod redemptionis, & regenerationis humanæ*
,, *in Redemptore noſtro protulit Sacramentum. Quæ quidem plaga, ſicut*
,, *quoſdam ex Fratribus ſibi familiariter adhærentibus latere non potuit*
,, *per defluxum humoris, ita diu antea viruerat in vivente.*
,, 2. *Hæc igitur mira, & decora novæ demonſtrationis indicia, magnæ*
,, *debent eſſe devotionis divitiæ Chriſtianis, & inæſtimabiles Religionis*
,, *deliciæ in ſpiritualibus conviviis Eccleſiæ Orthodoxæ: cum ex his ſincera*
,, *fides accipiat, quod illi etiam fuerint paſſionis Chriſti ſine extrinſeco per-*
,, *ſecutore conſortes, qui pro ejuſdem amore carnem ſuam cum vitiis, &*
,, *concupiſcentiis voluntarie crucifixerunt.*
,, 3. *Sane de præfato Sancto hæc certius aſſerentes, indoctas fabulas,*
,, *ſeu vanæ adinventionis deliramenta non ſequimur: cum ea nobis dudum*
,, *nota fecerit plenior fides, quando videlicet nos in Minoribus conſtituti,*
,, *Confeſſoris ejuſdem familiaritatem ex munere divino meruimus habere*
,, *notitiam, fel. record. Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri domeſticis obſe-*
,, *quiis tunc temporis inſiſtendo.*
,, 4. *Cum igitur oportuerit, & oporteat cavere prudenter, ne tanti*
,, *patrocinii cælitus in memorato Confeſſore collata gratia in vacuum aſſu-*
,, *matur; Vobis, & aliis Eccleſiarum Prælatis per noſtras litteras dediſſe*

Olim jam commendaverat prędicari, & celebrari feſtive.

,, *meminimus in mandatis, ut ejuſdem Confeſſoris pretioſa merita, & mi-*
,, *racula magnalia, & ſalutarem memoriam, celebritate annua, prædi-*
,, *catione frequenti, & veneratione aſſidua recenſentes: ad ipſius devotionis*
,, *gratiæ divinæ meritoriam, ſubditos veſtros celebribus excitare monitis*
,, *curaretis: ut eo pro univerſo fidelium populo, ac præſertim pro his, qui*
,, *eum invocaverint, divinam miſericordiam implorantes, mereantur ſup-*
,, *plices, quod operum ſuorum poſſibilitas obtinere non poteſt, ejus inter-*
,, *ceſſionibus impetrare. Mandavimus etiam ut nullus eidem Sancto auderet*
,, *eſſe moleſtus in corpore ſuo Chriſti Jeſu triumphalia ſtigmata perfe-*
,, *renti.*
,, 5. *Si quis vero ſpiritu temerariæ præſumptionis inſaniens, divini*
,, *muneris invidus, & Apoſtolici Judicii ſacrilegus impugnator, præmiſſa,*

Et caſtigari obtrectantes.

,, *vel alia prodigiorum ſigna, quibus in Eccleſia Dei ſanctitas prædicti Con-*
,, *feſſoris eluxit improbæ contradictionis morſibus crederet obtrectanda:*
,, *voluimus, & mandavimus, ut eum ſanæ menti reſtitueret judicialis*
,, *ſeveritas diſciplinæ: ita quod diſtricta Prælati proprii caſtigatione corre-*
,, *ptus, Dei opera blaſphemare deſiſteret, & fidei catholicæ fructus de pia*
,, *mirabilium Domini incredulitate pullulans non areret. Verum poſt hu-*
,, *juſmodi noſtras exhortationes, & litteras: ex relationibus quorumdam*
,, *fide dignorum, dolentes accepimus, & referimus conturbati, quod non-*

Nuper eadem ſtigmata impugnantur.

,, *nulli Religioſi, & Clerici ſeculares de Caſtellæ, & Legionis Regnis,*
,, *circa dictam Confeſſorem, & dignam reverentiam gerere contemnentes,*
,, *quandoque in publico, & frequenter aſſerunt in occulto, quod idem Con-*
,, *feſſor non habuerit ſtigmata memorata: ipſi etiam in tantam prorum-*
,, *punt inſaniam, quod de imagine Confeſſoris ejuſdem, ubicumque illam*
,, *depictam inveniunt, ſtigmata ipſa damnabiliter abolent, & faciunt*
,, *aboleri, prohibentes pictoribus, ne præfatum Confeſſorem cum ſtigmati-*

bus

bus depingant eiſdem: propter quod ipſius Confeſſoris honori, & devotioni fidelium multum adimitur, ac venerandæ Religioni dilectorum filiorum Fratrum de Ordine Minorum graviſſime derogatur.

6. Cum itaque, ſuper his ad honorem Altiſſimi opportunum per nos deceat remedium adhiberi, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut omnes de Regnis prædictis, qui de imagine Confeſſoris ejaſdem hujuſmodi ſtigmata aboleverint, ſeu abolere fecerint, & qui prædicaverint, dictum Confeſſorem ipſa ſtigmata nullatenus habuiſſe, cujuſcumque Ordinis, vel conditionis exiſtant, eo ipſo laqueum excommunicationis incurrant, a qua non poſſint abſolvi, niſi perſonaliter Apoſtolicam Sedem adeant, ſuper hoc abſolutionis beneficium petituri: & ſi forte tales Doctores, ſeu Lectores in Theologia, ſeu quacumque alia facultate fuerint: lectionis, ſi Doctores: prædicationis officii, ſi Prædicatores: ſi vero poteſtatem audiendi confeſſiones habeant, ea ſint omnino privati: & quilibet ipſorum nihilominus, qui hujuſmodi officia, vel poteſtatem ſimul habuerit, ſimilem horum privationem incurrat.

Pœna eiſdem appoſita.

7. Ut autem hujuſmodi præſamptionibus finis deſiderabilis imponatur, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſeriem præſentium omnibus Religioſis, & Clericis ſecularibus, exemptis, & non exemptis veſtrarum Civitatum, & Diœceſum fideliter per vos, vel alium, ſeu alios exponatis, facientes excommunicationem, & privationem hujuſmodi, appellatione remota, firmiter obſervari, contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Præceptum vero noſtrum in hac parte taliter adimplere curetis, ut injuria, quam Dei filius in Sancto ſuo ſuper his pati dignoſcitur, cordibus veſtris eſſe moleſtiſsima videatur: ita, & per conſequens gratiæ divinæ præmium, & noſtri favoris vobis proveniat incrementum. Datum Anagniæ v. *Kal. Auguſti Pontific. noſtri anno* v.

Mandat præſentium executionem.

V. Plura alia Ordini noſtro contulit ſummus Pontifex, quæ ex Indiculo Petri de Alua, & Aſtorga hic citabimus, præter ea, quæ Annaliſta retulit: ut quod nullus, etiamſi ſit Legatus a latere, detineat Minores: *Petitionibus veſtris &c.* xiv. Kal. Aprilis: quod Fratres non teneantur ad ſolvendas collectas: *Paupertatis &c.* vii. Kal. Aprilis: quod Fratres non poſſint conveniri: *Nimis iniqua &c.* iii. Nonas Aprilis: pro ſancto Ludovico Rege Francorum commendaritia circa immunitatem eccleſiaſticam, & alia: *Sicut ille Lucifer &c.* iii. Idus Aprilis: Ne Fratres teneantur ad canonicam portionem: *Pium eſt &c.* Idibus Maii. Ne Ordinarii inquietent, vel inquietare permittant Fratres: *Deteſtanda &c.* viii. Idus Maii: pro Inquiſitoribus Marchiæ: *Ex parte veſtra &c.* viii. Kal. Octobris: ut Inquiſitores admittant hæreticos converſos: *Super eo &c.* vi. Kal. Octobris: Ad Prælatos Eccleſiæ pro Inquiſitoribus Italiæ: *Ad extirpanda &c.* v. Idus Octobris: pro eiſdem Inquiſitoribus: *Ex parte veſtra &c.* Idibus Novembris: pro Inquiſitoribus: *Super extirpatione &c.* xiv. Kal. Januarii.

Aliæ literæ in favorem Fratrum &c.

Indiculus.

Narrationem quam hoc in loco B. Stephani Minoritæ P. Meliſſanus adducit, merito expungimus, cum ea ſe ad apicem Waddingus hoc anno re erat, ut eſt videre ſuperius n. 9.

VI. Interea fr. Daniel, 7. Provinciæ Bohemiæ, & Poloniæ Miniſter, ſecundum Capitulum, ſeu Congregationem capitularem Provinciæ celebravit Inglaviæ hoc anno mcclviii. in qua domus Bithomii recepta eſt: quo anno, referentibus Miechovio, & Rodulpho, tum etiam Waddingo, Boleslaus Pudicus, conſenſu Procerum in Conventu Corcinii celebrato, ductrice Grimislava genitrice ſua, ad inſtantiam

Conventus Bithomii recipitur per fr. Daniel.

Caſim. Biern. art. 18. num. 7. Miechov. lib. 3. cap. 53.

Rodulp. fol. 291 Wadd. ad hunc annum num. 21.

Boleslaus fundat Zavichoſti. Monaſteriũ pro ſexaginta Monialibus.

Grimiſlava Mater B. Solomeæ obit.

Vide inf. ad annum 1259. n. 5.

Erex. Zavichoſti Cęnob. Fratr.

Caſim. ſupr. cit. num. 17.

„ tiam Kingæ conſortis, & Salomeæ, olim Galatiæ Reginæ Sororis ſuæ, „ Eccleſiam, & Monaſterium pro ſexaginta Sanctimonialibus Ordinis „ ſanctæ Claræ Zavicoſti fundavit: eiſque dotali jure ipſum Oppidum „ Zavicoſtum, cum vigintiquinque Villis, prædiis, lacubus, ac thelo- „ neis, donavit: donationem hujuſmodi ab omni Regum, Ducum, & „ Dominorum exactione, ac tributis perpetuando, & liberando.

„ VII. Hoc eodem anno beata Grimislava Duciſſa Poloniæ, beati „ Boleslai Pudici, & beatæ Salomeæ Mater, Tertii Ordinis ſancti Fran- „ ciſci conſoror, die VIII. Novembris Zavicoſti obiit: ubi aliud Mo- „ naſterium cum Eccleſia pro duodecim Fratribus Minoribus fundavit: „ ſepulta, teſtante ejus epitaphio, in Eccleſia ejuſdem Cœnobii: porro „ epitaphium in pariete ſepulcri ipſius tale eſt: *Illuſtriſſima Domina* „ *Grimislava Duciſſa, Mater inclyti Boleslai Ducis Cracovien. & Sandom:* „ *Fundatrix loci iſtius Zavicoſtenſis, hic jacet humata, regnat cum Chriſto* „ *beata*. Ejus in vita, tanta in eleemoſynis elargiendis, pauperibus „ alendis, egenis nutriendis, neceſſitate laborantibus veſtiendis, ex- „ titit liberalitas, ut paſſim per ora omnium pauperum, hoc elogium „ de ea reſonaret: *Se pauperes in Polonia hucuſque non fore, beata Gri-* „ *mislava Matre Regis Boleslai Pudici, aduſque in vivis exiſtente*.

ARGUMENTUM.

Jubet Pontifex, ut ſummo in honore habeantur ſtigmata ſancti Franciſci; Inquiſitores inſtitui poſſe a Minorum ſuperioribus concedit; multa ſtatuit in controverſia Pariſienſi; Fratrem Walaſcum in Angliam mittit. Naſcitur Joannes Firmanus, ſed obeunt Philippus Longus, Benedictus Aretinus, & Nicolaus Orbitanus. Indicitur SS. Franciſci & Antonii cultus apud Ciſtercienſes. Ilerdæ multa patrat ſanctus Franciſcus miracula. Conferuntur Monaſteria & privilegia.

I. IN limine Pontificatus Alexander ad perpetuam rei memoriam univerſis Eccleſiarum Prælatis graviter ſcripſit, ut ſummo in honore ſanctum Franciſcum haberi curarent, & ſtigmata habuiſſe negantes ſeverius compeſcerent: attamen non defuerunt in Caſtellæ & Legionis dominiis, qui ſancto Confeſſori detraherent, & ſtigmata non ſolum negarent, verum & ex quibuſdam raderent imaginibus, & pictoribus ne illa delinearent, temere prohiberent. Reſcripſit itaque Pontifex ad Archiepiſcopos & Epiſcopos, per eadem Regna conſtitutos, ut hujuſmodi ſacrilegos auſus coercerent, & inſanos contradictores a fidelium cœtibus arcerent, ipſo facto excommunicatos eſſe denunciantes. Litteras ipſas do ex vetuſtis noſtris monumentis.

Ann. 1255. n. 9.

Ne quis contradicat ſtigmatibus S. Franciſci.

Univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Caſtellæ & Legionis Regna conſtitutis, præſentes litteras inſpecturis.

QUia longum eſſet nedum exarare per ſingula verborum, ſed etiam ſuccincta relatione perſtringere clara divinæ virtutis prodigia, quæ tam in operationibus ſanctitatis, quam etiam in aliis mirabilibus argumentis, probaverint, beatum Franciſcum Chriſti confeſſorem tenere cum Sanctis ſolium gloriæ in excelſis, ſignanter vobis &c. ut ſuperius in bulla: Benigna opera divinæ voluntatis *anno* MCCLV. *num. 9. uſque ad* tunc temporis inſiſtendo. *Cum igitur oportuerit & oporteat cavere prudenter, ne tanti patrocinii cælitus in memorato Confeſſore collata gratia in vacuum aſſumatur: vobis & aliis Eccleſiarum Prælatis per noſtras litteras dediſſe meminimus in mandatis: ut ejuſdem Confeſſoris pretioſa merita, & miracula magnalia, & ſalutarem memoriam celebritate annua, prædicatione frequenti, & veneratione aſſidua recenſentes: ad ipſius devotionem, gratiæ divinæ meritoriam ſubditos veſtros celebribus excitare monitis curaretis: ut eo pro univerſo fidelium populo, ac præſertim pro his, qui cum invocaverint divinam miſericordiam implorantes, mereantur ſupplices, quod operum ſuorum poſſibilitas obtinere non poteſt, ejus interceſſionibus impetrare. Mandavimus etiam, ut nullus eidem Sancto auderet eſſe moleſtus, in corpore ſuo Chriſti Jeſu triumphalia ſtigmata præferenti. Si quis vero ſpiritu temerariæ præſumptionis inſaniens, divini muneris invidus, & Apoſtolici judicii ſacrilegus impugnator: præmiſſa vel alia prodigiorum ſigna, quibus in Eccleſia Dei ſanctitas prædicti Confeſſoris eluxit; improbæ contradictionis morſibus crederet obtrectanda: voluimus, & mandavimus, ut eum ſanæ menti reſtitueret judicialis ſeveritas diſciplinæ. Ita quod diſtricta Prælati proprii caſtigatione correptus, Dei opera blaſphemare deſiſteret: & fidei Catholicæ fructus de pia mirabilium Domini credulitate pullulans,*

Monumen. Ord. tract. 1. fol. 27. Specul. Ord. tract. 1. fol. 9.

Gal. 6. 17.

non

non arceret. Verum poſt hujuſmodi noſtras exhortationes, & litteras ex relatione quorumdam fide dignorum, dolentes referimus & conturbati, quod nonnulli Religioſi & clerici ſeculares de Caſtellæ & Legionis Regnis circa dictum Confeſſorem condignam reverentiam gerere contemnentes: quandoque in publico, & frequenter aſſerunt in occulto, quod idem Confeſſor non habuerit ſtigmata memorata. Ipſi etiam in tantam prorumpunt inſaniam, quod de imagine Confeſſoris ejuſdem, ubicumque illam depictam inveniunt, ſtigmata ipſa damnabiliter abolent, & faciunt aboleri, prohibendo pictoribus, ne præfatum Confeſſorem cum ſtigmatibus depingant eiſdem, propter quod ipſius Confeſſoris honori & devotioni fidelium multum adimitur: ac venerandæ Religioni dilectorum filiorum Fratrum de Ordine Minorum graviſſime derogatur. Cum itaque ſuper his ad honorem Altiſſimi opportunum per nos deceat remedium adhiberi, Apoſtolica auctoritate decernimus: ut omnes de Regnis prædictis, qui de imagine Confeſſoris ejuſdem hujuſmodi ſtigmata aboleverint, ſeu abolere fecerint, & qui prædicaverint, dictum Confeſſorem ipſa ſtigmata nullatenus habuiſſe, cujuſcumque ordinis, vel conditionis exiſtant; eo ipſo laqueum excommunicationis incurrant: a qua non poſſint abſolvi, niſi perſonaliter Apoſtolicam Sedem adeant, ſuper hoc abſolutionis beneficium petituri. Et ſi tales forte Doctores, ſeu Lectores in Theologia, ſeu quacumque alia facultate fuerint, Lectionis ſi Doctores: prædicationis officiis, ſi Prædicatores: ſi vero poteſtatem audiendi confeſſiones habeant, ea ſint omnino privati, & quilibet ipſorum nihilominus, qui hujuſmodi officia, vel poteſtatem ſimul habuerit, ſimilem horum privationem incurrat. Ut autem hujuſmodi præſumptionibus finis deſiderabilis imponatur, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus; quatenus ſeriem præſentium omnibus religioſis, & clericis ſecularibus exemptis, & non exemptis veſtrarum Civitatum, & diœceſum ſideliter per vos, vel alium, ſeu alios exponatis; facientes excommunicationem, & privationem hujuſmodi, appellatione remota, firmiter obſervari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Præceptum vero noſtrum in hac parte taliter adimplere curetis: ut injuria, quam Dei filius in Sancto ſuo ſuper his pati dignoſcitur, cordibus veſtris eſſe moleſtiſſima videatur; ita & per conſequens gratiæ divinæ præmium, & noſtri favoris vobis proveniat incrementum. Datum Anagniæ v. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno v.

In Hiſpania quidam iis contradicunt.

Excommunicantur & puniuntur.

Ut Miniſter Bononiæ poſſit creare Inquiſitores.

II. Sollicitam etiam agens curam puritatis fidei retinendæ, hæreſiſque repellendæ in Romaniola, dedit litteras ad Miniſtrum Bononiæ, quatenus diſcretorum Fratrum communicato conſilio, duos de ſuis Conſodalibus adminiſtrationis Romaniolæ, opere & ſermone potentes, habentes zelum fidei, aſſumeret, quibus Inquiſitionis officium contra hæreticos in terris ejuſdem adminiſtrationis, juxta formam, quam in aliis litteris idem Pontifex alias expreſſerat, exequendum injungeret. Quod ſi ex cauſa rationabili aliquem ipſorum judicaret amovendum, alium in eodem munere, priori amoto, poſſet ſubſtituere. Eadem eſt forma litterarum atque illarum, quas ſuperius diximus dediſſe Innocentium IV. ad Miniſtros Tuſciæ, Umbriæ, & Provinciæ Romanæ, ubi eaſdem exſcripſimus. Hæ datæ ſunt Anagniæ hoc anno III. Idus Februarii.

Ann. 1254. n. 16.

Ann. 1254. n. 17.

III. Controverſiæ Pariſienſis germina hoc anno repullularunt, quibuſdam Magiſtris, & ſcholaribus partes Guillelmi de ſancto Amore reaſſumentibus, vindictam de utroque Prædicatorum, & Minorum Ordine ex-

expetentibus, procul etiam a ſuo facientibus conſortio. Ut eorum comprimeret inſolentiam, Epiſcopo Pariſienſi ſcribit Pontifex in hanc formam.

Venerabili Fratri Epiſcopo Pariſienſi.

Lites denno exortas jubet ſopiri, & tumultuantes puniri.

INdignanter accepimus, & tibi referimus cum dolore, quod quidam Magiſtri, & ſcholares Pariſius commorantes, non unitatis & concordiæ, ſed diſſenſionis, & ſcandali amatores Pariſien. ſtudium, quod, ſopitis controverſiis, erat in tranquillo ſtatu poſitum, perturbare: ac religioſis quibuſdam, & aliis, a ſuo eos, vel ſe ab ipſorum ſocietatis conſortio ſeparando, graves inferre moleſtias moliuntur, eo quod Guillelmi de ſancto Amore, ipſius turbatoris ſtudii, ſuis exigentibus culpis, quia tranſeunte lingua ejus ſuper terram, poſuerat temere os in cælum, per nos, citra condignum tamen, quia pænam meruerat graviorem, ab illis partibus, ne illas corrumpat ulterius, ſeparati relevationi, ſeu revocationi renuunt conſentire, honeſtatem in hoc & juſtitiam amplectentes. Cum igitur intentionis, & voluntatis noſtræ prorſus exiſtat, dictum Guillelmum, cujus de multis malis, quæ hactenus commiſiſſe noſcitur, nulla pænitentiæ ſigna monſtrantur, numquam relevare in aliquo, vel ad ſua beneficia, ſeu Pariſius revocare: Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus convocatis omnibus Magiſtris, & ſcholaribus Pariſius ſtudentibus, ſub excommunicationis pæna eis diſtricte præcipias, ut nullos religioſos, ſeu quoſcumque alios occaſione hujuſmodi moleſtare præſumant, ſe ab eorum, ſive ipſos a ſuo conſortio ſeparando, qui præfati Guillelmi relevationi, vel revocationi non præſtant aſſenſum, cum illum præſtare non debeant, nec hominis jurgioſi, & in ſua obſtinati procacia relevationem, ſeu revocationem ſalva poſſunt conſcientia poſtulare: denunciaturus nihilominus Magiſtris & ſcholaribus memoratis, quod omnes pænas & privationes in ordinatione, ſententiis, litteris, vel ſtatutis a nobis dudum emiſſis, contentas incurrunt, qui religioſos & quoſcumque alios moleſtare præſumunt, ſeparationem hujuſmodi procurantes, eum ſeparare alios a ſe, & ſubducere, vel ſubtrahere taliter ſe ab aliis idem penitus reputemus. Non obſtantibus juramentis, vel promiſſionibus, aut obligationibus, ſeu quibuſcumque ſtatutis, quibus dicti Magiſtri, & ſcholares ſe aſtrinxiſſe pro relevatione, vel revocatione cujuslibet pro cauſis Univerſitatis aſſlicti dicuntur, maxime cum idem Guillelmus, non pro factis Univerſitatis ejuſdem, ſed pro ſuæ malignitatis offenſa fuerit Sedis Apoſtolicæ judicio, juſtitia exigente, punitus. Datum Anagniæ Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri anno v.

IV. Fovebant has animorum commotiones frequentes nuncii, & litteræ a prædicto Guillelmo tranſmiſſæ, vel ad eumdem remiſſæ. Juſſit itaque Pontifex, ut nullum cum eo haberetur, ſed omnino interciperetur litterarum commercium. Hujus etiam curam eidem commiſit Epiſcopo.

Venerabili Fratri Epiſcopo Pariſienſi.

Jubet intercipi commercium cũ Guillelmo de S. Amore.

MUltorum relatione didicimus, quod per nuncios & litteras, quas Univerſitas ſcholarium Pariſien. vel aliqui de ipſa Guillelmo de ſancto Amore tranſmittunt, & recipiunt ab eodem frequenter, Pariſien. ſtudium,

dium, & ſtatus religioſorum, & aliorum exiſtentium Pariſius, non modicum perturbatur. Volentes igitur pravorum malitiis obviare: fraternitati tuæ per Apoſtalica ſcripta præcipiendo mandamus: quatenus eidem Univerſitati, & ſingulis de ipſa ex parte noſtra præcipere, ac diſtrictius inhibere procures; ne de cetero dicto Guillelmo aliquas litteras, vel nuncios, quibus poſſet bonus ſtatus Pariſien. ſtudii, & religioſorum, ac aliorum quomodolibet perturbari mittere, vel ab eodem Guillelmo recipere aliqua modo præſumant communiter, vel diviſim. Et ſi quis contrarium fecerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, nec ab ea poſſit abſolvi, niſi de mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Datum Anagniæ XII. *Kal. Julii Pontificatus noſtri anno* V.

V. Denuo intimatur Pontifici Magiſtros, & Rectores Artiſtarum Pariſienſium, ſe a Prædicatorum, Minorum, & aliorum Ordinum Fratrum, quorumdam item aliorum Magiſtrorum, ſcholarium, religioſorum, & ſecularium ſocietate ſeparantes, ipſos in eluſionem mandati Apoſtolici, ſuper hoc directi, ad ſuum conſortium pro ſuæ voluntatis arbitrio noluiſſe admittere. Bedellum item nationis Picardiæ injuriam irrogaſſe Thomæ Aquinati prædicanti, atque alia hujus generis multa, a fautoribus prædicti Guillelmi facta in damnum religioſorum. Mittit de his ſequentes litteras ad Epiſcopum præfatum, religioſis valde propitium.

Venerabili Fratri Epiſcopo Pariſienſi.

Alia præcipit circa quietē Academiæ.

EX alto fuiſſe conſpicimus Civitati Pariſien. proviſum, quod honorificata decore ſtudii generalis, & tantorum Univerſitate ſcholarium illuſtrata præluceat arbis civitatibus, orbemque lucidum reddiderit ſui luminis claritate. Ipſa quidem Univerſitas fans irriguus conſuevit eſſe virtutum, univerſale ſpeculum, mater ſtudere volentium, & magiſtra ſcientiarum, ad ſingulos dona derivans, cunctoſque clarificans illuſtribus radiis doctrinarum. Et quia nonnulli ſeditionis, & nequitiæ filii lucem in tenebras convertere ſatagentes, tuntum ſtudium ſubvertere conabantur; nos eorum conatibus obviantes, certa ſtatuta de noſtrorum conſilio Fratrum dedimus, per quæ ſtudio ſolliciti reddebantur incrementa vigoris, & talium perverſarum intentio tollebatur. Cumque noſter animus optata ſuper eo tranquillitate quieſceret, quod ſicut habebat relatia plurimorum ſtatum quietis, & pacis Univerſitas reſumpſiſſet. Poſtmodum quod turbati referimus, qui dicebantur a ſuarum ſeditionum languore ſanati, paſſos fore didicimus recidivam, in divini contumeliam nominis, Apoſtolici mandati contemptum, & ſubverſionem ſtudii memorati. Nuper enim noſtris eſt auribus intimatum, quod Magiſtri, & Rectores Artiſtarum Pariſien. ſe a dilectorum filiorum Prædicatarum, & Minorum Ordinum Fratrum, & quorumdam aliorum Magiſtrorum, & ſcholarium, religioſorum, & ſecularium ſocietate, ſeu conſortio ſeparantes, ipſos in eluſionem mandati Apoſtolici ſuper hoc directi, ad ſuum canſortium pra ſuæ voluntatis arbitrio non admittunt, contra ſtatuta alim a nobis ſuper hoc edita, temere veniendo. Verum quia id animum noſtrum eo acerbius vulnerat, quo materia majoris turbationis & ſcandali (niſi ſuper hoc a nobis ſalubre exhibeatur remedium) poſſet exinde, non abſque gravi Eccleſiæ generalis diſpendio, facilius exoriri: maxime cum hujuſmodi ſeparatio, quacumque arte, vel ingenio adinventa fuerit, &

quo-

quocumque nomine cenſeatur, expreſſe contra ordinationem noſtram & ſtatuta prædicta pro tranquillo ſtatu ſtudii Pariſien.. edita, ſit præſumpta: volumus, & per Apoſtolica tibi ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus eiſdem Rectoribus & Artiſtis, ac aliis Magiſtris, & ſcholaribus Pariſius commorantibus, ex parte noſtra diſtricte præcipias, ut infra *xv.* dies poſt hujuſmodi præceptum, eoſdem Fratres, ac alios in ſuum conſortium, ſeu ſocietatem, juxta eorumdem ſtatutorum tenorem, admittere ſtudeant, & efficaciter retinere, nihilominus inhibendo, ne ſimilia de cetero attententur. Alioquin tam Rectores, Artiſtæ prædicti, ac alii, qui memoratos Fratres, & eis ſuper hoc adhærentes ad hujuſmodi ſocietatem, ſeu conſortium juxta præceptum noſtrum taliter admittere, ac retinere non curaverint, quam etiam omnes illi, qui contra inhibitionem hujuſmodi publice vel occulte, ſeu quovis alio modo venire præſumpſerint, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant; a qua nullatenus abſolvi valeant niſi perſonaliter ad Apoſtolicam Sedem acceſſerint abſolutionem hujuſmodi petituri. Porro cum per prædicationes & diſputationes Guillelmi de ſancto Amore Fratres prædicti, qui ut Chriſtum lucrifaciant, abjectionem voluntariæ paupertatis elegiſſe noſcuntur, & quamplures alii fuerint graviter diffamati; nos ad confutandam ſuper hoc ipſius Guillelmi malitiam, & elucidandam in talibus veritatem, univerſis Prælatis litteras noſtras, quibus ſtatum dictorum Fratrum non indigne approbavimus, duximus deſtinandas: quarum tenores per te, vel per alios Pariſius, & alibi in Eccleſiis, & locis aliis in prædicationibus publicis, prout expedire videris, coram clero, & populo, tam latinis, quam vulgaribus verbis, exponere ſtudeas diligenter. Inſuper quemdam libellum famaſum & deteſtabilem ab eodem Guillelmo editum (prout publice apud Sedem Apoſtolicam confeſſus extitit) quem per nos de Fratrum noſtrorum conſilio, condemnatum, igne cremari fecimus, cujus titulus: *Tractatus brevis de periculis noviſſimorum temporum* nuncupatur: principium autem ejus erat: *Ecce videntes clamabunt foris.* Necnon & quoſdam alios libellos famoſos in infamiam, & detractionem eorumdem Fratrum ab eorum æmulis in litterali, & vulgari ſermone, necnon rythmis, & cantilenis indecentibus de novo, ut dicitur, editos, quos tibi exhiberi facias, detentores ad exhibitionem ipſorum per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellendo: convocatis Magiſtris & ſcholaribus Pariſius exiſtentibus, facias publiee coram omnibus igne cremari.

Punitur quidam injurius in ſanctum Thomam Aquinatem.

Præterea Guillotum bedellum ſcholarium nationis Picardorum, pro eo quod ſuæ ſalutis immemor, in dominica in Ramis palmarum, proxime præterita, prædicante dilecto filio Fratre Thoma de Aquino, ejuſdem Ordinis Prædicatorum, quemdam libellum famoſum, quem utpote contra eoſdem Fratres editum, publiee reprobaveras, contempta excommunicationis ſententia, quam in omnes auctores, detentores, & publicatores ipſius libelli, auctoritate ordinaria promulgaſſe dieeris, in conſpectu cleri & populi tunc ibidem exiſtentium, in tui & ipſorum Fratrum injuriam, publicare præſumpſit, excommunicatum præſentibus Magiſtris, & ſcholaribus ſupradictis, ſtudeas nunciare: privando ipſum nihilominus perpetuo bedellionatus officio, ita quod illud, nee per ſe, neque per alium de cetero exercere præſumat, nee etiam ſalarium aliquod ſibi (quem de Civitate Pariſienſi, ſublato appellationis obſtaealo, perpetuo procures expellere) petere, vel recipere liceat ratione officii ſupradicti. Auxilia cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Franciæ Illuſtris ad præmiſſu, ſi opus fuerit, invocato, non obſtantibus quibuſcumque appellationibus a dictis Magiſtris, Rectoribus, & ſcholaribus in-

interjectis. Ad hæc volumus quod omnes illi, qui deinceps hujuſmodi libellos, vel conſimiles edere, vel detinere, ſeu publicare, aut præfatum bedellam Pariſius reducere præſumpſerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, a qua non niſi juxta modum abſolvi valeant prænotatum. Præſentes autem litteras, omni mora, & difficultate poſtpoſita, coram Univerſitate prædictorum Magiſtrorum, & ſcholarium ſtudeas publicare. Datum Anagniæ VI. *Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno* V.

Has ſpfeeld. ſecul. 13. cap. 18. Pariſ. ann. 1260. Weſtmonaſt. anno 1259.

Ademarus Epiſcopus Wintonien. deturbatur e Sede.

VI. Magna exorta ſeditione in Anglia, conſpiratione facta contra Pictavienſes, & Iſabellæ Henrici Regis matris conſanguineos, ejectus eſt ex Sede Wintonienſi Ademarus, Harpsfeeldio Odomarus, Pariſio Eimerus, frater uterinus ejuſdem Iſabellæ. Regem offendit quod decimas eidem a Pontifice ad expeditionem Hieroſolymorum conceſſas, cum aliis Epiſcopis, denegaret. Nobiles Anglos habuit inviſos, quod ex Pictavo extero eſſet genere, inter Anglos præcipuarum ſedium, artium, & munitionum ſibi regimen ex Regis affinitate arrogante. Romam profectus Pontificem habuit propitium, qui Fratrem Walaſcum ſuum Capellanum & Pœnitentiarium, nec non ſæpius in multis orbis partibus Nuncium, ad Regem & proceres deſtinavit, de eodem Ademaro reſtituendo hac data inſtructione; quam in gratiam illius Eccleſiæ, tamquam gratum indigenis monumentum, miniſtranius. Rem omnem & legationis eventum narrat Matthæus Weſt-Monaſterienſis citatus.

Fratri Walaſco de Ordine Mincrum Pœnitentiario & Capellano noſtro.

Reg. Vatic. n. 89.

Mittitur Walaſcus Minorita ut reſtituat. Eccleſia proficit in pace.

STatum Eccleſiæ fore tranquillum vehementiſſime cupientes, immenſi doloris acerbitate turbamur, cum Eccleſiam ipſam vexari moleſtiis, & adverſitatibus concuti percipimus & ſentimus. Proficit namque plurimum Eccleſia ſub quiete, ac ad utilia, & ſalubria convaleſcit, & per inquietudinem impedita nequit ad votum fructus pacis producere ſalutares, & circa ſuos filios maternæ ſollicitudinis officium adimplere; propter quod eum optatæ tranquillitatis commodo fruitur, ingenti gaudio exultamus, quia per delectabile pacis bonum in divinis agendis, & procuranda ſalute, redditur admodum expedita, & cum quies ei ſurgente turbatione ſubtrahitur, amaritudine vehementi replemur, quia per hoc in ſui cura regiminis, & executione ſalutarium maxime impeditur. Licet autem plurimæ ſint, & variæ ſeculi hujus adverſitates, quæ graviter ipſam Eccleſiam pro temporum diverſitate perturbant, illa tamen moleſtior ingruit, illaque ſibi venit amarior, quæ in Paſtores & Prælatos ipſius, per quos utpote firmas, & ſolidas ejus columnas corpus ipſius regitur, auſu nefario exercetur. Hæc eſt quæ ipſam Eccleſiam vehementer affligit, ejuſque viſcera crudeliter exacerbat; hæc eſt, quæ foris eam dure percutit, & ſibi dirum intrinſecus vulnus figit. Hoc eſt flagellum, quod & ipſam fortiter allidit exterius, & livorem ei graviſſimum intus infert; quiu nimirum Eccleſia tunc valide premitur, cum in ſuis Rectoribus impugnatur, tuncque patitur potiſſime, cum hujuſmodi ſua ſuſtentacula impetuntur: quoniam domus, quæ ſupra columnarum fortitudinem eſt conſtructa, ſecura in earum firmitate ſubſiſtit; ejuſque ſtatus in illarum ſtabilitate firmatur; & ideo ſi forte concutiantur, poteſt ipſa ruinæ pericula formidare: hic eſt marinus fluctus, qui nocentius in Eccleſiæ navim elato vertice inſilit: hæc eſt tempeſtatis procella, quæ tumentibus undis ferit ipſam durius, & impellit: hic eſt commotionis turbo, qui ſurgen-

Eccleſia dolet multum quando Prælati moleſtātur.

gentibus ventis irruit procelloſius contra eam. Quare præcipue contra gravitatem adverſitatis hujuſmodi eſt eidem Eccleſiæ neceſſaria ſubventio efficax & opportuna. Sane dilectus filius Ademarus, Wintonien. Electus, adverſante ſibi temporis qualitate, adverſitatis hujus in ſe aſperitatem ſentiens, & multa & magna, ut aſſerit, perferens nocumenta, providit ad Apoſtolicæ Sedis providentiam habere recurſum, ut ab ipſa matre juſtitiæ, illatæ ſibi caſtigentur injuriæ, ac ex ea illud oppreſſorum refugio ſuſcipiat contra moleſtatores ſuos neceſſarii præſidii munimentum, necnon de ſolita ipſius conſolatione ſuavem deguſtet dulcedinem, qui injuriatorum ſuorum malitiis amarum abſinthium jam potavit. Conſtitutus itaque apud Sedem eamdem propoſuit in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia, quod cum quædam in Regno Angliæ circa ipſius Regni ſtatum immutatio emerſiſſet, ipſe quia ex iis, quæ tunc gerebantur, conjiciebat aperte, quod ſi moraretur in Regno ipſo, periculum ſibi poterat imminere, coactus eſt, ut perſonale vitaret diſpendium, & propter neceſſitates alias, Regnum ipſum exire, ac ſe ab Eccleſia ſua, conſiderato ſtatu ipſius, abſentare. Unde ſupplicatione humili petiit, ut cum in prædicta Eccleſia ſecure morari non valeat, graviſque metus eum abeſſe compellat, manenſque extra prætactam Eccleſiam, quod utique cor ejus valde cruciat, & conturbat, circa liberam ipſius Eccleſiæ adminiſtrationem, quoad ſpiritualia & temporalia impediatur non modicum, & turbetur, multaque ſint de bonis & juribus ad eum, & Eccleſiam ipſam ſpectantibus occupata, & circa proventus, & redditus Epiſcopales, aliaque bona ad ipſum, & eamdem Eccleſiam ſpectantia, violentiam & injuriam patiatur; ita quod non ſit ei libera illa integre percipiendi, & habendi facultas, providere ſibi ſuper iis Apoſtolica diligentia curaremus. Nos igitur de ſuis condolentes anguſtiis, eique in tot compatientes adverſis, cum Fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum injuriæ nos non prætereant, & offenſæ, ac intendentes ob hoc plenius circa eum prædictæ Sedis oſtendere gratiam, & favorem; cum non ſit aliquatenus ipſius dolor augendus, ſed minuendus potius, quinimo conſolationis in eo ſibi ſolatium tribuendum, quia ſi ipſam in prætactæ adminiſtrationis executione impediri per aliquos pateremur, videremur quodammodo ſuſtinere, quod paſſionibus paſſio adderetur, & poſtponere negligenter ſuorum vulnerum medicamen: volumus ſibi circa hoc per opportunum & condignum ejuſdem Sedis ſuffragium efficaciter providere. Quare cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Illuſtrem Regem Angliæ, ac nobiles viros Comites, & Barones ejuſdem Regni, ac alios Conſiliarios Regis ipſius, monendos, rogandos duximus, & hortandos attente, dantes eis per noſtras litteras in mandatis, ut penſantes provide, ac tamquam viri Catholici cogitantes, quantum Altiſſimo placeat, ſi Prælatis ad ſuorum curam fidelium deputatis, honor & reverentia impendatur; quantumve diſpliceat, ſi vel contumeliis, aut moleſtiis, vexationibus, ſeu gravaminibus quomodolibet offendantur, cum non ſit dubium quin ſpernatur in eorum contemptu, & in eorumdem honorificentia honoretur. Attendentes etiam, quod audientibus reprehenſibile videtur, & pravum, id quod circa prætactum Electum a nonnullis dicitur taliter attentatum, ſuoſque animos ad unitatem concordiæ inclinantes, illamque ad proſperum, & ſalubrem ejuſdem Regni ſtatum totis amplectentes affectibus, habeant, prout manſuetudini Regiæ, & nobilitati, ac bonitati eorum convenit, ſinceritatem dilectionis ad ipſum, copulantes eum ſibi vinculo ſolidæ caritatis, laudabili, quantum in eis eſt, procurando ſtudio, & dando ad hoc opem & operam opportunam, ut ejuſdem Electi ceſſent injuriæ, moleſtiæ conquieſcant, deſi-

ſtant

ſtant impedimenta, & gravamina releventur, ac nequaquam in præmiſſis Electum impediant, nec patiantur ab aliis, eum id ad famam & honorem eorum pertineat, impediri; ſed potius ſtudioſam adhibeant diligentiam, ut remotis obſtaculis, prætactos redditus, & proventus, omniaque bona ad ipſum, & Eccleſiam ſpectantia, cum integritate tam per ſe, quam per alios ejus procuratores, & nuncios colligere, percipere, & babere, ac prætactam adminiſtrationem exercere libere permittant, efficiendo nihilominus, quod de ablatis & occupatis plena reſtitutio ſibi fiat, ita quod evidentia operis patenter appareat, quod illud in hujuſmodi negotio volunt & intendunt, diligunt & affectant, quod ſit Domino placitum, eis cedat ad laudem, & pariat Regno memorato profectum. Quia vero ad hujuſmodi executionem negotii, perſonam tuam duximus ſpecialiter eligendam, diſcretioni tuæ de prætactorum Fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad implendum reverenter, quod tibi, de quo plene confidimus, ſevere injungimus, perſonaliter proficiſcens, eoſdem Regem, ac nobiles ad prædicta omnia ex parte noſtra, juxta datam tibi a Domino gratiam, diligenter indacas; attentis, & ſedulis ad hæc monitionibus ac affectuoſis, & ſtudioſis exhortationibus ſollicite laborando, & interponendo eum omni vigilantia efficaciter partes tuas, ut per tuam ſolertiam, providentiam, & induſtriam, divina cooperante clementia, grande illud bonum, quod in iis vehementer optamus, valeat laudabiliter provenire. Ceterum quia conſtat, Electum ipſum Wintonien. Eccleſiæ verum & proprium eſſe Paſtorem, eumque olim fuiſſe in ipſius Eccleſiæ Præſulem concorditer, & canonice poſtulatum, & poſtulationem ipſius admiſſam a Sede Apoſtolica, & eum ipſi Eccleſiæ per Sedem eamdem præfectum, & Pontificem extitiſſe; nec prima, nec ſecunda conſtitutio noſtra, quam ſuper ordinatione & conſecratione Electorum Eccleſiarum Cathedralium edidimus, ei obſtitit, vel obſiſtit: cum quantum ad ipſam primam, ne aſtringeretur, vel arctaretur per eam, ſibi per noſtræ diſpenſationis gratiam proviſum extiterit. Et quoad ſecundam, ipſe ſibi conſuluerit, ſe coram nobis ad ſuſcipiendum ſacerdotalem ordinem congruo, & debito tempore offerendo, & conſecrationis munus poſtmodum recepturum, ita quod nullum contra eum occaſione hujuſmodi conſtitutionum, impedimentum vel obſtaeulum eſt exertum; & ideo plenam ejuſdem Eccleſiæ adminiſtrationem in ſpirltualibus & temporalibus habere debeat, poſſitque ipſam in utriſque, per ſe, vel per alium ſeu aliot exercere, debeatque fructus, redditus, & proventus Epiſcopales ejuſdem Eccleſiæ integre percipere, ſibique ac ſuis officialibus, & procuratoribus in iis, & omnibus aliis epiſcopalibus juribus reſponderi plenarie debeat & intendi: volumus, & præcipimus, ut eumdem Electum in iis favore proſequens congruo, facias nihilominus, eum propter tractatum hujuſmodi eum prætactis Rege, & nobilibus ſuper præmiſſis id non conveniat, nec debeat retardari, ſibi eum integritate prætactos exhiberi redditus, & proventus, & totaliter reſtitui percepta & occupata in fructibus, boniſque aliis mobilibus & immobilibus a tempore immutationis prætactæ, nec permittas ipſum in præmiſſis vel eorum aliquo impediri. Univerſos turbatores, moleſtatores, impedientes, invaſores, occupatores, detentores, contradictores, & rebelles cujuſcumque conditionis, ſeu dignitatis exiſtant, monitione præmiſſa, per excommunicationis in perſonas, & interdicti in terras eorum, ſi opus fuerit, ſententias, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtante ſi aliquibus a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdiei, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu extra, vel ultra certa loca evocari non poſſint per litteras Apo-

Apoſtolicas, plenam & expreſſam non facientes de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia ejuſdem Sedis indulgentia, cuicumque perſonæ, vel loco conceſſa, de qua in noſtris litteris mentio fieri debeat ſpecialis, & per quam effectus præſentium, noſtriqae mandati executio impediri valeat, vel differri, ac conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, aut ſi forte ab officialibus, vel procuratoribus, ſeu ballivis ipſias Electi, vel quibuſcumque aliis de non præſtandis, vel non exhibendis eidem Electo fructibus, redditibus, vel proventibus epiſcopalibus, ſeu aliis bonis, ad ipſum ſpectantibus, aut alias etiam in ejuſdem Electi præjudicium exacta ſunt, vel extorta, ſeu præſtita juramenta; ad quorum obſervationem eos decernimus non teneri; ita quod per ſubſidium Apoſtolicum, & tuæ diligentiæ ſtudium memoratus Electus præmiſſam adminiſtrationem, cum plenaria perceptione proventuum, aliorumque bonorum plena reſtitutione, quibuſcamque remotis obſtaculis, libere per ſe, vel per alios valeat exercere. Super promotione autem ipſius Electi ad ſacerdotium, & conſecrationis munus, quia circa hunc articulam aliqua fuere propoſita, faciemus quod juſtitia ſuadebit. Præcipimus tamen & auctoritate Apoſtolica de dictorum Fratrum conſilio diſtrictius inhibemus, ne contra eumdem Electum in præmiſſa Wintonien. Eccleſia quidquam a Conventu ipſius Eccleſiæ, vel quibuſcumque aliis cujuſcumque conditionis, vel dignitatis exiſtant, per electionem, aut quamcumque proviſionem, vel alias quomodolibet præſumatur, ac decernimus ex nunc, ita quod decretum hujuſmodi a data præſentium plenam efficaciam habeat, & effectum. Irritum & inane decernentes quidquid contra præceptum & inhibitionem hujuſmodi quacumque occaſione contigerit attentari. Datum Anagniæ IV. *Kalend. Februarii anno* V.

VII. Natus eſt hoc anno beatus Joannes Firmanus, de Alvernia cognominatus, ob diutinam in illo monte habitationem. Ab ipſa tenera infantia ſanctitatis ſpecimen prætulit, non aliter, quam ſanctus Nicolaus tribus dumtaxat hebdomadæ diebus ubera ſugens ſuæ genitricis. Septimo ætatis anno puerulorum fugiebat conſortia, ſolitaria frequentans loca. In quibus amariſſime Chriſti deflebat paſſionem, lacrymis addens verbera, & profundos ſingultus, ut ad ſingulos animam agere videretur. Noctu etiam Chriſtum paſſum meditatus, in tanta copia lacrymas mittebat, ut ſuppoſitum cervical madefieret. Atque adeo cordi inſita erat paſſionis hujuſmodi compaſſio, ut etiam dormiens fleret amare. Raros adinveniebat ſui mortificandi corpuſculi modos; cum inſtrumenta deerant, ſub induſio per univerſum corpus urticam mordentem carni admovebat. Numquam pœnitentiæ rigorem remiſit, ſed ſemper auxit, perfecte ſciens hac arte ſecurius cuſtodiri inæſtimabilem caſtitatis theſaurum. Decennis factus Canonicus regularis ſancti Petri de Firmo, ferream laminam cingebat ſuper nudum; paulo poſt addidit & magni ponderis loricam, quam infirmis viribus compaſſus quidam Canonicus amicus furtim abſtulit, ſuppoſita alia leviori. Abſtinentiam ſectabatur admirabilem, ita ut ad meridiem dumtaxat fruſtulum panis abſque obſonio manducaret. Sed poſt Canonicum ſuſceptum inſtitutum, ne gravis fieret conſodalibus, eamdem cum illis admittebat, in parvula tamen quantitate, annonam, exceptis diebus Veneris, quibus pane & aqua dumtaxat victitabat. Erant ei parentes, conſanguinei, & conſodales impedimento ad excelſas has virtutes, dubitantes tantum ineſſe poſſe juvenili corpuſculo robur, neſcientes divinam gratiam multo his majora præſtare. Decrevit itaque

Chron. antiq. Marc. p. 1. lib. 8. cap. 1.

Ortus Joannis Firmani & virtutes.

mundo valedicere, & eo ſe conferre, ubi non revocaretur a bono, ſed ſemper urgeretur ad melius. Tredecim factus annorum, noſtrum amplexus Inſtitutum, optime in eodem profecit, ut ſuo loco dicemus opportunius.

Anno 1272.

Obiit Philippus Longus.

VIII. Obiit circa hoc tempus Peruſiæ beatus Philippus Longus, unus ex duodecim ſancti Franciſci ſociis, primus ex ſuis conſodalibus viſitator pauperum Dominarum, ſeu Clariſſarum. Floruiſſe Gratii anno MCCXLVI. Scribit Rodulphus. Plurima diximus alias de ſancto hoc Viro. Virtutibus clarus & prodigiis, tumulatus eſt in Eccleſia Clariſſarum. De ejus vita, & geſtis admirandis ſcripſit Bernardus a Beſſa Aquitanus D. Bonaventuræ ſocius.

Rodulph. fol. 67. Tom. 1. an. 1209. num. 28. & anno 1219. n. 48.

Floret Benedictus Aretinus.

IX. Floruit alius hoc tempore ſancti Franciſci diſcipulus, ſanctitate & dignitate clarus, Benedictus Aretinus, quem neſcio unde accepit Rodulphus, & ex eo Bzovius, obiiſſe anno MCCXXIV. cum expreſſe conſtet ex relatione Apocriſiariorum Gregorii IX. quam nos exſcripſimus, anno MCCXXXIII. Conſtantinopoli vixiſſe, & ipſe aſſerat Rodulphus, eum in Ordinem admiſiſſe Joannem Brennam Imperatorem: quem tamen non niſi circa annum MCCXL. Imperii exuvias depoſuiſſe narravimus. Ad hoc tempus perveniſſe, imo & in plures adhuc annos vixiſſe, exactius habent vetuſta Chronica MSS. Alias de ſancto hoc Viro egimus, patriam, parentes, & geſta ejus præcipua ſub compendio recenſentes. Danielis Prophetæ digitum detulit ex Babylonia Aretium, cujus virtute multa Deus operatus eſt in ea Civitate miracula. „ De quo leguntur iſta „ inculta, ſed priſca carmina.

Rodulph. f. 84. Bzov. ann. 1224. n. 9. An. 1233. n. 12. Rodul. cit. An. 1240. n. 5. Chron. antiq. An. 1212. n. 16.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ *Hic Syriæ in patriam digitum Danielis ademit,*
„ *In patria tandem periit petiturus Olympum.*

„ Refert Rodulphus, quod dum Conventus Minorum Aretinus pluri- „ mum a ſpiritibus immundis vexaretur, beatus Benedictus inſtitue- „ rit, ut cantaretur illa Antiphona: *Angelus locutus eſt Mariæ &c.* „ quem ritum poſtea confirmavit beatus Bonaventura. „ Iterum de eodem ſermonem inſtituemus.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Nicol. Ep. Aſſiſiat.

„ X. Duo catalogi MSS. Epiſcoporum Aſſiſiatum referunt, hoc anno „ ea in ſede floruiſſe fratrem Nicolaum Minoritam, atque ab Alexan- „ dro IV. paulo ante fuiſſe creatum recentior catalogus memorat. Ego „ dubito: etenim ab Innoc. IV. ad eamdem Sedem aſſumptum alium „ Nicolaum, Britonem narravi. Fortaſſis hic ipſe eſt, de quo hoc anno illæ „ tabulæ ingerunt mentionem.

Et Nicolaus de Orbita.

XI. Ex vetuſto Chronicorum, & Monumentorum noſtrorum compendio MS. habeo, Nicolaum de Orbita laicum, ſancti Franciſci diſcipulum, ſignis, & virtutibus clarum, hoc anno vel anteriori obiiſſe, & ſepultum eſſe apud Minores Cæſarauguſtæ. Hujus viri meminit Gonzaga, & beatum vocat, cujus corpus ante tempus quo ipſe ſcripſit, CCCXXX. annis ibidem conditum, ait adhuc incorruptum honorifice aſſervari.

Gonzag. in Prov. Arag. Conv. 2.

Apud Ciſtercien. indicitur cultus S. Franc. & S. Antonii.

XII. In Comitiis Ciſtercienſium hoc anno ſtatutum eſt, ut divino cultu celebraretur ſanctus Franciſcus, atque eo ritu, quo ſanctus Hieronymus; idque ipſum præceptum eſt de venerando ſancto Antonio de Padua anno ſequenti, ex Pontificis mandato. Utriuſque conſtitutionis tranſcriptum mihi miniſtravit ex codice vetuſto MS. Monaſterii Nucalenſis in Hiſpania, in quo antiquæ obſervantur Ordinis definitiones, amicus meus Franciſcus Bivarius ejuſdem Sodalitii vir pius & doctus, in hac Curia olim ſui Inſtituti Procurator generalis.

XIII. Hoc

Rubeus l. 6. Hiſtor. Raven.

In concilio Ravennate defenduntur Predicat. & Minores.

XIII. Hoc anno cum Philippus Ravennæ Archiepiſcopus , Alexandro Pontifice jubente , Provinciale Concilium indixiſſet , multi malevoli in Dominicanos , & Franciſcanos invehebantur , dicentes : de decimis illos ad populum non concionari , audire a confeſſionibus eos , qui audiri ab ipſis deberent , ſibique ad ſepulturam commiſſos recipere , concionandique munus exequi , quod tamen ipſorum eſſet , iiſque omnibus impediri , ne pecuniam adverſus Tartaros Chriſtianorum ſubſidio cogerent . Opizo San vitalius , Parmenſis Epiſcopus aſſurgens , religioſos illos viros accurate defendit , mirarique ſe magnopere dixit , de eo illos accuſari , propter quod laudandi vehementer eſſent , & in quo multos nomine negligentiæ ſuſpectos eſſe non ignorarent . Deum , noſtram inopiam miſeratum , excitaſſe illos Ordines hominibus affluentiſſimos , quibus ætas illa neque doctius aliud , neque religioſius quidquam videret , quique non colligendis modo decimis ſtuderent , ſed omni vitæ illiuſque commodorum cura poſthabita , in eas regiones irrumperent , ut ſuperarent agreſtes illos homines ; id autem eſt ut adducerent ad Chriſtum , & chriſtianis adjungerent . Hæc atque alia in hanc ſententiam peroranti Opizoni , magnum aliquorum conflavere odium .

Marian. l. 2. c. 10.

Multa miracula patrat S. Franc. in Catalonia .

XIV. Circa hæc tempora varia placuit Deo perpetrare mirabilia in principatu Cataloniæ , præcipue in urbe Ilerdæ ad commendanda merita ſancti Franciſci . Joannes a Caſtro mercator Ilerdenſis , ſancto Franciſco ſumme addictus , ſocium habuit in opulento mercimonio , quem impoſtorem poſtea ſenſit & furem . Collectis namque ex venditis mercibus quas potuit pecuniis , clam aufugit . Joannes infortunium ſuum ſancto Franciſco commendans conſcenſo equo , latronem inſequitur . Franciſcus velut alter Tobiæ Angelus , itinerantis ſpecie ſe comitem adhibet , & Pampilonam hominem duxit , ubi in domo conductitia latitantem , ſtatim furem detexit, pecunias extorſit, ſcelus condonavit. Dum itineris ſocio gratificare vellet, non apparuit quidpiam, præter ſchedam unam, in qua ſignificatum divino beneficio longius illud iter, unius diei ſpatio confeciſſe, & ad votum omnia eveniſſe. Alias ejuſdem Joannis filium gravi laborantem febri curavit confeſtim , ut pater filium tanto commendavit tutelari . Miram contraxit Joannes hic cum ſancto Viro familiaritatem, ita ut ſempper appareret ad votum ; & deſideranti quaſdam dederit ſchedas littera *Thau* , Franciſco ſolemni , & myſterioſa , ſignatas , quæ ſervantur adhuc apud ejus ſucceſſores . Obtinuit Vir ſanctus a Domino , ut in hac vita hic ſuus amicus commiſſorum criminum pœnas lueret , & perfecte purgatus ad æternam tranſiret .

Ablatas amico pecunias acquirit .

Ejus filium ſanat .

Baronem item moribundum .

XV. Alii etiam in eadem Civitate propitium experti ſunt Franciſcum . Baro quidam Berengarius de Abelia dictus , diutino morbo jam moribundus , invocato ſancti Franciſci auxilio , ſtatim convaluit ultra omnium ſpem , & medicorum fidem ; qui vero miraculo adſcripſerunt repentinam hominis ſanitatem , quem mox moriturum judicarunt . Baro alter Arnaldus de Orchari , dum animam ageret , & de ſepeliendo ageretur , repente ſpiritum recuperavit & ſalutem . Qui mox abiens ad Minoritas , ſacroſanctis tactis evangeliis , jurejurando firmavit ſe vere moriturum , a ſancto Franciſco vitam recepiſſe . Similiter nobilis quædam fœmina in extremis laborans ad ſancti Franciſci invocationem convaluit . Mortuum item puerulum filium ſuum mulier altera deplorabat : quæ , dum efferretur ſepeliendus in Eccleſia Minorum , ſolarium aſcendit , ut dum liceret , ſaltim poſſet videre : neque deſtitit ex intimo corde ſanctum Fran-

Alterum etiam Baronem .

Fœminam in extremis laborantem .

Puerulum mortuum exſuſcitat .

Franciſcum invocare, donec viderit per aera deſcendiſſe, loculum attigiſſe, filium exſuſcitaſſe. Ad motum & fletum infantuli ſtetit univerſus comitatus laudans, & glorificans Deum in Sancto ſuo, per quem inſigne illud patrarat prodigium. Redditus exultanti genitrici puer omnino incolumis per multos annos Fratrum ædes frequentavit. In Monaſterio hujus Urbis, de cujus miraculoſa conſtructione alias dixi, jacet beatus Segrianus, ſuper cujus corpus viſa ſunt luminaria de cœlo deſcendere. In vita, & poſt mortem plura fecit miracula.

B. Segrianus. *Ann. 1216. n. 7. tom. 1. Piſan. confor. 8.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Joann. Archiep. Baren.

„ XVI. Hoc anno creavit Alexander Archiepiſcopum Barenſem „ in Apulia fratrem Joannem Miniſtrum Provinciæ Romanæ, cui „ ut traderent Patres Prædicatores Conventus ſancti Dominici Neapo„ litani ſuppellectilem ſacram Sacelli, & reliqua bona mobilia apud „ eos repoſita, quæ erant Archiepiſcopi Henrici prædeceſſoris, per „ ſuas litteras, quas hic ex Archivo prædicti Conventus exſcriptas affe„ rimus Lectori, voluit ſignificatum &c.

Dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Prædicatorum Neapolitani &c.

„ *CUm nos Venerabilem fratrem noſtrum Joannem Ordinis Minorum* „ *Archiepiſcopum Barenſem, tunc Miniſtrum Fratrum ejuſdem* „ *Ordinis, in Provincia Barenſi Eccleſiæ tunc vacanti de Fratrum noſtro*„ *rum conſilia, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in Archiepiſcopum præ*„ *fecerimus, & Paſtorem; volumus & præſentium vobis auctoritate in vir*„ *tute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus capellam, &* „ *cetera bona mobilia, quæ quondam Henricus Barenſis Archiepiſcopus* „ *prædeceſſor ſuus penes vos ſeu depoſuiſſe, ſeu dimiſiſſe dicitur, procuratori* „ *ipſius Joannis Archiepiſcopi ad hoc per ejus patentes litteras conſtituto,* „ *ejus nomine, integre ſublata difficultate, ſeu accaſione qualibet aſſignare* „ *curetis; ita quod devotionis veſtræ pramptitudinem dignis exinde in Do*„ *mino laudibus merito commendemus. Datum Anagniæ* VII. *Kal. Julii* „ *Pontificatus noſtri anno* V.

Conv. Bernaliæ. *Rodulph. f. 293. Tom. 1. an. 1210. n. 21. Idem Rodulph. fol. 259.*

XVII. In provincia Bohemiæ, & Cuſtodia Geſnenſi Monaſterium Bernaliæ, extruxit hoc anno Boleslaus Pius Kaliſcienſis Dux, & multis prædiis locupletavit. Tranſlati in urbem Hortanam, de qua alias loquuti ſumus, Minores hoc ipſo anno, conceſſo eis per Petrum Epiſcopum loco ſancti Angeli, ex voluntate & conſenſu Alexandri Pontificis, quinto hoc anno ſui Pontific. cui poſtea acceſſit confirmatio Bonifacii IX. Prius habitarunt in Burgo ſancti Jacobi ab Tyberis ripam, in domuncula ſancto Jacobo ſacra. Verum cum Fratres multa paterentur incommoda, ob inundationem fluminis, & nimiam ab Urbe diſtantiam, quidam Civitatis Epiſcopus conceſſit eiſdem Eccleſiam ſancti Theodori, & hinc tranſlati, ut diximus, ad locum ſancti Angeli. Deſtructum eſt ſub anno VIII. Pontificatus Leonis X. Monaſterium Monialium illius Urbis, cujus caſtra & poſſeſſiones ea lege data ſunt univerſitati Ortæ, ut Fratribus Conventualibus, prædictæ domus incolis, teneretur ſolvere quotannis aureos quinquaginta. In Provincia Marchiæ, & Cuſtodia Firmana ante hunc annum inchoatus Conventus Montis-granarii, & Lauri, ut conſtat ex quibuſdam litteris Gerardi Epiſcopi Firmani ibidem aſſervatis. Sed Laurinenſis fuit anno MCCCCXXXIV. ab Antonio de Lauro Vicario generali.

Tráslatio Conv. Ortani.

Conv. Montis Granarii, & Con. Lauri.

XVIII. Hoc

XVIII. Hoc anno extructum Monaſterium Alcalæ de Guadaira in Bætica Provincia, ad ſextum ab Hiſpali lapidem, per Ferdinandum Legionis, & Caſtellæ Regem, anno II. poſt partam de Saracenis victoriam, ſcribit Gonzaga. Sed conſtare non poteſt cenſus annorum, dum anno MCCLII. ad III. Kalend. Junii obiit Ferdinandus, poſt redactam paulo ante potiorem illius Provinciæ partem in ſuam poteſtatem. Corrigendus itaque annus, vel Alphonſus filius, qui hoc anno regnabat, dicendus fundator, Titulus ſanctæ Mariæ Angelorum inditus, omnino convenit, tum ex ſitu ſimillimo eidem, quem habet in planitie Aſſiſiati prima illa ejuſdem nominis Ordinis ſedes; tum ex eadem Indulgentia, qua hæc ad II. Auguſti gaudebat, ad quam per plurimos annos concurrebant populi vicini, Translatum eſt Monaſterium a Patribus Conventualibus ad Obſervantes; inter quos ut tolleretur omnis altercandi cauſa, Magiſter Petrus de Archilloa Conventualium Miniſter anno MDXXV. univerſo juri, quod ſibi, ac ſuis Fratribus in eum locum poterat deberi, ſponte renunciavit. Dum vero ob aerem inſalubrem frequenter Fratres languerent anno MDXXXVII. obtenta Vincentii Lunelli Miniſtri Generalis licentia, ſedem mutarunt, conſtructo ſibi ex piorum eleemoſynis domicilio commodiori, in oppidi ſuburbiis, quod poſt octennium cœperunt inhabitare.

Conv. Alcalæ Bæticen.

Gonz. in Prov. Batic. Con. 3.

Jo. Marian. l. 13. de reb. Hiſ. c. 8.

XIX. Rex Luſitaniæ Alphonſus III. eodem anno ædificare cœpit Parthenonem Virginum Clariſſarum extra oppidum Scalabitanum, ſeu ſanctæ Irenæ ad Tagum flumen nobiliſſimum, in quem primas magiſtras ex Lamecenſi Epiſcopatu introduxit anno MCCLXXII. Plurimum opus adjuvit Helena *A ſancto Antonio*, ejuſdem Regis legitima filia, quæ collatis omnibus ſuis facultatibus præfatis Sororibus, eiſdem adjungi voluit. Religioſiſſima & ſanctiſſima evaſit, omnibus virtutibus, humilitate potiſſimum, & caritate erga proximos exculta. His exercendis opportuna explebat officia in culina, & valetudinario, Sororibus toto vitæ tempore miniſtrans. Illud ejus factum narratur memorabile, quod appetenti Sorori infirmæ ceraſa, ex arbore decerpta extemporanea, dederit ſtatim matura; quibus admiſſis, quæ languebat, illico convaluit. Huic ſanctitatis indicio aliud majus accidit. Dum enim ejus oſſa poſt plurimos annos exhumata, alium in locum decentiorem inferenda, proceſſione ſolemni a conſodalibus per valetudinarium aſportarentur, quotquot lectulis decumbebant Sorores, impetrata ex tempore ejus meritis ſoſpitate, ſacra pignora ſequutæ ſunt. Plura ejus miracula adnotata erant in libello quodam MS., qui ex incuria periit. Præter alias plures nobiles heroinas, claruerunt vitæ candore, & diſciplinæ regularis obſervantia Eliſabetha a ſancto Hieronymo, & Maria a Plagis Marchionum villæ regiæ legitimæ filiæ. Vidi ſæpius inſigne hoc Monaſterium, & laudavi ex magnificentia, ſitu, majeſtate, & erga Fratres ſuos Minores amoris, & pietatis obſequiis. Sed ob quamdam inobedientiam rejectæ ſunt quinque abhinc annis a Patribus Ordinis, & translatum regimen in Archiepiſcopum Ulyſſipponenſem. Reſtitit media pars externæ juriſdictioni, neque ſe aliis, quam Minoritis parituram reclamavit. Pars altera Archiepiſcopi jura defendit ſummo conatu, nec mediocri ſumptu, donec anno proxime elapſo MDCXXV. hic in Urbe judicatum eſt debere ad priorem diſciplinam reverti.

Monaſt. Scalabitanum.

Idem in Provin. Portugal. mon. 5. Marian. de reb. Hiſp. lib. 3. c. 12. Vaſconcel. in Alphon. 3.

Helena a S. Antonio ibidē clara miraculis.

XX. Pontifex hoc anno diſtrictius inhibuit, ne quiſquam ſuper determinatione, quam feciſſe diximus ſuperius, videlicet quod Fratres poſ-

Varia privilegia. *An. 1257. n. 28.*

An. 1257. n. 28. poſſent prædicare, & confeſſiones audire ex conceſſione Legatorum, eos moleſtaret, decernens irritum & inane eſſe qnidquid in contrarium contingeret attentari: *Cum olim* III. Idus Maii. Ad ſancti Bonaventuræ inſtantiam declaravit conventiones, vel pacta a Guardianis, vel aliis quibuſcumque Fratribus in præjudicium domorum eorumdem inita, abſque Provincialium, vel Generalis Miniſtri licentia, nulla eſſe & inania: *Mente ſollicita*. VII. Kalend. Aug. Poteſtatem deinde ſecit Ordinis Prælatis ligandi, puniendi, & incarcerandi Apoſtatas: *Proviſionis noſtræ*. XV. Kalend. Octobris. Innocenti IV. litteras, quibus conceſſit, ſeu conceſſam confirmavit ædem Aracœli, revalidavit: *Iis qui auctoritate*. VI. Kalend. Octobris. Dum Eccleſiarum Prælati in Hiſpania durius Fratrum reſiſterent privilegiis, & cenſuras in eoſdem ferrent, quaſcumque in eoſdem, vel in alios illorum cauſa latas, irritas & inanes eſſe, decrevit: *Meritis veſtræ Religionis* II. Idus Octobris.

Privilegia Clariſſarum. XXI. Clariſſarum Monaſteriis multa etiam indulſit Pontifex. Miniſtro Legionenſi mandavit, ut Clariſſis Civitatenſibus per Fratrum miniſteria ſubveniret: *Paci & ſaluti*. III. Non. Februar. Illud obiter adnotarim, Miniſtrum hunc ab illo, qui erat Provincialis ſancti Jacobi, non fuiſſe diverſum; quod mihi probat Provinciarum diſpoſitio anno ſequenti ſubjicienda. Legionis etenim regnum, cuſtodia erat præfatæ Provinciæ; dicebatur autem in litteris Pontificiis Miniſter Legionenſis, quia in illo tractu exequi videbatur mandatum Apoſtolicum, ſeu in eodem eſſe Monaſterium illud Monialium, cujus petitioni ſatisfiebat; & Scriptores Apoſtolici non adeo perfecte ſciebant diſtinctionem Provinciarum regularium. Sororibus omnium Sanctorum de Ripa Arni Piſanæ Diœceſis confirmat donationem ab Archiepiſcopo Turritano factam eiſdem de Eccleſia, & hoſpitali jam nominandis: *Cum a nobis petitur*. X. Kalend. Aprilis. Epiſcopo Sorren. ſcripſit, ut eiſdem Monialibus conferre faceret Eccleſiam ſancti Georgii de Oleaſtreto Turritanæ diœceſis in Sardinia Inſula, cum hoſpitali ſancti Leonardi de Scagno, & juribus ad idem pertinentibus, quæ eis donavit Albertus Turritanus Archiepiſcopus. Alias ſuperius de hac ipſa controverſia dedit litteras ad Archiepi-
An. 1257. n. 29. ſcopum Piſanum. Reſcriptum hoc ad præfatum Epiſcopum incipit: *Expoſita nobis*. V. Kalend. Aprilis. Clariſſis ſanctæ Mariæ de Gavallion. Tuſcanen. amplum concedit privilegium, eique inſerit litteras, quibus eiſdem exulantibus, & abſque ullo habitaculo derelictis, propter direptionem Caſtri Cortonenſis a Florentinis, & Aretinis factam,
Villan. l. 6. c. 68. Marian. l. 2. c. 23. (non hoc anno, ut ſcribit Joannes Villanus, ſed anteriori, quod indicant hæ Pontificis litteræ, ſeu anno MCCLVII. uti auctor eſt Marianus Florentinus) donavit Monaſteria ſancti Juliani Tuſcan. diœceſis, & ſanctæ Mariæ de Gavallione, olim ad Benedictinos ſpectantia: *Religioſam vitam*. VI. Kalend. Octobris. Eſt quod in his litteris admonuerim,
Greg. IX. ſanctitatis opinioné obtinuit. Gregorinm IX. ab hoc Pontifice vocari *ſanctæ recordat.* Papam, quod alii confirmant, *Sanctum* dicentes, & miracula ab eo facta recenſentes; ſane omnia noſtra antiqua monumenta, & plura ſragmenta apud me MSS. multis argumentis ejus ſanctitatem deprædicant. Præterea hic dicitur,
Tom. 1. an. 1217. n. 9. An. 1219. n. 46. & ſeq. Tom. 1. ſimul cum ſancto Franciſco Ordinem ſancti Damiani in agro Eccleſiæ plantaſſe, quod quam verum ſit, ex ejus cura circa tenellam plantulam ſovendam, & ſollicitudine in regula præſcribenda, alias diximus opportunius. Clariſſis SS. Laurentii, & Nicolai, civitatis Aquilanæ, ab eadem propter turbulentorum temporum malitiam diſceſſuris, conceſſit Eccle-

Eccleſiam ſancti Leonardi de Cruce Rodii Aquilen. Diœc. quantumvis non acceſſerit aſſenſus Epiſcopi, & Capitulorum Aquilen. & ſancti Martiani: *Religionis favor*. Kalend. Novembr. Regulam ab Innocentio IV. anno MCCLIII. miſſam Sororibus de Brenna, Caſtri de Anſa Lugdunen. Diœc. & Monaſterio Humilitatis beatæ Mariæ Pariſien. Diœceſis, ſub qua plura vixerunt Monaſteria Aquitaniæ, in aliquibus mutavit & temperavit. Modificatam nos dabimus ſub anno II. Urbani IV. qui ſuis litteris teſtatur eam ab Alexandro ita præſcriptam. Clariſſis Monaſterii ſanctæ Mariæ, & ſancti Bartholomæi de Paleſio, Maſſanæ Diœc. conceſſit, ut eorum Capellani viſitare poſſent Eccleſias quaſdam, quæ antiquo jure pertinebant ad ſuum Monaſterium, quod prius fuit Ordinis ſancti Benedicti: *Ex tenore veſtræ petitionis*. XV. Kalend. Novembris. *Vide Antonin. tit. 24. c. 8. in princ.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. SUmmus Pontifex hoc anno voluit, Fratres noſtros non teneri
,, ad ſolvendam canonicam portionem rerum ſibi conceſſarum,
,, dato brevi tenoris ſequentis.

ALEXANDER EPISCOPUS &c.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Minorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

,, 1. *PIum eſt, & conſonum æquitati, ut vos, qui abnegantes ſalubri-* Bul. quod FF. non
,, *ter voſmetipſos, elegiſtis in paupertate, Chriſto pauperi adpla-* ſolvant aliquam
,, *citum famulari, tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, illius* portionem.
,, *intuitu, cujus Vicarii ſumus, illa proſequamur gratia, per quam cultus* *Spec. fol. 7.*
,, *ejus ampliari valeat, & paupertas veſtra in aliquo relevari.*
,, 2. *Hinc eſt, quod nos neceſſitatibus veſtris paterno compatientes affe-*
,, *ctu, ut de iis, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, aut fabrica,*
,, *luminaribus, anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, ſive aliis ad*
,, *perpetuum cultum divinum, ſeu pro pittantiis ad ſuſtentationem veſtram,*
,, *aut indumentis veſtris, vobis legantur, nulli canonicam juſtitiam, aut*
,, *portionem aliquam teneamini exhibere, devotioni veſtræ auctoritate*
,, *præſentium, indulgemus.*
,, 3. *Diſtrictius inhibentes, ne quis a vobis de præmiſſis aliquid exigere,*
,, *vel extorquere præſumat: & ſententias omnes excommunicationis, ſu-*
,, *ſpenſionis, & interdicti, ſi quas vos, vel aliquem veſtrum, ſeu executores*
,, *teſtamentorum, vel hæredes decedentium, ſeu benefactores veſtros, com-*
,, *muniter, vel diviſim, per quoſcumque contra hujuſmodi conceſſionem,*
,, *& inhibitionem noſtram contigerit promulgari, decernentes irritas, &*
,, *inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Dat. Anagniæ.* XIII. *Kal.*
,, *Februarii Pontif. noſtri anno* V.

,, II. Sunt alia præterea noſtrum Ordinem concernentia ab eodem
,, Pontifice emanata: ut pro Inquiſitoribus Ordinis: *Licet ex omni-* *Indiculus.*
,, *bus &c.* III. Idus Februarii: ad Gerardum, & Fratres Lucenſes: *Veſtris* Aliæ litteræ A-
,, *meritis &c.* XVII. Kal. Martii: fr. Walaſco executorialis: *Dilectus* poſtolicæ in fa-
,, *Filius &c.* II. Kal. Martii: donatio Eccleſiæ Monialibus de Ripa Arni: vorem Ordin. &
,, *Cum a nobis &c.* X. Kalen. Aprilis: quod eiſdem reſtituantur aliqua FF. atque Monaſter.
bona:

Digitized by Google

,, bona : *Expoſita nobis &c.* v. Kal. Aprilis : pro quodam cenſu Monial.
,, Aſſiſiat. : *Inducunt nos &c.* vi. Idus Maii : pro ſundatione Eccleſiæ
,, Minor. Trecen. : *Cum primarium &c.* xiv. Kal. Junii : Magiſtris Pari-
,, ſienſibus pro Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus : *Inter alia &c.*
,, v. Idus Julii : Magiſtro ſancti Joannis Hieroſolymitani pro Terra ſan-
,, cta : *Cum Ordinem &c.* iii. Idus Auguſti : quod nullus Prælatus pro-
,, ferat ſententiam contra Minores : *Niſi &c. Ne Inquiſitionis &c.* Idi-
,, bus Septembris: pro Inquiſitoribus Minoritis : *Firmiſſime teneant &c.*
,, xvii. Kal. Octobris : pro fratribus Jacobo, Samuele, & Bentura :
,, *Cum dilectos &c.* xiii. Kal. Octobris : mitigatio regulæ Clariſſarum :
,, *Haberi percepimus &c.* x. Kal. Novembris : contra Eccelinum, ubi
,, de Prædicatoribus, & Minoribus : *Satis ex devota &c.* Idibus Decem-
,, bris.

Zavichoſtum invaditur. ,, III. Interea Zavicoſtum a Tartaris gentilibus, & inhumanis barbare
,, invaditur, & Agnes ſecunda Abbatiſſa Zavicoſtenſis, poſt ſanctam Sa-
Caſim. Biern. cit. num. 18. ,, lomeam, cum ſexaginta Monialibus, & aliis plurimis Virginibus, per
,, eorum truculentas manus Martyr occubuit : & hanc ſtrenue ſecuti
Monial. ſexaginta & plures trucidant. Simul 12. Fratr. Minor. martyr. ,, duodecim Minoritæ ibidem trucidati, & ipſi, proprio ſanguine deco-
,, ri, celebre teſtimonium fidei dedere; omneſque ea in Eccleſia ſan-
,, cti Damiani honorifice a Chriſtianis tumulati, die 11. Februarii an-
,, no MCCLIX. purificati proprio cruore, cœlum aſſequi meruerunt,
Martin. Baron. ,, quo Salvator noſter Patri ſuo offerendus in Templo eſt præſentatus;
,, hæc ex Martino Baronio Jaroslaviæ deprompta, quæ, ut ipſe teſtatur,
,, fideliter extraxit ex Archivo Eccleſiæ Sandomirienſis, ex antiquo Co-
,, dice MS. de atroci vaſtatione totius Poloniæ a Principe Tartarorum
,, Bathi, & Romano Ruſſiæ Duce : juxta teſtimonium Annalium Regni
,, Poloniæ, & in catalogo Sanctorum fol. 11. recenſet ibi Martinus
,, ſupracitatus Sanctimonialium omnium a Tartaris occiſarum nomina
,, propria ſexaginta, & loca, ex quibus erant oriundæ : tum etiam illo-
,, rum duodecim Fratrum, inter quos beatum Stanislaum Cracovien-
,, ſem ſacræ Theologiæ Doctorem, & Concionatorem verbi Dei ferven-
,, tiſſimum : tum Dionyſium Poſnanienſem ſacræ Theologiæ Bacalau-
,, reum.

Narn. C. E. deſcrib. ,, IV. Sed ad *Narem* amnem Narnia Civitas Epiſcopalis in Umbria
,, ad Sabinorum fines, inter Otriculum, & Interamnam pari ſeptem
Mar. Nar. obit. ,, milliarium intervallo poſita, Fratrem Martinum, cui fuerat patria,
,, cœlo dediſſe lætatur : fuit hic religioſitate conſpicuus, & inter alias
Gonzag. p. 1. de BB. viris Ordin. Minor. fol. 97. Theat. Bajar. ,, præclaras animi ſui dotes, mira in eo prudentia fulgebat : tamdem
,, cum hoc anno fœliciter obdormiſſet in Domino, miraculis clarum
,, Narnienſes venerantur in terris, & eum Gonzaga commemorat.

Boleslaus Pius fund. cœnobium Clariſſis. ,, V. Hoc eodem anno Boleslaus Pius Caliſſienſis Dux Minoriſſa-
,, rum ſanctæ Claræ Cœnobium in Urbe Archiepiſcopali Gneſnæ Polo-
Matthi. Miechov. lib. 3. cap. 52. hiſt. Polon. ,, niæ inferioris, magna liberalitate fundavit, illudque voluit non tan-
,, tum Villis, & prædiis dotatum, ſed etiam ab omnibus contributio-
Caſim. cit. ſupr. num. 18. ,, nibus liberum, ut ex Matthia Miechovienſe hiſtoriarum Poloniæ Scri-
,, ptore, Caſimirus Biernaſchi refert.

ARGUMENTUM.

Multa ſtatuit circa res fidei Pontifex; controverſiam elaudit Pariſienſem: Convocat ad Comitia generalia Bonaventura, in quibus varia condit ſtatuta, Provincias diſterminat, aliam præſcribit habitus formam. Legendam ſancti Franciſci ex aliis compaginat, & multa ſcribit ſumme utilia, de quorum eruditione & præſtantia paulo agitur impenſius. Transfertur ſancta Clara cum diſcipulis ad Eccleſiam ſancti Georgii, de cujus ſanctitate dubitans quidam ex regularibus, carpitur vehementius. Obit beatus Gandulphus Mediolanenſis, cujus vita refertur. Conſolatur Pontifex Gallorum Regem ſuper morte primogeniti. Conſecratur mons Alvernæ, cujus ſitus, & forma deſcribitur. Ædificantur Cœnobia & conceduntur privilegia.

I. MULTA & præclara ſtatuit hoc anno Alexander circa res fidei conſervandas, ſeu reſtituendas, in quibus plurimam poſuerunt operam Minoritæ. Ad Inquiſitores Provinciæ ſancti Franciſci, quæ Umbriam, Ducatum Spoletanum, & ultra complectebatur, dato diplomate, mandavit, ut Judices & Magiſtratus ſeculares omnino executioni mandarent ſententias ab Inquiſitoribus ferendas, contra notatos & ſuſpectos de hæretica pravitate, credentes, fautores, & receptatores eorum: contra nolentes vero procedi poſſe per excommunicationem in perſonas, privationem ab officiis, & interdictum in terras. Damus ipſas litteras ex Archivo noſtro Aracœlitano, ubi ſervantur originariæ num. 35.

Dilectis filiis Fratribus de Ordine Minorum, Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in Provincia beati Franciſci &c.

AD audientiam noſtram pervenit, quod Poteſtates, Rectores, Judices, Antiani, Officiales, Conſilia, & Communitates, quorumdam caſtrorum, locorum & Civitatum Provinciæ beati Franciſci, in qua inquiſitio contra hæreticos vobis a Sede Apoſtolica eſt commiſſa, circa executiones ſententiarum, quas contra notatos & ſuſpectos de hæretica pravitate, credentes, fautores, & receptatores eorum profertis, a vobis ſuper hoc requiſiti, ſe interdum reddunt difficiles, & etiam negligentes: nos itaque volentes, quod negotium Inquiſitionis hujuſmodi ſalutarem conſequatur effectum, circa ea intendimus animo vigilanti, per quæ ſubmotis quibuslibet obſtaculis, prædictum negotium, Deo propitio, de bono in melius dirigatur. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Poteſtates, Rectores, Judices, Antianos, Officiales quocumque nomine cenſeantur, Conſilia, & Communitates prædicta, quod hujuſmodi ſententias a vobis latas & ferendas, etiam ſublato cujuslibet dilationis & difficultatis obſtaculo, executioni demandent, monitione præmiſſa, per excommunicationis in perſonas Poteſtatum, Rectorum, Judicum, Antianorum, Officialium, & Conſiliariorum, ac privationis ab officiis: & in Civitates, caſtra, & loca hujuſmodi interdicti ſententias, appellatione remota, cogatis: non obſtante aliqua indulgentia Sedis Apoſtolicæ, de qua ejuſque tenore oporteat in noſtris litteris plenam & expreſſam mentionem fieri, & per quam effectus præſentium impediri valeat, vel differri. Datum Anagniæ XIII. Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno VI.

Jubet, ut Magiſtratus exequantur ſententias ab Inquiſitoribus latas.

II. In eadem Provincia, ſeu adminiſtratione ſancti Franciſci multi ex iis, qui reconciliabantur, negligebant ea perficere, ad quæ ſe obligabant, cum regrediebantur ad Eccleſiam: jubet Pontifex, ut omnino cogantur parere mandatis Eccleſiæ, necnon fidejuſſores eorumdem: Habetur hoc reſcriptum in Archivo Aſſiſiate.

Dilectis filiis Fratribus de Ordine Minorum, Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in adminiſtratione beati Franciſci.

Ut læſæ fidei rei obſervent mandata Inquiſitorum.

AD audientiam noſtram pervenit, quod nonnulli de adminiſtratione beati Franciſci, notati & ſuſpecti de hæretica pravitate, ac fautores & receptatores hæreticorum, ad mandatum Eccleſiæ redeuntes, interdum ſe obligant ſub certis pœnis, ad parendum mandatis Eccleſiæ, & ſuper hoc præſtant vobis fidejuſſorias cautiones, quorum nonnulli mandatis, quæ ipſis facitis, parere recuſant. Quia vero noſtri decet appoſitione conſilii ſuper hoc ſalubriter providere, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus tales, & fidejuſſores eorum, quod mandatis factis eis per vos, & faciendis pareant, monitione præmiſſa, per impoſitionem & exactionem pœnarum, ad quæ ſe obligant, & etiam per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, cogatis: invocato ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Datum Anagniæ x. *Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno* VI.

Ann. 1253. n. 7.

III. Alio diplomate reſpondit ad eaſdem quæſtiones, quibus ſuperius reſpondiſſe diximus ipſum hunc Pontificem, nihil prorſus addito; atque idem utriuſque reſcripti initium: *Quod ſuper nonnullis quæſtionum articulis*. Datum Anagniæ XII. Kalen. Martii, *ad univerſos Inquiſitores Ordinis Minorum in partibus Italiæ*. Habetur autographum in Archivo Aracœlitano ſub num. 29. Altero reſcripto (quod ſervatur Aſſiſii in tabulario ædis ſancti Franciſci, nec non Venetiis apud Patres Conventuales, ex quibus quæ ſequuntur tranſcripſit Franciſcus Penna, miniſtratis ſibi autographis per Illuſtriſſimum Cardinalem Felicem Perettum Cardinalem de Montealto, mox Sixtum V. in Pontificatu renunciatum) juſſit ut traderentur Inquiſitoribus inſtrumenta, & ſcripturæ quæque ad eorum tribunal ſpectantes, multaque alia præſcribit, quæ valde elucidare poſſunt cap. *ut commiſſ. de hæret. in 6.* & alia juris loca ad hæreticorum perfidiam ſpectantia. De contentis in reſcripto variis in locis egit prædictus Penna in libro 3. ſuarum adnotationum ad Directorium Inquiſitorum.

Penna in calce Direct. Inquiſit.

Dilectis filiis...... Fratribus de Ordine Minorum, Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in adminiſtratione ſancti Franciſci.

Ut tradantur Inquiſitoribus ſcripturæ ad ſuum munus ſpectantes.

CUpientes, ut Inquiſitionis negotium contra hæreticam pravitatem, ſollicitudini noſtræ commiſſum, ad Dei gloriam, & augmentum fidei Catholicæ, in veſtris manibus feliciter proſperetur: compellendi appellatione remota, per cenſuram Eccleſiaſticam, per vos vel per alios, quos ad hoc idoneos vos, vel alter veſtrum duxeritis eligendos: omnes illos qui ſcripta, vel inſtrumenta Inquiſitionis, vel ad ejus officium pertinentia, per quoſcumque hactenus factæ, ac etiam faciendæ, contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, ſeu defenſores eorum, habent, vel habuerint, ut ea ſine cu-

juſli

juslibet difficultatis, ſeu dilationis diſpendio, vobis vel alteri veſtrum exhibeant: necnon abſolvendi a ſententia excommunicationis omnes illos, qui dimiſſa hæreticorum perfidia, ad unitatem Catholicæ fidei libere, ac humiliter redire voluerint, & credentes, receptatores, fautores, ac defenſores eorum: ac etiam reconciliandi eos Eccleſiæ, a qua noſcuntur diabolica ſuggeſtione præciſi. Convocandique clerum & populum, Civitatum, caſtrorum, aliorumque locorum contra tales: ita ut in ferendis ſententiis contra ipſos, poſſitis peritos & diſcretos, prout expedierit, advocare. Dandi quoque omnibus accedentibus ad vocationem hujuſmodi auctoritate noſtra quadraginta dierum indulgentiam. Procedendi etiam contra illos, quos in dicta Provincia commiſiſſe conſtiterit, licet ad alias partes ſe duxerint transferendos: necnon, ut in eodem negotio ſummarie, abſque judiciorum & advocatorum ſtrepitu, procedere valeatis, auctoritate præſentium vobis & cuilibet veſtrum concedimus facultatem, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus ſi aliquibus ſit indultum ab eadem Sede, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas; niſi plenam & expreſſam, vel de verbo ad verbum fecerint mentionem: & conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Datum Anaguiæ IV. *Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno* VI.

Alia eis præſcribit & largitur.

IV. Fidei cauſam promovebant, & Inquiſitores tunc agebant Minores in Provincia Romana, quæ complectebatur Urbem cum ſuo diſtrictu, Patrimonium beati Petri, Tuſciæ partem, Sabinam, urbem Reatinam cum ſua diœceſi, Romaniam, Marſiam, Campaniam & Maritimam. Inter hos eminebat quidam Frater Andreas, quem Pontifex magnopere laudat ab induſtria, a maturitate, a rerum agendarum experimento, & providentia: huic & ſociis ut provideant Eccleſiarum quicumque Prælati de ſalvo conductu de loco ad locum, ſtricte præcipit Pontifex. Aliud omnino ſimile reſcriptum dedit ad Rectores ſeculares ita inſcriptum: *Dilectis filiis, Nobilibus viris, Baronibus, Caſtellanis, Poteſtatibus, Capitaneis, Rectoribus, Antianis, Prioribus, & eorum officialibus, necnon communitatibus Civitatum, caſtrorum & locorum Provinciæ Romanæ, quæ continet Urbem cum ſuo diſtrictu &c.* Datum eodem die quo diploma ad eccleſiaſticos miſſum, ultra tamen pœnam excommunicationis his impoſitam, ſecularibus injungitur taxa mille marcharum argenti, ſi huic non obediant præcepto. Habentur in Archivo Aſſiſ. & apud Pennam.

Fr. Andreas Inquiſitor.

Venerabilibus Fratribus Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Præpoſitis, Plebanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis: & Clericis religioſis & ſecularibus, tam exemptis, quam non exemptis, per Provinciam Romanam, quæ continet Urbem cum ſuo diſtrictu, Patrimonium beati Petri in Tuſcia, Sabinam, Reate cum ſua Diœc. Marſiam, Campaniam & Maritimam conſtitutis &c.

AD extirpandam de partibus veſtris hæreticam pravitatem, totis affectibus intendentes, inquiſitionem faciendam in illis partibus contra reſperſos hujuſmodi pravitate, dilecto filio fratri Andreæ de Ordine Minorum, duximus committendum. Ut igitur idem Frater veſtro fultus præſidio, in commiſſo ſibi negotio Inquiſitionis, Deo propitio valeat proſperari:

Ut huic Inquiſitori Prælati adſint, præcipit Pontifex.

 Uni-

Univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, in virtute obedientiæ, ac ſub pœna excommunicationis per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus vos univerſi & ſinguli, dicto fratri Andreæ, & ſociis ejus, de ſecuro conductu, quotieſcumque vos ſuper hoc duxerint requirendos, liberaliter, ac ſine dilatione, de loco ad locam providere caretis: preces noſtras & præceptum taliter impletari, ut pateat per effectum operis, quod ſitis orthodoxæ fidei zelatores, noſque devotionem veſtram poſſimus exinde merito commendare. Datum Anagniæ Idibus Martii, Pontificatas noſtri anno VI.

V. Prædictus frater Andreas procedebat ad captionem cujuſdam potentis hæretici, in Tuſcia graſſantis, nupcupati Capelli de Chia. Ut ei fideles quicunque tam Eccleſiaſtici, quam ſecularis Ordinis ſuo adeſſent auxilio, diſtricte præcepit Pontifex. Ad peculiares Civitates multa dedit circa hoc ipſum peculiaria diplomata. Duo præcipua rem hanc concernentia ſubnectimus.

Venerabilibus fratribus univerſis Epiſcopis, ac dilectis filiis . . . . Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archipresbyteris, Præpoſitis, Capitulis, & Conventibus, ceteriſque perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus & regalaribus per Romanam Provinciam conſtitutis &c.

Fr. Andreas laudatur.

D*Um ad ſtudium ſollicitudinis, & diligentiæ, quod dilectus filius frater Andreas de Ordine Minorum, Inquiſitor hæreticæ pravitatis in adminiſtratione beati Franciſci, in negotio fidei, cujus executionem in terris ejuſdem adminiſtrationis ſibi commiſimas, adhibuiſſe dignoſcitur, aciem mentis noſtræ convertimus, dum ſalutis fructum, quem ejuſdem religio fidei ex ſuis laboribus reportavit, ſollicita meditatione penſamus, vitare non poſſumus, quin ipſum, utpote virum in talibus jam experimento probatum, in ſimilium commiſſione gravemas, firma credulitate tenentes, quod ea quæ ſibi committimus, proſpere ac ſulubriter ſuæ circumſpectionis induſtria dirigantur; de ſua igitur providentia, & maturitate obtinentes certitudinem pleniorem, hujuſmodi fidei negotium ſibi, & quibuſdam aliis Fratribus ſui Ordinis, in Romana Provincia, in qua utique Urbs, Patrimonium beati Petri in Tuſcia, Sabina, Civitas & Diœceſis Reatina Romania Marſia; Campania & Maritima includi noſcuntur, confidenter & plenarie duximus committendum. Ideoque univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtate obedientiæ, diſtricte præcipiendo mandamus, in remiſſionem vobis peccaminum nihilominus injungentes, quatenus eidem fratri Andreæ, ejuſque collegis, opportuni favoris præſidio aſſiſtentes, omne quodcumque poteſtis, ſtudeatis eis, per vos, conſanguineos, ſubditos, & devotos veſtros, conſilium & auxilium exhibere contra hæreticos, credentes, complices, fautores, defenſores, & receptatores, & terras eorum: & ſpecialiter contra Capellum de Chia, uxorem, & filios, ac terram ipſius, quoties ab eodem fratre Andrea, ejuſve collegis, ſuper hoc fueritis requiſiti, ita quod ex hoc evidenter appareat, quod eſtis fervidi Catholicæ fidei zelatores, ac exinde a Deo præmium mereamini, dictæqae Sedis favorem & gratiam vobis uberius acquiratis. Datum Anagniæ* II. *Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno* VI.

Jubet ut omnes juvent eumdem contta hæreticos.

Dile-

Dilectis filiis .... Poteſtati .... Capitaneo, Conſilio, & Commun. Tuſcanen. fidelibus noſtris &c.

VI. D*Um ad ſtadium ſollicitudinis, & diligentiæ, quod dilectas filius frater Andreas de Ordine Minorum, Inquiſitor hæreticæ pravitatis, in adminiſtratione beati Franciſci, in negotio fidei, cujus executionem in terris ejuſdem adminiſtrationis ſibi commiſimus &c.* ut in bulla proxime præcedenti. *Ideoque univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta ſub debito fidelitatis, quo Eccleſiæ Romanæ tenemini, & excommunicationis pœna diſtricte præcipiendo mandamus, in remiſſionem vobis peccaminum nihilominus injungentes, quatenus eidem fratri A. ejuſque collegis, opportuni favoris præſidio aſſiſtentes, omne quodcumque poteſtis, ſtudeatis eis conſilium, & auxilium exhibere: exercitum contra hæreticos, credentes, complices, fautores, defenſores, & receptatores eorum, & ſpecialiter contra Capellum de Chia, uxorem & filios, ac terras ipſorum, quotiens a dilecto filio Magiſtro Raynerio de Viterbio Capellano noſtro, Rectore patrimonii beati Petri in Tuſcia, cui ſuper hoc efficaciter ſcribimus, vel ab eodem fratre Andrea, ejuſve collegis requiſiti ſuper hoc fueritis, congregando, & ad depopulationem, & exterminium terrarum hujuſmodi, hoſtiliter procedendo, ita quod ex hoc evidenter appareat, quod eſtis fervidi Catholicæ fidei zelatores, ac exinde a Deo præmium mereamini, dictæque Sedis favorem & gratiam vobis uberius acquiratis. Datum Anagniæ* II. *Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno* VI.

Ut Tuſcanenſes eidem aſſiſtant.

VII. Sciens prædictus inſanus Capellus ſe proſcriptum, bona confiſcanda, & dignas ſibi inferendas pœnas, aſtute ſibi cavere ſtuduit, ficte vendendo aliis ſuas terras, præcipue caſtrum Collis-Caſalis. Contra quod dum Viterbienſes militare voluerunt in Eccleſiæ & Inquiſitorum obſequium, prævenit pium eorum conatum civis quidam Romanus Petrus Jacobus Surdi, obtinens a Senatoribus Urbis mandatum, ne in caſtrum irrumperent Viterbienſes, falſo prætendens illud ad ſe ſpectare. Graviter eum reprehendit Pontifex miſſis his litteris.

Dilecto filio nobili viro Petro Jacobo Surdi Civi Romano.

L*Icet univerſi mundi populi, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, ad incrementum Catholicæ fidei, totis viribus, cunctiſque laborare ſtudiis teneantur, Romanus tamen populus tanto ferventius, tantoque diligentius ad hoc vigilare tenetur, quanto ſpecialius, quantoque propinquius beati Petri Apoſtolorum Principis, qui eſt ipſius caput, & pater fidei patrocinio gaudere noſcitur. Unde cum audimus, quod per aliquos de ipſo populo, promotioni negotii ejuſdem fidei aliqua impedimenta ſive obſtacula præparantur, eo majorem dolorem in mente concipimus, quo firmiorem de talibus, quod illud juvare ac fovere promptis debeant animis, ſpem & fiduciam obtinemus. Sane ad audientiam noſtram, non ſine admiratione & animi turbatione pervenit, quod tu caſtrum Collis-Caſalis, ad perfidum Capellum de Chia, nuper condemnatum de hæreſi, pertinens, ab ipſo Capello, vel a quodam Cive Citan. in quem idem C. ſtatim quod ſenſit, quod de hæreſi condemnari debebat, ſimulatæ venditionis titulo tranſtulit, te in ipſius Capelli favorem, & defenſorem terræ ſuæ emiſſe confingens, a dilectis filiis nobilibus viris Senatoribus Urbis Communi Viterbien. ſub certa inhiberi pœna, tuæ famæ prodigus procuraſti, ne contra prædictum caſtrum, quod ad te ſpectare dicebas, procedere quomodolibet attentarent: nequaquam attentenen-*

Romani ultra alios invigilare debent fidei puritati.

tendens, neque formidans ſpirituales & temporales pœnas, quæ hæreticorum fautoribus, & defenſoribus per ſanctiones canonicas, & legitimas inferuntur. Volumus igitur & præſentium tibi auctoritate diſtricte præcipiendo mandamus, quotenus ſtatim receptis præſentibus, ſicut divinam & noſtram caram habes gratiam, ab hujuſmodi auſu tam nefario, tamque perniciosſo deſiſtens, de defenſione ipſius caſtri, prædicto, ſeu alio quocumque modo, te nullatenus intromittas: quinimo procures omnino, quod inhibitio hujuſmodi, prædicto Communi Viterbien. ad inſtantiam tuam facta, totaliter revocetur: alioquin ſcire te volumus, & pro certo tenere, quod adverſus te, tamquam contra defenſorem, & fautorem hæreticorum, ſpiritualiter & temporaliter, auctore Domino, procedemus. Datum Anagniæ II. *Idus Maii, Pontificatus noſtri anno* VI.

VIII. Viterbienſium vero ſtudium & pietatem commendat Pontifex, quod contra dictum Capellum, & ad exterminium terrarum ejuſdem procedere manu hoſtili voluerint; hortaturque ut pium conatum non deponant, ſed quod laudabiliter inceperunt, laudabilius perficiant.

Dilectis filiis .... Poteſtati .... Capitaneo, Conſilio & Communi Viterbien. fidelibus noſtris.

Commendantur Viterbienſes.

EX inſinuatione dilecti filii fratris Andreæ, & aliorum Inquiſitorum hæreticæ pravitatis in Romana Provincia, & adminiſtratione beati Franciſci comperimus, quod vos tamquam fidei zelatores, eis liberaliter obtuliſtis congregare exercitum, ac hoſtiliter procedere contra perfidum Capellum de Chia, nuper de hæreſi condemnatum, ſecundum quod iidem Inquiſitores ducerent ordinandum. Nos igitur hujuſmodi zelum veſtrum, dignis exinde laudibus efferentes, ac referentes vobis propter hoc gratiarum multiplices actiones, univerſitatem veſtram monemus, rogamus & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus negotium ejuſdem fidei, ſicut laudabiliter incepiſtis, conſtantibus animis proſequentes, ad exterminium terrarum prædicti Capelli, non obſtante mandato contrario Senatorum Urbis, hoſtiliter procedere ſtadeatis: nos enim eiſdem Senatoribus noſtris injungimus litteris, ut mandatum hujuſmodi, utpote diſpendioſum prædicto negotio, totaliter revocare procurent. Taliter igitur hujuſmodi monita, & mandota noſtra implere curetis, ut creſcatis exinde meritis apud Deum, penes nos gratia, & apud homines clara fama. Datum Anaguiæ Idibus Maii, Pontificatus noſtri anno VI.

IX. Demum Pontifex dato reſcripto ad eumdem fratrem Andream, & alios ejuſdem Inſtituti Inquiſitores, concedit eis facultatem confiſcandi, vendendi ac diſtrahendi bona hæreticorum, ita quod applicentur ad opus Eccleſiæ Romanæ, quod etiam ubique nunc obſervatur, ſed diverſis Fiſcis applicantur.

Dilectis filiis fratribus Andreæ, Gentili & Bartholomæo Ordinis Minorum, & aliis Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in Romana Provincia, & adminiſtratione beati Franciſci.

Ut confiſcentur bona hæreticorum.

DIſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, vendendi, ac diſtrahendi libere bona hæreticorum, eorumque fautorum, credentium, receptatorum, & defenſorum publicata jam, ſeu confiſcata, & in

in poſterum publicanda, & confiſcanda; prout commiſſo vobis fidei negotio expedire videritis: ita quod eorum pretium ad opus Romanæ Eccleſiæ conſervetur: necnon & contradictores ſuper hoc, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, plenam & liberam concedimus auctoritate præſentium facultatem. Datum Genuæ VIII. *Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri anno* VI.

X. Tamdem hoc anno finem accepit Controverſia Pariſienſis, cedentibus Religioſorum adverſariis contrario Pontificis conatui, & abſolutionem petentibus ab incurſis cenſuris. Commiſit Papa ſuam auctoritatem Epiſcopo Pariſienſi, ut pœnitentes a nexu ſolveret; ea tamen præmiſſa cautione, ne amplius apud ſe retinerent pernicioſos libellos Guillelmi de ſancto Amore, quos comburi juſſit ab Epiſcopo. Ita habet diploma apud vetuſtum codicem ſæpius citatum.

Venerabili fratri .... Epiſcopo Pariſienſi.

TUa nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli clerici tuæ Civitatis & Diœceſis incurrerunt excommunicationis ſententiam latam auctoritate noſtra in omnes illos, qui libellos famoſos contra Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratres a Magiſtro Guillelmo de ſancto Amore, ſeu aliis editos publicare præſumerent, ſeu retinere. Quare nobis humiliter ſupplicaſti, ut cum multitudo ſit in cauſa, ſuper hoc eorum ſaluti providere miſericorditer curaremus. De tua itaque circumſpectione confiſi, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut ab eiſdem excommunicatis ſufficienti cautione præſtita, quod libellos hujuſmodi, quos comburi facias, de cetero non tenebunt: ipſos ab hujuſmodi ſententia abſolvas hac vice, juxta formam Eccleſiæ vice noſtra, ac facies eos ab executione ſuorum Ordinum, uſque ad certum tempus, prout expedire videris, manere ſuſpenſos. Tamdem cum ipſis ſuper irregularitate, ſi quam medio tempore, celebrando divina Officia, ſeu immiſcendo ſe illis, contraxerint, diſpenſare procures, prout ſecundum Deum animarum ſuarum ſaluti videris expedire. Datum Laterani III. *Non. Decembris, Pontificatus noſtri anno* VI. Ut abſolvantur Pariſien. a cenſuris.

XI. Convocavit hoc anno in feſto Pentecoſtes, quod incidit pridie Idus Junii, ſanctus Generalis Bonaventura præcipuos Ordinis Patres Narbonam, pro celebrandis totius Ordinis Comitiis. Pleraque gravia & utilia ſtatuerunt pro univerſali regimine; antiquas quaſque conſtitutiones ab exoriente Religione ad illud uſque tempus inconcinne congeſtas, ad meliorem formam reduxerunt, novas addiderunt, univerſas per duodecim rubricas, ſeu capitula diſtribuerunt, & prologum præfixerunt, ita incipientem: *Quoniam, ut ait Sapiens, ubi non eſt ſepes &c.* Adeo mature diſcuſſæ, & prudenter a tanto cœtu, præſide ſancto Viro, confirmatæ, ſemper viſæ ſunt Patribus Ordinis, ut non tam novas condere, quam has a ſancto Bonaventura præſcriptas confirmare, adjunctis aliis pro temporum neceſſitate, & varietate, conſultius judicarint. Atque ita factum primo in Comitiis Aſſiſiatibus, anno MCCLXXIX. celebratis ſub Miniſtro Generali Bonagratia, unde & Conſtitutiones Aſſiſiates nuncupatæ. Secundo in eadem Civitate, in alio generali Ordinis conventu, immediate poſt ſolemnem Neapolitanum, celebrato ſub Michaele de Ceſena anno MCCCXVI. Tertio dum Perpiniani in Catalonia anno

Comitia generalia Narbonenſia.

Optimæ ibidem editæ conſtitutiones.
In religione ſemper celebres.

no MCCCXXXI. in Capitulo, ut vocant, generali alias ederet Gherardus Odonis; in alio Aſſiſii celebrato, revocatis his, reaſſumptæ ſunt illæ Bonaventuræ. Quarto Benedictus XII. ſeu, ut alii numerant, XI. plura addidit, & mutavit anno MCCCXXVI. regente adhuc eodem Gherardo, largiores ſaciens habenas, quam quæ veræ regulæ obſervantiæ expediebant, ſed reſtrictæ ſunt per Patres Ordinis in Comitiis Maſſilienſibus anno MCCCXLVI. dum eligeretur Fortanerius Vaſſallus, præceptumque eſt, ut ſolæ illæ Narbonenſes a Bonaventura conditæ, adjunctis legibus neceſſariis, obſervarentur tamquam Ordinis, dixerunt, ſundamenta, antiquatis illis Benedictinis, amplis nimis, minuſque ſalutaribus. Quinto ſub Guillelmo Farinerio in Capitulo Aſſiſiate anni MCCCLIV. his Narbonenſibus additæ ſunt aliæ, atque ita in ſingulis Comitiis aliquæ ſactæ ſunt mutationes, reſervata tamen methodo, forma, & prologo Narbonenſi, excepto dumtaxat capitulo Perpinianenſi, & compilatione Benedictina. Sexto in conventu generali Aſſiſiate, anno MCCCCXXX. auctoritate Martini V. editæ ſunt quædam conſtitutiones laxiores, ab ipſo Martinianæ dictæ, quæ tamen poſtca tamquam minus regulæ cohærentes, exoleverunt ſinceris noſtri Inſtituti ſectatoribus, & revocatæ in obſervantiam priſtinæ Narbonenſes; atque eæ ipſæ ſunt, quæ a regularis obſervantiæ profeſſoribus ſtabilitæ ſunt Barchinone, Valliſoleti, atque alibi, additis quibuſdam; & in monumentis noſtris antiquis circumſeruntur ſub hoc titulo: *Conſtitutiones generales Antiquæ*. Atque ſi quod vere ſenſerim, libere dixerim, non diſplicere non poteſt facilis & temeraria quorumdam in ſingulis comitiis legum novarum conditio: quaſi non ſe putet celebrem Rectorem, niſi cognoſcant omnes novum Legiſlatorem, & pro ſuo dominatu ſibi leges efformet. Hinc quotidie novæ & confuſæ leges, hinc conſtitutionum inconditarum tanta multitudo, hinc regiminis tanta inconſtantia; ut hodie ſubditus neſciat, quid in craſtinum ſit obſervaturus. Graves, religioſæ, mature diſcuſſæ, & prudenter conditæ ſunt hæ Bonaventuræ conſtitutiones, in quibus quod præcipuum, quod capitale & neceſſarium eſt, animadverſum; his adjungatur quod temporis & regiminis expoſtulat viciſſitudo, non omnino tollantur, quæ omnino ceteris quibuſcumque ſunt ponderoſiores.

Improbatur cõfuſa & quotidiana ſtatutorum editio.

XII. Condita hæc ſtatuta ſub duodecim capitulis juſſit Generalis cum Definitoribus in ſingulis domibus diligenter ſervari, & obſervari, non tamen extraneis communicari, aut extra donmm aliis exponi; legi item ſaltem ſemel ſingulis menſibus, vel pluries, ſi videatur expedire, ſublata permixta confuſione variarum conſtitutionum antea conditarum. Præterea juſſum eſt, ut libri omnes rituales corrigerentur ad exemplaria illorum, qui correcti erant ex Pontificis, & Ordinis præſcripto per Haymonem Anglicum, olim Miniſtrum Generalem, quos etiam Ordinarium Romanum admiſit. Commendatum etiam, ut in menſis humilibus uterentur utenſilibus, & rogatum ut ſani & ſoſpites jejunarent præſcriptis illis quadraginta diebus poſt Epiphaniam, quos ſub ſua benedictione ſanctus Franciſcus hortatus eſt jejunio ſacrari. Decretum etiam eſt, quod alias ſactum diximus in capitulo Metenſi, ut annuente Pontifice, ſuſpenderetur, neque obſervaretur Innocentii IV. explicatio in regulam, in iis præſertim quæ declarationibus Gregorii IX. contradicerent. Aliæ multæ adhibitæ ſunt admonitiones, & ſalutaria documenta, necnon præcepta circa votum paupertatis religioſius colendum, & regimen Ordinis ſtabiliendum, quæ nos in collectione omnium conſtitutionum, & ſerie

De officio divino.

Et jejunio.

Co-

Comitiorum congregationumque generalium, quam meditamur, Deo adjuvante, ſuo dabimus ordine, & modo; partim videri poſſunt apud antiqua Ordinis Monumenta, Marcum Ulyſſiponenſem, & Petrum Rodulphum lib. 2. ſuæ hiſtoriæ.

XIII. Actum etiam in eodem Capitulo de ritibus, & cultu variorum Sanctorum. Ordinatum eſt ut fieret Officium duplex dcinceps de ſanctiſſima Trinitate in octava Pentecoſtes. Secundo, quod de quatuor præcipuis Eccleſiæ Doctoribus Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Gregorio, fieret ſemiduplex. Tertio, de ſancto Bernardo fieret feſtum die ſuo, videlicet XIII. Kalend. Septembris. Quarto, de ſancta Clara fieret Officium duplex, juxta ea, quæ Alexander Pontifex ſtatuerat, & nomen ejus poneretur in Litaniis. Quinto, quod Antiphonæ conſuetæ ſanctæ Mariæ Virginis dicerentur poſt Completorium, excepto dumtaxat triduo ante Paſcha Reſurrectionis. Sexto, quod Fratres Provinciæ Aquitaniæ feſtum agerent diem ſancti Martialis VII. menſis Julii. Septimo, quod nomen ſancti Franciſci ceteris adderent in confeſſione. Octavo, quod interdum cantaretur in Veſperis pro commemoratione Stigmatum ſancti Franciſci: *Cælorum candor ſplenduit*. Demum, quod prima Antiphona Matutinalis in Officio ejuſdem Sancti, mutatis quibuſdam verbis in ea, quæ ad illud uſque tempus recitabatur, deinceps ita legeretur: *Hic vir in vanitatibus nutritus indecenter, divinis chariſmatibus præventus eſt clementer*.

Specul. Ord. tract. 1. Marcus par. 2. lib. 2. c. 12. Rodulph. fol. 238.

De celebrandis quibuſdam ſanctis.

XIV. De numero, ordine, & terminis Provinciarum egit in eiſdem Comitiis Vir ſanctus, taxatis jam antea per Gregorium IX. certos limites præſcripſit; novas ex multiplicatis domiciliis cuſtodias eiſdem adjunxit, & duas integras Provincias adauxit. Omnium porro ſeriem & ordinem a tanto viro, in ſolemni hoc graviſſimorum virorum conventu præſcriptum, noſtrorum monumentorum indagatoribus exſcribimus; quibus gratum fore judicamus ordinem & terminos primarum noſtri Sodalitii Provinciarum agnoſcere.

Diſtinctæ etiam tunc Provinciæ.

Prima Provincia Sancti Francisci, quæ habebat novem Custodias.

Primam Aſſiſii.
Secundam Peruſii.
Tertiam Caſtelli.
Quartam Tuderti.
Quintam Eugubii.
Sextam Narniæ.
Septimam Vallis Spoletanæ.
Octavam Montanorum, vel Nurciæ.
Nonam Regni in confinibus regni Neapolitani.

Secunda Provincia Franciæ habebat etiam novem Custodias.

Primam Pariſienſem.
Secundam Campaniæ.
Tertiam Atrebatenſem.
Quartam Veromandiæ.
Quintam Lotharingiæ.
Sextam Flandriæ.
Septimam Normandiæ.
Octavam Leodienſem.
Nonam Rhemenſem.

Tertia Provincia Romæ habebat Custodias septem.

Primam Romanam.
Secundam Viterbienſem.
Tertiam Urbis Veteris.
Quartam Reatinam.
Quintam Tyburtinam.
Sextam Maritimæ.
Septimam Campaniæ.

Quarta Provincia S. Jacobi continebat Custodias octo.

Primam ſancti Jacobi.
Secundam Auriæ.
Tertiam Legionis.
Quartam Zamorræ.
Quintam Salmanticæ.
Sextam Conymbriæ.
Septimam Ulyſſiponis.
Octavam Eboræ.

Quinta Provincia Marchiæ, seu Piceni complectebatur Custodias septem.

Primam Aſculanam.
Secundam Camertem.
Tertiam Anconitanam.
Quartam Æſinam.
Quintam Firmanam.
Sextam Fanenſem.
Septimam Montis-Feltri.

Sexta Provincia Coloniæ habebat Custodias itidem septem.

Primam Colonienſem.
Secundam Trevirenſem.
Tertiam Weſtphaliæ.
Quartam Hollandiæ.
Quintam Brabantiæ.
Sextam Daventriæ.
Septimam Haſſiæ.

Septima Provincia Tusciæ habebat Custodias octo.

Primam Piſanam.
Secundam Lucanam.
Tertiam Florentinam.
Quartam Senenſem.
Quintam Aretinam.
Sextam Cluſinam.
Septimam Maritimæ.
Octavam Sardiniæ.

Octava Provincia Angliæ habebat Custodias septem.

Primam Londinenſem.
Secundam Eboracenſem.
Tertiam Cantabricenſem.
Quartam Briſtolenſem.
Quintam Oxonienſem.
Sextam Novi-Caſtri.
Septimam Wigorniæ.

Nona Provincia Bononiæ habebat quinque Custodias.

Primam Bononiæ.
Secundam Ferrariæ.
Tertiam Parmæ.
Quartam Ravennæ.
Quintam Forolivii.

De-

Decima Provincia Turoniæ habebat item Custodias quinque.

Primam Santonenſem.
Secundam Bituricenſem.
Tertiam Britanniæ.
Quartam Pictaviæ.
Quintam Aureliani.

Undecima Provincia Sancti Antonii habebat Custodias quatuor.

Primam Patavii.
Secundam Venetiarum.
Tertiam Fori-Julii.
Quartam Veronæ.

Duodecima Provincia Castellæ habebat Custodias octo.

Primam Hiſpalenſem.
Secundam Toletanam.
Tertiam Murcianam.
Quartam Segovienſem.
Quintam Palentinam.
Sextam Burgenſem.
Septimam Victoriæ.
Octavam Soriæ.

Tertiadecima Provincia Januæ habebat Custodias sex.

Primam Januenſem.
Secundam Aſtenſem.
Tertiam Albigauni. *
Quartam Pedemontis.
Quintam Montis-Ferrati.
Sextam Papiæ.

* *Albigani.*

Quartadecima Provincia Argentinæ habebat Custodias itidem sex.

Primam Halſatiæ.
Secundam Baſileæ.
Tertiam laci Conſtantiæ.
Quartam Bavariæ.
Quintam Sveviæ.
Sextam Rheni.

Quintadecima Provincia Mediolani complectebatur Custodias quinque.

Primam Mediolani.
Secundam Modoetiæ.
Tertiam Brixiæ.
Quartam Comenſem. *
Quintam Vercellenſem.

* *Al. de Novocomo.*

Sextadecima Provincia Burgundiæ * habebat Custodias sex.

* *Hodie S. Bonaventuræ.*

Primam Lugdunenſem.
Secundam Divionenſem.
Tertiam Biſuntinam.
Quartam Lauſanæ.
Quintam Viennæ.
Sextam Alverniæ.

Decimaseptima Provincia Terræ Laboris habebat Custodias quinque.

Primam Neapolitanam.
Secundam Salernitanam.
Tertiam Principatus.
Quartam Beneventi.
Quintam ſancti Benedicti.

Decimaoctava Provincia Aragoniæ habebat Custodias septem.

Primam Barcinonenſem.
Secundam Ilerdæ.
Tertiam Cæſarauguſtæ.
Quartam Majoricarum.
Quintam Valentiæ.
Sextam Navarræ.
Septimam Saraviæ.

Decimanona Provincia Siciliæ habebat Custodias quinque.

Primam Meſſinæ.
Secundam Agrigenti.
Tertiam Panormi.
Quartam Trapani.
Quintam Syracuſæ.

Vigesima Provincia Saxoniæ habebat Custodias duodecim.

Primam Bremenſem.
Secundam Halberſtadenſem.
Tertiam Magdeburgenſem.
Quartam Lubiſcenſem.
Quintam Stetinenſem.
Sextam Lipſenſem.
Septimam Miſnenſem.
Octavam Aurei-montis.
Nonam Pruſſiæ.
Decimam Wratislaviæ.
Undecimam Brandeburgenſem.
Duodecimam Thuringiæ.

Vigesimaprima Provincia Calabriæ habebat Custodias quatuor.

Primam Regii.
Secundam Cutronis.
Tertiam Vallis.
Quartam Caſtrovillarum.

Vigesimasecunda Provincia Aquitaniæ habebat Custodias decem.

Primam Toloſanam.
Secundam Albigenſem.
Tertiam Auxitanam.
Quartam Agenenſem.
Quintam Ruthenenſem.
Sextam Cadurcenſem.
Septimam Petragoricenſem.
Octavam Lemovicenſem.
Nonam Bajonenſem.
Decimam Burdegalenſem.

Vigesimatertia Provincia Apuliæ * habebat Custodias quinque.

* *Hodie S. Nicolai.*

Primam Barolitanam.
Secundam Barcenſem.
Tertiam Tarentinam.
Quartam Brunduſii.
Quintam Materanam.

Vige-

VIGESIMAQUARTA PROVINCIA PROVINCIÆ * HABEBAT CUSTODIAS SEPTEM.

* *Hodie S. Ludovici.*

Primam Maſſiliæ.
Secundam Arelatenſem.
Tertiam Avinionis.
Quartam Aleſti.
Quintam Montis-Peſſulani.
Sextam Ciſtariaci.
Septimam Narbonæ.

VIGESIMAQUINTA PROVINCIA SANCTI ANGELI HABEBAT CUSTODIAS QUATUOR.

Primam Comitatus Moliſe.
Secundam Civitatis.
Tertiam Montis ſancti Angeli.
Quartam Capitaniatæ.

VIGESIMASEXTA PROVINCIA HIBERNIÆ, SIVE SCOTIÆ * HABEBAT CUSTODIAS QUINQUE.

* *Ita meus codex vetus MSS.*

Primam Dublinenſem.
Secundam Caſſellenſem.
Tertiam Corcagenſem.
Quartam Venatenſem. *
Quintam Pontenſem.

* *forte Enaghenſem.*

VIGESIMASEPTIMA PROVINCIA PENNÆ * HABEBAT CUSTODIAS SEX.

* *Hodie S. Bernardini.*

Primam Aquilæ.
Secundam Pennæ.
Tertiam Theatinam.
Quartam Aridenſem.
Quintam Aprutinam.
Sextam Marſicanam.

VIGESIMAOCTAVA PROVINCIA DACIÆ HABEBAT CUSTODIAS OCTO.

Primam Norvegiæ.
Secundam Octonienſem. *
Tertiam Lindenſem.
Quartam Lancopenſem.
Quintam Ripenſem.
Sextam Urbigenſem. *
Septimam Scotonenſem.
Octavam Riſchildenſem.

* *al. Oſtovernen.*
* *al. Verbergen.*

VIGESIMANONA PROVINCIA DALMATIÆ HABEBAT CUSTODIAS QUATUOR.

Primam Raguſinam.
Secundam Jadrenſem.
Tertiam Arbenſem.
Quartam Iſtriæ.

TRIGESIMA PROVINCIA ROMANIÆ HABEBAT CVSTODIAS TRES.

Primam Nigri-Pontis.
Secundam Thebanam.
Tertiam Clarentiæ.

TRI-

TRIGESIMAPRIMA PROVINCIA BOHEMIÆ HABEBAT CVSTODIAS SEPTEM.

Primam Opolienſem.
Secundam Pragenſem.
Tertiam Moraviæ.
Quartam Geſtinenſem. * (* al. Geſnen.)
Quintam Gremenſem.
Sextam Cracovienſem.
Septimam Lutomcricenſem.

TRIGESIMASECVNDA PROVINCIA TERRÆ SANCTÆ HABEBAT CVSTODIAS DVAS.

Primam Nicoſiæ in Inſula Cypri. *Secundam Syriæ.*

TRIGESIMATERTIA PROVINCIA HVNGARIÆ HABEBAT CVSTODIAS OCTO.

Primam Javcrienſem.
Secundam Zagabrienſem.
Tertiam Girmienſem.
Quartam Strigonienſem.
Quintam Quinque Eccleſiarum.
Sextam Agrienſem.
Septimam Tranſilvanam.
Octavam Albienſem.

Hucuſque enumeratæ ſunt Provinciæ, deinde ſubjungebantur Vicariæ, quæ propter paucitatem Fratrum, vel Monaſteriorum, ad Provinciarum dignitatem non aſcendebant.

PRIMA VICARIA ERAT BOSNÆ, HABEBAT CVSTODIAS ITIDEM OCTO.

Primam Dulmnæ.
Secundam Grebenſem.
Tertiam Boſnæ.
Quartam Uſſojæ.
Quintam Machiovæ.
Sextam Bulgariæ.
Septimam Covini.
Octavam Ruſſiæ.

SECVNDA VICARIA ORIENTIS HABEBAT CVSTODIAS TRES.

Primam Conſtantinopolitanam. (* al. Chauſtren.)
Secundam Trapezuntii.
Tertiam Thaurifilienſem. *

TERTIA VICARIA AQVILONIS HABEBAT CVSTODIAS DVAS.

Primam Gazariæ. *Secundam Sarajæ.*

QVARTA VICARIA CORSICÆ CVSTODIAS NON HABEBAT, SED TANTUM MONASTERIA OCTO.

Primum Bonifacii.
Secundum Calvii.
Tertium Nunciæ.
Quartum Biguliæ.
Quintum Avenzolaſchæ.
Sextum Aliſani.
Septimum Ornani.
Octavum Montis-Raſi, ſed in Sardinia.

XV. Mi-

XV. Mirum ſane, quomodo in brevi annorum curriculo univerſos
Orbis angulos penetrarit humile hoc Inſtitutum, ut infra quinquaginta
annos ad triginta excreverit Provincias, additis remotiſſimarum regio-
num Vicariis. Sed qui fecit, ut *in omnem terram exiret ſonus* paucorum
Apoſtolorum, *& in fines orbis terræ verba eorum*, voluit ut ad terminos *Pſalm. 18. 5.*
terræ pertingerent, qui Apoſtolicam præferebant vitam, & Evangeli- Divinitus adeo
cam diſſeminabant doctrinam. Atque fertile hoc principium ſemper hoc excrevit In-
ſequutum eſt majus incrementum, ut poſt centum annos plures enumera- ſtitutum.
verint alii Provincias; deinde ante alios centum annos, veluti quadam
irruptione, ſeu impetu facto, magnu hominum applauſu exorta regula-
ris obſervantia ſe diffuderit per univerſam faciem terræ, pluribus inſti-
tutis Provinciis, quam eo uſque habuerit Sodalitium; ita ut major fuerit
gloria domus hujus, quam prioris. Dehinc prodierunt Congregationes
variæ ſtrictioris obſervantiæ, & Capucinorum, quibus plurimæ ſubſunt
Provinciæ; ut alias taceam Sodalitates Patrum Tertii Ordinis regulari-
ter & laudabiliter præſertim in Gallia viventium; ita ut omnino verum
ſit quod eccleſiaſtica oratione concinitur; Deum *Eccleſiam ſuam beati
Franciſci meritis fœtu novæ prolis amplificare*. Quaſi ad Franciſcum illud
diceretur vatidicum: *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum* *Iſai. 54. 2.*
*tuorum extende. Ne parcas: Longos fac funiculos tuos, & clavos tuos con-
ſolida. Ad dexteram enim, & ad lævam penetrabis, & ſemen tuum gentes
hæreditabit, & Civitates deſertas inhabitabit*. Necnon & illud ejuſdem
Vatis. *Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te.* *Iſai. 43. 5. & 6.*
Dicam Aquiloni: Da, & Auſtro: noli probibere. Ita ſacrum hoc Sodali-
tium extendit funiculos ſuos, ut eos in Orientem & Occidentem, in
Auſtrum & Aquilonem deduxerit, clavoſque ſuos in terminis terræ ita
conſolidavit, quod deinceps avelli non potuerint. Quantumvis enim a
multis orbis partibus Romana exularit Religio, non ob id defecere
Franciſcani, cum in conſpectu ipſorum Mahumetanorum, in oculis ipſius
Turcarum Imperatoris, in ipſa urbe Conſtantinopolitana, in Syria,
Paleſtina, Urbe ſancta Hieruſalem, in Ægypto, inter efferas nationes,
in medio hæreticorum, in Hungaria, Germania, Anglia, Hibernia fixa
habeant ſua tentoria, & conſolidatos clavos, qui erui non poſſunt.
Germen hoc fœcundum gratiæ eſt, non naturæ; neque enim adeo brevi
replevit hominum generatio Orbis Provincias, ſicut fertilis hæc propa-
gatio in univerſas penetravit regiones. Appoſitam dedit rationem Chry-
ſoſtomus in mundi regeneratione per Apoſtolos. *In principio*, inquit, *Chryſoſt. in Pſal.*
cum lege naturæ creſceret multitudo, res tardius proceſſit: tempore autem *14.*
*Apoſtolorum non lege naturæ, ſed gratiæ creſcebat; & ideo uno ſtatim die
tria millia, deinde quinque millia, deinde innumerabiles, deinde univer-
ſus orbis terræ per hanc pulchram regenerationem editi, aucti, multiplica-
ti ſunt: & quam acceperant benedictionem, factis ipſis oſtenderunt.*

XVI. Eſt quod circa hanc Provinciarum ſeriem admoneam, eamdem Series primatum
conſervari, quoad Cuſtodiarum partitionem apud Patres Conventuales, Provinciarum a-
præcipue in regionibus Italiæ, Poloniæ, & Germaniæ; tranſeuntibus dhuc obſervatur.
ceteris Hiſpaniæ, Franciæ, atque aliarum nationum Monaſteriis in Ob-
ſervantum poteſtatem, ſub quibus aliter diſpoſitæ, & multiplicatæ ni-
mis ſunt Provinciæ, ceſſante earum in plures Cuſtodias diſtributione.
Primas Provincias, cuſtodias, & domos annexas videre licebit apud *Piſan. confor. 8.*
Bartholomæum Piſanum, reliquas omnes tam Conventualium, quam *Rodul. l. 2.*
Obſervantum, & Capucinorum apud Petrum Rodulpbum. Admiratus
ſum

ſum in hac Provinciarum diſpoſitione adeo multiplicata ſub hoc tempore patriæ Inſulæ domicilia, ut in Provinciam coaluerint; cum tamen per plures annos prius penetraverint Minores in Scotiam; neque vero illi Regno ſeparata adſcribatur Provincia; ſed ejus Monaſteria ſub Cuſtodia dumtaxat Novi-caſtri Provinciæ Anglicanæ comprehendantur, ut videre eſt apud Piſanum citatum. Atque illud non ſine obſervatione prætcrii, in tam vetuſto codice MS. ſub illo tempore ſancti Bonaventuræ adhæſiſſe adhuc Hiberniæ hoc nomen etiam *Scotiæ*, quod mihi ultra confirmavit illorum ſtudium, qui paucis ab hinc annis, ex antiquis monumentis, & probatis auctoribus conati ſunt probare, nativam Inſulam & Hiberniæ, & Scotiæ nominibus audiviſſe, atque utrumque ei nomen commune fuiſſe.

Hibernia illo tēpore etiam Scotiæ nomen retinebat.

In his Comitiis mutata habitus forma.

Galeſin. c. 9.

Volater. l. 21. Antropol.

Ciacon. in Greg. X.

Hier. della Cort. in hiſt. Veronen. p. 1. lib. 7. ad an. 1230.

XVII. In his etiam Comitiis Bonaventuram exterioris habitus menſuram mutaſſe, ſeu potius caputii formam alteram præſcripſiſſe, plures ſunt graviores, ultra domeſticos, coaſſertores. Ita Petrus Galeſin. in ejus vita. *Fratrum, qui antea capite aperto, capilliſque promiſſis ac ſparſim diffluentibus, rituque paſtorum incedebant, veſtitui cucullam adjecit.* Raphael Volaterranus. *Habitum, quo nunc utuntur Fratres, inſtituit* (Bonaventura) *cum prius paſtorali modo incederent.* Alphonſus Ciaconus: *Habitum quo nunc Fratres Minores utuntur, paululum commutavit, nam antea Capucinorum more induebantur.* Hieronymus Corteſius: *Erant hi Fratres* (*ſicut ab exactiſsimis antiquitatum illius inſtituti indagatoribus accepi*) *griſeo veſtiti, nudipedes incedebant in habitu paſtoritio, habentes in capitio acumen aliquanto prominens, non vero adeo protenſum, ſicuti modo portant Patres Capucini, qualem per omnia habitum illorum Pater & Fundator geſtabat. Poſt aliquot annos datus eis fuit habitus, quem modo portant, a beato Bonaventura Balneoregienſi.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Marq. de orig. Erem. c. 4. §. 10. Tom. 1. an. 1208. n. 4. & ſeqq.

Bonaven. in ſpec. diſ. ipl. p. 1. c. 21.

„ Similiter aperte affirmat „ Didacus a Coria, ſive Caurienſis in Chronicis Carmelitanis. „ Ab eodem datam hanc formam ſcribit etiam Joannes Marquez Auguſtinianus. Largius alias egi de primæva noſtræ veſtis forma, & unde *paſtoritia* dicebatur. Porro hanc mutationem jam tunc factam, atque ejus tempore jam orbicularem partem circa collum demiſſam, non inepte *collarium* dictam, geſtaſſe ſub Bonaventura, ipſa ejus ſcripta demonſtrant. Quippe in ſpeculo diſciplinæ ad novitios, loquens de inſtructione circa habitum ſervanda: collarium & caputium diſtinguit. *Amplitudo*, inquit, *vel longitudo veſtimenti ſuperflua, ſive in manicis, ſive in capitio, ſive in collario caputii, eſt admodum fugienda.* Paucis interjectis. *Coaptatio quædam Religioſum decens, quædam indecens. Indecens eſt ſi præter morem Religionis fuerit curioſa, ut verbi gratia, ſi caputii collarium quadam in gyro replicatione juxta mundanorum conſuetudinem coaptetur, aut curioſe ipſum replicetur caputium circa genas.* Hæc itaque ſerius colligere libuit, ut ex probatis auctoribus appareat hujus orbiculati caputii inter noſtros origo; neque adeo incredibile, aut inopinabile quibuſdam appareat a Bonaventura ſumpſiſſe principium. Ut vero ita faceret inde motum dicunt ex inculto & paſtoritio more incedendi, ex quorumdam ruditate introducto; atque ex alio abuſu plurium delicatulorum, & minus Religioſorum mollitie, latius ſerpenti, dum communiter præter caputium amplum nimis, nec ita commode caput fovens, ſuperinduebant pileos, ſeu almutia, ſive capella, ita ab antiquis vulgariter dicta; de quibus ita ipſe Bonaventura. *Quæ ultra communem ſeu regularem formam, ſive in veſtibus, ſive in aliis indulgentur, quantum neceſsitas patitur, occultari oportet.*

Vide Coriolanum in Breviario Chronol. ad an. 1288. & 1525.

L. nov. cit.

tet. Unde nec almutia palam extra caputium religioſe portantur. Ut ergo habitum a paſtoritio religioſiori ſpecie diſtingueret, & commodius daret capitis fomentum, rotundum adjecit cooperlmentum, demiſſo ad ſcapulas antiquo acumine, & ad pectus parte orbiculari. Verum eſt, non ubique ſtatim introductam hanc veſtis formam, neque omnes eam admiſiſſe; ſed plures originariæ veſtis tenaciores acuminato ſemper caputio inceſſiſſe, uti patet in cœlaturis imaginum Lateranenſium, & Baſilicæ ſanctæ Mariæ Majoris, a Fratribus Minoribus operariis, in abſidis poſt Bonaventuræ obitum effictarum, de quibus nos egimus alias; nec non in habitibus quorumdam piorum Virorum, eodem poſteriorum, adhuc præ veneratione ſervatis. Quidam volunt originem hujus mutationis Joanni XXII. tribuendam, ſed nullum invenio hujus opinationis firmum, aut grave fundamentum. Certe Petrus Rodulphus non inchoatam, ſed confirmatam ab hoc Pontifice mutationem jam factam, ita recenſet. *Fertur quoque Bonaventuram inſtituiſſe habitum, & caputium, quo nos utimur, a Joanne XXII. Pontifice approbatum, veluti diſtinctivum a quibuſdam Fratribus, qui a communi aliorum vita ſe ſubduxerant*. Quod etiam quantum ad inſtitutionem per Bonaventuram, alibi repetit agens de his Comitiis Narbonenſibus.

An. 5208. nu. 6. Tom. 1.

Rodulph. f. 182.

Idem f. 238.

XVIII. In eiſdem Comitiis rogaverunt Patres ſanctum Primicerium, ut ablata varietate multarum Legendarum, ex diverſis hiſtoriarum fragmentis, quæ de ſancto Franciſco circumferebantur, gravem & ſinceram ipſe concinnaret hiſtoriam. Quibus licet reſponderit, plures ſibi ſupereſſe curas officii, quam ut ad ſeria ſtudia poſſet attendere, tamdem acquieſcens, in ſe aſſumpſit onus geſta ſui Inſtitutoris enarrandi. Hujuſmodi inſtantiæ Patrum in Comitiis congregatorum ipſe meminit in prologo ejuſdem legendæ. *Ad hujus*, inquit, *tam venerabilis Viri vitam, omni imitatione digniſsimam, deſcribendam, indignum & inſufficientem me ſentiens, id nullatenus attentaſſem, niſi me Fratrum fervens incitaſſet affectus; generalis quoque capituli concors induxiſſet inſtantia: & ea quam ad ſanctum Patrem habere teneor, devotio compuliſſet: utpote qui per ipſius invocationem, & merita in puerili ætate (ſicut recenti memoria teneo) a mortis faucibus erutus; ſi præconia laudis ejus tacuero, ſceleris timeo argui ut ingratus. Eſt & hæc penes me cauſa præcipua hunc aſſumendi laborem; ut ego qui vitam corporis & animæ a Deo mihi conſervatam recognoſco per ipſum, & virtutem ejus in me ipſo expertus agnovi, vitæ illius virtutes, actus & verba, quaſi fragmenta quædam partim neglecta, partimque diſperſa, quamquam plene non poſſem, utcumque colligerem, ne morientibus iis, qui cum famulo Dei convixerant, deperirent. Ut igitur vitæ ipſius veritas ad poſteros tranſmittenda, certius mihi conſtaret & clarius; adiens locum originis, converſationis, & tranſitus Viri ſancti, cum familiaribus ejus adhuc ſuperviventibus, collationem de iis habui frequentem ac diligentem, & maxime cum quibuſdam, qui ſanctitatis ejus & conſcii fuerunt, & ſectatores præcipui, quibus propter agnitam veritatem, probatamque virtutem, fides eſt indubitabilis adhibenda*. Legendam autem hanc compilavit anno ſequenti Pariſiis, nihil ſacræ admiſcens hiſtoriæ, niſi probatum & certum, candidis teſtibus aſſertum. Mirabili ſtylo hanc ſcripſiſſe legendam, teſtatur Antoninus, ſed & eam mirifice plerique commendant, præcipue Aloyſius Lippomanus Epiſcopus Veronenſis, qui *puro & ſimplici ſtylo deſcriptam*, ait, *tanta rerum copia, & ſententiarum gravitate refertam, ut totus mundus ejus lectione inſtrui poſſit, & ad amorem*

Rogatur Bonaventura ut legendam ſcribat ſancti Franciſci.

Tamdem annuit, & egregie ſcripſit.

Anton. in tit. 24. c. 8. in princ. Lippom. in prol. vita S. Franciſci.

Dei per beati Franciſci exemplum inſtaurari. Et de ſe ipſo fatetur, *quod quoties hanc vitam legerit, toties non ſolum accenſus ſit, ſed in ejus meditatione totus exarſerit*.

Aretin. apud Galeſin. c. 8.

Leonardus Aretinus vetuſtus auctor, eruditionis & eloqueotiæ laude clarus, cum legendam hanc ſtudioſe legiſſet, ſenteotiam rogatus, dixit; *In illo ſcribendi genere a nemine illum ſuperari poſſe*. Neque id mirum plaoe ſcriptam; quam inter divinas meditatiooes, & raptus cœleſtes potius dictitatam, quam humana induſtria elaboratam indicat ſequens eventus. D. Thomas Aquinas, qui eadem tempeſtate pari virtute claruit & doctrina, cum Bonaventuram ſumma ſibi caritate conjunctum, tunc ſummo affectu ſtudentem io contemplando, & coocionando, quam diximus, vitam inviſeret, per rimulas oſtii proſpicieos, vidit illum in contemplatione raptum, & a terra mirifice ſublevatum;

Vivens a ſancto Thoma vocatur ſanctus.

tum retrocedens ad ſuos: *Sinamus*, ioquit, *Sanctum, qui laborat pro Sancto*. Magni viri magnum profecto teſtimonium, quo viventem amicum *Sanctum* appellavit, & recte ſcribentem commeodavit. Locus ubi hoc contigit, adhuc Pariſiis io æde Minorum extat inſtar Sacelli, tamquam rei mirabiliter geſtæ monumentum.

Aliam minorem ſcripſit legendã.

Legendam hanc in plures ſectiones diſtributam io compendium redegit Vir ſanctus ad preces cujuſdam Epiſcopi Galli, quæ *Legenda minor* nuncupatur, & per dies Octavæ ſancti Franciſci leguntur in Officio divino. Utramque hiſtoriam longiorem & breviorem obtulit triennio poſt in Comitiis Piſaois Patribus Ordiois, quas reverenter cum gratiarum actione, ſuppreſſis aliis quibuſque legendis, admiſeruot.

Alia opuſcula ſcripſit in monte Alvernæ.

XIX. Ante hanc elucubrationem aliam edidit Vir pius hoc anno, ſeu ut placet Antonino, anoo MCCLIX. in ſolitudine mootis Alvernæ, ubi ſibi ſtudeos, & mentem a curis exterois ad interiora recolligens, ſcripſit egregium illud opuſculum, cui titulus: *Itinerarium mentis in Deum*, necnoo aliud inſcriptum: *Itinerarium mentis in ſeipſum*.

Ant. tit. 24. c. 8. Gerſon. epiſt. Apolog. ad Carthuſ.

De hoc itioerario, & alio tractatulo ita graviter ſenſit Joannes Gerſon. *Confitebor*, inquit, *inſipientiam meam, quod a triginta annis, & amplius citra, volui habere familiares mihi prædictos tractatulos, ſæpe eos legendo, ſæpe ruminando etiam uſque ad verba, nedum ſententias; & ecce hac ætate, hoc otio velut ad votum vix perveni ad initium guſtus eorumdem, qui & repetiti ſemper mihi novi fiunt, & placent*. Mirum eſt quæ io publica rerum cura,

Semper aliquid ſcribebat.

io vaſti Sodalitii moleſto regimine docte ſcripſit & docuit. Nullo tempore ita ſe immerſit humanis negotiis, ut divinas iotermitteret eootemplationes, neque officii turbis ita ceſſit, quin pie furaretur temporis minutias, in quibus ſibi provideret, & aliis proſpiceret ſummæ pietatis opuſcula concionaturus. Ultra tercentum ſcripſiſſe teſtantur noſtri Ordiois Mooumenta, quibus alii teſtes ſubſcribunt.

Firmam. 3. Ord. f. 1. Galeſ. c. 9. Octavian. orat. de S. Bonavent.

Certe præter duos integros tomos, qui circumferuotur opuſculorum (ut ampliores taceam plurium volumioum elucubrationes) quotidie ſe offerunt alia præter jam edita, quæ illius eſſe, & luce digna, Deo juvante, aliquaodo monſtrabimus. Quio & ſuo tempore in ooſtrorum ſcriptorum ſynopſi, ſpuria diſcernemus a legitimis, & ponderoſius expeodemus, quæ ſunt illi adſcribenda, vel oeganda. Modo cuncta recenſere, non adeo opportunum, neque hiſtoriæ conſonum: commodius de ſcriptoribus eorumque operibus ſeorſum agemus.

Pietatem operũ S. Bon. omnes laudant:

Idem de lib. legen. conſid. 5. p. 2.

Porro Booaveoturæ pietatem, devotionem, interiorem affectum in ſcribendo, ſummopere pii quique commeodaot, atque ultra omnes prædictus Caocellarius Gerſon; *quem ſingulariter inter omnes Doctores Catholicos pace omnium ſalva*, inquit, *idoneum videri, & ſecu-*

curum ad illuminandum intellectum , & inflammandum affectum . Et alibi . *In dicendo ſolidus eſt , & ſecurus , pius , & juſtus , & devotus . Præterea recedit a curioſitate quantum poteſt , non immiſcens poſitiones extraneas , vel doctrinas ſeculares , Dialecticas aut Phyſicas , terminis Theologicis obumbratas , more multorum . Sed dum ſtudet illuminationi intellectus , totum refert ad pietatem , & religioſitatem affectus . Unde factum eſt , ut ab indevotis Scholaſticis , quorum , proh dolor ! major eſt numerus ; ipſe minus extiterit frequentatus : cum tamen nulla ſublimior , nulla divinior , nulla ſalubrior atque ſuavior pro Theologis ſit doctrina ; de quo vere dicitur illud Chriſti de Joanne ; Erat lucerna ardens & lucens* . Non diſſimiliter dixit de eodem Trithemius : *Scripſit* , inquit , *multa & profunda , & devotiſſima opuſcula , quibus ardentia verba proferens , non minus affectum legentis in Chriſti amore accendit , quam intellectum doctrinis ſanctis illuminat . Omnes enim ſui temporis Doctores , utilitate operum facile præcellit ; ſi ſpiritum divini amoris , & Chriſtianæ devotionis in eo loquentem attendas . Profundus eſt , non verboſus ; ſubtilis , non curioſus ; diſertus , non vanus ; flammantia , non inflantia verba proferens : unde & ſecurius legitur , utilius frequentatur , dulcius & fructuoſius retinetur . Multi doctrinam proferunt , devotionem prædicant multi ; pauci , ſcribendo libros docuerunt utrumque . Bonaventura autem & multos ſuperavit & paucos : dum ejus doctrina devotionem , devotio inſtruit doctrinam . Si ergo & doctus vis eſſe & devotus , illius opuſculis eſto intentus* .

Idem lib. de examin. doctr.

Joan. 5. 35. Trithem. de ſcript. eccl.

XX. Non itaque abſque cauſa tantam admiratus eſt in operibus ejus doctrinam & eruditionem ſanctus Thomas Aquinas , ut petierit a Bonaventura ſibi oſtendi libros , ex quibus tam multiplicem , atque adeo magnam eruditionis ubertatem hauriret. Is vero Chriſti Domini Cruci affixi imaginem demonſtravit , e quo fonte uberrimo ſe accipere profeſſus eſt , quidquid vel legeret vel ſcriberet. Hæc illa ſanctis hominibus indita humilitatis virtus præcipua , ut nihil ſuæ induſtriæ , nihil proprio adſcribant ingenio ; ſed quidquid ſcribunt , aut faciunt totum in divinam referant virtutem . Porro is erat Bonaventura , qui cum ad cœleſtem illam hæreditatem immortalis gloriæ ſpectaret , ad quam divinitus vocabatur : hujus ſeculi laudes inanes & caducas , hac atque illac vulgi rumuſculis ſæpenumero temere diffluentes , contempſit , pro nihiloque putavit . Immo etiam quanto nomen ejus efferebatur majori hominum prædicatione , tanto diligentius in id toto animo incubuit , ut de ſe , ſuiſque rebus humiliter ſubmiſſeque ſentiens , Deo in primis bonorum auctori , gratias de progreſſionibus ejus ſemper ageret ; ſe vero in perpetua humilitate contineret , quam tamquam chriſtianarum parentem , cuſtodemque virtutum ſemper conſectatus , jamdiu firmiſſima ejus veſtigia toto vitæ curſu impreſſerat .

Galeſ. cap. 8. Marc. 2. par. l. 2. cap. 2.

Crux Chriſti Bonaventuræ bibliotheca fuit .

Quo doctior, eo humilior .

XXI. Attamen quantumvis Vir ſanctus gloriolam inanem humani fugerit præconii , neque ſe , neque ſua voluerit laudari , injuſte me feciſſe putem , ſi quod alii poſt ejus obitum , & in ſanctos relationem de commendatiſſimis ejus operibus gravius ſcripſerunt , prætermiſerim . Præ ceteris dignius , & exactius ea diſtinxit in varias claſſes , & ponderoſius laudavit Petrus Galeſinius hoc ordine . *Bonaventuræ* , inquit , *doctrina cernitur in tribus ; in expoſitione ſacræ ſcripturæ , in tractatibus , quæ Opuſcula inſcribuntur , & interpretatione Magiſtri Sententiarum , quam Lecturam Joannes Gerſon nominavit . In omnibus his , ſi cuncta recte perpenduntur , mirifica apparet eruditio , ac illa quidem multiplex . Quibus enim*

Encōmia ejus doctrinæ .

Galeſ. cap. 10.

Gerſon. epiſt. Apolog. ad Carthuſ.

rebus artium diſciplinæ comparantur, eæ tres in illo fuerunt, Ingenium, Studium, atque Exercitatio: eaſque ita conjunxit, ut non ſatis liqueat, in qua potiſſimum admirabilior extiterit; id quod aliquando Nazianzenus de Baſilio diſſerit. Ingenii acies apparet in omnibus ejus lucubrationibus; ſtudium ſingulare in maxima graviſſimarum rerum cognitione; & Exercitatio incredibilis in meditatione, contemplatione, ac ſcriptione. In Rhetoricis præclare verſatus, Rhetorum præcepta interdum exponit: in Logicis demonſtrationibus & concertationibus uſque adeo excelluit, ut iis, qui diſputationem cum eo ſuſcepiſſent, difficile eſſet argumentorum illius aciem effugere, ſi quando res ita poſtularet. Philoſophiæ partes, cum interdum opus fuit, nullas omiſit, uſque adeo ut eorum, quæ in ſublimi accidunt, ſummam etiam non raro, etſi brevi, comprehendat accuratiſſime. Numerorum quoque proportiones, & cetera multa, quæ a Mathematicis præcipiuntur aliquando demonſtravit, tamquam eorum præceptorum litterate peritus.

Nazian. orat. de S. Baſil.

Verſatiſſimus in omni ſcientiarũ genere.

XXII. Sed ad ſacras litteras, atque ad Theologiam ita divinitus ſe paravit, ut ſcientiæ luce quam ſplendidiſſime colluſtratus, quæ Dei ſunt, perquiſiverit, atque inveſtigaverit diligenter. Quo factum eſt, ut ad virtutes Chriſtianas hominum animos erudiret, eoſque hujus ſeculi rerum curis diſtractos, ad earum, quæ cœleſtes, quæque divinæ ſunt, cognitionem traduxerit. Hujus generis libros, tamquam mutos magiſtros, ac præclare tamen loquentes, quamplurimos edidit: cujuſmodi ſunt Opuſcula, quæ aut ad vitæ inſtitutionem, aut ad ſpiritualia ſtudia, progreſſioneſque virtutum pertinent: quæ omnia ordine diſtincta, loco ſuo ob oculos ponentur. Sed nunc ſummatim, ut res eſt, vereque dicam iis ipſis verbis, quibus ſanctus Antoninus de illo loquitur. *Intellectus Bonaventuræ perſpicacitatem*, inquit, *omnia Opuſcula ejus redolent iis, qui divinam ſcientiam requirentes, hanc libentius, quam vanitatem Ariſtotelicam venerantur.*

Ant. tit. 24. c. 8.

Spiritus ſanctus locutus in Bonaventura.

Bulla Canonizat. Caſſiod. epiſt. 25. 1. Cor. 2. 10.

XXIII. Verum ſane, quod magni intereſt, cum in eo Spiritus Dei locutus videatur, ut ex Sixti IV. Pontificis litteris perſpicuum eſſe poteſt; doctrinæ adjunxit devotionem: id quod perpaucorum eſt, libros ſcribentium. Eſt enim in eo vita & doctrina, ut de ſancto Ambroſio Caſſiodorus dixit, plane æqualis. Spiritum quidem ſanctum omnia ſcrutari, etiam profunda Dei, Scriptura teſtatur. At Bonaventura Seraphicus, ea quæ Spiritus ſunt, inveſtigavit; ut qui illius libros ſtudioſe legunt, facile animadvertunt. Inter antiquos, qui ſatis illum eo nomine laudant, Joannes Gerſon unus eſt, e quo quædam jam produximus teſtimonia.

Supra num. 19.

Quid præſtiterit in ſacra Scriptura explicanda.

XXIV. Sed ratio id poſcit, ut res omnis diſtincte enarrata, ac dilucide quaſi ob oculos verſetur. Triplex jam ordo dictus eſt in ejus Elucubrationibus inveniri. Sunt primo in novum & vetus Teſtamentum Commentarii, quos expoſitiones, ſancti Gregorii Magni more, dixit. Veteres libros multos expoſuit, ex quibus quidam adhuc latent, & Deo adjuvante, noſtra induſtria brevius prodibunt, præcipue in Cantica Canticorum, & in quædam Capita Ezechielis Prophetæ. Novum autem fere totum, cujus etiam dabimus Commentaria in Apocalypſim. Vix ſcribi poteſt quanta doctrinarum ubertate ſacros codices explicarit. Senſum litteralem in illis interpretandis aliquando amplexus, non ſolum unum, ſed duos, tres, quatuor, pluresve interdum, exemplo ſancti Auguſtini ſibi propoſito, ad eorum tractationem attulit. Quo fit, ut id,

quod

quod in Eccleſiæ Doctore egregio præclarum eſt, ſenſuum ubertate fœcundus & ſit, & habeatur. Senſui enim myſtico adhæſiſſe videtur erudiſſime; cum nullam ferme, ne hiſtoriam quidem, nedum allegoriam, anagogiam, tropologiamque omiſerit, ſi quando locum apte nactus eſt, ubi ad ſanctiores illos ſenſus e cœleſti doctrina, divinaque contemplatione depromptos, digredi potuerit. Id perſpicuum cum ex aliis expoſitionibus eſt, tum vero ex ea, quam in Geneſis partem edidit, & Hexameron nuncupavit. In ceteris, quemadmodum eruditiſsimi Viri profitentur, Doctorem ſe oſtendit, & Seraphicum, & ſapientem, & devotum, & eximium Eccleſiæ Doctorem, maximeque idoneum, qualem Joannes Gerſon agnoſcit, tum ad illuminandas præſtantis doctrinæ ſuæ luce hominum mentes, tum pietatis ardore inflammandos ſalutares animi affectus.

De libro Hexameron.

Gerſon. part. 1 de lib. legen.

XXV. Explanatio in Pſalterium amplius habet, in qua quis aliquid ſtudii ponat. Neque enim illa ſolum plena eſt ſalutaribus myſticis doctrinis; ſed locos habet etiam, quibus hæreticorum opiniones explodunter; & veris documentorum opibus affluit, quibus pii homines, religioſique viri excoluntur, atque inſtituuntur ad legis divinæ præclaras meditationes. Ac præterea, quod maxime ad rectam pſallendi rationem attinet, uſque adeo pſalmis explicandis ſingula animadvertit, ut perpetua ferme utatur interpretatione, unde legentium, aut pſallentium mens incendi queat, non modo ad cogitationem, ſed etiam ad cupiditatem quamdam illius confectandæ virtutis, quam ipſa pſalmorum expoſitione demonſtrat. Neque etiam in eo enarrationis genere aperire prætermittit myſteria rituum, & ceremoniarum, quæ ſæpenumero explicentur neceſſe eſt ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ uſum ac rationem. Qua ex re perſpici etiam licet, illum litterate tenuiſſe ritualem cognitionem; quæ ad virum pertinet religioſum, hominemque ad preces divinas attentiſsimum, ac diligentiſsimum, qualem eum fuiſſe oſtendunt etiam libri de Sacroſanctæ Crucis, ac de Paſsione Domini Officio rite conſcripti, & Rubricæ item Breviario illius induſtria additæ, ut alias dicam, ſtudioſiuſque explicatæ.

De expoſitione in pſalmos.

Perfecte callebat ritus Eccleſiaſticos.

XXVI. In omni utriuſque Teſtamenti commentario myſticos eos ſenſus, ſanctioreſque interpretationes ita accurate ſequutus eſt, ut quas ſingulas huic, aut illi egregio Eccleſiæ Doctori ſapientiſsimi Viri tribuunt, is unus eſt omnes, ſi minus copioſe, ac certe aliqua ex parte breviter ſummatimque complexus. Id planum ipſe fecit reliquis ſuis lucubrationibus, præſertim vero Opuſculis duobus; quorum unum: *Principium Scripturæ*, alterum: *Luminaria Eccleſiæ* ſignificanter inſcripſit. Illo autem, quod jure: *Principium* vocavit, cum ipſius ſacræ Scripturæ, quæ eſt candor vitæ æternæ, præſtantiam declaret, profecto ſe, alioſque inſtruere videtur ad illius tractationem, non verborum copiis, ſed myſticorum ſenſuum ubertate circumfluentem. Atqui ſilentio prætereundum non eſt, quod ejus proprium quodammodo eſſe videtur, crebris, cumulatiſque litterarum ſacrarum ſententiis illum divinos ſenſus contegere, locoſque libri explicare, quem commentario interpretatur. Res in promptu eſt, in omnique illius expoſitione conſtat; neque attinet, cur pluribus demonſtretur, cum præſertim hoc de ſe ipſe ſcribat. *Ego*, inquit, *non aliud affirmare intendo, quod non per ſanctam Scripturam, per dicta Sanctorum, per opiniones approbatas affirmetur*. Id interpretandi genus, cum olim ſancto Bernardo, Bonaventura ſanctus laudi dederit, ni-

Ann. 1263.

In myſticis interpretationibus felix.

Bonavent. lib. de vita Chriſti.

Indidem.

Quam verſatus in ſacra Scriptura.

nimirum etiam idem conſectari ipſe voluit. Illum enim ſacræ Scripturæ uſu peritum putat, propterea quod Bibliorum locis ſe ad omnem expoſitionem inſtituerit. Hoc autem ipſum etiam Seraphicus Doctor egregie *Pſalm. 1. 2.* præſtitit, cum in lege Domini fuerit voluntas ejus, & meditatio die ac nocte. Etenim is toto animo, totiſque in Chriſto viſceribus Scripturam ſacram amplexus, ita fixus in ea inhæſit, ut vetus, & novum Teſtamentum memoria tenuerit; quemadmodum ex ejus tractatibus, aut expoſitionibus animadverti facile poteſt; ſed ex eo etiam, quod de utriuſque conſenſu & concordia præclare ſæpenumero diſſerit. Nam quæcumque de Chriſti Domini Conceptione ex Virgine, ejus ortu, præſentatione in Templo, fuga in Ægyptum, reditu item, de ejus doctrina, miraculis, cœcitate Judæorum, converſione gentium, de ejus Paſſione, acerbiſſima morte, Reſurrectione, Aſcenſione in cœlos, miſſione Spiritus ſancti, & adventu ad judicium, ceteriſque omnibus Fidei Chriſtianæ myſteriis, vel in lege, vel in prophetis, vel in libris ſacris, aut hiſtorialibus, aut ſpiritualibus præſignificata, præfigurataque ſunt, ea plane facta eſſe oſtendit, novi teſtamenti litteris, & auctoritatibus cum veteri conſentientibus.

XXVII. Quam ſtudioſe autem mente, memoriaque comprehenderit ſacros libros, ex illa præclara utriuſque teſtamenti partitione perſpicuum ſit, non in Opuſculo ſolum, quod: *Principium ſacræ Scripturæ* appellavit, ſed & in Centiloquio & Breviloquio. Sacra autem Biblia recte novit utriuſque editionis, nempe Vulgatæ, qua utimur, ac præterea Veteris ex interpretatione LXX. Ambas enim ad locorum expoſitionem affert, ut in Cantico Abacuc, ubi nos legimus: *In medio annorum*; ille *Cap. 3. 2.* ex Veteri: *In medio duorum animalium*: in Proverbiis: *Viam viri in* *Cap. 30. 19.* *adoleſcentula*, ex Veteri item. Et vero ſæpius in libro Sapientiæ; at in Pſalmis quidem certe ſæpiſſime. Sigillatim autem omnia recenſendo perſequi nimis longum eſſet: verum perſpecta jam ſunt, atque iis explorata, qui in ejus generis ſtudio diuturno curriculum confecerunt ſuæ *Nazian. orat. de S. Athan.* doctrinæ, atque induſtriæ. Quare quod de ſancto Athanaſio olim Nazianzenus ſcite ſcriptum reliquit, hoc itidem de ſancto Bonaventura affirmari, Deo benedicente, licet, ut & veteris & novi Teſtamenti libros meditatus ſit diligenter: eaque meditatione perſcrutatus omnia, quæ Dei ſunt, catenam vere auream utriuſque confecerit; & veram, ſolidam, myſticiſque ſenſibus inſtructam interpretationem adhibuerit. Ad quam vita duce, & Theologiæ ſcientia magiſtra cum acceſſerit; eam nimirum obſignavit luculentæ & præſtantis doctrinæ ornamentis.

XXVIII. At vero ad eam omnem, qua ex divinis litteris uſus eſt præclaram expoſitionem, adjunxit etiam aliam, quæ eſt ſecundum doctrinam, nempe antiquorum Patrum. Docuit enim legem Dei, ſalutariaque præcepta, atque adeo divinam ſcripturam eſt interpretatus, non *Frequens in citandis SS. Patribus.* tam ex ſenſu ſuo, quam ex veteribus ipſorum Patrum, in Eccleſia Dei ſanctimonia & eruditione præcellentium, monumentis ac traditionibus. Id autem ipſum ab Eccleſiæ Doctore fieri debere demonſtrat ſanctus Cle- *Epiſt. 4.* mens Pontifex & martyr in epiſtola, quam ad diſcipulos Hieroſolymitanos dederat, hocque itidem documentum ab Apoſtolorum Principe beato Petro ſe accepiſſe teſtatur. Sanctum autem Bonaventuram id ſtudioſe præſtitiſſe, nemini dubium eſſe poteſt, aut certe debet. Eſt expoſitio in caput primum Geneſis, cumulata ſententiis Patrum Latinorum, Auguſtini in primis, Gregorii Magni, & aliorum etiam inferioris ætatis,

tis, utpote Rabani, Radulphi Flaviacenſis, atque id generis bonorum interpretum: & vero Græcorum, Baſilii, Dionyſii Areopagitæ, ac Damaſceni. Atque hoc quidem uſque adeo verum eſt, ut non tantum ſententias, ſed verba illorum conſectetur. A ſancto Hieronymo ſæpenumero prologos ſumit; ut in Commentariis ejus multis perſpicuum eſſe poteſt. Et porro in Pſalterii expoſitione ſæpenumero ſibi adjumento atque uſui eſſe voluit, cum veteres, tum prope æquales, præſertim Richardum, quem a ſancto Victore vocant. Tritam igitur illam quidem atque uſitatam viam ſequutus eſt, in qua inſiſtere majores voluerunt. Sed planius hoc facit liber: *Pharetra*. Quo in libro cum uberrime tractet virtutum officia, & locos Theologiæ communes: explicare ſtuduit omnia de ſenſu ac ſententia Patrum, Gregorii Papæ, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Cypriani, Chryſoſtomi, Iſidori, Anſelmi, Bernardi, Caſſiodori, & aliorum præterea multorum.

Vide ſupra n.5.

Solidiores Doctorũ opiniones ſemper ſecutus.

XXIX. Tertia vero alia, qua ſe uſum eſſe ſcribit, in eo apparet, quod Doctorum opiniones aliquando varie inter ſe diſſentientes, ſequi illas quidem maluerit, quæ & auctoritate & rationibus, & uſu probatiſſimæ viderentur, atque eſſent. Fuit enim eas recenſendo verus ac ſincerus, neque ullo contradicendi ſtudio elatus, dijudicando acutus & perſpicax, redarguendo moderatus atque modeſtus, opinando non arrogans, neque opinioſiſſimus homo: ſed in perſpicientia veri, ſolertiaque præſtans, quæcumque frequentius comprobata vidit, moreque recepta, ac præſtantium virorum firmata conſenſu, ea amplexus, propugnavit ſolertiſſime. Fuit illud præterea fere unius tantum ſancti Bonaventuræ proprium, aut certe haudquaquam commune cum multis, quod præclarum eſt, ac laudabile, Philoſophiam, humanaſque diſciplinas adhibere ad arcem & defenſionem dogmatum fidei Catholicæ.

Philoſophiã veritati propugnãdæ adhibuit.

Quam egregie ſcripſerit in Magiſtrum Sententiarum.

XXX. Sacris igitur libris, Patrum auctoritatibus, & ſententiis receptis, ad pietatis laudem, verique cognitionem illuſtribus uſus, cum expoſitiones conſcripſit, tum Commentarios confecit, quibus libros Magiſtri Sententiarum copioſe explicavit. Hæc eſt altera pars doctrinæ, in qua etiam veſtigia præclara impreſſit excellentis induſtriæ ſuæ: eam ob rem illius Sententiarum commentariis Clemens IV. magnopere delectatus eſt. Sed concurſus, qui ad eum ſententias Magiſtri interpretantem, magnus factus eſt, indicare videtur ſcientiæ præſtantiam. Id interpretationis ſcholaſticæ ſcriptum, & notabile, & devotum eſſe, ſanctus Antoninus dixit. Eſt enim ad omnem ſcientiæ pariter, ac pietatis laudem maxime inſigne: ideo doctrinam Theologicam eximii, & Seraphici Doctoris Bonaventuræ propriam diſcendam cenſuit Joannes Gerſon; qui libro quodam ita aſſeveranter ſcripſit: *Si quæratur a me, quis inter Doctores ceteros plus videatur idoneus? reſpondeo ſine præjudicio, quod Dominus Bonaventura: quoniam in dicendo ſolidus eſt, & ſecurus, pius, & juſtus, & devotus.* Alio præterea loco ſimilia ſcripſit encomia, quæ partim ſupra dedimus, partim hic damus de lectura Bonaventuræ, quo nomine, ſcholaſticam expoſitionem Sententiarum appellat. *Denique lectura ejus grandior*, inquit, *docet ignem cum lumine, nempe pietatis ardorem, & doctrinæ ſplendorem magnum. Quamobrem etſi alii alios ſibi in Theologiæ ſtudio eligendos aliquando cenſuerunt: ego*, inquit Gerſon, *mihi eligo ſanctum Bonaventuram*. At hæc quidem ſententia multis probata eſt.

Clemens IV. delectatus doctrina Bonaventuræ.

Anton. cit.

Ejus doctrina maxime diſcenda.

Gerſ. 1. part. de laudib. Bonaven.

Supra num. 19.

Idem de exam. doctrin.

XXXI. Verum quæ ſequitur, pars tertia, in Opuſculis cernitur,

quæ

De illius Opuſculis.
Supra num. 19.

quæ trecenta ſcripſiſſe ſuperius commemoravimus. Mirabile eſt quam in iis excellat. Alii Itinerarium mentis in Deum, alii Breviloquium, nonnulli Centiloquium, quidam Dietam ſalutis, alii aliud Opuſculum dilaudant: ſed omnia ejus Opuſcula uno ore laudant Viri præclariſſimi. De quibus ita ſummatim Trithemius: *Scripſit Bonaventura multa & profunda & devotiſſima Opuſcula. In iis namque accenſa ejus adhuc in terra viventis caritas, & vehemens pietatis ardor, & doctrinæ lumen ſplendeſcit, & ita ſplendeſcit, vel potius incendit, ut legentem etiam nihil minus cogitantem, quaſi tacitis quibuſdam igniculis inflammet. Divinitus igitur accepta potius, quam laboribus parta ejus ſcientia putatur.*

Hæreticos doctis libris & rationibus profligavit.

XXXII. Ne vero ad egregii Doctoris cumulandam laudem quidquam deeſſet, cum is altiſſimos ſacrorum codicum locos, atque obſcuriſſimos declaraſſet; myſteria aperuiſſet, piamque doctrinam litteris conſignaſſet, quam præcipui Eccleſiæ Doctores divine etiam tradiderunt: importunam etiam hæreticorum audaciam propulſavit, non modo ſcholaſtica Theologia, quæ tantum & ad confringendas hæreſes, & ad fidei Catholicæ dogmata confirmanda valet, ſed etiam libris potiſſimum ſcriptis doctiſſimis. His quidem, tamquam atramenti ſagittis, illos percuſſit, qui longo intervallo abſuerunt: qui vero præſentes manum cum eo conſerere auſi ſunt, ut de Baſilio item Nazianzenus narrat, contumaciam repreſſit linguæ telis: id quod præſertim, prout alias ſcribam, in Synodo Lugdunenſi Œcumenica II. præſtitit ſumma cum laude.

Nazian. orat. de Baſil.

Ann. 1274. n. 5. & ſeq.
1. Tim. 3. 2.
Tit. 1. 7.
De reliq. & vener. Sanct. in 6.
Veri Doctoris in eo munera.
Tit. 1. 9.

XXXIII. At vero, quæ in egregio ac primario Eccleſiæ Doctore ineſſe debent, ea cum ſæpenumero beatus Paulus Apoſtolus in epiſtolis & ad Timotheum, & ad Titum ſcriptis, tum vero in conſtitutione ſingulari Bonifacius Papa VIII. commeminit: illa porro omnia, vel potius ſingula in ſancto Bonaventura elucent maxime. Amplexus eſt is, ex Pauli Apoſtoli ſententia, *ſermonem fidelem*, nempe non inanem, non vacuum, non curioſum. Et ne deſit teſtimonium, de eo Trithemius ſcribit in hæc verba: *Bonaventura Balneo-regienſis vir in divinis litteris eruditiſſimus, profundus eſt, non verboſus, ſubtilis non curioſus, diſertus non vanus.* Sermonem igitur amplexus eſt fidelem, verum ſcilicet, omnique acceptione dignum; nimirum de ſacræ Scripturæ præſtantia, ejus veritate, luce, & intelligentia, de ejuſdem theoriis, figuris, & item myſteriis illius tractantem. Et vero ſermonem amplexus eſt fidelem, quippe qui, ut Græcis Doctoribus placet, de Fide, Spe, & Caritate differit, docetque quid credendum, quid ſperandum, quid agendum, atque operandum. Hac omni doctrina cumulati ſunt ejus libri, utpote Dieta ſalutis, Centiloquium, & reliqua Opuſcula innumera. Eum autem ſermonem, ex ipſius beati Pauli verbis conſectatus eſt ſecundum doctrinam, nempe illum quidem, cum Patrum ſenſibus, ac traditionibus conſentientem.

Ita ſcilicet exponunt quidam ex Græcis.

Tit. 1. 9.
Potens in exhortatione.

XXXIV. Fuit & item is potens exhortari in ſana doctrina. Quam cohortationis vim, ac poteſtatem adhibuit, tum ſermonibus, quos ſane quam multos ad populum de Tempore & Sanctis habuit, tum libris etiam plurimis: cujuſmodi ſunt, Speculum animæ, Stimulus amoris, Speculum diſciplinæ, & reliqui ejus generis. Sunt quoque in eo aliæ res, tamquam in eximio Eccleſiæ Doctore præſtabiles: & in primis illa ſalutarium documentorum copia illuſtris, & virtutum innumerabilium, quibus Eccleſiam decoravit, decor præclarus. Has res duas Bonifacius VIII. in præcipuis illis Eccleſiæ Doctoribus ſummopere commendavit.

Bonif. cit.

XXXV. Ter-

XXXV. Tertiam conditionem præcipuo Doctori Eccleſiæ idem aſcribit, ut facundus ſit. Certe quidem eloquentiæ laudem ſancto Bonaventuræ tribuit Trithemius præclaris his vocibus: *Fuit enim is clarus eloquio, ſubtilis, diſertus, flammantia verba proferens*. Ejus autem facundiam demonſtravit concio in Concilio Lugdunenſi Œcumenico habita, qua Latinorum, Græcorumque animos accendit ad concordiam dogmatum conciliandam. Facundus porro is fuit, non verbis, ſed ſententiis, & multarum rerum comprehenſione; uſque adeo, ut in eo ſingula fere verba, ſingulæque prope ſententiæ, ſingulaque doctrinarum præcepta appareant. Nemo eſt in Thelogicis ſtudiis verſatus ita rudis, atque ignarus, quin intelligat, illum tam brevi quodam ſermone in Luminaribus eſſe complexum totam Dionyſii Areopagitæ Theologiam myſticam. Facundus item fuit expoſitionum ubertate: ſymbolum Apoſtolorum non ſemel, ſed iterum ac iterum expoſuit multiplici, variaque ſententiarum copia.

Facundus in ſermone.

Trith. cit.

XXXVI. Quod vero nonnulli ſunt, qui nullum eloquentiæ florem, nullum dicendi robur, nullumque nervum in eo ineſſe dictitant: ne iſti quidem falluntur. Non enim facundia verbis, ſed ſententiis metienda eſt: & illa quidem negligitur, quæ verborum inanitate effunditur, nulla ſubjecta ſententia: *Eſt quædam eloquentia*, inquit ſanctus Auguſtinus, *quæ puerilem magis ætatem decet*; hæc verborum copia affluens, aſperſaque eſt floſculis: altera eſt ſenilis, aut caneſcens, quæ ſuam habet maturitatem, & quaſi ſenectutem. Hæc omni ſententiarum gravitate, omni virtutum magnarum ſplendore, omnique ſapientiæ lumine enitens, magnam auctoritatem, admirationemque habet: hæc viros ſumma auctoritate digniſſimos, & divinos decet. Ad hanc ipſam Seraphicum Bonaventuram inſtructum eſſe bene norunt, qui non verborum ſimulatam majeſtatem expetunt, non inania conformationum ornamenta conſectantur: ſed maxime ſpectant, quod oratoris eſt proprium, docere, delectare, & movere. Is certe totam pene ſacram Scripturam, ac Theologiam dilucide explicando docuit, docendo quadam ſpiritali ſuavitate delectat; & quod perfecti oratoris eſt, delectando movet atque accendit, ut ſatis dictum eſt, uſuque exploratum ſapientum hominum, ſanctorumque virorum.

Liberatur a quorumdam ſciolorum calumniis.

Auguſt. de doctr. Chr. lib. 4. cap. 6. tom. 1.

XXXVII. Et ſane doctrina hac quis probe inſtructus, poteſt adjutrice divina gratia, in tanta hujus ſeculi caligine lumen ad morum inſtaurationem adhibere, populi Chriſtiani animos ad pie agendum inflammare, & in omnes denique illas ſanctæ religionis partes excitare, in quibus perpetuus eſt Catholicæ Eccleſiæ curſus. Nemo autem fere quiſquam eſt litterarum Eccleſiaſticarum ſtudiis imbutus, qui neſciat efferatos, & inſolentes hæreticos ab impietatis pertinacia nocentes, ac facinoroſos a flagitiis, jacentes, atque deſides ad virtutum officia non eſſe aliquando revocatos atque excitatos vi Seraphicæ doctrinæ: quam maximarum artium cognitione, optimorum exemplorum copia, naturalium rerum ſcientia, & Theologiæ myſteriis refertam tradidit complete Bonaventura.

Ejus doctrina ſalutaris.

XXXVIII. Quoniam vero doctrina actionis expers, rurſuſque actio auxilio deſtituta doctrinæ, eſt utraque quodammodo imperfecta; cum altera alterius opem quaſi flagitare videatur: Bonaventura ſanctus doctrinæ ſubſidio adjunxit præclaras illas actiones, quas Eccleſiæ Dei, & Ordini ſuo Seraphico præſtitit. Boni publici enim cauſa alios adiit,

Peregrinationes ejus.

Nazian. orat. 30. de Baſil.

alios accerſivit; alios admonuit, arguit, objurgavit; pro gentibus, urbibus, pro ſingulis etiam hominibus, peregrinationes, itinera, laboreſque ſuſcepit. Atque hæc quidem ipſa Nazianzenus ſcripta de Baſilio Magno reliquit. Eſt Romam aliquando Pariſiis profectus cum Ordinis Franciſcani diſciplina in paupertatis ſplendore eniteſcens, ad diſcrimen vocaretur: Galliam omnem peregrinatus, Italiam etiam omnem peragravit, cauſa reſtituendæ ubique terrarum Seraphicæ Religionis, tunc ſenſim collabentis. Plurima vero, eaque magna, quæ præſtitit in Eccleſiæ ſanctæ obſequium, ſuis temporibus opportunius narrabimus.

Tom. 3. an. 1243. n. 6.

Mortuum puerum revocat ad vitam.

XXXIX. Atque illæ in Doctoribus impenſius laudandæ actiones, quæ cum humilitate conjunctæ ſunt, quibus probatur non ſcientiam inflantem, ſed ædificantem habere. In his porro probatiſſimum ſe oſtendit Bonaventura nihil omittens, per quod tumorem omnem poſſet reprimere. Omnibus humilitatis officiis, quæ in Monaſterio fiebant, primus aderat, infirmis & egenis mira commiſeratione miniſtrabat, uti diximus alias opportunius. Hæc autem ejus obſequia, quam probata habuit Dominus, oſtendit magno miraculo; nam cum Symona quædam Lugdunenſis (quæ religioſo Bonaventuram proſequebatur amore, quamque ille ſæpius languentem inviſerat) mortuum filium peperiſſet, atque ille evocatus acceſſiſſet, expoſito ad pedes cadavere, genitrix coram in lecto ingemiſceus, & circumſtantes mulieres, ſancti Viri opem in mortui reſurrectionem intenſius rogaverunt. Vir ſanctus pio collacrymantibus miſeratus affectu, manibus atque oculis in cœlum erectis, devotiſſime oravit; moxque ſigno crucis ſuper puerum facto viventem reddidit matri. Sæpius de ſancto Vito annis ſubſequentibus occurret memoria.

Fit translatio corporis S. Claræ.

An. 1230. tom. 2. num. 2.

XL. Completa expenſis Pontificiis ſtructura duplicis Eccleſiæ intra muros urbis Aſſiſiatis ad ædem ſancti Georgii interioris pro Monialibus, exterioris pro collocando ſanctiſſimæ Virginis Claræ corpore, translatus eſt ſumma auctoritate pretioſiſſimus theſaurus a Templo ſancti Damiani, in quo annis quinque jacuerat, ad novum Templum ejus nomini dicatum, præſentibus Epiſcopis Peruſino, Spoletano, & Aſſiſiate, quibus præcepit Pontifex, ut omnino intereſſent. Sequutæ ſunt Magiſtram diſcipulæ commutantes antiquum & anguſtum recluſorium novo, amplo, capaci Parthenone, quem primum inchoaſſe Gregorium IX. ſcripſimus ſuperius. Non immerito conceſſus eis locus, in quo Inſtitutor alias jacuit, & Magiſtræ deponebantur exuviæ. Facta hæc translatio magna cum ſolemnitate in Vigilia ejuſdem ſancti Inſtitutoris, ſed propter ſolemnitatem feſti ſancti Franciſci celebratur 11. die menſis Octobris.

Obloquitur quidam Claræ ſanctitati, ſed non impune.

XLI. Etſi vero tam ſolemniter a tribus Epiſcopis fuerit ſancta Virgo translata, & paulo ante magno omnium applauſu canonizata, non defuit, qui glorioſe in cœlis triumphanti detraheret, & nequaquam illie eſſe, temere contenderet, ſed & perículoſius adjungeret, Pontificem in eadem canonizanda omnino deſipuiſſe. Temeraria hominis aſſerta, ut Pontifex accepit, ſcripſit ſtatim ejus Prælato, ut prius ad palinodiam cantandam illum conſtringeret, deinde ad ſe ipſum in curiam remitteret. Litteras ipſas ſubjungo.

Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum in Alemannia,

Firmam. 3. Ord. tract. 1. fol. 19.

PRofundi doloris aculeo pungimur, quando perſonas illas de gravi culpa notabiles intuemur, quæ ſe divino cultui perennis obtentu gloriæ ſub regulari habitu videntur perpetuo aſtrinxiſſe. Sane mirantes audivimus, & re-

& referimus conturbati, quod quidam Frater tui Ordinis apud Viennam in Alemannia proponens verbum Dei contra beatam Claram, poſtquam divinæ pietati complacuit, quod ipſam pro ſuorum excellentia meritorum diverſis miraculis illuſtratam Sedes Apoſtolica ſolemni deliberatione præmiſſa, Catalogo Sanctorum aſcripſit: in obſequia prophana prorumpens, pollutis labiis præſumpſit exprimere, quod eadem ſancta Clara, cujus felix anima in conſpectu fulget Altiſſimi, Sanctorum non erat aggregata Collegio: & quod præfatæ Sedis judicium in aſcriptione prædicta erroneum extitiſſet. Quia vero taliter ipſius Fratris puniri debet inſania: quod & ipſe ſuæ præſumptionis exceſſum deploret corde humili, & aliis tollatur audacia ſimilia faciendi: diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus inquiras ſuper hoc diligenter ac ſollicite veritatem: & ſi rem inveneris ita eſſe, dictum Fratrem, quod in publica prædicatione ſua maledictum hujuſmodi ſine omni difficultate, ſeu dilatione retractet, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas: cumque nihilominus auctoritate noſtra peremptorie citari procures: ut infra terminum competentem, quem ſibi duxeris præfigendum, perſonaliter compareat coram nobis, pro meritis recepturus. Quidquid autem inde feceris, & diem citationis, & formam nobis per tuas litteras harum ſeriem continentes exponere fideliter non omittas. Datum III. *Non. Junii, Pontificatus noſtri anno* VI.

XLII. Obiit hoc anno beatus Gandulphus de Benaſco Mediolanenſis in oppido Politii Provinciæ Siciliæ in die Sabbati ſancti ad Hoſpitale ſancti Nicolai, dum ibi ſacras conciones haberet ad populum, neque in illo loco habitaculum adhuc eſſet Minorum. Quare corpus ejus delatum fuit ad Eccleſiam cathedralem, in qua præcipua colitur veneratione; ibi ſervantur diligenter ejus acta per Jacobum Epiſcopum Cephaludenſem in dialogi modum conſcripta anno MCCCXX. Indictione III. eo tempore quo ad auguſtiorem locum translatæ ſunt ejus reliquiæ. Actorum tranſumptum accepimus a Domino Conſtantino Caetano Siculo, Abbate Benedictino, noſtro amico, ex quibus hic damus potiora. Adoleſcens mundi inquinationem fugiens, opportune ſancti Franciſci Inſtitutum amplexus in Sicilia, brevi tanti magiſtri diſcipulus perfectus evaſit, & longe lateque inditarum virtutum mira fama pervaſit. Ab ipſo tirocinio cœpit ejus vita omnibus probari, quam totam impendebat Dei, & proximorum obſequiis. Aſſiduus in concione vehementer vitia carpebat, virtutes commendabat, afflictos opere & ſermone juvabat, pios in bonis operibus confirmabat. Mundi curis & oblectamentis ita perfecte renunciavit, ut ab ingreſſu nihil uſquam cogitarit præter cœleſtia. Vir magnæ abſtinentiæ & aſſiduæ pœnitentiæ, ſecunda, quarta, & ſexta feriis qualibet hebdomada jejunabat, præter jejunium Adventus, a die omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini, & Eccleſiaſticæ quadrageſimæ aliud adhibebat ab Epiphania per continuos quadraginta dies, quos Dominus ſancto ſuo jejunio conſecravit, & ſanctus Franciſcus jejunandos in Regula commendavit. In bis jejunii diebus ſemel in die modico pane victitabat & aqua, una tantum vili contectus tunica præter cilicium, quod nudam geſtabat ad carnem. Totam noctem ducebat inſomnem in contemplatione divina, cujus dulcedine ſæpius rapiebatur extra ſe totus immerſus cœleſtibus. Crebris in ſuum corpus animadvertebat flagellis, otium fugiebat malorum omnium ſeminarium, in bonis ope-

Moritur B. Gandulphus.

Acta ſcripſit Jacobus epiſ. Cephaluden.

Ejus virtutes.

Rodulph. fol. 101.

operibus perpetuo erat intentus, ut malignus Spiritus, hoſtis humani generis perpetuus, eum ſemper occupatum inveniret. Caſtitatis fuit perquam ſtudioſus, obedientiæ ſanctæ conſtanter & integre addictus, paupertate & humilitate facile omnes ſuperabat. Doctrinam Eccleſiaſticam moribus ornatiſſimis illuſtrabat, divina quoque perfuſus ſapientia intrinſecus, ſemper cœleſtibus fruebatur delectationibus.

Gloriam fugiturus inanem ſeceſſit in ſolitudinem.

XLIII. Summum ſui contemptum anxie concupierat, nec quidquam ei moleſtius erat, quam laudari. Audiens itaque aliquoties Fratres inter ſe confabulantes de ſuis virtutibus, ei valde diſplicuit tam præclaram de ſe conceptam fuiſſe opinionem. Hanc obſcurari deſiderans, cogitavit eo fugere, ubi tamquam ignotus deſpiceretur, & ſuavem hanc peſtem humanæ gloriolæ poſſet evadere. Panormi commorans ſæpius audivit in Petraliæ Alpibus montes eſſe aſperrimos, ab hominum incolatu ſegregatos, in quibus decrevit vitam degere ſolitariam. Quare aſſumens in ſocium fratrem Paſchalem, ſibi per omnia obſequentiſſimum, eremi etiam amicum, elongavit fugiens, manere cupiens in ſolitudine. *Pſal. 54. 8.* In itinere laſſi pervenerunt Politium, oppidum Siciliæ nobile, frugiferum, opulentum, populo frequens, ſed aſcenſus prominentioris, & frigoris intenſi, a Petraliæ montium Alpibus ſexto diſtans milliario. Recepti hic hoſpitio a quadam fœmina Piſana nomine, ejus caritatem, quam in Chriſti pauperes quoſcumque ſolebat exercere, per multa experti ſunt argumenta. Dum per aliquot ibi ſubſiſtunt dies, rogatur Gandulphus a præcipuis oppidanis, ut illa quadrageſima Dei verbum proponeret, quorum importunis precibus tamdem acquievit, communem utilitatem ſuæ anteferens quieti.

Socio graviter laboranti mirabiliter ſuccurrit.

XLIV. Dum vero prædicat, gravi oppreſſus ſocius infirmitate, ad ultimas vitæ metas pervenit. Quinque diebus miſere laborans in anguſtiis, loquela deſtitutus, aliquando beatum Gandulphum defixo intuitu conſpiciebat, aliquando ſignis veluti ad miſericordiam provocabat. Jam ferme animam agebat in ſummis anguſtiis, quando ei viſceroſius compatiens Vir ſanctus, in oratione procumbens, quæ illæ anguſtiæ ſocii? quid ſibi per ſigna ſignificari voluit? a Deo humiliter inquirit. Statim ab oratione conſurgens redit ad ſocium, continuo ſic eumdem alloquutus: *Adjuro te per Jeſum Chriſtum, ut ſi reatum aliquem habeas, nondum per pœnitentiam deletum, propter quem antiquus hoſtis ita te miſerabiliter cruciat, mihi tamquam ſacerdoti reveles, ut Dominus (qui ne pereas in æternum, indulgentiſſime te expectat, & per anguſtias has monet) tui miſereatur.* Ut dixit, ſtatim Frater moribundus loquela & viribus reſtitutis reſpondit: *Gratias Deo, & tibi Patri, qui me tuis precibus a gehennæ incendio, & præſentibus liberaſti torturis. Incuria magna quædam peccata in confeſſione præterii, propter quæ traditus eram diabolo torquendus præſenti ſupplicio, & niſi tu hac arte præriperes, ſempiterno.* Rite confeſſus & abſolutus, placide abſque ullis dolorum aculeis dulciter obdormivit in Domino.

Alteri ſocio impio prædicit extremum exitium

XLV. Hoc ſublato comite, alium ſubſtituit, vocatum Rogerium, ſed ſibi valde diſſimilem, moribus contrarium, oculis vagum, aſpectu in mulieres proclivem, verbis incautum, & ludicrum, in ceteris minus modeſtum. Ægre ferebat hos mores Vir ſanctus in ſocio, monuitque ſæpius, ut in meliores mutarentur. Incorrigibili facto minas adjecit, prædicens ita facientem parum ab obitu ſuo male moriturum. Ita evenit, ut dixit; etenim poſt Viri ſancti mortem, habitu exuto, tot Meſſanæ

næ perpetravit iniquitates, ut laqueo vitam cum opprobrio finierit. Mira hominum ſors, & rerum viciſſitudo, ſed & inſcrutabilia, attamen juſta Dei judicia; ut e duobus ſociis unius ejuſdemqne pii viri, unus reſipuerit, alter in ſua iniquitate deceſſerit, unus cœlum ſcanderit, alter in æternum perierit: ita ut ad litteram in illis completum ſit illud Evangelicum: *Duo erunt in agro, unus aſſumetur, alter relinquetur.* *Luc. 17. 35.*

XLVI. Cum in eadem Quadregeſima ibidem prædicaret, multo garritu feria 4. majoris hebdomadæ hirundines, circumſtantes ab auditu verbi Dei impediebant. Videns ille commotum populum, neque verbum ſanctum fructum referre potuiſſe, præcepit hirundinibus, ad exemplum ſui Inſtitutoris Franciſci, ut omnino tacerent, dum prædicaret. Obſequutæ ſunt ex tempore volucres, nec cantum reaſſumpſerunt, niſi poſt completum ſermonem, facta ſibi garriendi licentia, per quem juſſæ erant ſilere.

Hirundinibus imperat ſilentium.

Tom. 1. an. 1212. n. 12.

Et obediunt.

XLVII. In hac ipſa concione adſtantibus prædixit ultimum hunc fore ſermonem, & confeſtim rediens ad hoſpitium, corporis cœpit infirmitate gravari, per quam ſtatim intellexit ſe ab ergaſtulo hujus corporis evocandum. Itaque tamquam athleta fortis, cœleſtibus ſe protexit armis, oratione, & meditatione aſſidua gloriæ ſupernorum. Cœpit repente viribus corporis deſtitui; quare junctis & erectis manibus humiliter rogavit, ut ſibi liceret cœptum prædicationis quadrageſimalis terminare laborem, ut majus inde reportaret lucrum animarum, quod ſi hoc non expediret, ſaltim tempus deflendi peccata (quæ tamen nulla poſt hoc vitæ genus aſſumptum commiſiſſe, neque gratiam in initiatione acceptam, per ullum reatum perdidiſſe acta teſtantur) Deus concedere dignaretur. Cruce demum in die Paraſceves manibus aſſumpta, adeo amare Chriſti Paſſionem cœpit deflere; ac ſi coram Chriſtum in Cruce poſitum corporaliter haberet. Oſculis etiam vitali ligno creberrimis infixis, ſæpius repetebat illa verba: Ave Crux Chriſti, in qua meus Chriſtus pependit, atque inenarrabili fletu, gemitu & ejulatu Chriſti dolores recenſebat. Demum Sabbato ſancto hilari vultu tranſitum prædicens, obdormivit in Domino, in cujus obitu campanæ totius Oppidi nullo trahente ſonuerunt. Mortuus cœpit ſuaviſſimum ex univerſo corpore odorem emittere, qni miro augmento creſcens univerſam domnm replevit, duravitque per integram quindennam. Ad ſanctum funus univerſus Clerus & populus accurrit, ſacrum corpus ad matricem Eccleſiam magna ſolemnitate portavit, & loco humili, quem Vir ſanctus vivens elegerat, ſepelivit.

Prædicit ſuum finem inſtare.

Chriſtiane ſe parat ad mortem.

XLVIII. Miraculis ſtatim cœpit plurimis clarere, e quibus aliqua hic recenſere licebit. Philippus Tarratana Politianus, a nativitate duas habens linguas, omnino mutus effectus, videns multos ad ſancti Viri ſepulcrum confluere, atque audiens cereos ſæpius ſuper illud, ſine humana induſtria divinitus accenſos, magna fide & devotione in Dei Servum concepta, ſe illius meritis ſerius commendavit. Non diu hæſit, quando repente cœpit alta voce Dei nomen invocare, & beati Gandulphi laudes celebrare. Scarletam de Politio ab ulcere peſſimo in naſo exorto liberavit. Andream de Ferſio longo tempore febribus exeſtuantem priſtinæ reddidit ſaluti. Alexandriam de Ferraria incolam Petraliæ ſuperioris, annis quindecim ſanguinis fluxu laborantem ſanavit. Petrum Politianum a nervorum contractione, & humorum defluxu, quem per decennium patiebatur, ſanum reddidit. Flaminga Politiana cnm poſt ve-

Ejus miracula.

Muto reſtituit loquelam.

Alios a variis languoribus curat.

veſperas in die Sabbati laboraret, lanificum quoddam texendo, ſubito lumen perdidit oculorum, beato Gandulpho ſe commendans exaudita eſt, apparente ſibi Viro ſancto, & monente ne in poſterum poſt veſperas dierum feſtorum ſervili cuipiam operi intenderet: Ita vovit, fecit, vidit. Tres herniacos curavit; mulierem graviſſime in puerperio, tranſverſo in utero filio, per multos dies laborantem, a periculo liberavit; duas a dolore mammillarum, a dolore iliaco alterum ſanavit; dentes alteri reſtituit, alium uno latere mortuum, vegetum fecit; ab altero ſcapularum dolorem abegit; ſtrumoſam mundavit, claudum erexit, injuſte per judicem condemnatum, ſuo juri reſtituit. Alia multa patravit miracula, quæ Politii manu publici Notarii authenticata ſunt; quatuor dum vixit operatus eſt, poſt mortem viginti tria; poſt translationem bis centum triginta duo.

Qualiter facta ejus translatio.
Supra n. 42.

XLIX. Hanc vero ita fieri contigit; Jacobus Cephaludenſis Epiſcopus, quem ſuperius diximus ejus vitam ſcripſiſſe, cum ſingulis annis ex officio viſitaret ſuam diœceſim,& Politium, ſibi etiam ſubjectum, veniret quotannis: rogabatur a Clero & populo, ut ſancti Viri, quotidie miraculis coruſcantis, corpus e terra levaretur, & decenti locaretur ſepulcro. Semper ſe præbuit difficilem, nolens levitatis incuſari; quippe qui venerandum vellet hominem, cujus ſanctitas non erat comperta. Attamen voluit Deus, ut quem ipſe gloria & honore coronaverat in cœlis, homines venerarentur in terris; quare immiſſa viſione, Epiſcopo & clero ſibi placere indicavit, ut digne coleretur nobiliori ſepulcro. Non amplius reſiſtendum cenſuit bonus Præſul, ſed examinanda prodigia, quæ in tabulas redigebantur. Comperta eorumdem veritate, & mira virtute conſenſit, ut corpus effoderetur. Admotæ operi manus, ſed dubitatum eſt de loco certo ſepulcri, donec advenit januis clauſis mulier quædam incognita, & minime vocata, quæ abſque hæſitatione dixit, ubi Vir Dei jaceret. Foſſores abſque ullo labore pretioſum detexerunt theſaurum, terra ipſa, ſub qua corpus latebat, veluti libenter ſuum reddente depoſitum, & odoriferos repente producente floſculos gelſominos; cujus rei memoria in tabella ad latus ſepulcri adhuc ſervatur. Monitus Præſul adſuit, & loto corpore, inventum eſt integrum abſque ulla offenſione; quantumvis ante annos ſexaginta fuerit ſepultum. Munda ſindone poſitum eſt illa nocte per manus presbyterorum ſub altari majori, politum, & terſum a quibuſcumque terræ inquinamentis, cui ſacras excubias obſervarunt, & ſonoros cantus alternis choris plures hirundines ad noctis medium ediderunt. Neque id adeo mirum, quod mortui corpus honorarent, cujus vivæ voci obedierunt.

Hirundines ejus funus cohonestant.

Excitatus Præſul (qui etiam ad ſancti Viri corpus orabat) volucrum concentu, quaſi erubeſcens, ſe in Sanctorum cultu ab irrationabilibus creaturis ſuperari, ſtatim cum toto Clero hymnum: *Te Deum laudamus* cantari curavit. Multis cœpit ſtatim coruſcare miraculis, & per utramque Siciliam ejus fama latius diffundi, venientibus undique infirmis, & miſeris, ad ejus ſepulcrum pro malorum remedio. Id ſibi tamquam depoſitum, ſeu expoſitum inveniebant, redeuntibus cunctis ſanis cum gaudio & lætitia, Deum glorificantibus in Sancto ſuo, qui talem dedit virtutem ſuorum Servorum reliquiis. Facta eſt hæc translatio anno MCCCXX. in ſabbato Pentecoſtes, ſed celebratur ibidem II. feria poſt Pentecoſten, dies vero natalitius Dominica III. menſis Septembris, ut commodius, & ſolemnius poſſit celebrari. Tantam ejus haberi Politii ve-

venerationem teſtatur Petrus Rodulphus, ut cum ipſe anno MDLXXXIV. cuperet ſanctum ejus corpus conſpicere (quod ſub tribus clavibus, quarum unam habuit Guardianus, aſſervatur) mirum fuerit videre confluentem turbam hominum, & mulierum, cum primum id reſciviſſent, qui ad aſpectum tam magni theſauri, tundendant pectora, Sanctum invocantes, cujus meritis incolæ multa commoda reportant. Propter devotionem hujus ſancti Viri extructus poſtea Politii Conventus Fratrum, cujus fundatores & tempus ſuo loco dabimus opportunius. Rodul. cit.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ L. Miſit mihi nuper Senatus Politianus librum auctoritate de-
„ legata Sedis Apoſtolicæ compactum per Epiſcopum Cephaluden-
„ ſem fratrem Stephanum Munyera, de ſanctitate, miraculis, & vene-
„ ratione hujus beati Viri, in quo omnia per modum proceſſus congeſta
„ ſunt, quæ ad ejus famam poſthumam quoquomodo ſpectare viden-
„ tur. Diligenter deſcribitur Sacellum bipartitum, in quo ejus corpus
„ honorifice requieſcit, referuntur ornatus, donaria, & tabulæ miracu-
„ lorum, quorum peculiaris, & diſtincta habetur memoria. Adjicitur vita
„ & hiſtoria translationis a Jacobo Narnienſi Epiſcopo Cephaludenſi de-
„ ſcripta, quam nos ad compendium reduximus. Subduntur undecim
„ miracula ante corporis inventionem facta; deinde ducenta quinqua-
„ ginta duo ab invento corpore uſque ad annum MCCCXXII. inter quæ
„ præter aliqua peculiaria, & præclara prodigia, per ſuas claſſes relatis,
„ & nominatis ipſis perſonis, referuntur duo a vexatione dæmonum
„ liberati, duodecim ſurdi, cæci vigintinovem, muti tres, variis lan-
„ guoribus oppreſſi quatuor, ſcrophulis laborantes quinque, brachiis
„ ſaucii viginti octo, renes & latera dolentes quinque; ventris & ſan-
„ guinis profluvio ægrotantes tres, herniam & calculos patientes octo-
„ ginta duo; crurum & pedum infirmitate detenti ſexdecim; paralytici
„ decem, hydropici octo, nervis attracti octo; fiſtula, rheumate, aliiſ-
„ que malis affecti vigintitres, ſancti Viri precibus integræ ſanitati re-
„ ſtituti. Poſt hæc ſubjungitur examen miraculorum hoc poſteriori tem-
„ pore editorum; primum expenduntur patrata in ipſa civitate Politii,
„ cujus eſt patronus; deinde ea quæ in civitate Caſtelli Veterani; tertio
„ quæ in oppido Calata-vulturii; quarto, quæ ſecundo in ſupradicta
„ civitate Politii Deus per interceſſionem hujus ſui famuli operari di-
„ gnatus eſt. Sequitur demum officium proprium ejuſdem Gandulphi,
„ quod in ejus feſtivitate recitabatur in Eccleſia Cathedrali; & comme-
„ moratio, qua memoriam ejus notis muſicis quotidie celebrare ſole-
„ bant; eam hic exſcribo.

ANTIPHONA.

„ *O decus Siciliæ, ſalutis noſtræ ſpes, lilium convallium, Tu flos Naza-*
„ *reni, Pater Gandulphe, comprime robur Jebuſæi, vota tuorum ſuſcipe*
„ *clementer Serve Dei, confer poſt exilium annum Jubilæi: ſit jam noſtrum*
„ *præmium Regnum magnum Dei. Alleluja, Alleluja.*

„ ANTIPHON. *Nudus contempſit omnia; Religioni ſubditus, ſub cujus*
„ *diligentia innocens jam alitur. Ora pro nobis &c.*

ORATIO.

„ *Deus, qui beatum Gandulphum, glorioſum Confeſſorem tuum, virum*
„ *mirabilem nobis præſtitiſti; tribue quæſumus, ut quem miraculis innu-*
„ *meris coruſcare feciſti, ejus meritis & interceſſione a præſenti mereamur*
„ *liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum &c.*

„ LI. Poſtremo loco habentur depoſitiones teſtium examinatorum in urbe

„ urbe Cephaludenſi circa miracula, & ſolemnem cultum ei exhiberi „ ſolitum in diebus tranſitus, & translationis, præſertim in civitate Politii, ubi requieſcit. Omnes teſtificantur utrumque diem ſolemniter „ celebrari, concurrentibus nobilibus, & clero Civitatis ad feſtum magno apparatu, accenſis noctu per urbem facibus, & candelis, generali „ etiam die ſequenti civium inſtituto equitatu. Decretum eſt ab Epiſcopo tam auctoritate ſua ordinaria, quam delegata a ſancta Sede Apoſtolica, quod deinceps circa venerationem prædictam, & cultum publicum, celebrationem Miſſarum, & feſtivitatum die XVII. Septembris, & in feſto Pentecoſtes, aliiſque diebus ſolitis, ferventur ea, „ quæ hactenus ſervata fuerunt ex immemorabili conſuetudine.

B. Raynerius Bononiæ inſignis.

„ LII. Invenio hoc anno memoriam cujuſdam fratris Raynerii Minoritæ, miraculorum copia illuſtris, inſcripto ejus nomine ſuper altare Templi, & oſtium præcipuum Xenodochii beatæ Mariæ Bononienſis, quod a *Vita* nuncupatur. Quis & qualis fuerit non comperio. „ Tres vel quatuor enumerantur hujus temporis Raynerii, unus Aretinus, alter Senenſis, tertius de Marianis, quartus Fabrianenſis; de quibus nos diſtinctis annis tractavimus. A quarto diſcrepat, qui non in „ Hetruria, uti de hoc narrant inſcripta carmina jam referenda, ſed in „ patria ſepultus eſt. Ab aliis videtur diſcordare in tempore, nam ſecunda inſcriptio videtur ſupponere, eum obiiſſe ante annum MCCLX. Hi „ vero etiam poſt annum MCCLXXVI. vivebant. Circa annum MCCC. „ Illuſtris fuit apud Bononienſes Raynerius de Samaritanis, cujus opera uſus eſt Bonifacius VIII. in populis pacificandis; eumque ipſi Bononienſes ad eumdem Pontificem Nuntium deſtinarunt, quod nos „ alias narrabimus. Utramque hic damus inſcriptionem. In altari habetur ejus vera effigies, ſubjectis his carminibus:

„ *Qualem incorruptum nobis Hetruria ſervat*,
„ *Raynerum Patrem picta tabella docet*.

„ Super portam præcipuam Templi.

„ *Vitam dat nobis Crux tua Chriſte Jeſu*.

„ *Devotorum Societas prima in Civitate Bononiæ, auctore beato Raynerio, tunc Eremita, mox Ordinis Minorum, Xenodochium iſtud inſtituit, exingenti in infirmos pietate, & auctoris miraculorum copia, vitæ præclarum nomen accepit. Anno Domini* MCCLX.

Moritur primogenitus S. Ludovici.

LIII. Perdidit hoc anno ſanctus Ludovicus Galliarum Rex Ludovicum primogenitum ſui Regni hæredem, & ſanctitatis imitatorem. Dolentem ad tanti pignoris jacturam Pontifex conſolatus eſt, ſcripta hac graviſſima Epiſtola, vere digna, quæ omnium oculis objiciatur. Eſt quod mirer, Paulum Æmylium alias accuratiſſimum rerum Gallicarum ſcriptorem, in recenſu filiorum ſancti Ludovici nullam hujus Ludovici primogeniti mentionem feciſſe. Fecerunt tamen Joan. Hocſemius de Epiſcopis Leodienſibus lib. 1. cap. 6. Robertus Guaguinus lib. 7. licet ſecundo genitum ex errore videatur conſtituere, & alii, præter hos, graves Auctores.

Regi Francorum Illuſtri.

Reg. Vatic. ep. 26. Eum conſolatur Pontifex.

Vox horroris & mœroris, vox gemitus & lamenti ſenſibus noſtris inſonuit, quæ interiora cordis noſtri, quaſi quodam diri vulneris telo tranſverberans in capite univerſalis Eccleſiæ, de triſti obitu claræ memoriæ Lu-

Ludovici primogeniti tui, fontem aperuit lacrymarum, noſque ac Fratres noſtros attonitos reddidit intentiſſima conſideratione jacturæ, quam ex hoc eadem Eccleſia, & domus tua, caritatis Apoſtolicæ probatiſſima filia communiter ſuſtulerunt. Inter mundi ſiquidem procellas, quæ aſſiduis adverſus eamdem Eccleſiam malignorum ſpirituum flatibus intumeſcunt, ipſa ſpecialiter in Regni tui proſperitate reſpirans, ſpem ſingularis præſidii ſibi in fidei ejus inviolabili firmitate diſpoſiti in illum, quem genituræ ſeries, & (Quanta ſpes erat de mortuo adoleſcente.) *rerum ordo jam certum præmonſtrabat, Regni ejuſdem hæreditarium ſucceſſorem, pari confidentia prorogaret. Nimirum de ipſo publica tenebat opinio jugibus gratioſæ indolis proficiens incrementis, quod ſi decreta fatalia ſperatæ ſubſtitutionis ordinem non turbaſſent, idem paternæ diſciplinæ ſalutaribus eruditionibus inſtitutus, ſuis temporibus te nomine ac moribus reddidiſſet. Et quia velut germen odoris fructus honoris & gratiæ, jam erumpentibus laudabilium ſtudiorum floribus, producebat, unde ſperabatur poſt te inſtar tui, religionis, & fidei Chriſtianæ virtutis brachium, fulcimentum domus, ſtabilimentum & gloria gentis ſuæ, quo ubere fonte lacrymarum Regnum tuum flere ſufficiat, ſe pignus tantæ fiduciæ, qua ætatis futuræ tempora intrepide proſpicere poterat, perdidiſſe. Auget autem dolori noſtro formidinem, qua veremur ne forte mœroris exceſſus animo tuo de tam amara carnis inciſione cariſſimæ dominetur, & ne ſi durum tibi divinæ voluntatis arbitrium impatienter accipias, Deum, quod abſit, offendas, lædaſque teipſum, & ponas in gloria ſpei tuæ ſcandalum, quæ cum infidelibus, quos reſurrectionis futuræ nunc expectatio beata non recreat, contriſtari de dormientibus in Chriſto non patitur Chriſtianos.* (Theſ. 4. 12.) *Minuit autem hujus formidinis noſtræ pavorem, quod exercitatum habeas animum ad patientiam in rebus aſperis, & adverſis; omnem fortunam ſuperare, ferendo invicto pectore didiciſti, & confidimus, quod hunc doloris acceſſum imperturbatus, quamvis turbatus, exceperis, quem alias irruentes intolerabilium fere caſuum impetus non fregerunt. Ad nihilum quippe valet, niſi ad ſubverſionem ſalutis, & vitæ in memoria mortuorum oſſa carnis immoderata ſpiritus exſiccare triſtitia; dolores animi non tam lenire, quam etiam exaggerare mœroribus, & ad cruciatus exitialis augmentum vulnus concidere ſuper vulnus, quoniam nemo per lamentationes, & luctus revocari poterit a defunctis. Inter hæc autem poteſt propinatum tibi a Deo amaritudinis poculum temperare, quod vix tibi debebat cum multiplicatione ſobolis vita produci, quin de alicujus eorum obitu, quorum ortus lætanter fortaſſis acceperas, aliquando triſtareris: cum raro cuiquam in filiis felicitas fœcundæ generationis obvenerit, qui aliqua natorum ſuorum funera meruerit non videre. Ergo ſi, prout admonet inevitabilis mortalium ſortis ambigua certitudo, eumdem tuam ſecundum carnem, noſtrum vero ſecundum ſpiritum, filium habuimus, tamquam aliquando amiſſuri; conſequens eſt, ut poſtquam humanitatem noſtram dolendus de ipſo turbavit eventus, deſinamus moleſte ferre, quod ex neceſſitate futurum indicta naturæ mortali conditio promittebat. Gemitibus itaque ac ſingultibus imperantes dijudicemus conſulta ratione prudenter, quid ſit, quo ſuper eum quem tibi Dominus dedit, & abſtulit, vendicare tibi lucrum legitime debeas, aut querelam, præter momentaneum quoddam ſeparationis incommodum, quod illum aſſumpſit ſuperna vocatio, te reliquit. An lugendus eſt tibi, quæſumus, filius, quia communis mortalitatis legem excepit, a qua divinæ poteſtatis auctoritas humanæ ſalutis auctorem, hominis filium, Deum & hominem non exemit? An quia flebile miſerabilis vitæ hujus cito evaſit exilium, & in deſertum patriæ melioris, juxta*

ſpei noſtræ confidentiam evolavit? An quia priuſquam provectiorum ætatum experiretur ærumnas, & antequam malitia in eo perverteret intellectum, Sap. 4. 11. aut animam ipſius figmenta deciperent vanitatum, raptus eſt de iniquitatum medio, & miſerante Deo, in viventium faſciculo collocatus? An quia pueritiæ ſuæ læta & innocenti, ut creditur, ſorte perfunctus, priuſquam illum mortalis vitæ protractio robuſtioris adoleſcentiæ inficeret laxibus, aut ambitu juventutis afficeret, aut conficeret defectibus torpidæ ſenectutis, meruit quaſi adhuc primævum & tenerum germen de cedro regiæ ſublimitatis abIſa. 37. 24. ſcindi, incorruptibiliter radicandus in deſiderabili ſuſpirii noſtri terra, & eorum, qui agnum Dei mundis greſſibus proſequuntur, felciſſimis cœtibus inſerendus? Hinc enim ex eo proculdubio ſpem de ipſo complectimur, quod præoccupavit, atgaudenter accepimus, in confeſſione humili, & ſacramentorum fidei perceptione devotæ, facie indicans, quod in morte mortis ſtimulo ſuperato, in cœleſtium potentiarum atria, poſt caput fidelium Chriſtum per fidei meritum, nondum cognitis mundi negotiationibus introivit. Cum igitur ſupervacaneum videri debeat, & indignum gemitibus proſequi, quem ad gaudia tranſiſſe credimus angelorum, qui diruptis captivitatis corporeæ nexibus in libertatem ſpirituum exilivit: quæſumus cariſſime fili, & in debito caritatis exigimus, ac mandamus, ut mœroris nube depulſa, ſi qua forſan adhuc exinde vultum Regiæ Serenitatis obnubilat, proveniens ex præmiſſis, & in ævum manſuræ lætitiæ claritas te circumdet, ita quod hoc proveniat in conſolationis quoque noſtræ profectum, ut qui fletum tuum venerint illacrymando diluere, potius inveniant unde conſolationis debeant referre ſolatium, quam afferre. Sic nempe viros decet, quibus debet robur firmitatis ineſſe, ne adverſitatum congreſſibus impetiti, mollitie fœminea ſublabantur. Sic ergo decet amicos, qui ſublatos e medio fideliter dilexerunt, [illegible] diverſitate diſtincti, qui amicos interdum miſerius deflent, quos [illegible]

Plorandi mortui cum moderamine.

tius habuerunt; & amare quemquam niſi perditum neſcientes, tunc demum adhibent ſera ſuæ affectionis indicia, ut dubium an viventem amaverint, non relinquant. Etenim, quia indecens mœroris remedium eſt laſſitudo mœrendi, licet a conſtitutione civili annus detur fœminis ad lugendum, non ut tamdiu, ſed ne diutius fletibus intabeſcant; nullum tamen viris a lege præſcribitur flendi tempus legitimum, quia nullum eis ad hoc idoneum conſulta prudentia judicavit; & ſi Sapientis auctoritas eis permittat pauciſſimos Eccl. 22. 13. *dies luctus ad caritatem fovendam ſuperſtitum, & inhumanitatis calumniam evitandam. Porro etſi ſuperſtiti, ut modicum ſuper mortuum ſuum ploret, venerandæ imperet auctoritas vetuſtatis, venit tamen ſub jubentis imperio intelligenda non tam forſitan plorandi actio, quam modicitas actionis: ut per hoc, quem ad flendum emollit imbecillitas animæ indolentis, a multo lacrymarum profluvio compeſcatur. Veteribus ſane Patribus, ut longis indulgerent deplorationibus proximorum, non ſolum ſuggerebat humanitas, ſed quia quotquot univerſæ carnis debitum exſolvebant, regnantis in omnes a primo parente mortis imperio, nec dum ſecundo Adam triumphante devicta morte, ad inferos deſcendere cogebantur. Nunc vero quando cum Chriſto in* Rom. 5. 14. *Deo fideliter morientium vita reponitur in excelſis, ſine ſpei catholicæ injuria jam non poſſumus planctum producere ſuper illos. Igitur Chriſtianiſſime Princeps, cum lacrymam tuam, ſi quam forſitan vehementia doloris excuſſerit, funditus debebat matris Eccleſiæ, tibi fideliter condolentis, lacryma compaſſiva ſiccare: quoties memoriæ ſtimulo cor tuum, aut cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Illuſtris Reginæ Francorum, conſortis tuæ pupugerit cari nati acerbus exceſſus, quidquid hinc mœroris infunditur, blanda hujuſ-*

modi

modi cogitatio, & dulcis abſtergat, quia in Chriſto vivens multo magis glorioſe, quam prius cariſsimis parentibus in reſurrectione juſtorum, Deo dante, feliciter apparebit, & congratulabitur ſe viam vitæ illis erudientibus tenuiſſe. Propterea Reginam eamdem debiliorem corporis tui partem exhortationis aſsidue confortatione ſuſtenta, ut iis & tuis conſolationibus animum ſublevet, ne inſidentibus nimium doloribus opprimatur, ſed potius dum cariſsimus filius amare recolitur defuiſſe, ſuaviter in mentem utriuſque recurrat; quam tuto exitu vitæ mortalis ſpatia conſummavit, in lucem repoſitus apud Deum, ubi eum non amiſſum habent ſuperſtites, ſed præmiſſum. Quamobrem ſi quid ei fortaſsis de contagio terrenæ habitationis, aut carnalis infectionis inhæſit, quod oporteat Eccleſiæ ſanctæ ſuffragiis, vel carorum auxiliis expiari, vigilet circa eum paternæ ac maternæ diligentia pietatis; noſtræ quoque caritatis ſinceritas ipſius apud Deum, in ipſa præſertim immolatione hoſtiæ ſalutaris, cum qua pro ſalute fidelium ante thronum Dei pia jugiter vota proſternimus, prout humana fragilitas permiſerit, memor erit. Datum Anagniæ III. Kalend. Martii anno VI.

Orandum pro defunctis.

LIV. Hoc anno completa jam ſtructura Eccleſiæ montis Alvernæ, Pontifex ex magno in ſanctum Franciſcum affectu, & loci, in quo ſacra recepit ſtigmata, veneratione, voluit Templum conſecrari non minori ſolemnitate, ea quæ adhibita fuit in conſecranda baſilica Aſſiſiate, in qua ſancti Viri corpus requieſcit. Septem itaque ſcripſit Epiſcopis, Aretino, Florentino, Feſulano, Aſſiſiati, Peruſino, Tifernienſi, & Urbinati, ut ſimul ſacrum hunc peragerent ritum: nec quidquam omitterent, quod ad majorem rei conduceret celebrationem. Convenerunt omnes illuc menſe Auguſti, Dominica infra octavam Aſſumptionis Deiparæ, præſentibus ſancto Bonaventura Miniſtro Generali, plurimis proceribus, multis hominum millibus, & Fratrum magna multitudine, ex vicinis Monaſteriis confluente, & juxta conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ ſolemniſſime Templum conſecrarunt in honorem omnipotentis Dei, & ad laudem beatæ Mariæ ſemper Virginis, & ſancti Franciſci. Neque vero prædicti Epiſcopi Eccleſiam ſolam conſecrarunt, ſed conſcenſis equis, præcedente copioſa proceſſione Cleri, Fratrum, & populi, deſcenderunt de monte, & univerſum in circuitu per duo milliaria luſtrantes, aqua benedicta aſpergentes, cantantes, & pſallentes benedixerunt. Per multos annos fuit celeberrima memoria hujus conſecrationis & magna celebrabatur feſtivitate in univerſo tractu Cluſentino, atque aliis partibus adjacentibus, donec propter æſtivos calores translatum eſt feſtum ad ipſum diem ſacrorum Stigmatum in menſe Septembri.

Maria. c. 24. Rodulph. f. 264.

Conſecratur ſolemniter Eccleſia montis Alvernæ.

LV. Conſecrationem hanc jam ſuperius indicavimus Tomo primo, & graviora quæque retulimus hujus montis privilegia: ſitus & topographiæ ampliorem deſcriptionem, non adeo nobis tunc exploratam, nec viſam in hunc locum diſtulimus. Exteris rem gratam nos præſtituros putamus, dum eam hic ſubjunxerimus. Per agrum Florentinum, & diœceſim Aretinam inter Tyberim & Arnum, notiſſima flumina, ad Meridiem & Occaſum ſe extendunt dilatatis fimbriis gemini colles ab Apenninis Alpibus prodeuntes. Super hos exurgit mons frondoſus, & frugifer, qui ab Oriente verſus Tyberim aſcenſum habet ſeptem milliarium; ab Occidente verſus fluviolum Corſalonis, radices montis alluentem, trium milliarium. Super hujus montis juga conſurgit alius, etſi totus lapideus, valde tamen pulcher & amœnus, virentibus arboribus

An. 1213. n. 31.

Situs montis Alvernæ

ornate confertus, qui ſuper omnes montes & colles circumvicinos caput altius extulit, Alvernæ cognomen ſortitus, cujus ſupra dedimus rationem. Figuram habet quadrangularem; primus angulus vergit ad Meridiem, ex quo deſcendit æquali proportione per duo milliaria, quaſi quædam terræ lingua, ad cujus medium ſitum eſt Caſtrum pii illius herois Orlandi, qui montem hunc Franciſco donavit. Secundus angulus reſpicit ad Occidentem, ſuper quem monticulus delectabilis exurgit, Eccleſia Stigmatum ſuperior. Priores hi anguli non adeo ab invicem diſtant, & inferiores ſunt aliis. Tertius angulus reſpicit ad Septentrionem, & diſtat ab angulo ſecundo M. P. Suum etiam habet monticulum *Penna parva* dictum. Quartus Orientalis eſt, a tertio diſtans per D. P. inter utrumque via media occurrit collis altior ceteris, *Penna major* nuncupatus, in cujus cacumine erecta crux molis ponderoſæ. Ab hoc ad primum angulum ſemper deſcenditur per integrum milliare. In ſpatio medio inter quatuor angulos numerantur duodecim monticuli, juxta numerum duodecim Apoſtolorum Chriſti, cujus paſſio in eo monte erat renovanda. Ingreſſum vel aſcenſum habet unum per oſtium dumtaxat, a tribus enim lateribus abrupta habet præcipitia: a quarto, quod eſt inter primum & quartum angulum, decurrunt aquæ omnes in vallibus duodecim monticulorum congregatæ.

Tom. 1. an. 1213. n. 10.

Qualiter ad mōtem aſcenditur.

LVI. In aſcenſu a parte Occidentali emenſis ter M. P. occurrit primo fons beati Franciſci, a frequenti potu & ſeſſione ejuſdem, ita cognominatus: deinde verſus Orientem vergitur ad hortos Fratrum, inter quos recto tramite itur ad montis radices; mox ſcanditur per montem ipſum ad Meridiem inter montis fimbrias, & horti muros ad C. P. donec via ſe reflectit ad Occidentem. Gravior deinde aſcenſus per CC. P. donec pervenitur ad crucem in capite viæ erectam: ab hac continuo aſcenſu per XL. P. pergitur ad portam, quæ obſeratis valvis vectibus ferreis, & forti aggere montem claudit. Intra hanc eſt parvum atrium, in quo ſita devotiſſima illa Eccleſia per ſanctum Franciſcum in honorem beatæ Virginis conſtructa, in qua plenaria obtinetur indulgentia in feſtivitate ſacrorum Stigmatum; & mira ſuæ benignitatis & potentiæ portenta Deus monſtravit. Ad ſiniſtram partem Eccleſiæ contiguum eſt Fratrum habitaculum in parva planitie, infra primum, de quo locuti ſumus, monticulum. A ſiniſtra ad Occidentem in area ampliori conſtructa major Eccleſia, cujus oſtium Occidentale; altare majus Meridionale, ad annum MCCCXLVIII. a Petræmale Comitibus cæpta, ſed ad annum MCCCCXCVII. a Fratribus Obſervantibus conſummata. Ita conjuncta eſt priori Eccleſiæ, ut unam utraque in Crucis modum conſtituat, in quarum compagine ſtructa turris excelſa, ſuperpoſitis campanis, a Comite Orlando & ſancto Bonaventura advectis. Officinæ quæque utrique Eccleſiæ ſunt communes; tempore hyemali in minori; æſtivo, in majori divinum celebratur Officium. Alia præter hæc in monte eſſe delubra, & ſacella diximus loco ſuperius citato, ſuis intervallis diſtincta.

Tom. 1. an. 1213. n. 10.

Hujus montis monumenta pietatem inprimūt.

LVII. Ita univerſus mons pietatem ſpirat, atque ad devotionem accendit, ut nullus ſit qui rerum omnium diſpoſitionem non omnino admiretur. Neapoleon ſancti Adriani Diaconus Cardinalis, & S. R. E. Legatus, cum jugum hujus montis ſuperaret, contemplatus tot ſanctitatis veſtigia, verba hæc & voce protulit, & ſcriptis commendavit, ut aliorum excitaret erga eumdem locum affectum: *Almus Chriſti confeſſor beatus Franciſcus, vitæ Evangelicæ renovator, fulſit in Eccleſia militante*

ut

ut fulgentiſſimum luminare. Hic velut angelus aſcendens ab ortu ſolis in ſacro loco montis Alvernæ, per operationem Chriſti in ſpecie Seraphim meruit ſacris ejuſdem paſſionis ſtigmatibus inſigniri. O grande privilegium omnibus retro ſeculis inauditum, quo ejuſdem Confeſſoris vita, regula & perſona Seraphici calculi incendio tota flammea redditur, tamquam bulla Jeſu Chriſti veri Pontificis confirmatur, & ipſius Agni Jeſu ſimilitudine decoratur! Quis igitur fidelium, ob reverentiam tantæ dignationis Domini Dei noſtri in illo ſacro Monte oſtenſæ non animetur ad reverentiam ipſius, tam inaudita conſignatione ſacrati? Nulla itaque difficultas acceſſus, nulla aſperitas temporis debet pedes retrahere fidelium, quin tota mentis devotione tam ad Chriſti ſigniferum, quam ad locum ſanctificatum per dignativum Jeſu Chriſti deſcenſum, & per merita veracium imitatorum ipſius ſanctorum Fratrum in obſervantia ſacræ regulæ degentium in eodem, ad memorati Montis ſublimia non tam fatigati aſcendant, quam ſpiritus recreatione Seraphici advolent. Ut autem ad noſtram devotionem, quam ad præmiſſa omnia humili geſtamus in corde, ſacros fidelium affectus conjungamus, & ipſos allectivis gratiæ ad ſacri loci reverentiam attrahamus, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam beatæ Mariæ ſemper Virginis Conventus prædictorum Fratrum viſitaverint, venerabiliter & devote, de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis confidentes, auctoritate Apoſtolica uobis in hac parte conceſſa, centum quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia miſericorditer in Domino relaxamus. Similiter eiſdem fidelibus, qui ad Oratorium beati Michaelis Archangeli in alia parte ejuſdem montis ſiti, ubi apparitio præfata Domini noſtri Jeſu Chriſti, & conſignatio beati Confeſſoris Franciſci dicitur extitiſſe, pia mentis devotione acceſſerint, præmiſſis confiſi meritis, ex eadem auctoritate ſuffulti CXL. *dies de injuncta eis pœnitentia miſericorditer relaxamus. Similem indulgentiam replicamus iis, qui in eodem loco in prædicatione ſolemni cum devotione audierint verbum Dei. Eadem auctoritate Fratribus ibidem commorantibus concedentes, quod cum prædicaverint populis extra præfatum locum infra terminos Guardianiæ ejuſdem loci, quadraginta dies poſſint eiſdem populis de injuncta eis pœnitentia relaxare. Devotis etiam fidelibus, qui Fratribus dicti loci in extrema paupertate ex ſuæ regulæ profeſſione viventibus victualia ad ſacrum Montem portaverint, centum dies. Et iis, qui alias eiſdem manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies eadem auctoritate de injuncta eis pœnitentia miſericorditer relaxamus. Dat. Immolæ* VI. *Idus Julii, Poutificatus Domini Clementis anno* 1.

LVIII. Hiſpali (quæ ad extremum in Hiſpania occaſum Bæticæ caput eſt, in primis Europæ urbibus nobilis atque opulenta, mœnium firmitate, armis viriſque munita, ædificiis privatis regiarum inſtar, nitore cultuque civium præcipua, Bæti flumine urbem ad lævam, & ſuburbium, cui Trianæ nomen eſt, alluente, fundo etiam magnarum navium capaci, eoque idoneo utriuſque maris commercio, mercibus opibuſque advehendis inſtructiſſima) hoc anno, eoque primo poſt urbem captam, expulſoſque Mauros, ait Gonzaga, noſtris fixas ſedes eo in loco, quo nunc Patres habitant Carmelitani. Profecto vel antiquius eſt noſtrum domicilium, vel non eo anno, qui urbis deditionem ſequutus eſt, conceſſum. Quippe Ferdinandus, morum probitate, & vitæ meritis *Sancti* cognomen adeptus, urbem ſexdecim menſium obſidione obtinuit anno MCCXLVIII. quod ſi expugnatæ Civitatis anno primo, vel ſecundo evocati ad eam-

Conven. Hiſpalenſis.

Gonzag. in Prov. Bætica Conv. 1.

dem

Mariana de reb. Hiſpan. lib. 13. c. 7. dem Minores, altius repetenda eſt ibidem illorum origo. Atque antea hunc annum ibi ſtetiſſe confirmat mihi Provinciarum & Cuſtodiarum ſub ſancto Bonaventura in comitiis Narbonenſibus hoc anno, quam proxime dedimus, diſtributio. Etenim ſub duodecima Caſtellæ Provincia prima Cuſtodia ob urbis majeſtatem & magnificentiam eſt Hiſpalenſis, quæ niſi vetuſtior eſſet, aliorumque in eadem Bæticæ regione domiciliorum caput, non ipſo primo ſuo infantiæ anno præponeretur Toletanæ, & ceteris, quæ ſequuntur, Cuſtodiis. Adde conſtantem Minorum conatum in probanda, & retinenda ſua præ aliis regularibus in illa urbe prioritate; atque de ea cum Patribus Benedictinis, qui ceteros præierunt, contendere. Minus vero probabile cenſebitur a tempore expugnatæ urbis uſque ad hoc per duodecim integros annos, nullos introductos vel admiſſos regulares, quorum ea ætate, & virtus probata, & inſtituta ſumme laudabilia. Quo fit ut antiquius cenſendum ſit hoc Monaſterium, ſeu longe prior ejus dicatur origo. Ceterum non eo, quo primo poſitum, conſtitit loco, donante anno MCCLXII. optimum fundum Alphonſo X. Ferdinandi filio, quem ſuperius diximus electum in ſchiſ- *An. 1256. n. 1.* mate Imperatorem, in quo extructas tum Regis, tum urbis munificentia ædes primum inhabitare cœperunt Fratres anno MCCLXVIII. Eccleſiam cum ſacrario adjunxit, ſed non abſolvit Petrus Rex cognomento *Crudelis*; aliis piorum additamentis ita domus excrevit, ut plurimas ingentes excedat, & nulli cedat ſui Inſtituti in Hiſpania conventui. Neque magnitudine ſolum, verum ornatu & ſupellectile, clauſtro ad miraculum magnifice extructo, tantam refert majeſtatem, ut pii & timorati viri ultra hujus inſtituti leges elatam judicarint. A Patribus Conventualibus ad Obſervantes devoluta ædes anno MCCCCXCII. ſub utriſque ſemper florens præſtantiſſimis & pietate, & eruditione Minoritis. Præ omnibus notiores Chriſtophorus Toletanus, & Joannes Salazarius facundi & Chriſtiani Oratores, ſermone potentes, magnum animarum lucrum reportantes. Ludovicus de Utrera magnum tum in vita, tum in morte ſuæ ſanctitatis ſpecimen exhibuit, ab omnibus vitæ beatæ vir judicatus: adjungendus Ludovicus de Sandoval pinguiſſimæ ſubſtantiæ herus, qui in pauperes univerſa diſtributa, huic Inſtituto nomen dedit in ſumma caritate, profunda humilitate, arcta paupertate, & illibata caſtitate per quadraginta annos miro exemplo perſeverans. Alios hujus generis plurimos, & prædicatores celeberrimos recenſere, ſi tædium non vererer, liceret, quorum alias mentio fiet opportunior. Ornavit ædem prædictus Petrus Rex ſacris reliquiis, quibus & firma addidit teſtimonia. Fratres incolæ centum quinquaginta excedunt, hoſpites convolant innumeri ad Provincias Indiarum novi Orbis, & Inſulares transfretaturi; erga omnes perpetua eſt Hiſpalenſium liberalis beneficentia, ut vix credi poſſit quanta abundantia omnia non ſolum huic domui, verum & aliis hujus Sodalitii apud ſe conſtructis, ſubminiſtrent.

Conv. Zamoren.

LIX. In urbe Zamoræ Caſtellæ veteris nobiliſſima, ſaluberrimo aere, *Gonzag. in Prov. S. Jacobi Conv. 7.* adlabente Durio flumine amœniſſima, translati hoc anno Fratres ab Eremitorio ſanctæ Catarinæ, quod anno MCCXLVI. occuparunt, ad aliud beatæ Mariæ de Miraculis proximum, P. LX. diſtans, ad fluminis ripam ex oppoſita Civitatis parte juxta pontem. Favit prioris ædiculæ ſtructuræ Innocentius IV. anno III. ſui Pontificatus, dato diplomate exhortatorio ad Chriſti fideles, ut ſuis adjuvarent eleemoſynis. Poſteriorem hunc locum cum adjacentibus hortis donavit Gallinatus Zamorenſis civis

civis, in quo ex divendito ad mandatum Archiepiſcopi Compoſtellani priori loco, domicilium ſibi Fratres conſtruxerunt. Adjuncta poſtea magnifica Eccleſia ex diverſis Zamorenſium eleemoſynis, ea tamen ſtructuræ ratione, ut poſterius hoc Eremitorium multis annis huic Templo deſervierit pro ſacello majori, in quo ſepeliri voluit prædictus Gallinatus, cum pluribus ex ſuis ſucceſſoribus ex jurepatronatus. Sed cum minus ob ejus anguſtiam reliquo correſponderet ædificio, aliud auguſtius, atque ſumptuoſius ſacellum ab illuſtri quodam Arnaldo Solerio oppidi Villalpandei Domino extructum fuit, uti affixa demonſtrant inſignia. Pone hoc ſacellum eſt & aliud capaciſſimum, imo quod ſacelli menſuram excedit, & inſignes quaſque adæquare poteſt Eccleſias, a Decano quodam Zamorenſi ſuperbe conſtructum, in quo varia Dominicæ paſſionis myſteria peregregie ſculpta, diſtinctis cellulis fecit reponi. Opus eſt magnificum, ſed nullo ferme Fratrum uſui, dum in capaciſſima domui contigua & commodiori Eccleſia prius extructa, munia quæque peragunt Eccleſiaſtica. Primum clauſtrum habet inſigne nobilis heroinæ Leonoræ Munniz opus, beneficii accepti teſtimonium; mortuam enim filiam quadriennem Majorem Munniz ante altare ſancti Franciſci noctu collocatam mater advigilans, & orans ſummo mane vivam hilaremque accepit. Quo miraculo non ſolum genitricis, verum & univerſæ urbis erga Divum crevit devotio. Quod reliquum eſt ædificii pii Zamorenſes addiderunt, vel Fratres collectis aliunde eleemoſynis ædificarunt. Ad ſummi altaris dexteram cujuſdam Regis Caſtellæ filia honorifico jacet mauſolæo. Ad ſiniſtram vero potior pars oſſium Roderici Martinez de Lara, Provinciæ ſancti Jacobi alumni piiſſimi, lapideo reconditur ſepulcro, cujus alteram reliquiarum partem Salmanticæ alias diximus aſſervari; de ipſo opportunius iterum fiet mentio. Sepultus in eadem Eccleſia Anonymus ille laicus Minorita, cujus mira recenſetur a multis apparitio facta in eadem urbe architriclino Dominicano. Arcta contracta amicitia pacti erant, ut qui prior diſcederet ex hac vita, quo ſtatu res ſuæ eſſent in altera, revelaret ſuperſtiti. Prior obiit Franciſcanus coqui functus officio: juxta pactum apparuit amico totus ignitus, conquerens ſe devotum diris purgatorii ignibus, quod in diſtribuendis Fratrum portionibus minus æque ſe haberet. Atque ut fidem faceret, uni ex menſis refectorii, in quo apparuit, juxta ſuggeſtum, manum appoſuit, in qua veluti candenti impreſſo ferro, palmæ reliquit veſtigium, in hunc uſque diem crate ænea contectum, clare viſendum. Ibidem requieſcit Joannes Ægidius Zamorenſis, vir apprime doctus, qui ſex ingentibus tomis univerſam hiſtoriæ molem ſub hoc titulo: *Hiſtoria naturalis, eccleſiaſtica, & civilis*, candide & ſolide complexus eſt ordine alphabetico, ubi nihil præteriiſſe viſus eſt. His addidit alium tomum, cui nomen dedit: *Archivum omnium ſcripturarum*, ubi quidquid eſt eruditionis Eccleſiaſticæ ad præcipua capita reduxit. Habentur hi codices MSS. membranei immenſæ molis in bibliotheca ejuſdem cœnobii, a doctis quibuſque viris deſiderati, a plurimis lecti & citati, a poſſeſſoribus, ut fit, neglecti, ita ut temporis jam paſſi ſint injurias. Sæpius egimus etiam in eodem Monaſterio præſentes cum doctis viris ut publici fiant juris; nec preces remittemus, donec ab aliis, vel fortaſſis a nobis ipſis edantur in magnam, ut ſpondeo, rei hiſtoricæ utilitatem. Obierunt in eodem Conventu Joannes Capillas, & Alexius Hurtado viri pii, & ultra communem ſortem paupertatis amatores, quorum nomina inter ſuos adhuc vigent.

Zamoræ S. Franciſcus mortuam infantulam reſuſcitavit.

Tom. 3. an. 1254.

Anno 1584.

Mirabilis apparitio cujuſdam Minoritæ.

Opera Jo. Ægidii Zamoren. luce digniſſima.

Præ-

Præclara eſt etiam inter eoſdem memoria Alphonſi a Caſtro Zamorenſis, cui ultra ceteros antiquos ſcriptores plurimum ſe debere fatentur, qui contra hæreticos ſcripſerunt: necnon Antonii Valeræ concionatoris eximii Comitum Albæ, Siciliæ Proregum Confeſſarii, cujus corpus poſt annos decem exhumatum, integrum eſt repertum, & qui martyrium ante annos viginti prædixit Joanni a ſancta Martha, quod anno MDCVI. paſſus eſt in Imperio Japonico ad urbem Meacam, & propterea in cauſa fuit, ut e tirocinio non remitteretur in domum paternam. Ad illud tempus martyrii dabimus genus.

Idem in Provinc. Aquitan. antiq. Conv. 17. Hiſt. MS. ejuſd. Prov. Conv. 15. Anno 1270. Conv. Montis-Marſani.

LX. In oppido Montis-Marſani Aquitaniæ nunc urbe munitiſſima, Gaſto Fuxenſis, dictæ villæ (ita diplomata vetuſta a me ſuis locis proferenda vocant) & Armaniaci Comes, Bearnenſiumque Princeps ædem Minoribus hoc anno conſtruxit; aliudque poſtea, quod ſuo loco narrabimus, addidit Clariſſarum, atque ultimis tabulis hæredibus perpetuiſque ſucceſſoribus injunxit, ut Franciſcanum inſtitutum quibuſcumque favoribus & caritatis officiis proſequerentur. Hæc tanta Principis pietas non ſuffecit ad repellendas ſuorum ſucceſſorum iniquitates, in quibus erga Deum deficiente fide, defecit etiam ſuorum progenitorum erga Minores humanitas. Ad annum quippe MDLXIII. deprædata urbe, Monaſterium diruerunt & expilarunt, ſævientes in piam hæreditatem paternam, necnon in ſepulcra & cineres tot illuſtrium Principum ſuorum prædeceſſorum: atque ita factum eſt, ut quod Chriſtiana patrum liberalitas extruxerat, hæretica filiorum ſævitia depreſſerit. Anno vero MDLXVII. recuperata per Catholicos Civitate, prudentia & dexteritate pii herois D. Mont-lucii Franciæ Mareſchalli, ex prioris ædificii ruinis aliud humilius inchoarunt Fratres præcipuis conſtructis, neque adhuc completis officinis, derelicta priori magnæ capacitatis Eccleſia, cujus reparationem attentare non audebant. Præcipiente Leone X. datus hic locus anno MDXXII. Patribus Obſervantibus. Antiqui incolæ a Comitibus de Fuxo triginta tres aureos nummos quotannis, & ſingulis menſibus unum modium frumenti accipiebant, ut ſuorum animabus parentarent.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Conv. Sezanii.

Gonzag. in Prov. Franc. Conv. 5. Monum. MSS.

,, LXI. In Cuſtodia Campaniæ Provinciæ Franciæ extat cœno-
,, bium Sezanii Trecenſis Diœceſis, ſancto Michaeli ſacrum, bellis & in-
,, cendio conſumptum, qua de cauſa neſciri ejus originem, aut auctorem
,, refert Gonzaga. In monumentis aliquot ad me tranſmiſſis invenio ſub
,, hunc annum hic extitiſſe Minorum domicilium. Etenim ſuppetit Ur-
,, bani IV. diploma anno II. Pontificatus datum, quo facultatem con-
,, cedit Fratribus Sezanii ſedem mutandi; & Theobaldi Navarræ Regis;
,, Campaniæ, Briæque Comitis Palatini, datum anno prædicto, quo
,, liberam vult eſſe eamdem tranſlationem: necnon aliud Henrici II.
,, Francorum Regis, ut per univerſam Franciam abſque ullo impedi-
,, mento prædicent Minores, aut Prædicatores. Huc accedit aliud Be-
,, nedicti XI. diploma ad Archiepiſcopum Rhemenſem, & Epiſcopos
,, Tullen. & Pariſien. quibus mandatur ut ſollicitam curam habeant, ne
,, Fratres Minores, aut Prædicatores, quomodolibet impediantur a
,, libera verbi Dei adminiſtratione, & confeſſionibus excipiendis. Anno
,, Domini MDLXVIII. graſſante per univerſam Eccleſiam Gallicanam fu-
,, rore hæreticorum, cœnobium hoc redactum eſt in cineres, relictis tan-
,, tum Templi fundamentis. Denuo renovatum eſt induſtria docti viri
,, Ludovici Princii Doctoris Theologi, tunc Campaniæ Cuſtodis. In
,, medio choro coram ſummo altari cernitur ſepulcrum Ven. P. Fr. Ju-

liani

„ liani Formont ſacræ Theologiæ Profeſſoris, ob inſignem pietatem, „ doctrinam, & ſingularem eloquentiam celeberrimi, in cujus tantæ „ eminentiæ memoriam ſepulcro inſcriptum eſt hoc hyperbolicum elo„ gium: *Magis angelus, quam homo*.

LXII. Ex comitiis, quæ ſuperius hoc anno diximus Narbonæ celebrata, & diſtributione Provinciarum in eiſdem facta, in qua recenſetur etiam Cuſtodia Narbonenſis, conſtat ante hunc annum in illa Civitate Minores obtinuiſſe domicilium. Quo tamen ſtructore, aut quo tempore non potuimus detegere. Extra Civitatis mœnia conſtructum, bellorum incurſu fuit deſtructum ſimul cum Clariſſarum, & aliorum Ordinum Monaſteriis. Sed expenſis egregii viri Petri Joellis locupletiſsimi mercatoris intra mœnia Civitatis fuit extructum aliud ſub titulo Dominæ noſtræ de Conſolatione, & ſancti Franciſci; demum plurimum auctum favore illuſtriſsimæ domus de Archos alias Ioyenſe, ad hoc ſollicitante bonæ memoriæ Patre fratre Joanne Gineſtois. Multa invenio in regeſto Pontificio huic Conventui privilegia conceſſa, & alibi plura præclare geſta per ejus alumnos, quæ commodius per varios annos diſtribuemus. *Idem in Prov. S. Ludov. Con. 8.* Conv. Narbonen.

LXIII. Vir alter illuſtris Dominus de Chauvigne eodem anno conſtruxit aliud Minoritarum domicilium ad oppidum Iſſolduniense in Gallia, cujus Eccleſiam dedicavit SS. Jacobo Apoſtolo, & Chriſtophoro Martyri. Senſit etiam in communi Galliæ calamitate hæreticorum inhumanitatem, quibus repulſis, antiquas ſedes repetierunt Fratres, pro viribus diruta reficientes habitacula. In urbe item Campi-Aquoſi in eodem Regno, hoc ipſo anno domum Franciſcanorum a nobiliſsimo viro Archimbaldo Borbonio inchoatam, nec tamen morte præpediente completam abſolvit undique, & ſacra ſupellectile ornavit frater Joannes de Mailli, illuſtri proſapia natus, cujus conſummationis dum vidit finem, anno MCCLXVI. obiit: cui honoris & reverentiæ ergo ſepulcrum erectum eſt in chori medio. Ei adjacet præclariſsima fœmina Beatrix Clarimontenſium Comitiſſa, & Borbonii domina. Ad ſiniſtrum magni altaris latus ſepultus eſt Guido de Dampierre frater præfati Archimbaldi, e regione vero nobiliſsima heroina Maria de Hainaut Borbonii Duciſſa. Eccleſia ſub titulo ſancti Joſeph anno MCCLXXV. conſecrata eſt ſub ritu ſolemni. Conſecratam etiam Eccleſiam Minorum Colonienſium hoc anno ſcribit Bruſchius in Annalibus Archiepiſcoporum Colonienſium, & inchoatam addit anno MCCXX. ſed non niſi quadriennio poſt illuc primum miſſos nos jam ſcripſimus ex Annalibus vetuſtis Saxonicis. *Idem in Prov. Turon. Conv. 10.* Conv. Iſſoldunien. *Idem in Prov. S. Bonav. Con. 24.* Conv. Campi-Aquoſi. *Bruſch. ſub Arch. 47.* *Tom. 2. an. 1224. n. 41.*

LXIV. In Provincia ſancti Antonii & Cuſtodia Veneta Patrum Conventualium Monaſterium eſt Tarviſii (urbis Marchiæ Tarviſinæ, rerum omnium ad humanum uſum utilium abundantia, plurimis fontibus, & Sile amne, quo perluitur, clariſsimæ) hoc anno fundatum extra Civitatem. In commodiorem tranſtulit locum anno MCCCVI. Illuſtriſsimus Dominus Gerardus de Camino. Floruit in hoc loco frater Albertus Epiſcopus Tarviſinus, ortu Vincentinus, de quo alias latius dicemus; necnon Magiſter quidam Nicolaus, Doctor inſignis, hæreticæ pravitatis Inquiſitor, qui plura edidit opuſcula, Magiſter Martinus, Magiſter Marcus Antonius Curſius clarus Eccleſiaſtes, & bonarum litterarum cultor præcipuus in eadem Civitate defunctus, cui Magiſter Stephanus Gherardinus & Daniel Brixianus lapidem in Eccleſia erexerunt, mutuæ eorum neceſsitudinis inſigne monumentum. *Rodulph. fol. 271.* Conv. Tarviſinus.

LXV. Ludovicus ſanctus Rex hoc anno prope Lutetiam Pariſiorum

Gonzag. in Prov. Franc. Monaſt. 8. An. 1253. n. 31. Monaſt. Humilitatis extra Lutetiam.

ad IV. M. P. ædificavit ad preces Iſabellæ ſuæ ſororis, de qua nos ſuperius, Clariſſarum Monaſterium inſigne ſub Humilitatis Dominæ noſtræ nuncupatione. Sæpius inferius ſermonis de eo inſtituendi ſe nobis offeret occaſio. In hujus Parthenonis Eccleſia ad lævam prope medium honorifica conſurgit ſepultura prædictæ Iſabellæ, infinitis miraculis conſpicua. Floruerunt in eadem æde plurimæ Sanctimoniales ſummam generis nobilitatem vitæ ſanctitate ſuperantes, Blanca filia Regis Navarræ, Magdalena generoſiſsimi Principis Franciſci Ducis Britanniæ ſoror; Joanna & Margareta filiæ potentiſsimi Godeſridi Brabantii. Vivunt & hodie præclariſsimæ fœminæ, Chriſto ſervatori ſumma cum humilitate commori gaudentes.

Varia privilegia.

LXVI. Scripſit hoc anno Pontifex ad Miniſtrum & Vicarium Sclavoniæ, Guardianoſque Jadren. ut quatuor Fratres Minores deputarent ad obſequia Sanctimonialium Monaſterii ſancti Nicolai Jadren: *Quia perſonas*. XII. Kal. Julii. Miniſtro Caſtellæ, Cuſtodi, Guardiano, & Fratribus cœnobii ſancti Facundi confirmat donationem loci ab Abbate Benedictino illius villæ factam, de qua nos alias diximus, novumque donationis inſtrumentum ſuo inſerit diplomati: *Petitio veſtra*. II. Kalen. Maii. Vetat ne Miniſtri Generales, aut Provinciales poſsint conferre licentiam ad Ordines ſancti Benedicti, vel Carthuſianorum tranſeundi, niſi ſub illa conditione, quod in eiſdem Ordinibus debeant permanere: *Cum & plantare*. Idibus Maii.

Privilegia Clariſſarum. *Anno 1257.*

LXVII. Parthenonem Clariſſarum Burdigalen. commendat Majori & Communi Civitatis: *Quia meritorium eſt*. Idibus Januarii. Abbatiſſæ & Conventui Monialium Monaſterii ſanctæ Catarinæ Januenſis confirmat poſſeſsionem ſibi traditam Monaſterii ſancti Joannis de Logamo Ordinis ſancti Benedicti Albinganen. diœceſis, de quo non ſemel diximus ſuperius, & inſtrumenta in hac re actorum inſerit ſuis litteris ad verbum: *Juſtis petentium*. VI. Idus Februarii. Approbat mutationem ſedis, quam fecerant Abbatiſſa & Conventus Monialium ſanctæ Claræ de Longa Marchia juxta Ipram Morinen. diœceſis tranſeuntes ad Roſendale: *Meretur honeſtas*. VII. Idus Martii. Concedit Sororibus Monaſterii Arentii de Fruſinone diœceſis Verulanæ, ut bonorum ſibi relictorum poſsint adminiſtrationem mutare: *Devotionis augmentum*. VI. Idus Maii. Clariſſis Monaſterii ſancti Silveſtri de Ilberto Urbinaten. diœceſis confirmat donationem a ſe factam ædium, in quibus morabantur: *Speciali gratia*. XV. Kal. Junii. Amplum tribuit privilegium Clariſsis Jadren. inſeritque Laurentii Jadren. Archiepiſcopi donationis inſtrumenta, in quo dicit prius illud Monaſterium fuiſſe Ordinis ſancti Benedicti, & Sorores ejuſdem Benedictinas ſponte ſe Clariſſas feciſſe; ex quo facto teſtatur non ſolum in Jadren. Provincia, ſed & in tota Dalmatia procurari & acquiri tam ſalutem corporum, quam animarum: *Religioſam vitam*. III. Idus Junii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. CUm, juxta Regulæ præſcriptum, Fratres a Romano Pontifice „ humiliter, inſtanterque petiiſſent, ſibi dari unum de S. R. E. „ Cardinalibus in Dominum, Protectorem, & Correctorem: Alexan„ der piiſſimus, qui antequam ad Summi Pontificatus apicem evehere„ tur, eorum Protectorem egerat, & ſedens per ſe ipſum eorumdem cu-

,, curam bucuſque habuerat, & impoſterum etiam habere volebat : ſere-
,, nitati conſcientiarum illorum proſpiciens, hoc anno MCCLX. ſuum
,, benigniter ad hæc diploma dedit, tenoris, qui ſequitur.

ALEXANDER EPISCOPUS &c.

Dilectis filiis Generali, & univerſis Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

,, 1. *LIcet injunctum nobis generaliter ſuper omnes Chriſti oves curæ* Bulla Alex. IV. Pontif. qua abſolvit Fratres a petitione Cardinalis Protectoris vivente ipſo.
,, *paſtoralis officium, in varia, & diverſa diſtrabat multipliciter*
,, *mentem noſtram, unde in reddendo ſingulis Apoſtolicæ diſpenſationis de-*
,, *bito, infirmitatis noſtræ redditur minor virtus: circa vos tamen ſingularis*
,, *ſollicitudo nos reddit intentos, & ſpecialis caritas efficit fortiores. Pro-*
,, *pter quod ſtatuimus, dum vitalis ſpiritus noſtros rexerit artus, humili*
,, *gregi veſtro ſuperintendere per nos ipſos, ac ſuper ipſum oculorum noſtro-*
,, *rum cuſtodiam confirmare.*
,, 2. *Hinc eſt, quod eum, juxta præſcriptum Regulæ veſtræ præceptum,*
,, *vobis in virtute obedientiæ injungatur, ut unum ex Cardinalibus S. R. E.*
,, *in Protectorem, & Patronum veſtri Ordinis poſtuletis: volumus, &*
,, *præſentium auctoritate decernimus, vos ad hoc, dum nobis vita comes*
,, *fuerit, ex præcepto hujuſmodi non teneri; nec a Fratribus noſtris: ſed a*
,, *patrociniis noſtris neceſſaria protectionis veſtræ præſidia requirantur.*
,, 3. *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis in-*
,, *fringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare*
,, *præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Apoſtolorum*
,, *Petri, & Pauli ſe noverit incurſurum. Datum Sublaci* V. *Idus Auguſti*
,, *Pontificatus noſtri anno* VI.

,, Hanc hujus Apoſtolicæ conſtitutionis copiam ex originali in Ar- *Ex Archivo Conven. PP. Conven. Cherii.*
,, chivo Conventus ſancti Franciſci Cherii PP. Conventualium ex gra-
,, tia admodum R. P. M. Franciſci, & Antonii Raſeti Cherienſis tran-
,, ſcripſi anno MDCXCIII. XIX. Maii.
,, II. Sunt præterea plures gratiæ, quæ ab eodem Pontifice hoc Aliæ litteræ in favorem FF. & Mon.
,, anno Fratribus emanarunt: ſcilicet, Indulgentia pro feſtivitatibus
,, beatæ Mariæ, & ſancti Franciſci: *Vitæ perennis &c.* V. Kal. Februarii:
,, pro Inquiſitoribus Italiæ: *Quod ſuper nonnullis &c.* XII. Kal. Martii:
,, pro iiſdem: *Quod ſuper &c.* VI. Kal. Martii: pro Fratribus Prædica-
,, toribus, & Minoribus, ac Eremitis: *Provida deliberatione &c.* XII. *Indiculus.*
,, Kal. Maii: ad Parochianos pro ſepeliendis apud Minores: *Miniſter &c.*
,, IV. Kal. Maii: quod ſuperiores corrigant Fratres ſocios Prælatorum:
,, *ſacræ Religionis &c.* Kal. Maii: pro liberatione Monialium S. Arentii
,, a quibuſdam oneribus: *Devotionis augmentum &c.* VI. Idus Maii:
,, de celebratione tempore interdicti: *Noverit univerſitas &c.* III. Kal.
,, Auguſti.
,, III. Per hæc tempora in Lombardia, & Romandiola, nonnulli Eccle-
,, ſiarum Rectores, quod fideles apud Fratres Minores ſepulturam eli-
,, gerent, illis Eccleſiaſtica Sacramenta denegabant: huic inconvenienti
,, occurrit Summus Pontifex, dato diplomate ſequenti.

ALEXANDER EPISCOPUS &c.

Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Lombardiam, & Romandiolam conſtitutis. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Bulla contra negantes Sacramenta cauſa electionis ſepulturæ in Eccleſia Minor.

Ex ſpecul. fol. 11.

„ 1. *Dilecti filii Miniſter, & Fratres Minores adminiſtrationis Bononiæ nobis ſignificari curarunt, quod nonnulli Prælati, Rectores, & Clerici Eccleſiarum Civitatum, & Diœceſum adminiſtrationis ejuſdem, vobis ſubjectis Parochianis ſuis, pro eo dumtaxat, quod apud ipſos Fratres eligunt ſepulturam, in extremis Eccleſiaſtica denegant Sacramenta.*

„ 2. *Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus Prælatos, Rectores, & Clericos prædictos, quod prætextu hujuſmodi Parochianis eiſdem Sacramenta non ſubtrahant ſupradicta, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, juxta officii veſtri debitum, appellatione remota, cogatis.*

„ 3. *Alioquin Venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Ravennenſi, & dilecto filio M. Canonico Mutinenſi damus noſtris litteris in mandatis, ut ipſi ſuper hoc mandatum Apoſtolicum exequentes, eoſdem Prælatos, Rectores, & Clericos a præſumptione hujuſmodi, monitione præmiſſa, per cenſuram eamdem (ſublato appellationis impedimento) compeſcant.*

„ 4. *Non obſtante, ſi aliquibus a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras dictæ Sedis non facientes plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem: ſive quavis alia ejuſdem Sedis Indulgentia, per quam impediri valeat, vel differri: ſeu conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Dat.*

Theat. Bajard.

Thomas Eboracen. obit.

Leland. in catal. vir. illuſtr. Fr.

Venantius laicus flor.

„ IV. Florebat interea Eboraci in Anglia frater Thomas eadem urbe oriundus, qui prælectorum inter Minores in Academia Oxonienſi in ordine quartus, forte dignitate primus: elocutionis gratia plurimum valens, nec minus ingenii laudabatur acumine. Thomas Eccleſtonus hominem laudat ab eruditione, & virtute: multa opera ſcripſit, teſte Lelando; in ſenectute bona obiit Eboraci anno MCCLX. Sed eadem circa tempora ſplendebat frater Venantius, profeſſione laicus, ſed magnæ virtutis, & ſanctitatis: hujus officium in Conventu Pariſienſi erat veſtes, habituſque aliorum Religioſorum conſuere, ac reſarcire: licet vero ultimus inter Fratres videretur, nihilominus ob ingentia merita, in cœlis præ omnibus ſublimari viſus eſt. Meminit hujus Alexius de Salo inter alios, qui agens de Bonagratia X. Miniſtro Generali noſtri Ordinis, ſic ait: *Hic Generalis aliquando narravit, quod tempore, quo Pariſiis in choro Fratrum fuerunt triginta cellæ aſſignatæ: regente tunc Ordinem Minorum fratre Bonaventura, quædam mulier magnæ ſanctitatis vidit orans triginta Fratres mortuos Pariſiis; hæc autem mulier diſtabat Pariſiis per decem, & ſeptem leucas: ex illo autem prædicto numero vidit quinque ad Purgatorium deferri, & viginti quinque volare ad gloriam, quorum ultimum vidit collocari in Ordine Seraphim, & ille talis ultimus, fuit revelatum, quod erat quidam converſus, nomine Venantius, vir miræ caritatis: non enim ſecun-*

Alexius de Salo in meth. aman. Deum, & ſerviendi Virg. Deiparæ cap. 14.

Viſio de triginta Fratr.

dum

,, *dum gradum, vel ſcientiam, ſed ſecundum latitudinem caritatis præ-*
,, *mium menſuratur*. Hæc ille. Ex quibus apparet, beatum Venantium, Inter quos Venantius.
,, & præfatos Fratres floruiſſe circa annum MCCLX. quo Seraphicus Do-
,, ctor Ordinem regebat. Arturus in Martyrologio diem primam Se- *Artur. qui plures cit. in martyr. ad diem 1. Septemb.*
,, ptembris Venantio, & ſociis aſſignat.
,, V. Dicebamus ſupra, Jacobum Aragonum, & Balearium Regem
,, Monaſterium pro Clariſſis Majoricæ fundaſſe: conſummatam eam ſa-
,, cram ædem Majoricenſes intuebantur; at ſacras cultrices loci deſide- *Vide ſup. ad annum. 1256. n. 3.*
,, rabant: nec deerant virgines, quæ illud religioſiſſimum Inſtitutum
,, ſubire maximopere exoptarent: tamdem omnium votis, annuente
,, cœlo, ad inſtructionem juvencularum, & regimen domus, e Mona-
,, ſterio Tarraconenſi duæ venerabiles virgines, profeſſione, virtute,
,, & ſanguine ſorores Majoricam adductæ fuere, veneranda ſcilicet Ma-
,, ter, & ſoror Catarina *Baranguer* Tarraconenſis Monaſterii primi- Catar. & Guillelma de Barangueriis.
,, ceria, & ejus ſoror Guillelma: quæ ambæ adventantes hoc anno,
,, ſolemniter a civibus exceptæ in novo Monaſterio Majoricenſe, cum
,, pluribus juvenculis, quæ mundo vale dicentes, ad Religionis aſylum
,, ſeſe recipiebant, conſtabilitæ fuerunt, illa quidem in Abbatiſſam, hac Eædem primiceriæ in Monaſter.
,, vero in Magiſtram, ſub gubernio, & regimine Fratrum Minorum,
,, juxta Pontificis Summi diſpoſitionem, cooptatis; Regium quidem
,, hoc Monaſterium dici meruit, non tantum ratione ſui principii,
,, quantum a virtutibus inhabitantium ab initio, quarum ſplendore illu-
,, ſtratum per Hiſpanas oras regale nomen obtinere quivit; his diebus,
,, quibus hæc ſcribo, in exacta ſuarum legum obſervantia Sanctimonia-
,, les religioſam vitam ducentes, numerantur octuaginta, quæ poſt obi-
,, tum ſuas laudes aſſequentur in terris, ſicut ab Altiſſimi benignitate
,, bonorum operum retributionem. Priſcarum vero, quarum certa
,, tempora neſciuntur, cum earum vita plurimum commendabilis exti-
,, terit, ſi non omnium, ſaltem nonnullarum, hic memoriam habere,
,, dignum, & æquum eſſe duxi: cum nullibi melius fieri queat.
,, VI. Præter igitur primas fundatrices, & conſtabilitrices in ſpiri-
,, tuali ædificio, Catarinam, & Guillelmam de Barangueriis, de quibus
,, prædiximus, vere profeſſione, & ſanguine ſororibus, plures aliæ eas
,, ſubſequutæ florentes, & ipſæ, optimarum virtutum odoramenta ſpar-
,, ſere. Inter quas numeratur ſoror Magdalena *Bonapart*, quæ co- Magdalena Bonapart.
,, pioſis divitiis, & nativo, generoſoque ſanguine ſpretis, pauperum
,, juvencularum Matri & Magiſtræ ſanctæ Claræ ſociari voluit: evan-
,, gelicam paupertatem adeo coluit, ut exiguum redditum annualem,
,, quem in profeſſione propriis neceſſitatibus reſervaverat, Monaſterio
,, renunciaverit, communi victu, & veſtitu contenta: altiſſimæ contem-
,, plationi, & orationi dedita, caritatem aſſequuta eſt, qua in obſequiis
,, aliis Conſororibus, præſertim infirmis, opportune ſemper exhibitis,
,, maxime eluxit.
,, VII. Soror Antonia, cognomine *Quint*, quæ gratuitis exornata Antonia Quint.
,, donis, in laudibus divinis perattente recitandis, & in myſteriorum
,, contemplatione licet occupata, nihilominus a maceratione carnis mi-
,, nime deſiſtebat. Præfatas ſequebantur ulla ſine remora Eliſabetha de Eliſabetha de S. Juan.
,, *S. Juan*, & Margarita *Montornes*, quæ omni virtutum genere excultæ,
,, optimarum religioſarum nomen ſunt aſſequutæ: primæ innocentiam,
,, & immaculatam vitam P. Raphael *Serra* vir probatæ virtutis, & fide Margarita Montorn. & Nadal.
,, dignus pluries teſtatus eſt, & Margarita pariter *Nadal* ejuſdem ſocia
fide-

„ fidelis, & ejuſdem ſpiritus, quæ in ejus obitu ex alto cœlorum orna-
„ tiſſimam coronam ſuper caput ejus deſcendere vidit.

Plures aliæ florent.

„ VIII. Sorores Joanna *Eſtoda*, & Hieronyma *Reus*, quæ in cor-
„ poris maceratione enituerunt, ciliciis enim ferreis mucronibus arma-
„ tis utebantur: Sorores Joanna *Llinas* laica, & Joanna *Mir* ſanctæ Cla-
„ ræ veſtigiis fortiter hærentes, ambæ in meditatione mortis, & domi-
„ nicæ Paſſionis ſeſe exercentes, ſuaviſſimum ſanctitatis odorem efflave-
„ runt; quædam Monialis digito intolerabiliter dolebat: applicuit
„ ſororis Joannæ *Llinas* habitus particulam, & ſtatim ſanata eſt: ſoror
„ vero Joanna *Mir* pueri Jeſu, & ejus intemeratæ Matris devotiſſima,
„ in articulo mortis eorum adſpectu dignata, Monialibus hymnum: *O*
„ *glorioſa Domina &c.* cantantibus, expiravit.

„ IX. Sorores Catarina *Socies*, Franciſca *Mas*, Eleonora *Quint*,
„ & *Eanglada*, quæ corpora ſua maxime affligentes, æterno ſe ſponſo
„ tota ſedulitate præparabant: quarum pariter æmulæ ſolertes Catari-
„ na *Paſqual*, Eliſabetha *Puig*, Clara *Llull*, atque Hieronyma *Pual*,
„ nil minus illis faciebant: omnes cum prædictis nitida fuere exempla
„ virtutis. Sed ſatis hæc ſint, quæ ex Provinciæ Majoricenſis monu-
„ mentis noviſſimis perſtrinximus, ſine aliarum præjudicio, ut Mona-
„ ſterium ſanctæ Claræ ea in Urbe Majorica ſanctimoniæ ſeminarium
„ demonſtretur.

Item aliæ fulgent.

Mon. MS. Prov. Major. de anno 1650.

Magdalen. a ſancto Antonio ex Tertio Ordine.

„ X. In tertio pariter Ordine Seraphici Patris, virgo nomine
„ Magdalena a ſancto Antonio appellata mirabiliter in Hiſpania reſplen-
„ duit, oratione, humilitate, atque omni vitæ ſanctimonia laudata,
„ conſcendit ad ſponſum, quem omnibus diebus totis præcordiis con-
„ cupierat, hoc anno MCCLX.

Theat. Bajar. ex Catal. SS & BB. Ord. Innoc. a dedic. ann. 1652. Supr. ad annum 1258. num. 1.

„ XI. Alphonſus III. Luſitaniæ Rex interea fama ſanctitatis Mo-
„ nialium Clariſſarum, quæ apud Lamacum Urbem ad Durium, Cœno-
„ bium jam pridem fundaverant, permotus, ad fovendam, & amplian-
„ dam earumdem exemplaritatem religioſe propenſus, ab Alexan-
„ dro IV. Summo Pontifice obtenta facultate, ipſarum Cœnobium in
„ opportuniorem locum transferendi, aliud regia munificentia apud
„ *Scalabim* conſtruxit: Scalabis vero, quæ poſtea Fanum S. Irenes, ſive
„ Irenopolis, & vulgo poſtea *Santaren* dicta eſt, olim in Luſitania Ci-
„ vitas fuit Epiſcopalis clariſſima, & Conventus multarum Urbium
„ nobilis: nunc autem oppidum totius Regni maximum ad Tagum flu-
„ vium in colle, cum Suburbiis in plano ſitum pluribus anteponendum
„ Urbibus, inter Ulyſſiponem Regiam ac Tomarum, ubi Reges coro-
„ nantur: ab Ulyſſippone in cæciam XIV. M. P. Hiſpan. diſtans, a Co-
„ nimbrica in meridiem XXI. quantum diſtat ab Ebora in corum, a
„ Leiria in auſtrum VIII.

Scalabis, nunc Santare. Oppid. deſcribitur.

Vide inf. ad annum 1285. n. 5. Ex topogr. in martyr. Ferrerii.

Vide ſup. ad annum 1256. n. 3.

„ XII. Ad hanc igitur Urbem, ſeu Oppidum non tranſtulit, ſed
„ apud eam noviter Alphonſus Regium Monaſterium excitavit, & am-
„ pliſſima dote cumulavit: ſicque Alexander IV. triplicatis litteris
„ Apoſtolicis, in voto paupertatis in communi diſpenſando, ut ad illud
„ ſe transferrent, Monialibus conceſſit: quibus haud ſuper diſpenſatio-
„ ne quieſcentibus, quarto tandem Summus Pontifex a Regis Majeſta-
„ te ſupplicatus, Clariſſas eas paupertatis zelo conturbatas, gravi obe-
„ dientiæ præcepto adegit, ut ab acceptandis Regis proventibus nulla-
„ tenus titubarent: ita ſiquidem in Apoſtolicis litteris datis ad ipſas anno
„ MCCLX. expreſſit: *Nos itaque ipſius Regis piis precibus favore benevolo*
con-

Alphonſus III. Cœnobium conſtruit.

Chron. Pr. Portugal. lib. 5. c. 3.

Illuc transferuntur Moniales.

Ex Orbe Seraph. lib. 11. cap. 10. tom. 2.

Digitized by Google

„ *concurrentes, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ*
„ *Obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus dictum redditum,*
„ *ſtatuto aliquo veſtri Ordinis non obſtante, recipere ſine aliqua dilatione*
„ *ſtudeatis*. His aliiſque viis, concludit Dominicus de Gubernatis, in-
„ troducta inter Clariſſas proprietate in communi, ſingulare illud evan-
„ gelicæ paupertatis inſigne evaneſcere cœpit.

„ XIII. Cuneenſium pariter Civium in Pedemontio pietas hoc an- *Chron. MS. Cunei.*
„ no, ut Civitatis Chronica ſignant, ſacris Virginibus Clariſſis Mona-
„ ſterium intra muros, ſanctæ Claræ nuncupatum, pia liberalitate exci- Monaſterium S. Claræ Cunei.
„ tavit: in quo vigente regulari diſciplina, & Religioſarum virtutum
„ zelo, in dies pullulant ſanctimoniæ flores: ſed ab Ordinis regimine
„ ad Ordinarii curam incerto tempore tranſiit. Alia nihilominus ejuſ-
„ dem Civitatis Chronica etiam manuſcripta præfati Monaſterii fun-
„ dationem in annum MCCXCVIII. rejiciunt.

ARGUMENTUM.

Alexander Pontifex multis circa Inquiſitionem contra hæreticos per Minoritas faciendam prudenter ſtatutis, moritur Viterbii, cui ſuccedit Urbanus IV. Clara Ubaldina ſanctitate inſignis, & Raymirus Peruſinus ex hac vita decedunt. Referuntur varia pietatis exempla. Michael Palæologus fugat ex Oriente Balduinum Imperatorem, Patriarcham Conſtantinopolitanum Venetum, & Latinos quoſque, contra quem jubentur Minores crucem prædicare. Multiplicantur Monaſteria & privilegia.

I. SOLERTER & indefeſſe ſtuduit ſemper Alexander fidei puritati, neque deſides probavit cooperatores Fratres Minores, qui in commiſsis ſibi regionibus lolium ſeparabant a tritico, & cribro ponderoſi examinis paleas excutientes, occultas detegebant hæreſes ſubdolorum Satanæ miniſtrorum. Aliquando his plene probandis deficiebant legitimi teſtes, quales leges præſcribunt. Conſulendum itaque duxerunt Pontificem, an excommunicatos ratione criminis hæreſis, vel alia de cauſa, complices, participes, ſeu ſocios criminis in favorem fidei recipere poſſent ad teſtificandum contra hæreticos, eredentes, defenſores, fautores, & receptatores eorum? Quibus ita reſpondet Pontifex, datis his litteris ad Inquiſitores provinciæ Romanæ, & adminiſtrationis beati Franciſci. Gravis eſt reſolutio, propterea redacta in corpus juris canonici c. *in fidei favorem* de hæreticis lib. 6. cui etiam conſentiunt Concilia Biterrenſe c. 12. & Narbonenſe c. 24. non diſsimiliter conſtituentia.

C. 1. de exceptis. C. licet de probatie. C. teſtimonium de teſtibus. C. teſtes 2. q. 7.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in Provincia Romana, & adminiſtratione beati Franciſci, a Sede Apoſtolica deputatis, & in poſterum deputandis.

Arch Venetum, Minorum. Penna in calce direct.

CONſuluit nos diſcretio veſtra, utrum illos, qui ratione criminis hæreſeos, vel alia de cauſa excommunicationis ſententia ſunt ligati, contra hæreticos, credentes, defenſores, fautores, vel receptatores eorum, ad teſtimonium perhibendum admittere, & ſtare dictis eorum ſeu illorum, etiam debeatis, qui complices, partitipes, ſeu ſocios ejuſdem criminis ſe fatentur? Quia

An ſint legitimi teſtes, excommunicati, vel ſocii criminum?

Quia igitur ſi iidem excommunicati non admitterentur ad perhibendum teſtimonium contra tales, & dictis eorum, ac ſi ſatentiam non ſtaretur, frequenter officium Inquiſitionis vobis commiſſæ in diſpendium fidei contingeret impediri; quando præſertim vix, aut nullo modo poteſt, niſi per ſic fatentes ſuper hoc veritas apparere, ſtatuimus in favorem fidei, ut in hujuſmodi Inquiſitionis negotio, dicti excommunicati, contra hæreticos, credentes, defenſores, fautores, & receptatores eoſdem, ad teſtimonium admittantur, & ſtetur tam illorum dictis, quam eorum qui, ut prædictum eſt, ſocios ejuſdem criminis ſe ſatentur, dum ex veriſimilibus conjecturis, quæ ex numero deponentium, vel perſonarum tam deponentium, quam eorum contra quas deponitur qualitate, ac aliis circumſtantiis conjici poterunt, ſic fatentes non falſa dicere præſumantur. Datum Laterani x. *Kal. Februarii Pontificatus noſtri anno* VII.

II. Deinde ne quidquam deeſſet in graviſſimo negotio collaborantibus, ſcripſit ad Miniſtrum, & ceteros Prælatos Provinciæ Romanæ, ut deputatis Inquiſitoribus binos darent ſocios, & ultra hos, ſi occaſio expoſtularet, plures. Habetur diploma in Archivo Aracœli ſub plumbo, num 96.

Dilectis filiis Provinciali Miniſtro, ac ceteris Cuſtodibus, & Guardianis, eorum Vicariis Ordinis Minorum in Urbe, & adminiſtratione ipſius.

Jubet ſingulis Inquiſitorib. duos dari ſocios.

NE catholicæ fidei negotium dilectis filiis ... Fratribus veſtri Ordinis in Urbe, & adminiſtratione ipſius ab Apoſtolica Sede commiſſum, ex perſonarum defectu contingat, quod abſit, quomodolibet impediri. Volumus & præſentium vobis auctoritate diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus tu, fili Miniſter Provincialis, ſingulis ex prædictis Fratribus duos ſocios, Fratres videlicet ipſius Ordinis, providos & diſcretos, ac eidem negotio congruentes, de quibus ii quibus aſſignati fuerint, merito valeant conſolari, ſublata difficultate qualibet aſſignare procures; & nihilominus tam tu, quam vos alii Cuſtodes, Guardiani & Vicarii, quotiens ab eiſdem Fratribus, quibus dictum eſt commiſſum negotium, fueritis requiſiti, & dicto negotio fuerit opportunum, & de aliis etiam Fratribus ejuſdem Ordinis præter illos, qui eis in ſocios deputati fuerint, cum omni promptitudine providere curetis, ita quod præfatum negotium nullam ex negligentia veſtra dilationem capiat, ſed potius ex diligentia continuum ſuſcipiat incrementum. Datum Laterani VII. *Idus Februarii Pontificatus noſtri anno* VII.

Et plures ſi fuerint neceſſarii.

III. Eiſdem Romanæ Provinciæ, & Urbis Inquiſitoribus concedit, ut ſemet invicem ab excommunicationis ſententia, & irregularitate poſſint abſolvere. Habetur ibidem numero 88.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in Urbe ac ejus Provincia.

Concedit Inquiſitoribus, ut ſe invicem poſſint a cenſuris abſolvere.

UT negotium fidei valeatis liberius promovere, vobis auctoritate præſentium indulgemus, ut ſi vos excommunicationis ſententiam, & irregularitatem incurrere aliquibus caſibus ex humana fragilitate contingat, vel recolatis etiam incurriſſe; quia propter injunctum vobis officium ad Mini-

niſtros veſtros de levi ſuper hoc recurrere non poteſtis, mutuo vos ſuper his abſolvere, juxta formam Eccleſiaſticam, ac vobiſcum auctoritate noſtra diſpenſare poſſitis, prout in hac parte dictis Miniſtris dicitur ab Apoſtolica Sede conceſſum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis &c. Datum Laterani III. *Non. Martii, Pontificatus noſtri anno* VII.

IV. Mox datis aliis litteris VI. Idus Februarii incipientibus: *Ne commiſſæ vobis*, tribuit eis auctoritatem excommunicandi, & cenſuras alias ferendi, ad exemplum ſui prædeceſſoris Innocentii IV. cujus de hac re diploma dedimus ſuperius. Et II. Kalend. Martii reſcriptis eiſdem, quas in hac re dedit idem Innocentius, confirmavit leges latas tam a Pontificibus, quam ab Imperatore Friderico contra hæreticos. Servantur in eodem Archivo num. 46. & 1.

Tom. 3. an. 1254. n. 7. & ſeqq. an. 1254. n. 12. & 31.

V. Tamdem Alexander poſt turbulentas Italiæ viciſſitudines, ſed in medio tantarum calamitatum recte prudenterque gubernatam Eccleſiam, hoc anno VIII. Kalend. Junii, Viterbii Faliſcorum, quo ſe Anagnia receperat, pacem inter Venetos, Genuenſeſque compoſiturus, tædio animi, ob ingruentia mala, odiaque funeſta Chriſtianorum, quæ mœſtiſſimus in dies videbat augeri, vitæ finem poſuit, & honorifice in Eccleſia Cathedrali ſancti Laurentii ſepultus eſt, cum ſediſſet in Pontificatu annos ſex, menſes quinque, dies quinque. Pontificis ſummi partes plene abſolvit, Eccleſiæ jura intrepide defendit, juſtitiam & veritatem impenſe coluit, pauperes valde dilexit, hæreticos perpetuo inſectatus eſt odio, propriis manibus eorumdem libros flammis devovens, excolendis Sanctorum Eccleſiis pie animum addixit, eruditos viros in pretio habuit, regularia inſtituta multis fovit beneficiis, ſed præ omnibus Minores, quorum ante Pontificatum Protectorem egit, & in ipſo Pontificatu ſedulam curam geſſit, præter ſe nulli hunc fidens Ordinem, quantumvis ex Regulæ præſcripto Cardinalem petierint Fratres in Protectorem. Neque illi prorſus ingrati, aut tot beneficiorum immemores, qui generali condito ſtatuto, præceperunt de tanto Pontifice ferias agi, ejuſque exequias celebrari quotannis in vigilia translationis beati Franciſci, prout videre eſt in conſtitutionibus antiquis Ordinis in fine.

Moritur Alexander Pontifex. Ejus laus.

Grata ejus memoria apud Minores.

VI. Sub Alexandri mortem 19. dumtaxat Cardinales vivebant, e quibus Prænestinus aberat in Hungaria. In tam exiguo numero ingentes de Pontificatu contentiones exarſere, quæ ad tertium uſque menſem electionem protraxerunt. Demum cum alter alteri cedere nollet, XIV. Kalend. Septembris elegerunt in Pontificem, maxime hortatu Joannis Caetani Urſini, magnæ auctoritatis Cardinalis, Jacobum Pantaleonem Patriarcham Hieroſolymorum, Trecenſem Gallum, ſordido genere, patre ſutore veteramentario, natum, ſed virtutibus illuſtrem. Humilis ortus objecta ſibi aliquando conditione, reſpondit: *Nobilem naſci naturæ eſſe, fieri vero virtutis & nobilitatis*. Coronatum ſeu conſecratum ſolemni ritu pridie Non. Septembr. ſcribunt Panvin. Ciaconius, & ex his alii: ſed per plures menſes dilatum probat quod ſubjicio diploma, quo rationem reddit, quare litteras ſuæ aſſumptionis denunciatorias, pendenti plumbo non ſignaverit. Singularem in hoc genere epiſtolam exſcripſi ex formulario Marini Ebulenſis lib. 2. tit. de elect. Romani Pontificis.

Creatur Urbanus IV.

Panvin. in chronol.
Ciacon. in Urbano IV.
Bzov. in Urban. an. 1.

URBANUS PAPA IIII.

Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, & aliis Eccleſiarum Prælatis &c.

POſtquam felicis recordationis Alexander Papa prædeceſſor noſter de hujus vitæ tenebris, prout de pietate divina confidimus, tranſivit ad gloriam perpetuæ claritatis, vobis & omnibus aliis Chriſti fidelibus credimus fuiſſe votivum, quod de ſubſtitutione Romani Pontificis feſtinam certitudinem haberetis. Inde fit, quod ad notitiam veſtram ſine aliqua dilatione proferimus, Nos licet immeritos, qui olim Patriarchatus Hieroſolymitani fungebamur officio, ad culmen dignitatis Apoſtolicæ, ſicut clementiæ Regis æterni placuit, perveniſſe. De hoc autem quod bulla ſine impreſſione noſtri nominis eſt appenſa præſentibus, veſtra exinde non miretur devotio, ſed potius gratuletur maxime, cum nos veſtris deſideriis occurrentes, vobis eaſdem litteras ante ſolemnia conſecrationis noſtræ miſerimus, infra quæ uſus bullæ cum impreſſione nominis non habetur. Hanc ſiquidem de bulla ipſa, quæ non dudum noſtri ſubſcriptione nominis inſignitur, cauſam rationabilem vobis filii benedictionis & gratiæ ſufficiat audiviſſe: quia vos & alii cito eum nos, ſicut moris eſt, conſecrationis inſignia fuerimus aſſequuti; noſtras habebitis litteras perfectæ Bullæ appenſione munitas. Datum Viterbii Kalendis Martii, ſuſcepti a nobis Apoſtolatus officii anno 1.

Ante conſecrationem non ſolere apponi nomen Pontificium in forma bullæ.

VII. Non ſolum encyclicas has dedit ad univerſos Prælatos de ſua creatione litteras, verum Ludovicum Galliarum Regem, ceteros Principes, nec non perſonas Deo devotas ejuſdem admonuit, omniumque orationes humiliter poſtulavit. Piam dedit ad ſuam ſororem Clariſſam Monaſterii Montis-Lucidi juxta Peruſium, epiſtolam, ſcriptam ejuſdem tenoris ad Abbatiſſam, ceteraſque Sorores dicti domicilii. Eam damus ex prædicto formulario.

Agneti Moniali Monaſterii ſanctæ Mariæ Montis-Lucidi Peruſin. Ordinis ſancti Damiani, ſorori noſtræ.

MIrandum forte æſtimas, dilecta in Chriſto filia, & ſoror in carne, poſtquam ad iſtud Apoſtolici culminis pœnale faſtigium, quod quidem animæ noſtræ deliberatio non elegit, nos voluntas divinæ diſpoſitionis, & utinam non indignationis aſſumpſit, anxiam te ſuſpendit aliquantulum noſtrarum expectatio litterarum. Verum alia noſtram, & alia diſponit, ut credimus, cogitatio mentem tuam. Nam etſi forſan de gradu noſtræ promotionis exultans, quaſi aliquid in nobis tibi proſpere ſucceſſerit, expectes animale cordis tui gaudium ſuper hoc inſinuationis noſtræ relatione compleri. Nos tamen tamquam triſtia paſſos, non læta, in eo quod de nobis contigit aſſequutos, niſi iis, quos nobis in adverſis compati credimus, referre tam ingentem cauſam noſtræ amaritudinis non delectat. Nempe ſi adhibitos nobis in hac gravi noſtra mutatione ſentires aculeos punctionum, quibus ad imponendam infirmis humeris graviſſimam Orbis ſarcinam, & ad quotidianam univerſalis Eccleſiæ ſollicitudinem inſufficientibus viribus tolerandam impellimur; judicares utique non congaudendum nobis, ſed profuſis lacrymarum im-

Quam grave onus Pontificatus.

imbribus condolendum; & quibus præcordia noſtra iſtius altitudinis, in quam venimus inquietationibus quatiantur, affectares potius ignorare, quam ſcire. Tu ne beatitudinis alicujus gloriam eſſe putas; de honoris celſitudine, qua præeminere videmur, nos interius affici noſtro judicio, & exterius haberi felices judicio alieno? Potius illos felices judica, quorum crux patet exterius, ſed latiorem habent interius unctionem. Significanda tibi hæc quidem fuerant, ut afflictionem viſcerum noſtrorum, quæ calix iſte, quem coacti ſumus bibere, conturbavit, paribus nobiſcum gemitibus patiaris: quæ ſola ex animo, tamquam proximior nobis præ ceteris in Domino, & in carne in aſperitate quacumque adurente cor noſtrum, dolere crederis vicem noſtram. Sed quando vocationis vox illa terribilis in auribus noſtris intonuit, quæ nos in hanc periculorum eminentiam ſupremæ ſpeculationis invexit, tantus nos ſtupor abſorbuit, quod potias mirari potes, & quærere ſi quid nobis remanſit virium? ſi quid mentis? quam movere de noſtra taciturnitate querelam. Adde quod inter ipſa noſtræ promotionis auſpicia, nos frequens turbatio negotiorum impedit, & difficultatum undique ingruentium involvit; ita quod nulla quietis noſtræ vacua curis hora relinquitur, & cordi noſtro tempeſtuoſa ſunt, etiam dormientibus nobis, noctis ſilentia intempeſta: Itaque dolere ſuper nos potius quam lætari te convenit: quod ſupra vires opprimimur jugo, quod impoſitæ ſervitutis anxietatibus cruciamur: quod negotiorum ſupergredientium caput noſtrum vexamur laboribus; quos, niſi divina clementia, & pia Eccleſiæ patrocinia infirmitatem noſtram adjuverint, quomodo poterimus ſuſtinere? Ergo filia, quæ tranquilla ſedes ad Luc. 10. 42. *pedes Domini, extra tumultus ſeculi frueris optima portione; nos tam gravi occupatos miniſterio, tot injunctæ ſollicitudinis turbationibus involutos adjuva quæſumus coram Deo ſuffragiis quibus potes. Speramus enim quod ſi ad aures Domini clamorem cordis tui affectus intenſior introducat, plenius nobis divini favoris auxilium impetrabis, & tam tibi ad meritum, quam nobis ad conſolationis ſolatium bene erit; cum in miniſterio Domini negotium noſtrum tuo ſenſerimus otio relevari.*

VIII. Floruit hoc tempore Florentiæ io Monaſterio Monticelli ſive de Monticulo: Rodulpho improprie vel corrupte Montis-Cœli, ſub ſtricta Regula beatæ Claræ a ſancto Fraociſco tradita, præſtantiſſima & æque pia Domioa Clara de Ubaldinis, io ſeculo dicta Avegneote, oobiliſſimi viri Galuriæ uxor, & Illuſtr. Cardioalis Octaviani de Ubaldinis, magnæ auctoritatis apud Pontifices, conſanguinea. Viro orbata dum in lecto meditaretur vitam ſanctam turbarum expertem, quam Moniales apud Monticelli Parthenonem agebant: ſummum concepit deſiderium eamdem ſubeundi. Rem ſanctam animo conceptam mox perfecit, contemptis teneræ prolis lacrymulis. Amitam ſequutæ ſunt neptes duo Joaooa & Lucia, prædicti Cardinalis ſorores. Egregio ſui generis ſtemmate Monaſterium illuſtrarunt, ſed & nobilitatem amplius mira decorarunt pietate. Excelluit inter omnes Clara, taliter ut ſola digna judicaretur, quæ Monaſterium regeret ad diſceſſum beatæ Agnetis, ſororis ſanctæ Claræ, quam domui huic præpoſitam aliquoties monuimus. Vexabant undique hoc tempore Florentinos bella, a quibus Octaviaous Cardinalis timuit Sororibus, amitæ, reliquiſque Sanctimooialibus, procul a Civitate io loco, qui ſanctum dicebatur Sepulcrum, prope Monachos Olivetanos habitantibus. Tranſtulit itaque univerſas hoc anno in nocte ſancti Jacobi ad Monaſterium peramplum & magnificum a ſe coo-

Vita MS. Marian. l. 2. cap. 25. Marc. 2. par. lib. 1. c. 54. Rodulph. f. 137.

Acta beatæ Claræ Ubaldinæ.

Translatio Monaſterii Florentini.

ſtructum, ad portam ſancti Patrigatolini, alias Romanam, ipſo ducente omnes numero quinquaginta. Præcedebant oſſa Fratrum & Sororum in priori Monaſterio ſepultorum, necnon mantellum ſancti Franciſci, ſtola quam habuit, dum miraculoſum decantavit Græcii Evangelium, & velum nigrum ſanctæ Claræ ab eadem ſub morte legatum. Proceſſionem hanc, vel ob venerandas reliquias, vel ob commendandas Virginum virtutes magno probavit Deus prodigio, ſonantibus omnibus totius urbis campanis nemine trahente, neque novi Monaſterii ceſſavit tinnitus, donec oſſa quæ aſportabantur decenti loco in cœmeterio fuerunt recondita. Sanctorum hominum fuiſſe probavit patulum miraculum: nam cum ex Sororibus una ex apoſtemate malo pedem haberet incurabilem, quem ne ad reliquum corpus ſerperet virus, medici jubebant præſcindi, valde dolentem in ipſam immiſit foveam, qua tot piorum hominum, & religioſarum mulierum reliquiæ recondebantur, factaque oratione, ut per merita illorum, quorum illæ erant exuviæ, ſalva fieret, repente exaudita eſt exiliens, & laudans Deum.

Miracula facta in translatione.

Qualiter diſcipulas educabat.

IX. Prudens vero & ſancta Abbatiſſa Clara in hoc novo habitaculo in novitate vitæ, & arctiori diſciplinæ genere ſubditas educabat, aſſerens in novis ædibus renovari etiam decere & mentes; neque ullas, quantumvis perfectas, inveniri, quæ ad altiorem vitæ perfectionem non debeant aſpirare. Summas divitias docebat eſſe cum Chriſto egere, neque ſecurius eſſe neceſſitatis remedium, quam in Domino ſpem omnem reponere. Id expertæ ſunt ſæpius diſcipulæ in ſumma rerum egeſtate, miniſtrante Domino cuncta affluenter. Evenit ſemel, ut nihil ſupereſſet pauperculis Sororibus, quod ſequenti die manducarent; neque illæ ſollicitæ de craſtino, animo concidebant, certiſſime credentes, divinum non defuturum ſubſidium. Aderat jam craſtini tempus, quo cogitare deberet architriclina de prandio; quæ confidenter abiit in chorum, & ante Chriſti in Cruce pendentis imaginem commendatas ſibi officinæ claves reponens, inquit: *Domine propter te has accepi; ut tuæ parerem voluntati, meam negavi; contra quam etiam, hoc munus admiſi, confidens te mihi certo tributurum, quod ego dilectis tuis ancillis poſſim miniſtrare. Id jam non videris præſtare: tibi proinde claves defero: neque enim ſine tuo ſubſidio audeo amplius retinere: Quia mihi non das, ipſe tuas famulas paſce.* Dum hæc candida & fiducia plena coram Chriſto verba proferret, vocata ad oſtium, libras accepit viginti quinque argenteas ab ignoto homine, qui unde veniret? aut a quo miſſus? dum interrogaretur, diſparuit.

Egentibus providetur miraculoſe.

Moritur Clara non ſine miraculis.

X. Annis multis Monaſterium rexit venerabilis hæc Abbatiſſa, donec in ſenectute bona complevit tempora multa, eccleſiaſticis Chriſtiano ritu præmiſſis officiis. Multis ſtatim cœpit clarere miraculis, quibus allecti Eccleſiæ majoris Florentinæ miniſtri, nullo rogante miſerunt arcam marmoream, in qua deberet recondi corpus miraculoſum; quod pii viri monumento incluſum alto in loco muri interioris Eccleſiæ honorifice coaptarunt; hoc addentes Epitaphium, prout illa ferebat ætas, impolitum.

Vita præclara refulgens nomine Clara:
Norma recluſarum, ſpeculum ſine turbine clarum,
Inclyta cunctarum Chriſti jacet hic famularum.

Corpus ejus incorruptum.

Duodecim ab obitu annis mortuam ex neptibus unam dum vellent eadem in arca recondere, invenerunt amitæ corpus omnino integrum, adeo molle & tractabile, ac ſi ipſo die moreretur. Sed quod ad miraculi com-

commendationem accedit eſt, quod in arca erecta veluti ſedens, dexteram elevaverit in modum benedicentis populo numeroſo valde, qui ad videndum prodigioſum corpus confluxerat. Sanavit tunc viri nobilis Florentini Teghiæ de Theloſenis filiam nomine Sandram ſexennem, utraque manu fiſtula laborantem, quibus medici paulo ante aliquot digitos abſcindendos judicarant.

Sanat fiſtula laborantem.

XI. Anno 11. Pontificatus Pii II. Magdalena Bononienſis Abbatiſſa aucto Monialium numero, dilatavit chorum crateſque Eccleſiæ. Hinc loco moveri oportuit corpus beatæ Claræ, inventumque eſt undique ſanum, veſtes illæſæ, & brachium, quod alias extulit ad benedictionem, pectori appoſitum decenter. Palpatum corpus molle & tractabile; oſtenſumque per triduum infinitæ hominum multitudini. Præ ceteris acceſſit modum inconditæ populari devotioni poſiturus D. Chriſtophorus de Podio V. I. D. Eccleſiæ Bononienſis Archipresbyter & Canonicus, ac Archiepiſcopi Florentini Vicarius generalis, cum aliis multis Canonicis, & presbyteris: qui magno miraculo adſcribentes quod viderant, circumſtantibus diviſerunt veſtimenti reliquias, velum nigrum, & alterum album inter templi ſacra repoſuerunt, prodigioſum vero corpus cum oſſibus neptis, eminentiori & decentiori loco repoſuerunt. De hac præſtantiſſima fœmina plures ſcripſerunt Marianus Florentinus, Petrus Rodulphus, Marcus Ulyſſipponenſis, Joannes Baptiſta Ubaldinus in hiſtoria Ubaldinæ familiæ inter Hetruſcos nobiliſſimæ; frater Julianus de Cavalina Minorita peculiari hiſtoria MS. & de eadem mihi miniſtrata antiqua monumenta MS. ab Illuſtriſſ. viro Octaviano de Ubaldinis Roberti de Ubaldinis Cardinalis fratre, & Pontifici, equitatus olim præfecto.

Poſt multos annos transfertur etiam illæſa.

Qui de ea ſcripſerunt.

XII. Obiit hoc tempore frater Raymirus Peruſinus, vir pius, & zeloſiſſimus prædicator, qui Mantuæ fundavit celebrem illam Congregationem, quam *Scholam mortis* vocant, cujus illa pietas, ut ultimo plectendos ſupplicio ad pœnæ locum comitetur, morientibus aſſiſtat, & defunctorum animabus parentet. Primum obtinuit pro ſuis muniis peragendis ab Epiſcopo Mantuano Martino Oratorium ſanctæ Mariæ Gentilis, de Innocentibus nuncupatum, propter brachium unius ex eiſdem Sanctis ibidem religioſe conſervatum. „ Hoc anno vel ſequenti Pontificatus „ ſui primo, invenio in Regeſto Vaticano Urbanum IV. creaſſe Epiſco- „ pum Valnenſem in Regno Neapolitano quemdam fratrem Jacobum „ Minoritam.

Doneſmun. in hiſtor. Mantua. l. 4.

Obitus Raymiri Peruſin.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

XIII. Circa hunc eumdem annum teſtatum voluit Dominus, quam ſibi diſpliceat Religioſorum regreſſus ad ſeculum, neque crimen hoc inultum remanere. Miſellus quidam ex hujus Sodalitii profeſſoribus a Satana victus, cum Ordinem & domum deſerviſſet, ſequuti ſunt eum Fratres duo caritate adacti, ut reditum perſuaderent: quorum is conſilia dum obſtinatiſſime rejiceret, atrum canem miſero illi imminentem viderunt, eoque ſpectaculo territi exclamare cœperunt, ut caveret a tam informi beſtia: is vero eo magis inſaniens, habitum exuit, procul abjecit, in fugam ſe dedit. Ecce autem paucis confectis paſſibus, monſtrum illud, quod hactenus dum habitum geſtaret, nocere non potuerat, poteſtate tum accepta, in eum inſiluit, & ad terram detractum ſtrangulavit tam ſubito, ut Fratres illi accurrentes, mortuum jam repererint.

Plat. lib. 3. c. 17. Marc. Lib. 1. c. 47.

Habitum abjiciens male perit.

XIV. Circa idem tempus Dei virtute plurima Diaboli tentamenta re-

Marian. l. 2. c. 19.

Minoritæ ad aliã Religionem trãſiens obcæcatur.

Suadet dæmon Religioſo ut ſuper aquas gradiatur.

repulſa, dum laboravit Minores aliquos a ſua profeſſione revocare. Quidam ex Minoritis ad Ciſtercienſes tranſivit, ſed dum votum de perpetuo profitendo religioſiſſimo hoc Inſtituto vellet emittere, denſa cæcitate fuit perculſus, nec ulla arte viſum potuit recuperare, donec ad ſuos, ipſis ſuadentibus Monachis, regrederetur. In Monaſterio Montilii Cuſtodiæ Viennæ, provinciæ Burgundiæ, apparuit dæmon cuidam Religioſo devote oranti in ſpecie Guardiani, & ex nomine vocavit, ut ſequeretur. Vir obediens Prælatum putans, ſequutus eſt præcedentem donec pervenerunt ad Rodani ripam. Super aquas etiam præceſſit hæſitantem ſi tanto periculo ſe deberet committere. Inſtabat dæmon, ut quodcumque propter obedientiam negligeret. Cui dum hic reſponderet; oportere, ut præceptum eſſet diſcretum, detecta fuit dæmonis illuſio; ad quam ſtupens & tremens Religioſus domum rediit, Deo gratias agens, qui eum liberavit a laqueo venantium, & a manibus operantium iniquitatem.

Pſal. 90. 3.

Pſal. 139. 6.

Alii ſimiles ſtruxit inſidias.

XV. In Conventu Ferrarienſi cuidam adoleſcenti in via qua ambulabat, abſconderunt ſuperbi laqueum, invitantes ad ſolitudinem, cujus erat valde ſtudioſus. In ſpecie bonorum Angelorum apparentes, & vocantes extra ſepta Monaſterii, ſub hora Completorii ſequutus eſt, donec ad latam quamdam foveam, Monaſterii terminum, pervenit. Dum hanc ſuaderent, ut ſaltu tranſiliret, latiorem reſpondit eſſe, quam ut auderet, euſque tamquam angelos Dei, facile eum poſſe transferre. Reſponderunt coacti non hoc ſibi licere, quia ibi conſtituti erant limites Cœnobii. Rei myſterium interroganti, dixerunt: potentem eſſe totius communitatis orationem in choro tunc recitatam ſub illis verbis: *Viſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle*, &c. *Quid ergo*, ſubjunxit Frater, *Diaboli eſtis vos? Sumus*, inquiunt, *qui ut terminos Monaſterii tranſilires cupieramus, & mox in apoſtaſiæ pœnam in foveam præcipitem dare curaremus. Salvavit te oratio bonorum, ne quidquam in te poſſemus*: Quibus dictis evanuerunt, & Frater cautior factus hoc periculo, omnem ſingularitatis & ſolitudinis depoſuit concupiſcentiam, inter conſodales ſecure & hilariter deinceps converſatus. Neque mirum aut incredibile judicari debet, quod de Fratrum concinentium in hoc Monaſterio efficacia refertur, quippe, ut ſcribit Bartholomæus Piſanus, tanta devotione in illo Monaſterio divinum perſolvebatur officium, ut ſæpius viſi & auditi ſint Angeli cum Fratribus alternis choris pſallentes.

Potens communitatis oratio.

In Conventu Ferrarienſi cum Fratribus pſallentibus, Angeli quoque pſallebant.

Piſan. conform. 11.

Fugiens e Monaſterio revocatur ab Angelo.

XVI. Ex Fratribus alter, Matthæus nomine, omnino volens ad ſeculum redire, de commutando habitu in veſtem ſecularem anxius cogitabat. Adfuit dæmon, qui cogitatum & conatum approbavit, atque ut quantocyus recederet, perſuaſit, itineris ſe ducem offerens ſecurum. Cum malo ductore pergit miſer, ſed propter quotidianum Mariæ Virginis obſequium, ejus miſertus eſt Dominus, atque angelum ſuum bonum miſit, qui periturum reduxit ad Fratres, quibus culpam detexit, & pie poſtea convixit. Novitium fratrem valde tentatum, ut ad ſuos rediret, & tentationem aſſidua Chriſti paſſionis meditatione repellentem, Dominus conſolatus eſt, manifeſte cicatrices & vulnera recentem manantia ſanguinem oſtendens. Quæ dum ita renovaſſe in ſacro inſtituto titubantem aſſereret, adoleſcentulus conſtanter in ſancta vocatione permanſit. Dives quidam factus Minorita, humilitatis obſequiis a ſuperiore addictus, cœpit hujus vitæ tædere, atque ad luxum & gloriam, quam abjecerat,

Alteri diſceſſuro Chriſtus patentia oſtendit vulnera.

Religioſos humiles eſſe oportet.

cerat, reverti. Vidit nocte ſequenti ſpecioſas nimis ædes, quas dum ingredi vellet, neque januam inveniret; reſponſum ei a ſpecioſiſſima Virgine e feneſtra proſpiciente, non patere turris aditum, niſi humilibus & abjectis, vanitates ſeculi deſpicientibus.

XVII. Amici duo ſua nomina huic dederant Inſtituto, eo inter ſe inito pacto, ut ſi cuiquam illorum vitæ aſſumptæ genus diſpliceret, alter cum eo recederet. Unus nolebat ulterius in ſancto propoſito progredi, ſuadebatque ut alter juxta factam promiſſionem ſecum abiret. Diſſuaſit hic ne ab incepto deſiſterent, nec omnino poterat obtinere; tamdem importuna victus amici prece, rogavit ut per Eccleſiam diſceſſuri tranſirent. Commendavit beatæ Virgini ad ejus altare proſtratus amici diſcrimen, cum lacrymis orans, ut a gravi liberaretur tentatione. Dum paululum hæſiſſent; qui ad receſſum ſocium impellebat, vidit ſanctum Franciſcum orantis lacrymas colligentem, & beatæ Virgini offerentem, ne receſſurus periret. Hac viſione confortatus in ſancto Inſtituto, conſtanter per omnem vitam ſancte permanſit. Aliud huic ſimile alteri accidit tironi Pariſiis. Diſceſſurus orabat coram altari majori, viditque ex ipſa pyxide prodire Chriſtum in ſpecie humana, ſua vulnera objicientem, regreſſuri arguentem ingratitudinem, qui ſuavia Religionis onera ferre detrectabat propter eum, qui tot vulnera pro eodem erat perpeſſus. Erubuit juvenis ad aſperam exprobrationem, & deinceps Inſtituti ſui onus levius judicavit, quam ut ſemel ſuſceptum propter Chriſtum excuti liceret; imo Religionis rigori alios addidit modos pœnitendi. His ſane eventibus, & priſtinis auxiliis probatum Dominus voluit, quod *quicumque Chriſti ſigna deſerit, propterea quod nihilominus ſe putat poſſe virtutem colere, Deoque placere, eum vehementer decipi. Quid enim in eo vitæ genere, quod nullis diſtrahentibus curis vexetur, ideoque minime obnoxium eſt peccatis, tamen adverſario reſiſtere non potuit: quomodo credibile eſt eum in vita illa, in qua multi ad peccata aditus pateant, & quæ ſub ipſius arbitrium in ſua poteſtate retineat, aliquid facturum eſſe, quod cum virtute conjunctum ſit?*

Receſſurus a Religione per amici preces mirabiliter retinetur.

Alter remanſit ad oſtenſa ſibi Chriſti vulnera.

Baſil. de ebd. ſac.

XVIII. Res Orientis in malo ſe habebant ſtatu, poſtquam an. MCCLIX. Michael Palæologus vi, & arte urbem Conſtantinopolim obtinuit, fugeruntque in Occidentem Balduinus ſecundus Imperator, & Pantaleo Juſtinianus Venetus, novæ Romæ Patriarcha. Cogitarunt Imperator & Dux Venetus de reſarciendis Latinorum in Oriente jacturis, iterumque recuperando Imperio, quod per quinquaginta annorum ſpatium obtinuerant. Interim Palæologus Latinos exagitabat, ſævitiam in plures exercebat, imperium tyrannice ſtabiliebat; quare Pontifex Urbanus de adjuvandis Gallis, & Venetis exercitum copioſum nimis pro ſubveniendis Latinis, & locis ſanctis, mittentibus, anxius cœpit cogitare. Dedit itaque graviſſimam epiſtolam hanc ad Miniſtrum Provincialem Minorum regni Franciæ, ut quos poſſet ad ſacrum hoc bellum excitaret. Exſcripſi ex Regeſto Vaticano num. 129.

Expulſi Latini ex Oriente.

URBANUS PAPA IV.

Miniſtro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum in Regno Franciæ.

ORta eſt nobis de partibus Romaniæ multæ turbationis materia, & exinde proſilierunt jacula, quæ diris puncturis affecerunt, & afficiunt intima cordis noſtri. Ecce ſiquidem in regione illa contra fidelem populum

pulum ſchiſmaticorum erectus eſt gladius, undiquo ad ſubvertendum Catholicorum ſtatum gravis perſecutionis turbo prorupit, propter quod cultores fidei orthodoxæ hoſtilibus inibi quatiuntur inſultibus, & Chriſtiana religio variis & diverſis adverſionibus impugnatur. Palæologus namque ſchiſmaticus, qui Græcorum Imperatorem vocari ſe facit, poſtquam illius perfidæ gentis obtinuit principatum, contra populum Latinorum, qui in illis partibus commoratur, cœpit in eum furoris tyrannidem inhumaniter exercere, ſicque adverſus eum una cum ſubjectis ſibi Græcis nationibus conſpiravit, quod ad illius exterminium & ſubverſionem tota ſuæ malignitatis convertit ſtudia, direxit intentionem, & animum præparavit, improbe ſperans ſe poſſe de facili, Latinis ejectis, exinde Conſtantinopolitani Imperii dominium integre obtinere. Congregato igitur poſt debellationem, & captionem dilecti filii nobilis viri Guillelmi de Willardum Principis Achayæ, exercitu copioſo, & Civitatis Conſtantinopolitanæ finibus appropinquans, Civitatem eamdem, cum non poſſet illam violenter capere, proditionaliter occupavit, collocans in ea ſuperbiæ ſuæ ſedem in ſempiternum opprobrium Latinorum. O quantos concepit dolores! O quot ſuſpiria protulit! O quam acerbas effudit lacrymas Romana mater Eccleſia, cum audivit, quod prætactam Civitatem, quæ in ejus permanens unitate in ſuo gremio altius relucebat, amiſit! Recolens etenim quod multo tempore auxie vigilavit laborioſa ſtudia intentis vigiliis annectendo, ut Civitatem tam inclytam, & famoſam, tamque inſignem, & amabilem obtineret, memor etiam ſollicitudinum, ſuſpiriorum & laborum, quibus felicis recordationis Innocentius Papa III. prædeceſſor noſter illam Imperialem Urbem ad unitatem Catholicam conquiſivit; & audiens eam ſic probroſe deperditam, & ab ejus obedientia & devotione ſubtractam, acuti doloris gladio ſua præſenſit viſcera perforata. Verumtamen quantumcumque immenſum ex hoc flebili caſu Civitatis ejuſdem dolorem concepit & mœrorem, nequaquam ob hoc cecidit ſpes ipſius, nec fuit animo conſternata, quin de ipſius Civitatis, & per conſequens dicti Imperii recuperationem ſollicite cogitaret, confidens in illo, qui eſt in ſe ſperantium fortitudo, quod poſt hujus percuſſionis dolorem, conſolationis opportunæ medelam miſericorditer adhibebit. In hoc enim claret excellentia fidei, ſuper cujus petram eadem Eccleſia fundata conſiſtit, quia quanto gravius Eccleſia ipſa impetitur, tanto perſiſtit conſtantior, quoniam immobile accepit in Chriſto, qui eſt veritas, fundamentum. Nam licet antiquis temporibus eadem Eccleſia memoratum Imperium amare planxerit ab ejus unitate ſubtractum, licet diutinas & innumeras amaritudines & afflictiones pertulerit de ſuorum inibi dimicantium oppreſſionibus filiorum, ſemper tamen animo fortis ſtetit, nec unquam quæ potuit, illuc ſubſidia deſtinare ceſſavit, quia ſibi continuo divina potentia in tanti proſequutione negotii neceſſariæ ſubventionis largitione providit corda fidelium, ad præbendum ei ſuper hoc aſſidue attendendo, ex quibus innumeri jam effuſo in pugna tam ſalatifera ſanguine, curſum vitæ præſentis ſub glorioſo triumpho martyrii feliciter conſummarunt. Verum quia dicti Palæologi nequitia faventis temporis tumefacta ſaffragio, prædicta Urbe, quæ memorati Imperii caput exiſtit, taliter occupata, ad occupationem reſidui ejuſdem Imperii, videlicet Principatus Achayæ, ac Moreæ ferventer anhelat. Nos attendentes, quod Eccleſiæ corpus ex membri tam cari, ſcilicet Imperii prætacti carentia, ſi prætactum reſiduum, quod abſit, occuparetur ab eo, notam probroſæ deformitatis incurreret, & ſuſtineret debilitatis dolendæ jacturam: conſiderantes etiam, quod cariſſimus in Chriſto filius noſter Balduinus Illuſtris Imperator

Palæologi adverſus Latinos hoſtiles conatus.

Con-

Conſtantinopolitanus, & nobilis Vir Dux Venetorum, ſicut ejuſdem Imperatoris, & ejuſdem Ducis nuntii nobis in noſtra conſtituti præſentia retulerunt, una cum Prælatis & Baronibus Principatus jamdicti, magnificum tam per mare, quam per terram pro ſuccurſu ejuſdem Imperii jam diſpoſuerunt facere apparatum, ac volentes eos in hoc fidelium Chriſti præſidiis adjuvari, digne providimus fore ab eiſdem fidelibus opportunum propter hoc ſuffragium poſtulandum. Tuæ igitur diſcretioni per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus tam per te, quam per alios Fratres tui Ordinis, quos ad hoc idoneos eſſe cognoveris, proponens eiſdem fidelibus per Regnum Franciæ, necnon per alia loca, per quæ tua adminiſtratio ſe extendit, juxta datam tibi a Deo prudentiam, verbum Crucis, eos attentis & ſedulis exhortationibus inducere non omittas, ut penſantes provide, quam ſit neceſſaria nunc Imperio prætacto feſtina ſubventio; Advertentes etiam, quod per Imperii prætacti ſuccurſum Catholicæ fidei, & Eccleſiaſticæ libertatis augmentum, necnon & Terræ ſanctæ liberatio ſpecialiter procurantur, ad ſuccurrendum eidem Imperio, ac Latinis morantibus in eodem, quinimo ad Imperium ipſum eripiendum de manibus adverſariorum, contra prædictum Palæologum, & fautores ipſius aſſumpto Crucis ſignaculo, viriliter & feſtinanter exurgant. Prædicto quoque fidelibus ipſis, quod dictus Dux Venetorum omnes Cruceſignatos hujuſmodi ſuo potenti navali ſtolio illuc deferri faciet ſine naulo. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ex illa, quam nobis licet indignis, Deus ligandi atque ſolvendi contulit poteſtate, omnibus eidem Imperio ac Latinis in perſonis, vel bonis eorum ſuccurrentibus illam ſuorum peccaminum veniam indulgemus, ipſoſque illo privilegio eaque volumus immunitate gaudere, quæ prædictæ Terræ ſanctæ ſubvenientibus in generali Concilio ſunt conceſſa. Non obſtante Sedis Apoſtolicæ indulgentia, qua Fratribus tui Ordinis dicitur eſſe conceſſum, ne de cauſis vel negotiis, quæ per litteras Apoſtolicas committuntur eiſdem, ſe intromittere teneantur, niſi de indulgentia hujuſmodi expreſſam faciant mentionem. Ut igitur utilius & facilius commiſſum tibi hujuſmodi miniſterium exequi valeas, tibi & Fratribus ejuſdem Ordinis, quos ad hoc cooperatores elegeris, convocandi ob id cleros & populos locorum, in quibus hujuſmodi verbum Crucis proponere vos continget, quotieſcumque & ubicumque videris expedire, ut proceſſionaliter prædicationibus veſtris cum devotione interſint, necnon largiendi omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad hujuſmodi convocationes, & prædicationes veſtras acceſſerint, quadraginta vel centum dierum indulgentiam, juxta tuæ diſcretionis arbitrium moderandam, plenam concedimus auctoritate præſentium poteſtatem &c.

XIX. Fundatus hoc anno ab illuſtri viro Petro a Luſtraco Conventus Pennenſis in Gallia, deinde poſt temporis injurias reædificatus ab Almanno a Luſtraco Apoſtolico Protonotario, cujus Eccleſia conſecrata eſt anno Domini MCCCCLXXXII. Demum ab hæreticis hujus infeliciſſimi ævi direptus, ſoloque æquatus eſt eadem crudelitate, qua & alia pia domicilia everterunt. Circa hunc annum receperunt Minores ædes Pupii in Tuſcia conſtructas ab illuſtri familia Bottifolle, Comitum municipii Pupienſis. In Monaſterii clauſtro habetur lapidi inciſum hoc vetuſtatis monumentum: *Anno 126 . . . Indictio 5. feliciter Comites Guido Novellus, & Simon filii, olim Domini Comitis Guidonis Dei gratia in Tuſcia Palatini, hanc Eccleſiam ædificari fecerunt ad honorem Dei, & beatæ*

Gonzag. in Prov. Aquitan. recent. Conv. 18.

Conv. Pennen.

Rodul. fol. 264.

Conv. Pupii.

Virginis, ſancti Franciſci, ſancti Joannis Evangeliſtæ, & omnium Sanctorum. Conditus in hac æde beatus Jacobus Balectarius, cui a Chriſto refertur revelatam fuiſſe peccatorum remiſſionem, poſt quem favorem inventæ ſunt manus ejus ſuavi odore perſuſæ.

Conv. Ravennat. *Rub. lib.6. Hiſt. Raven. Rodul. fol.268.*

XX. Hoc anno Minoritæ ſedem mutarunt Ravennæ (antiquiſſimæ in Romanula urbis, fluminibus duobus cinctæ, ad dexteram Baſedo, ad lævam Montono) derelicta, ſeu renuntiata æde D. Mercurialis, ſita juxta viam muroſque urbis, & vicum, quo itur ad gatulum D. Georgii ab D. Mariæ in hortis, & hoſpitali Spiritus ſancti domo haud procul; quam ante annum MCCXLIX. quo mortuus eſt, acceperunt a Theodorico Archiepiſcopo. Renunciatio hæc facta fuit ſolemniter in æde maxima pridie Non. Januarii a fratre Gerardo Cuſtode generali, ut in ipſis dicitur tabulis, urbis, & locorum quorumdam Flaminiæ, ſpectante, & aſſentiente Guillelmino Guardiano Ravennate, præſentibus Joanne Foropompiliano Epiſcopo, Præpoſito quoque & Canonicis Eccleſiæ Ravennatis, Rugerio Bagnacavalli Comite, Liutio Ruvereo, Rainutio Maltaliato, Drudone Signorello, Alidoſio judice & aliis. Philippus vero Archiepiſcopus deſignatus Ravennas, cui ceſſionem hanc fecerunt, id probantibus Canonicis, cupiens eoſdem Fratres, *qui*, inquit, *Crucifixum ſequi & regnantem ſtudent aſſidue contemplari*, locum Ravennæ habere, D. Petri majoris eis ædem tribuit; quæ conjuncta illi erant, domos, hortos, porticus, eoſque omni Archiepiſcoporum juriſdictione exemit, extra piarum precum operumque fructus, atque ejus Templi altariumque conſecrationes. Ab illo die Templum illud D. Franciſci nomine cœpit appellari. Prius ibi habitabant quidam Sacerdotes non cucullati, certis conſtitutis proventibus. Inter monumenta hujus Monaſterii memoria eſt litterarum ab Alexandro IV. datarum Laterani XIII. Kal. Aprilis, Pontificatus anno III. per quas Fratribus Ravennatibus conceſſit, ut ex uſuris, rapinis, aliiſque male partis, dum ii non reperirentur, quibus eſſent reſtituenda, ex redemptionibuſque votorum, auctoritate Diœceſanorum, prius factis, Hieroſolymitano excepto, uſque ad ducentas libras Auguſtales, accipere fas illis eſſet: quod ſi ex ipſis ducentis libris illis quidquam aut reſtituerent, aut dimitterent, a quibus accepiſſent, nihil id illis prodeſſet, ut poſſent abſolvi.

Gonzag. in Prov. Batic. Conv.3. Conv. Paleoſis.

XXI. Milliari tertio ab oppido Palos (quod in Bætica Provincia, & Hiſpalen. Diœceſi non longe ab Oceano ſitum eſt, ſub ditione Ducis Methymnæ Sidoniæ) hoc anno, ut creditur, mutatum antiquum Saracenorum delubrum in denſa ſilva conſtructum, in Fratrum Minorum habitaculum, dedicata Eccleſia ſanctæ Mariæ de Rabida, cognomine a Saracenica ſive Arabica lingua relicto, quod latine locum ſolitarium, & ſacrum ſignificat. Appellatur item ſancta Maria de Miraculis, ob crebra, quæ patrantur in conſpectu lapideæ Virginis ſtatuæ; quam piſcatores, non longe ab illa æde, e mari non tam fortuito, quam divinitus retibus interceptam extraxerunt. Tranſivit a Patribus Conventualibus ad Obſervantes anno MCCCCXLV. auctoritate Eugenii IV. Translationem tamen hanc, propter quaſdam cauſas, irritam voluit Nicolaus V. anno MCCCCXLVIII. ſed a multis rogatus probavit. Sub prioribus incolis ob maximam venerationem, in qua habebatur a convicinis populis, divitiis & poſſeſſionibus affluebat, inter quas potiſſima fuit inſula de Saltibus, quam Joannes a ſancta Anna Provinciæ Caſtellæ Miniſter, cum primum loci poſſeſſionem accepiſſet, cuidam Duci Methymnæ Sidoniæ libere ceſſit.

XXII. Apud

XXII. Apud Veronam vetuſtiſſimam in Marchia Tarviſina urbem, Atheſi amne munitam, colonis lautis ac nobilibus, ædificiis ſplendidis, & magnificis celebrem, optime audiebant Minores: quare hoc anno præter ædem D. Franciſci anno MCCXXX. eis conſtructam a civibus in presbyteratu ſancti Zeni in ſuburbio Civitatulæ ipſo eodem loco, quo nunc educantur pupillæ, data fuit eiſdem poſſeſſio Eccleſiæ ſanctorum Martyrum Firmi & Ruſtici, & bonorum adhærentium, ſed non ſine magna contradictione Patrum Benedictinorum, quæ duravit uſque ad annum MCCCXII. quo, mediatore Henrico Imperatore, pacifice controverſia ſopita eſt, & poſteriorem hanc Eccleſiam obtinuerunt, priore relicta. *Hieron. Corteſ. in hiſt. Veron. lib. 9.* Minoribus Veronen. nova confertur eccleſia.

XXIII. Alexander Pontifex hoc anno denuo vetuit III. Non. Februarii, ne Patres Benedictini, Ciſtercienſes, aut aliorum, quos in diplomate recenſet, Ordinum, reciperent Minores ad ſua ſodalitia. Ejus priores de hac re litteras indicavimus ſuperius. Scripſit etiam ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Lombardiæ & Romaniolæ, ut parochianos ſibi ſubjectos, negantes Eccleſiaſtica Sacramenta infirmis, qui apud Minores ſepulturam eligebant, corrigerent: *Dilecti filii*. III. Idus Aprilis. *An. 1257. n. 28.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. ANnum ſui Pontificatus VII. Alexander inchoavit, & nil obli-
,, tus eorum, quæ paſtoritiæ curæ univerſalis eſſe poterant, ut
,, Minoriticum gregem, quem ſpeciali ſtudio proſequi, & ſervare di-
,, gnabatur, abundantius circumſepiret, Ciſtercienſibus, aliiſque non-
,, nullis, ne quemquam Minoritam reciperent, prohibuit, ut ſubſe-
,, quentis tenoris diploma oſtendit.

ALEXANDER EPISCOPUS &c.

Dilectis filiis univerſis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, & Conventibus Monaſteriorum ſancti Benedicti Ciſtercienſium, ſancti Auguſtini, Præmonſtratenſis, Camaldulenſium, & Vallis Umbroſæ Ordinum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

,, 1. *VEſtram, & veſtrorum Ordinum condecet honeſtatem, ut ordi-* Bulla ne recipiant. Minor. in aliis Ordin.
,, *natæ caritatis ſtudio deſudantes, ſuper iis, quæ tamquam in-*
,, *grata vobis, & inimica refugitis, neminem offendere præſumatis; hinc* *Specul. fol. 11.*
,, *eſt, quod nos dilectorum filiorum Fratrum de Ordine Minorum ſupplica-*
,, *tionibus inclinati, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute*
,, *obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſi quos Fratres*
,, *ipſius Ordinis, abſque ſuorum Miniſtrorum petita, & obtenta licentia*
,, *recipiſtis, eidem Ordini ſine dilatione, & difficultate qualibet reſtituere*
,, *ſtudeatis.*
,, 2. *Nos autem ad præcludendam viam ſimilia impoſterum præſumen-*
,, *di, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne prætextu quarum-*
,, *cumque litterarum a Sede Apoſtolica generaliter, vel ſpecialiter obtenta-*
,, *rum, ſeu obtinendarum, quæ de præſentibus plenam, & expreſſam non*
,, *fecerint mentionem, in poſterum dicti Ordinis Fratres profeſſos, ſine*
,, *præfata licentia, in Ordinibus veſtris aliquatenus admittatis. Ac decer-*
,, *nentes nihilominus irritum, & inane, quidquid per vos contra præce-*
,, *ptum, & inhibitionem noſtram ſuper hoc attentari contigerit.*

,, 3. *Eadem auctoritate ſtatuimus, ut præſumentes ſcienter, & con-*
,, *tra hujuſmodi præceptum, & inhibitionem, propria temeritate venire,*
,, *ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, a qua non poſſint*
,, *abſolvi, niſi conſpectui Sedis Apoſtolicæ perſonaliter ſe præſentent, ab*
,, *ea juxta ipſius providentiam abſolvendi.*
,, 4. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibi-*
,, *tionis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem hoc attentare præ-*
,, *ſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli &c.*
,, *Datum Laterani* II. *Nonas Februarii, Pontificatus noſtri anno* VII.

Aliæ litteræ Apoſtol. in favorem Ordinis.

Indiculus.

,, II. Hanc præter conſtitutionem, pro Inquiſitoribus Minoritis
,, litteras dedit: *Ne commiſſæ &c.* VI. Idus Februarii: quod probatio-
,, nes de regreſſu per hæredes hæreticorum non admittantur: *Ex parte*
,, *veſtra &c.* II. Kal. Martii: ut tempore interdicti feſtivitates Ordinis
,, ſolemniter celebrentur: *Pro reverentia &c.* XII. Kal. Aprilis.

Alexander IV. moritur.

Sufficitur Urban. IV.

Agnetæ Monial. ſorori ſuæ ſcripſit.

Et S. Ludov. ac pro Terra ſancta.

,, III. Tamdem Summus Pontifex cum ſediſſet annos VI. menſes V.
,, dies V. quo tempore nil muneris pontificii, licet undique turbatis
,, rebus, viſus ſit intermiſiſſe, ceſſit e vivis; in ejus vero locum XIV.
,, Kal. Septembris ſuffectus eſt Urbanus IV. antea Jacobus Pantaleon
,, Patriarcha Hieroſolymitanus, natione Gallus, patria Trecenſis,
,, infimæ ſortis genere natus, nimirum Patre ſutore veteramentario,
,, ſed virtutibus illuſtris: qui mox ubi in Pontificem electus eſt, & pro
,, more electionem Prælatis per litteras denunciavit, peculiarem ſcripſit
,, ſorori ſuæ Agnetæ, Moniali Ordinis ſancti Damiani in Monaſterio
,, Montis Lucis Peruſini, qua Pontificii honoris, & oneris parem
,, gravitatem exponit, & ſororis præces in auxilium expoſtulat. Hujus
,, Pontificis ſunt ſequentia, quæ huic anno conſignari debent; ad ſan-
,, ctum Ludovicum Regem Francorum commendatitia: *Et ſi firmi pro-*
,, *poſiti &c.* XII. Kal. Decembris: ad eumdem ut ſupra: *Perſonam*
,, *tuam &c.* VI. Kaleud. Decembris: ad eumdem gratulatoria: *Nuper*
,, *de Viterbo &c.* ..... Alberto pro rebus ſancti Ludovici, ac Terra
,, ſancta: *Tuos nuper &c.*

Ægidius tertio fit Miniſter.

Indiculus.

In ea Provincia non eligitur amplius Miniſtri.

Caſimir. Biern. cit. ſup. num. 19.

,, IV. Boemiæ, & Poloniæ ad regimen Provinciæ frater Ægidius,
,, qui olim ſextus ejuſdem fuerat electus Miniſter, & immediate poſt
,, iterum, nunc tertio Olomucii in feſto Nativitatis beatæ Mariæ Virginis
,, anno præcedenti aſſumptus, Beneſovii in feſto Pentecoſtes capitula-
,, rem Congregationem ejuſdem Provinciæ tenuit. Ab hoc tamen im-
,, poſterum Miniſtri ibi per electionem haud erant amplius aſſumendi:
,, eo quod in Capitulo Narbonenſi a ſancto Bonaventura Miniſtro Ge-
,, nerali ea Provincia jure electionis privata fuerit, vel ab electione in-
,, terdicta: quamobrem habuit Commiſſarium, & Diſquiſitorem gene-
,, ralem fratrem Alanum, qui fratres Boemos, & Moravos Pragæ; Fra-
,, tres vero Polonos Wratislaviæ convocatos, ſeorſim de negotiis, &
,, Provinciæ ſtatu examinavit: ut Caſimirus Biernaſcki teſtatur: ſub ea
,, vero conditione, qua non poſſet ſibi eligere Miniſtrum, ſed accipere
,, deberet a Miniſtro Generali proviſum: per viginti quatuor annos du-
,, ravit.

AR-

ARGUMENTUM.

Michael Palæologus Græcorum Imperator vel ſponte, vel metu ductus, mittit Apocriſarios ad Urbanum de unione cum Eccleſia Latina tractaturos. Laudat pium ejus cogitatum Pontifex, & promittit ſuos Nuncios ſe deſtinaturum. Referuntur acta beati Ægidii, optimi ſancti Franciſci diſcipuli: commendaturque hujus ſocius beatus Andreas Burgundus. Examen controverſiæ Archiepiſcopi Trevirenſis committitur Minoritis, quorum Inſtitutum amplectitur Epiſcopus Sirmienſis. Obtinentur aliqua domicilia.

I. MICHAEL Palæologus, quem ſupra diximus, expulſis Latinis, civitatem Conſtantinopolitanam, & Græcorum obtinuiſſe Imperium, perſpiciens integras contra ſe commotas nationes Bulgaros, Comanos, Venetos, Imperatorem Balduinum; & Urbanum Pontificem omni ſtudio excitaſſe contra eumdem Principes quoſcumque Romani nominis, tam Occidentales, quam Orientales, atque in hanc cauſam juſſiſſe Crucem prædicari, nec non & diris devoviſſe Genuenſes, eidem confœderatos, ſi auxilio eſſent vel ſubſidio, eo præſertim tempore, quo de recuperatione Imperii Conſtantinopolitani, & Eccleſiæ augmento agebatur; cœpit reſipiſcere, & velle Pontificis gratiam inire. Adjuvit ejuſdem prudentem conatum Andronicus filius, quem Imperii conſortem renunciavit. Miſit ergo Palæologus ſuos ab Urbanum hoc anno Nuntios Maximum Alufardum monachum, Andronicum Muzalonem, & Michaelem Abalantem, ut ſuam erga Pontificem fidem teſtarentur, & unionem Græcorum cum Latinis expeterent. *Ann. 1261. n. 17.* *Gregoras lib. 4. & 5. cap. 1.* Palæologus tractare incipit de unione utriuſque Eccleſiæ.

II. Magno exultavit gaudio Pontifex Urbanus ad Imperatoris circa unionem ineundam ardenter explicatum deſiderium, quare conſultis Purpuratis Patribus, Nuncios perquam honorifice tractatos remiſit, breviter ſcriptis his litteris, in quibus mox ſuos etiam ſe miſſurum Apocriſarios promittit; quod & complevit miſſis ex Ordine Minorum quatuor viris præcipuis, per quos largius reſpondit ad Imperatorias, ut ſub anno ſequenti amplius dicemus; quorum miſſionis graviſſimæ & utiliſſimæ, mittendorum occaſionem, tamquam diffuſioris hiſtoriæ præludium, duximus præfigendam. Reſcribit Urbanus ad Palæologum.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI:

Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri, divini timorem nominis & amorem.

TAntæ ſinceritatis affectum, & reverentiæ ſtudium in te virtutum Dominus ſuſcitavit, quod ſanctam Romanam Eccleſiam, Matrem cunctorum fidelium divinitus inſtitutam, per ſpeciales Tuæ Celſitudinis Nuncios, ac etiam ſolemnes litteras caritatis, ac pacis ac virtutis continentes inſignia viſitaſti. Nos quidem ſeriem litterarum ipſarum, ac illa omnia, quæ jam dicti Nuncii prudenter ac provide in noſtra, & Fratrum noſtrorum præſentia retulerunt, cum quadam exultatione ſpiritus annotavimus diligenter, firma concepta fiducia de Conditoris omnium ineffabili pietate; quod Ex formulario Marini Ebulen.

tu

tu circa nos & prædictam Eccleſiam ſuper iis, quæ ſunt devotionis & reverentiæ filialis ſuſcepturus augmentum, vacabis ad illa mente vigili, per quæ inter eamdem Romanam, & Græcorum Eccleſiam, fædus unitatis perpetuæ valcat reformari, nobis per conſequens ad hoc dirigentibus noſtri cordis affectum, ut quam cito locus affuerit, illa cum omni diligentia faciamus, quæ & ipſi Eccleſiæ Romanæ accommoda, & tuis etiam deſideriis ſint accepta; de hujuſmodi ſiquidem affectione noſtra puriſſima, & univerſali Chriſti fidelibus, Deo propitio, multipliciter profutura, plena informatio tibi ex tenore litterarum noſtrarum proveniet, quas Tuæ Magnitudini quam citius poterimus per noſtros ſpeciales Nuncios tranſmittemus. Interim autem Tuæ ſublimitatis induſtria ſibi conſtituat pro re delectabili, & jucunda, ut ſe in illis intentam reddat & vigilem, per quæ tu in conſpectu Majeſtatis divinæ laudabilis, & in oculis hominum carior habearis, ſub illa credulitate firmiſſima, quod nos, qui obtentu divini nominis te gerimus in paternæ viſceribus caritatis; quandocumque nobis de dono cæleſtis gratiæ facultas occurrerit, erimus ad illa ſolliciti & efficaciter ſtudioſi, per quæ tibi ſit in gaudium erga nos, & prædictam Romanam Eccleſiam affectionis maternæ ſuſcipere incrementum.

Maria. c. 26. Legen. c. 67. Chro. antiq. Surius die 23. April. c. 23. Rodulph. fol. 66. Ferrar. in catal. Sanctorũ die 22. April. Chron. Min. 1. par. lib. 7. c. 44. & 2. par. lib. 2. c. 15.

III. Sæpius hucuſque egimus per varios annos de beato Ægidio tertio ſancti Franciſci diſcipulo, cetera ejus geſta differentes in hunc annum, quem illius morti præſcribunt Marianus Florentinus, Legenda Italica a beato Leone conſcripta, & Chronica antiqua. Mire tamen diſcrepant alii circa mortis tempus. Codex Germanicus, quem Surius tranſcripſit, & latinitate donavit, recenſet annum MCCLXXXIII. Petrus Rodulphus annum MCCLXXXII. Philippus Ferrarius ex Chronicis Minorum annum MCCLX. ſed & alibi ipſa eadem Chronica habent annum MCCLXI. Atque inde magis eſt cur admiremur tantam in hoc annorum cenſu diſcrepantiani, qnod omnes conſentiant, & aſſerant poſt annos quinquaginta duos a ſua converſione, virum ſanctum obiiſſe. Nos con-

Tom. 1. an. 1209. n. 10.

verſionem incidiſſe in annum MCCIX. plene docuimus ſuo loco, a quo tempore ſi ſequentes computaveris annos cum Mariano, coæva Legenda, & Chronicis antiquis, potioribus hujus rei teſtibus, numerabis uſque ad hunc quinquaginta duos, dum ipſos converſionis & mortis annos non

Quando obierit beatus Ægidius.

includas; quos ſi non excludas ab hoc cenſu, recurret mortis annus ad ſexageſimum ſupra milleſimum ducenteſimum. Quæ porro nunc ex actis ſuperſunt, ex citatis dabimus Auctoribus, brevius ſeligentes potiora, non laxius tranſcribentes ſingula, quæ referunt. Didactica, & quæ ad ejus doctrinam ſpectant mirabilem, non tam hic inferenda, quam in Bibliotheca Franciſcana, brevi Deo adjutore, præparanda, inter piorum Minoritarum Opuſcula duximus offerenda.

Otium fugiens aſſiduo labore victum quærebat

IV. Supra modum ſtudioſus erat otii vitandi: cum enim a ſancto Franciſco miſſus eſſet Romam, ut illic habitaret, quotidie ſacrificio audito, ad quatuor milliaria exibat extra Urbem in ſilvam quamdam, atque illic putata ligna apportabat Romam, labore ſuo alimoniam ſibi comparans. Cum aliquando fœminæ cuidam vendidiſſet ligna, & illa tamquam homini pio, & religioſo plus dare vellet, quam initio pacta erat, ipſe recipere noluit, ſed medio pretio illi remiſſo, *Nolo*, inquit, *vinci ab avaritia*, Nulla ille, quamvis abjecta & vilia, modo ne inhoneſta eſſent, recuſabat opera, aut facere detrectabat. Vindemiarum tempore colligebat botros, & calcabat, atque exprimebat, nihil pro labore niſi neceſ-

ed by Google

neceſſaria recipiens. Cum aliquando decuſſiſſet nuces ab arbore, & tanta ei nucum copia data eſſet, ut non poſſet omnes condere in ſinum ſuum, exuens ſe cucullo, ligatis manicis, & capitio, implevit ea nucibus, ſicque pene nudus ad Urbem rediens, nuces pauperibus diſtribuit. In Monaſterio quatuor Coronatorum, quod eſt apud ædem ſancti Joannis Lateranen. ſolebat expurgare farinam, dabantque ei de ſingulis quartariis panes ſeptem. Ibat etiam milliari uno ad fontem ſancti Sixti, hauſtam inde aquam afferens, quam bibebant Monachi, & qua panes pinſebantur: laboris pretium erat panis: cujus reliquias dabat egenis. Afferebat aliquando Monachis aquam, & cum quidam ex eo bibere vellet, non permiſit, *Non poſſum*, inquiens, *hanc aquam tibi præbere, & reliquam ferre Monachis*. Quod cum ille moleſtiſſime ferret, & multis conviciis Ægidium proſcinderet, is alia urna allatam aquam importavit in ædes illius conviciatoris ſui, qui hoc officio adeo permotus fuit, ut veniam peteret injuriæ ei illatæ, quam ille libens dedit. *Conviciatori ſe obſequioſū præſtat.*

V. Nec tamen ſic fuit labori intentus Ægidius, ut unquam preces ſuas horarias omiſerit: ſed profligandi otii cauſa, vel operabatur manibus, vel vacabat precibus, & contemplationi, vel boni quippiam loquebatur. Cum eſſet quandoque apud Cardinalem & Epiſcopum Tuſculanum, colligeretque olivas, & alia officia exhiberet, panem iis laboribus partum afferebat ad ejus Cardinalis ædes, dicentique Cardinali: ut cum aliis pauperibus veſceretur pane domus ſuæ, ille propheticum illud reſpondebat: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*. Impeditus aliquando fuit vi imbrium, ne extra Cardinalis ædes poſſet exire ad labores ſuos: tum vero Cardinalis exhilaratus: *Jam*, inquit, *veſceris cibis meis*. Sed Ægidius nihil illi reſpondit, aliud ſecum meditans. Contulit autem ſe ad culinam, dixitque coquo: *Quid ita pateris ſordidam eſſe culinam*? Dicente illo, neminem ſe in præſens habere, qui eam purgaret, Ægidius ait: *Da mihi pro labore meo quod edam, & ego ſordes everram*. Quod cum utrinque factum eſſet, Ægidius ad Cardinalis menſam iturus, duos ſecum panes attulit, quos labore ſuo acquiſierat. Itaque Cardinalis mirabatur tam eum ſui propoſiti tenacem eſſe. Sed perſeverante etiam poſtridie pluvia, cum nemo vellet uti Ægidii opera conductitia, Cardinalis gratulabundus ait ad eum: *Profecto nunc meos edes panes*. At Ægidius tacitus officinas perluſtrabat, inveniensque duos rubiginoſos cultros, illos accurate repurgavit. Accepit autem pro labore panes duos, quos ad Cardinalis menſam intulit, qui ſe dolebat ſemper fruſtrari ſpe & expectatione ſua. Etſi autem in ejuſmodi laboribus admirandus potius eſt, quam imitandus, attamen egregie his confutatur, & pudore afficitur otium illorum, qui laborare nihil volunt, quos Ægidius acriter objurgare ſolebat: *Si facitis*, inquiens, *bona, quæ noſtis, etiam ad ea bona pertingetis, quæ non noviſtis: plus enim inter ſe diſtant verba & opera, quam a cælo terra. Satius autem eſt quempiam docere ſeipſum, quam ſe neglecto mundum univerſum. Si vis multa noſſe, multa facito, & ſubmitte caput tuum. Inſignis concionator eſt humilitas*. Solebat quoque ſuſpirans dicere: *Ovis balans multum differt ab ea, quæ in paſcuis verſatur; talis eſt concio eorum qui virtutes conſectantur*.

Panem labore partum in Cardinaliciis ædibus manducat.

Pſ. 127. 3.

Alios hortabatur ad opus.

VI. Huic beato Viro, ut qui boni eſſet exempli, libenter permittebat ſanctus Franciſcus, ut ubicumque vellet, commoraretur: ſed hac ille libertate uti noluit. Miſit ergo eum ad eremitorium Fabrianenſe, ubi *Auſtere vivit in eremitorio Fabrianenſi.*

ille

ille conficiebat lagenas, & arculas, in quibus vitrea pocula, & aliæ res imponerentur. Inferebat autem eas in oppidum, nihil niſi victum, & tum ſibi, tum ſocio neceſſarias res pro illis accipiens. Semper autem illic ingrediebatur nudis pedibus, & unica amictus tunica ſive cucullo, etiam valde frigido cœlo. Quidam autem ei obviam factus, ait ſe ſic nolle incedere, etiamſi ſciret, ſe quamprimum iturum in cœlum. Quæ verba dum ille reprehenderet, malo dæmone agente, tantum frigus in corpore beati Viri ſecutum eſt, ut putaret ſe præ algore moriturum. Sed cum ad animum revocaret, quemadmodum Chriſtus nudis pedibus ambularit, & tenuiter veſtitus fuerit, illico concaluit, egitque gratias Deo, qui ipſum divino ſuo igne calefeciſſet. Poſtquam autem hoc in loco multos tranſegiſſet annos, aliquando in memoriam rediit peccatorum ſuorum. Itaque in ſilvam abiens, accito Fratre, nudavit corpus ſuum, funeque collum cingens, præcepit ei, ut ipſum pertraheret ad eum uſque locum, in quo Fratres morabantur. Quo cum perveniſſet, ſublata voce: *Quæſo*, inquit, *Fratres, miſeremini mei peccatoris*. Accurrentes autem Fratres, ut viderunt eum ſic nudum, præ commiſeratione & devotione una cum illo fleverunt, rogabantque ut ſe indueret. Quibus ille reſpondit: *Non ſum ego dignus vocari frater Minor: ſed ſi tamen vos mihi vultis reddere habitum meum, pro eleemoſyna tamquam indignus & miſer eum recipiam*; quod ita quoque factum eſt.

Ad meditationẽ paſſionis dominicæ convaleſcit

Fune ſe pertrahi facit ob memorata peccata.

VII. Excellenti quoque fuit obedientia. Cum enim ageret in Monaſterio, quod *Parvum agrum* vocant, & nonnihil egreſſus eſſet foras, Miniſtri Generalis mandato evocatus eſt Aſſiſium. Mox ergo recta contendit Aſſiſium. Dicentibus autem Fratribus, ut prius iret ad Monaſterium, atque inde ſe conferret Aſſiſium, reſpondit: *Non ego ſum ad Monaſterium ire juſſus, ſed Aſſiſium*. Ita ille ſemper exactiſſime coluit obedientiam. Frater quidam conqueſtus ei fuit, juſſum ſe a Guardiano ire mendicatum panem, cum tamen ipſi videretur longe præſtabilius vacare precibus, quam petendis eleemoſynis. Reſpondit autem ei Ægidius: *Needum didiciſti quid ſit orare Deum. Vera enim oratio eſt, ſi ſubditus pareat voluntati ſuperioris ſui. Eſt autem non obſcurum ſuperbiæ argumentum, ſi quis nolit caput ſuum ſubdere obedientiæ jugo, ſed illud potius ei ſubducere conatur, ut alia gradiatur via, quæ ei perfectior videatur. Et tamen videmus, dum bos jugum patitur imponi collo ſuo, horrea frumento compleri. Certe ſi quis ea foret animi devotione, & tam excellenti gratia, ut cum angelis loqueretur: ſi tamen acciretur a ſuperiori ſuo, illico miſſo angelorum colloquio, faciet, quod jubere volet Prælatus ſuus*. Poſtquam autem reſcivit fratrem Eliam ſe Pontifici immorigerum præbuiſſe, atque ab eo anathemate plexum, totum ſe humi proſternens, quantum maxime potuit ad terram corpus apprimebat. Rogatus cur id faceret? *Volo*, inquit, *quoad fieri poteſt in ima me deprimere, quandoquidem Elias tam profunde corruit, dum voluit nimium in ſublime ſcandere*.

Prompta fuit obedientia.

Simile quid refertur de Scoto; vide eius vitam a Cavello deſcriptam.

Vera oratio ſubditi, obedientia.

Ad caſum Fr. Eliæ quid fecerit.

VIII. Miro ſanctam paupertatem ſtudio & amore complectebatur Vir ſanctus: nam tametſi operabatur manibus ſuis, adduci tamen non potuit, ut pro labore ſuo pecuniam acciperet, contentus rebus vitæ degendæ neceſſariis: ſi quid autem ſupereſſet, impertiebatur egenis. Pro eo autem paupertatis amore præſtitit illi Deus, ut res neceſſariæ illi ſuppeterent. Cum aliquando feſſus eſſet non mediocriter ex itinere, & ingens eum fames affligeret, juxta viam ſe repoſuit, pro cibo ſomnum capturus. Inde expergefactus, reperit ad caput ſuum dimidium panem:

Paupertatis valde ſtudioſus.

Eſurienti miniſtratur cælitus panis.

Deo-

Deoque gratias agens, comedit illum, ſenſitque non parum inde ſe virium accepiſſe. Degebat quandoque in excelſo monte apud caſtellum Dirutenſe cum ſocio, nullo id e populo ſciente. Toto autem triduo tam multa e cœlo nix decidit, ut nullo pacto, neque panis acquirendi, neque laboris ſui exercendi cauſa poſſet egredi. Itaque rogavit Dominum, ut in tam præſenti neceſſitate opem ferret ſibi, & ſocio ſuo. Exaudivit Deus preces ejus, permovitque cor cujuſdam in caſtello commorantis, ut ad ædem ſancti Laurentii in monte ſitam, ubi duo Fratres eſſent, panem & vinum apportaret. Fecit ille ſic, atque etiam alios admonens ejus loci habitatores, effecit ut neceſſaria quævis eis ſuppeditarent. Cernens id Ægidius, dixit ſocio ſuo: *Hactenus rogavimus Deum, & exaudivit nos: nunc porro ei gratias agamus, & oremus pro illis, qui nobis præſtant eleemoſynas.* Multi autem ejus Caſtelli homines, optimis Ægidii & ſocii ejus exemplis commoti, ad Deum converſi ſunt, & beati Franciſci complexi ſunt Inſtitutum: qui autem matrimonii erant nexibus implicati, in ſuis domibus egerunt pœnitentiam.

In alia egeſtate ei Deus ſuccurrit.

IX. Audiens quoque Ægidius dominum vineæ, quæ erat propinqua habitationi ejus, vinitores ſuos objurgantem, iiſque dicentem, *Fate, fate, & non parlate*, id eſt, Operamini, operamini, & verba faceſſant: cum ingenti fervore e ſua cella prorumpens, clamavit alta voce: *Audite vos concionatores, quid iſte vir dicat: Faceſſant verba, & manus operi admoveantur.* Loquens aliquando cuidam, ſcientiam & doctrinam ſuam mire jactanti: *Si*, inquit, *univerſa frugifera humus unius ditione teneretur, qui tamen eam non coleret, quis inde fructus ad eum rediret? Certe nullus: contra ſi alius parvum habeat agrum, eumque diligenter excolat, & pro ſe, & pro aliis fructus percipit. Non eſt igitur, quod nimium fidas ſcientiæ tuæ: nam etiamſi omnibus ſis diſciplinis & artibus inſtructus, nihil tibi contulerit, ſi ſis bonis operibus deſtitutus.* Collegerat quandoque juncos, & arundines, ſportulas inde confecturus. Ubi autem ad quoddam templum acceſſit, ſacerdos quidam obviam ei factus, hypocritam eum appellavit. Valde autem contriſtatus ille verbis ſacerdotis, flevit ſine intermiſſione. Sciſcitanti Fratri, cur ſic fleret; reſpondit ſe a ſacerdote dictum hypocritam: *Et putas tu*, inquit Frater, *id ita eſſe, quod ille dixerit?* Ægidius reſpondit, *Non puto ego, ſacerdotes dicere mendacium.* Tum Frater, *Atqui*, ait, *hominum judicia cum falli poſſint, longe diverſa ſunt a judiciis Dei.* Quibus verbis Ægidii animus recreatus eſt.

Doctrina abſque operibus nihil proficit.

Sacerdotem credit non poſſe mentiri.

X. Summopere vir beatus in id intentus erat, ut carnis appetitiones contereret, & portionem ſenſitivam in ſpiritus ſervitutem redigeret. Unde inſignis ei acceſſit nitor puritatis. Non niſi ſemel in die cibum ſumebat ad veſperam, eumque ſane exiguum, dicebatque: *Caro noſtra inſtar porci eſt, cupidiſſime ad lutum properantis, & in eo commorantis. Eſt etiam ſimilis ſcarabeis, qui ſemper verſant equorum fimum. Caro noſtra hoſtis noſtri diaboli athleta eſt.* Fratri cuidam percunctanti ex ipſo, quis ſe poſſet ab omnibus peccatis carnalibus tueri, ſic reſpondit: *Qui ſaxa grandia, aut ingentes trabes alio transferre vult, plus utitur ingenio & induſtria ſua, quam viribus: ita hic quoque agendum eſt, quævis enim vitia officiunt puritati ſive caſtitati, quæ ſimilis eſt ſpeculo mundo, quod tamen anhelitu obſcuratur. Fieri autem non poteſt, ut ad Dei pertingat gratiam is, cui libet in carnalibus vitiis permanere. Caro noſtra ſemper inſidias tendit nobis, & qui eam edomat, omnes vincit hoſtes ſuos, & nihil non boni obtinet. Præ cunctis virtutibus mihi cariſſima caſtitas eſt.* Sed cum roga-

Carnis puritati ſollicite intentus.

Caſtitatis encomia.

ret quidam, potior ne eſſet caritas? reſpondit: *Eequidnam eſt caritate caſtius & purius?* Sepe etiam cantans dicebat, *O ſancta caſtitas, quenam es tu? nimirum talis, ut ſtulti te ignorent.* Quærenti autem Fratri, quam diceret caſtitatem? *Ego*, inquit, *caſtitatem dico, qua ſenſus omnes divina gratia cuſtodiuntur.* Cumque multus eſſet in caſtitate prædicanda & laudanda, quidam maritus audiens, ait illi: *Equidem a fœminis omnibus abſtineo, contentus uxore mea; ſatis ne hoc tibi videtur?* Et ille: *Putas tu non poſſe hominem fieri e ſuo vino ebrium?*

Vera caſtitas quænam?

Tentatur concupiſcentia carnis graviter.

XI. Cum eſſet apud Spoletum, audivit vocem fœminæ, ipſum inclamantis; ſimulque tantam ſenſit carnis infeſtationem, quantam antea numquam: repulit autem eam ſedulis precibus, corporis caſtigationibus, & ſanctis operibus: ac deinceps prorſus ab illa immunis fuit. Frater quidam valde tentatus: *Utinam*, inquit, *videre mihi liceat Fratrem Ægidium, & ei indicare tentationem meam.* Sed cum longe ab eo abeſſet, nec poſſet impetrare facultatem ad illum accedendi, ubi ſe cubitum recepit, Ægidius ei adſtitit. Quo viſo, non mediocri eſt conſolatione affectus, expoſuitque ei tentationem ſuam, petens remedium adverſus eam. Dixit ergo ei Ægidius: *Eequid faceres cani te mordere volenti?* Reſpondit ille: *Ego eum verberibus a me abigerem.* Et Ægidius, *Hoc ergo fac*, inquit, *etiam huic tentationi.* Rogavit autem eum Frater, ut pro ipſo oraret, atque experrectus a ſomno, ſenſit ſe ab omni tentatione liberatum. Colloquium ejus cum Ruffino, & aliis de vincendæ tentationis modo ſecuriori retulimus alias.

Fratrem tentatũ liberat in ſomnis.

Tom. 2. an. 1232. n. 27.

Mirabiliter tollit dubium circa virginitatem B. Mariæ.

XII. Fuit autem in Ægidio etiam prophetiæ ſpiritus; uti ſequentia declarabunt. Venit aliquando ad eum quidam Ordinis Prædicatorii valde eruditus, ſacræ Theologiæ Doctor, qui multis annis mire vexatus fuerat hæſitatione quadam de perpetua matris Dei virginitate. Videbatur enim ei id fieri non poſſe, ut ſimul mater eſſet, & virgo. Attamen diſplicebat ei plurimum, utpote viro bene Catholico, iſthæc hæſitatio, cupiebat ab homine divinitus illuſtrato de hac quæſtione doceri. Audierat vero fratrem Ægidium egregie illuminatum, & ſæpius rapi in Deum, itaque ſtatuit ire ad eum, confidens ejus ſermonibus hac ambiguitate ſe liberatum iri. Cum autem jam eſſet in via, Ægidius ſpiritu cognovit & tentationem, & adventum ejus, procedenſque ei obviam, prius quam quidquam diceret, baculo terram percuſſit, & ait: *Frater Prædicator, ſancta Maria virgo eſt ante partum*; moxque illic ortum eſt elegans lilium. Iterum humum cædens: *Frater Prædicator*, inquit, *ſancta Maria virgo eſt in partu*, & confeſtim alterum erupit lilium. Tertio ſolum feriens: *Frater Prædicator*, ait, *ſancta Maria virgo eſt poſt partum*, ſimulque tertium enatum eſt lilium. Mox autem Ægidius aufugit, & Doctor ille curatus eſt. Poſtquam autem didicit eum fuiſſe Ægidium, multo deinceps amore, & illum & Ordinem ejus complexus eſt.

Venit eũ viſum Rex Galliæ.

XIII. Statuerat aliquando ſanctus Ludovicus Francorum Rex ſuſcipere peregrinationem, & loca ſacra viſere. Audiens vero de eximia & admiranda fratris Ægidii ſanctitate, decrevit illum adire. Itaque Peruſiam ſe contulit, ubi illum eſſe cognorat. Cumque ad Monaſterii portam veniſſet, ceu ignotus quidam peregrinus cum paucis familiaribus, rogabat ubi frater Ægidius eſſet, nihil de ſe indicans oſtiario. Is autem dixit Ægidio, peregrinum præ foribus cupere ipſi loqui. Actutum vero ſpiritu cognovit Ægidius eum Regem Franciæ eſſe, celeriterque ad illum accurrit: dixiſſes hominem ebrium eſſe. Ubi in mutuos venere con-

conſpectus, ſeſe inter ſe complexi ſunt perquam hilariter, ac ſi longa inter ipſos intercesſiſſet familiaritas. Atque ita ſtabant ſimul ad portam cum multa eximii amoris ſignificatione, tametſi neuter quidquam alteri loqueretur. Tamdem a ſe taciti diſceſſerunt. Ægidium autem ad cellulam ſuam redeuntem, quidam Frater rogavit, quiſnam ille fuiſſet peregrinus, qui tot erga ipſum benevolentiæ ſigna oſtendiſſet? Reſpondit ille, Ludovicum, Chriſtianiſſimum Gallorum fuiſſe Regem. Valde autem contriſtati & pudefacti Fratres, quod Ægidius tanto Principi nihil eſſet loquutus, dixerunt ei: *En venit ad te viſendum e Galliis tam potens Rex: & qua cauſa ei ne unum quidem verbum fundere voluiſti?* Mox Ægidius: *Ne miremini*, inquit, *fratres mei, nihil me cum illo Rege loquutum. Nam ſimul ut in mutuos amplexus & oſcula ruimus, tanta divinæ Sapientiæ luce perfuſi ſumus, ut alteri alterius pateret cor, & taciti videremus, quidquid invicem ore prompturi eramus, idque longe melius quam vel dicere, vel audire extrinſecus potuiſſemus. Quæ autem illic a Domino audivimus, ea nullo vocis ſono exprimere poſſemus ob humanæ linguæ defectam, quæ Dei arcana explicare non poteſt, niſi per figurarum involucra. Quod ſi inter nos ore locuti eſſemus, intus nobis ipſis impedimento fuiſſemus. Noveritis igitur, fratres dilectiſſimi, Regem illum Franciæ majori intus conſolatione affectum eſſe, quam vel ego dicere, vel vos capere queatis: eumque a nobis cum ingenti animorum gaudio diſceſſiſſe.*

Nihil tamen ei locutus, & quare?

Ludovico, & Ægidio alterna patent corda.

XIV. Etſi autem frater Ægidius litteris inſtructus non erat (fuit enim laicus, vel converſus, ut vocant) attamen divinæ ſapientiæ ſplendoribus adeo illuſtratus fuit, ut etiam divinis litteris eruditos excelleret. Dixit aliquando ad ſanctum Bonaventuram tum Miniſtrum Generalem, virum inſigniter doctum: *Multis te, Reverende Pater, gratiæ ſuæ donis auxit præpotens Deus. Nos vero ſimplices & idiotæ, quidnam faciemus, ut ſalvi eſſe queamus?* Reſpondit ſanctus Bonaventura: etiamſi nullam aliam homini gratiam conferret Deus, niſi ut ipſum diligeret, ſufficeret ei ad obtinendam ſalutem. Et Ægidius: *Poteſt ne*, inquit, *homo indoctus æque atque doctus diligere Deum?* Sancto Bonaventura reſpondente, poſſe etiam ſimplicem aniculam non minus diligere Deum, quam ſacræ Theologiæ bene doctum doctorem: frater Ægidius exiliens ferventi ſpiritu, in hortum ingreſſus eſt, ſtanſque ab ea parte quæ Civitatem reſpicit, alta voce clamavit: O *vos paupérculæ, ſimplices & indoctæ anus, diligite Dominum Deum veſtrum, poteritiſque majores effici, quam ſit frater Bonaventura, qui eſt Doctor celebris & ſacræ Theologiæ magiſter*. Sicque manſit illic immotus, trium horarum ſpatio raptus in ſpiritu.

Caritatem poteſt habere tam doctus, quam indoctus.

Ut hortabatur quoſque Deum diligere.

XV. Duo Fratres Prædicatorii Inſtituti venerunt ad inviſendum fratrem Ægidium, cumque inter ſe admodum divina miſcerent colloquia, & oblata occaſione alter ex eis diceret, ſanctum Joannem Evangeliſtam in ſui Evangelii exordio ſublimia, & quæ comprehendi non poſſint, dixiſſe de Deo; Ægidius ait: *Immo vero ſanctus Joannes nihil dixit de Deo*. Dicenti autem Dominicano: *Quid tu loqueris pater? cum teſtetur Auguſtinus, ſi ſublimius eſſet locutus ſanctus Joannes, totum mundum eum capere non potuiſse: ne ſic ergo dixeris, nihil eum dixiſſe de Deo*. Frater Ægidius reſpondit: *Equidem permaneo in ſententia, rurſuſque ajo prope nihil eum dixiſſe de Deo*. Cum autem id indigne ferret Dominicanus, mentem ſuam frater Ægidius tali declaravit ſimilitudine: *Vides altiſſimum hunc montem? Is ſi totus ex milii ſemine conſtaret, & exigua avis quotidie inde comederet, quantam putas ejus portionem etiam centum annis*

Docte dixit Joannem Evangeliſtam fere nihil de Deo dixiſſe.

Auguſt.

abſumeret? Reſpondit Dominicanus: *Etiamſi mille annis inde ederet, nihil tamen id eſset comparatione reliqui montis. Sic ergo*, inquit frater

Vide his conſentanea in Theologia myſtica Areopagitæ.

Ægidius, *etiam ſe habet immenſa Deitas, tamquam ingens & infinitus eſt divinæ perfectionis mons, ut ſanctus Joannes, inſtar parvæ avis, nihil dixerit de Deo, ſi reſpicias ad ſummam ejus majeſtatem.* Iis verbis Dominicani illi multam ſe ſenſerunt percepiſſe conſolationem, & a fratre Ægidio læti receſſerunt.

XVI. Quidam alius quæſivit ex eo, quamobrem ſanctus Joannea Baptiſta adhuc puer eremum petiiſſet, tamque ſeveriter illic vixiſſet, cum intra matris viſcera ſanctificatus eſſet? Reſpondit autem ei Ægidius,

Quid dixerit de propero Jo. Baptiſtæ receſſu in ſolitudinem?

hac adhibita ſimilitudine: *Quanam cauſa ſale aſpergitur caro recens mactati bovis?* Illo dicente, ideo fieri, ut caro conſervetur; Vir Dei ait: *Ita & ſanctus Joannes pœnitentiæ ſale conditus eſt, ut ejus ſanctitas diutius, & melius ſervaretur.* Cum eſſet Peruſiæ frater Ægidius, Jacoba Romanorum matronarum nobiliſſima, Franciſcaniſque Fratribus addictiſſima, venit ad inviſendum eum. Ea autem præſente, quidam valde religioſus Frater Minorita, Guardus nomine, quidpiam boni ex eo auditurus advenit. Fratribus autem adſtantibus ait Ægidius: propter id quod poteſt homo, pervenit ad id, quod non vult. Ut autem frater

An homo aliquid a ſe ipſo poſſit.

Guardus poſſet eum provocare ad loquendum: *Frater Ægidi*, inquit, *demiror te dicere, per id quod poſſit homo, pertingere eum ad id, quod nolit: maxime eum nihil poſſit a ſeipſo: quod ego quidem quatuor rationibus teſtatum efficiam. Primo, neceſſe eſt, ut prius ſit eſſe, quam poſſe: talis enim eſt cujuſque rei actio, qualis & eſſentia. Sic ignis, cum ſit natura calidus, calefacit: Homo autem a ſeipſo nihil eſt, dicente Apoſtolo:* Si quis

Gal. 6. 3.

exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. *Quod autem nihil eſt, nihil utique poteſt. Itaque nihil poteſt homo a ſeipſo. Deinde, ſi quid poſſet homo, id vel corporis, vel animæ ratione poſſet, vel ſimul utriuſque. Animæ autem ratione nihil eum poſſe, certum eſt, cum anima ſine corpore nihil mereri poſſit. Solo quoque corpore nihil poteſt, utpote quod ſine anima, illius forma, vitæ expers ſit. Sed neque ab utroque pariter conjuncta ulla ejus facultas eſt. Si qua enim eſſet, ea vel ab anima eſſet, quæ corporis forma eſt. Sed, ut jam dictum eſt, ſine corpore anima nihil poteſt: multo*

Sap. 9. 15.

ergo minus poterit juncta corpori, quando corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. *Poteſt hujus tale proponi exemplum. Si non poteſt aſinus ingredi ſine ſarcina, multo id minus poterit onuſtus ſarcina: atque hoc exemplo videtur anima multo poſſe minus cum corpore, quam ſi eſſet illo deſtituta. Attamen ſine illo nihil poteſt. Redeo igitur ad id, quod initio dixeram, hominem a ſeipſo nihil poſſe.* Multa quoque alia pertexuit adverſus Ægidium argumenta, ut poſſet habere occaſionem diu cum illo colloquendi. Aliis autem Fratribus argumentorum ejus acumen admirantibus, frater Ægidius ait: *Valde quidem male loquutus es, Guarde frater, itaque dic culpam tuam.* Tum ille ſimulate id fecit. Ægidius autem animadvertens eum non ſincere id agere, dixit ei: *Frater Guarde, debitorem quidem te fateris, ſed non recte: ubi autem irrita eſt debiti confeſſio, nihil poteſt ab homine repeti. Sed quæſo te, es ne canendi peritus? Canas igitur mecum:* ſimulque e manica ſua extrahens citharam,

Dubium optime ſolvit Ægidius.

qualem ſolent pueri effingere, primam percuſſit fidem, rythmos pronuncians: atque ita ordine alias omnes percutiens fides, cuncta Guardi argumenta diſſolvit. Et primam quidem tacta fide, ſic ait: *Non ego loquor de hominis eſſentia, prius quam ille creatus eſſet; ita enim verum eſt nihil*

eum

eum eſſe, nec poſſe quidquam: ſed de hominis jam creati eſſentia loquor: cui eſt a Deo tributa liberi arbitrii facultas, cujus aſſenſu poſſit & bonum & malum promereri. Itaque male tu dixiſti, fallaciamque mihi ſtruere, & verbis tuis me decipere voluiſti. Nec enim Apoſtolus dicit de hominis eſſentia, aut facultate, quod nihil ſit, ſed quod talis hominis merita nihil ſint: ſicut etiam alibi ait, Si caritatem non habeam, nihil ſum. *Porro etiam non ſum ego loquutus de anima, corpore ſoluta, nec de corpore exanimi, ſed de homine vivente: qui divinæ obtemperans gratiæ, poteſt ſi vult, bona opera efficere: itemque gratiæ renitens, poteſt male facere, quod non eſt aliud, quam a bono aberrare. Quod autem dicis corpus corruptibile aggravare animam, iis verbis non detrahit ſcriptura homini liberam bene vel male agendi voluntatem, ſed id vult, voluntatem, intellectum & memoriam rebus corporalibus occupari, inde enim ſequitur:* Et terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. *Non enim ſinunt tales animam ſuam libere vacare cogitandis & inquirendis rebus cæleſtibus*, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, *quandoquidem virium animæ acumen multivariæ occupationes, tum etiam moleſtiæ terreni corporis multis retundunt, & impediunt modis. Conſtat ergo Guarde frater, te non recte loquutum.* Atque hoc pacto omnes Guardi quæſtiones & rationes diſſolvit, ita ut tamdem ex animo culpam ille ſuam ediceret, fatereturque poſſe aliquid creaturam. Tum vero frater Ægidius: *Jam*, inquit, *ſincera eſt tuæ culpæ enunciatio. Viſne autem etiam apertius doceri, quippiam poſſe creaturam?* Simulque ſurſum aſcendens exclamavit voce terribili: *O vos apud inferos damnati*. Reſpondit autem ſibi ipſi voce valde miſerabili ex perſona damnatorum, tremens & gemens, adeo ut terrore afficerentur omnes, clamavitque: *Eheu, ve nobis, ve nobis*. Deinde in ſua perſona loquens, *Dicite nobis*, inquit, *qua cauſa ruiſtis in tartarum?* Atque ipſe ſibi reſpondit: *Quod non abſtinuimus a malo, quod vitare potuiſſemus: bonumque quod facere poteramus, neglexîmus*. Rurſus ex perſona ſua: *O vos miſeri, perditi, & damnationi addicti, quidnam facturi eſsetis, ſi ulla vobis poſset obtingere agendæ pœnitentiæ facultas?* Et reſpondit: *Libenter totius orbis terrarum humum ſenſim fodiendo egereremus, ſi liceret pœnas evadere, nullum unquam, eheu, finem habituras. Ejus enim laboris tamdem eſset aliquando finis, ſupplicia noſtra ſunt ſempiterna.* Tum ad Fratrem Guardum verſus Ægidius, *Audis*, inquit, *Guarde, poſse aliquid creaturam?* Subjicienſque, *Dic mihi*, ait, *Guarde frater, guttula aquæ incidens in mare affertne mari nomen ſuum, vel potius mutatur in illud?* Guardo reſpondente, ſubſtantiam & nomen guttulæ abſorberi a mari, ejuſque appellari nomine: Frater Ægidius coram omnibus paſſus eſt extaſim; dicebat enim de natura humana, quæ divinæ eſſentiæ comparata, eſt inſtar guttulæ ad univerſum mare collectæ.

Liberum arbitriū homini attributum.

1. Cor. 13. 2.

Sap. 9. 15.

Ibidem.

Coloſ. 3. 1.

Cur damnati luant pœnas ſempiternas.

XVII. Poſtquam autem ſtrenue excoluerat Ægidius vitam activam, cujus typus fuit Lia, lippis oculis, portionis ſenſitivæ paſsiones & perturbationes edomando: ad Rachelis, id eſt vitæ contemplativæ amplexus ſe contulit: quæ quidem ſcribitur fuiſſe decora facie & venuſto aſpectu. Atque ita totum ſe accommodavit perfectæ tranquillitati & ſerenitati pectoris ſui, ſuſtulitque eum omnipotens Deus ad eam contemplationis ſublimitatem, ad quam ea tempeſtate vix alium quemquam. Cum jam ſex annis fuiſſet converſus ad Deum, ageretque in Eremitorio Fabrianenſi, quadam nocte piis vacantem precibus adeo Deus ſuavitate & conſolatione replevit, ut putaret animam e corpore migratu-

Gen. 29. 17.
Ibidem.

Intendit vitæ contemplativæ.

Anima ejus rapitur extra corpus. turam. Senſit enim mori corpus, primo pedes, ac deinde cetera membra, donec anima exceſsit e corpore. A corpore autem egreſſa, mire delectabatur contemplatione ingentis pulchritudinis ſuæ. Erat enim ſubtilis admodum, & luculenta, ſupra quam ullus capiat humanus intel-

Videt arcana cœleſtia. lectus, ut ipſe ſub mortem ſuam retulit. Rapta inde eſt illa ſancta anima ad arcana cœleſtia contemplanda, quæ tamen nulli unquam voluit expreſſe revelare, dicens; beatum eum eſſe, qui ſecreta Dei bene con-

2. Cor. 12. 7. ſervare norit. At paulo poſt: *ne magnitudo revelationum extolleret eum*, cum in cella oraret, apparuit ei dæmon ſpecie tam horrenda, ut præ terrore loquendi facultatem prope amitteret. Tum humi ſe proſternens, corde imploravit auxilium Dei (ore enim loqui non poterat) ac

Dæmonum formæ horridiſsimæ. deinde liberatus eſt. Expertus tum fuit veriſsime aliquando dixiſſe beatum Franciſcum; ſatanæ formam tam eſſe immanem, & horridam; ut nemo ad ſpatium Dominicæ precationis poſsit eam ſalva vita intueri, niſi divinitus confirmetur.

Chriſtus ei apparet. XVIII. Triduo ante Chriſti natalem cum eſſet in Tuſcia, eo loco, quem Cetonium vocant, jejunaſſetque diebus quadraginta, quod ſancti Martini jejunium appellant, nocte in preces incumbenti apparuit Dominus Jeſus, viditque eum oculis corporeis: ſed præter humanitatem ejus oculis internis quiddam vidit ineffabile, quod nec poſſet, nec auſus fuiſſet explicare. Duravit autem hæc apparitio per intervalla ad dies tredecim: ſed cum humana imbecillitas incomprehenſam illam claritatem ferre non poſſet, ſtudioſe rogavit Dominum, ne tanto onere ipſum afficeret, ei ferendo inidoneum, quippe qui homo peccator, ruſticus, plumbeus, & rudis eſſet. At quanto ille ſe cenſebat indigniorem, tanto

Familiares ſunt ei mentis exceſſus. in illo magis cumulabat Deus gratiam ſuam. Poſt eam autem apparitionem, & crebro, & facile, ac ſubito mentis patiebatur exceſſus, manſitque deinceps admodum ſolitarius, parumque exibat e cellula ſua, ut gratiam divinitus acceptam fideliter conſervaret, prorſus vitans ſermones omnes otioſos & murmura. Toties vero rapiebatur in Deum, quoties aliquid audiret vel de Deo, vel de gloria cœleſti, aut paradiſi amœnitate: manebatque eodem loco immotus. Itaque pueri & opiliones, ab aliis docti, cum eum viderent, clamabant: *Paradiſus, paradiſus*. Id vero ille audiens, mox ſurſum rapiebatur. Quam ob cauſam Fratres cum illo collocuturi, cavebant ne paradiſi mentionem facerent, veriti ne ejus colloquio privarentur. Et ipſe Ægidius ab omni ſe hominum converſatione ſubducebat, non modo ſecularium, ſed etiam Fratrum, dicebatque eum, qui bene ageret negotium animæ ſuæ, etiam accuratius aliorum

Timore agenda animæ cura. ſaluti conſulturum: parva autem negligentia, & exigua culpa poſſe magnam amitti gratiam, quæ poſtea recuperari vix queat.

Vidit eſſentiam Divinam. XIX. In ea quam diximus apparitione Chriſti & Ægidii raptu, admiranda ei fuere divinitus revelata. Vidit enim ipſam Dei eſſentiam,

Surius in vita ejus. & propter certam Dei cognitionem, quæ ei tunc collata fuit, fide adeo fuit deſtitutus, ut dicere ſoleret, ſi Miſſa cantanda ei eſſet, non ſe dicturum: *Credo in Deum*, ſed, *Cognoſco Deum, factorem cœli & terræ*: quippe quem ego ipſe vidi. Fides autem de iis rebus eſt, quæ non cadunt ſub aſpectum, nec tamen dubitatur, quin ſint. Sed hæc fides tum deſinet, cum Deum in cœlis videbimus, ſicuti eſt. Fuit ergo Ægidius

2. *Cor.* 2. 4. Quater ſe natum, dicebat, & quare. raptus extra corpus in tertium cœlum, ubi cum Apoſtolo multa didicit arcana, & occulta ſapientiæ Dei. Solebat autem dicere, ſe quater eſſe natum: primo ex matre; deinde in baptiſmo; tertio in monaſticæ vitæ

pro-

profeſſione: quarto cum ſic ei Chriſtus ſe viſendum præbuit. Semper admodum hilaris & jucundus fuit: ſed ei ſummopere dolebat, quod ſuſtentandi corporis cura aliqua ſuſcipienda ei eſſet: cupiebatque foliis arborum veſci, ut poſſet vitare hominum converſationem. Diebus Dominicis & ſolemnibus ſacram percipiebat Euchariſtiam cum multa devotione, atque illos dies totos impendebat precibus, & ſanctis meditationibus. Porro præ eximia fide ac pietate, Eccleſiaſtica ſacramenta, & jus Pontificium non mediocri reverentia proſequebatur: cumque audiret quippiam referri ex decretis & conſtitutionibus Eccleſiaſticis, valde id commendabat, dicebatque: *Nos indocti & miſeri non cognoſcimus bonitatem tuam o ſancta Romana Eccleſia. Tu enim doces nos viam ſalutis: tu viam paras & munis, qua ad ſempiternam gloriam proficiſcamur.*

Magna ejus reverentia erga Pontificem, & Romanam Eccleſiam.

XX. Dum præ foribus cellæ de rebus divinis confabularetur quadam nocte cum fratre Andrea uno ex ſodalibus, divinus quidam ſplendor, & magnæ claritatis radius per medium illorum tranſivit. Attonitus ſocius, quid hoc eſſet? interrogavit: cui Ægidius *Dei ſunt opera, ne amplius inveſtiges.* Hæc dum collocutor ſequenti die alteri viro pio referret, accepit ab eo ſibi etiam revelatam Ægidii ſanctitatem, & Dei erga eumdem beneficentiam: *Vidi*, inquit, *ſuper cellam ejus oriri ſplendidiſſimum ſolem, neque ad noctem uſque ab eadem ſuos radios divertiſſe, ſed perſeveranter eamdem illuminaſſe & foviſſe, qua viſione mihi ſignificatum eſt, ſolem juſtitiæ hunc Dei ſervum in omnibus regere, atque in Dei amore vehementer inflammare.* Videns porro hic paulo poſt Ægidium ex divino raptu mirabiliter immutatum, & novo ſpiritu gratiæ exultantem, dixit ei: *Frater cariſſime, ſuſtine ſuaviter, & porta dulciter Dei filium.* Studuit deinceps Ægidius, qua potuit ſollicitudine, acceptam gratiam cuſtodire, illudque ei frequens verbum: *Super omnes gratias & virtutes hæc ſumma eſt perfectio, acceptas humiliter conſervare*; addebatque Apoſtolos poſt accepta dona Spiritus ſancti millies gravius ſubiiſſe onus, quam antea ſenſerint, ut poſſent reſiſtere tentationibus & tribulationibus, atque collatam ſibi gratiam cuſtodire. Quare vir Dei ſemper ſolitarius meditabatur in cella vigilans, orans, jejunans, cuſtodiens ſe ab omni opere, verbo & cogitatu otioſo; ſed illos maxime vitabat, qui alienos referebant defectus, dicens: *Ego quod ad me attinet, nolo ſcire peccatum alterius: & tu frater, cave, cave, ne quidquam alienum videas, niſi quantum ad bonum tuum conducit.* Vaniloquia & riſus inanes ſerio fugiebat, dicens; propter momentaneum & futile delectamentum ſæpius amitti, vel retardari conſolationes divinas, illudque afferebat exemplum de illis, qui taxillis ludunt, qui pro uno puncto perdunt aliquoties ingentem auri vel argenti ſummam: *Sic*, inquit, *pro levi peccato, ſi neſcierit homo ſe cuſtodire, perdet irreparabile animæ lucrum.* Ingerebatque illud ſacri præceptoris Franciſci ſalutare documentum: *Cave frater ne ridendo amittas, quod plangendo lucratus es.*

Legen. MS.

Cœleſtibus indiciis apparet ejus ſanctitas.

Quo ſanctior quis, eo humilior debet eſſe.

Propter parva amitti magna.

XXI. Prædictum locum Cetonii ex frequentibus Chriſti & Angelorum apparitionibus valde commendabat, neque ei aliud quantumvis ſacrum ei præferri debere ſanctuarium; aut uſpiam Deum tot mirabilia operatum aſſerebat. Quare poſt ejus mortem confeſſario referente ex his plurima, curatum eſt pulchram ædificari Eccleſiam illo ipſo in loco, in quo Ægidius favores hos ſentiebat cœleſtes, in cujus parietibus ſuo ordine diſpoſiti ſunt lapides cubiculi ſervi Dei, & tigna præcipua exciſa ſunt ex arbore Licii prope eamdem cellam excreſcente, ſub qua ſæpius oranti

In ejus memoriam ædificata Eccleſia.

oranti apparuit Chriſtus. Quæ tamquam pietatis monumenta, in ſancti Viri memoriam ſtatutis anni diebus excitant fideles, ſuaviſsimum ſpirantia odorem.

XXII. In cœnobio Agelli Comitatus Peruſii, dum ſub veſperam mira dulcedine Fratribus eructaret verba divina, omnium corda ſuccendit, ita ut penderent ſinguli ab ore ejus, donec ipſe eloquiorum contemplatione raptus eſt, ſtetitque immobilis tamquam lapis uſque ad mediæ noctis gallicantum. In ſe reverſus protinus diſceſsit a circumſtantium turba ad cœleſtes gratias ſtupente; & ſtatim ingens circumfulſit eum lux de cœlo, viam omnem divina luce clarius illuminans uſque ad cellam. Colloquentibus de hac re Fratribus die ſequenti, de magna Domini erga ſuos ſervos dignatione inſtituit ſermonem, neque quod viderant tanti judicandum dixit momenti, ut propterea ſtuperent, cum nihil ferme eſſet ſi compararetur ad occulta & interna Dei beneficia: *Qui magna*, inquit, *non vident, difficilius credunt minora*.

Tentatur ad vanam gloriam.

XXIII. Prope Peruſium in Monaſterio Podii, Viri ſanctitatem voluerunt dæmones concutere per vanam gloriam, aut ſuperbiam. Dum itaque oraret ſolus in cella audiebat ſibi adſtantes, veluti inter ſe colloquentes, & invicem dicentes: *Ut quid bonus hic vir adeo ſe fatigat? Ut quid ita impenſe in virtutibus acquirendis laborat? jam omnes plene acquiſivit; jam ſanctus eſt, jam unctus eſt, jam extaticus eſt*. Probe vero intelligens ſuggeſtiones eſſe diabolicas, ſigno ſe crucis munivit, cœpitque humilius de ſemet ſentire. In eodem loco, ſcribit Frater Leo, ſeipſum ab eo interrogatum quid dicerent homines de Ordine, & gradibus ſpiritualibus, & contemplationis menſuris? *Ego vero*, inquit Leo in ſua legenda, *timens hominem, cum quo ſumme deſiderabam longius loqui, raptum iri, ſi quidquid de contemplationibus, aut rebus divinis dixiſſem, finxi me longius ire, & breviter dixi, multi multa dicunt; & rogavi, ut quid ipſe ſentiret, mihi aperiret. Compendio dixit vulgari, & ſimplici loquela*: Ignis, unctio, extaſis, contemplatio, guſtus, requies, gloria.

Gradus perfectionis in contemplativis.

Septem ejus præclaræ virtutes.

XXIV. Septem quædam huic beato Viro inerant, quibus ad perfectionis culmen perductus eſt. Primum fuit fides firma, & conſtans. Secundum, ingens animi pietas & devotio. Tertium, erga alios reverentia. Quartum, humanitas, & benignitas, & condolentia. Quintum, multa ſollicitudo. Sextum, eximia obedientia. Septimum, non mediocris erga Deum & homines pro acceptis beneficiis gratitudo. Sub finem vitæ, cum jam in Ordine Minorum fuiſſet annis quinquaginta duobus, moleſtiſsimas ſenſit maligni dæmonis vexationes. Cum enim nocte quadam oraret, & poſt preces vellet quieti ſe dare, teterrimus dæmon in locum quemdam adeo anguſtum eum depoſuit, ut nec ipſe movere ſe poſſet, nec ſocius eum inde extrahere: ſola Dei gratia inde emerſit. Sæpe adeo moleſtum & infeſtum ſe ei præbuit ſatan, ut nonnumquam Fratrum opem imploraret, & ſocio ſuo fratri Gratiano diceret: *Moleſte valde fert inimicus Dei dona; & ſuas artes exercet ut ea tollat. Neſcit tamen miſellus eum potentiore ſibi rem eſſe, & majorem fore cruciatum eum victus & confuſus abſcedet. Deum impugnat, non me, qui meum nihil habeo: Dei donum eſt quod ei ſervierim, ejus miſericordia eſt, quod ſibi placeam, ejus gratiæ erit, quod curſum conſummem. Hinc diaboli livor, tentationis ſtimulus & perſecutionis occaſio, quod hominem in peccatis natum, & cum reatu conceptum, videt ad lucidiſſimas illas ſedes, e quibus ipſe cecidit, per Dei miſericordiam aſſumi*. Adeo infenſus ei erat qualibet

Sub morte moleſtus ei dæmon.

Digitized by Google

bet noćte inimicus, ut oporteret aliquando fratrem Gratianum eidem tota noćte aſsiſtere, vel in eadem cella dormire: unde & ſæpius ſub veſperis dum ad cellulam ſe conferret, dicebat: *Nunc imus ad cruces & certamina.*

XXV. Paulo ante mortem præſentire incipiebat ſponſi delicias, ita ut anima ejus tanta dulcedine liquefieret, ne quidquam amplius de corporis rebus curaret. Vocatus a ſocio ut manducaret: *Fili*, inquit, *non eſt cur amplius de cibo cogitem aut potu, indicibilem inveni theſaurum, & ingentes delicias.* Præ caritate vero ſocius importunum ſe exhibuit oratorem, ut ad refećtorium deſcenderet, quem novit præ corporis debilitate refećtione indiguiſſe: ſubjunxitque parum diſcrete: *Ne cures pater modo de his theſauris, veni nunc & manduca.* Aliquantulum ille commotus: *Non bene dixiſti frater: valde me in his verbis offendiſti, vellem potius gravem alapam infligeres, quam hujuſmodi verba proferres. Cibus nullus, deliciæ nullæ, conſolatio corporis nulla his theſauris præferenda.* Vere credendum eſt, inquit Leo aućtor legendæ, animam illam ſanćtiſſimam præſenſiſſe dilećtum præ foribus pulſantem, & de tabernaculo corporis per ſuavem contemplationis mortem evocantem; quod tranſitus genus ipſe valde concupivit. Quare dum diceretur ei aliquando, ſanćtum Franciſcum diligenter expetiiſſe martyrium, ait: *Ego potius contemplatione quam martyrio vellem obire*; & proinde Deo gratias agebat, qui apud Tunetum, quo etiam martyrii deſiderio transfretaſſe ſcripſimus, deſiderium ſuum non adimplevit, dum decrevit hoc aliud mortis genus inferre.

Egregias ſenſit animi delicias.

Inter contemplandum mori concupiſcit.

Tom. 1. an. 1219. n. 34.

XXVI. Morte vero appropinquante, tantam ei debilitatem attulit febris, tuſſis, aliique morbi, ut neque ſomnum, neque cibum poſſet capere. A Fratribus autem ad lećtum quemdam deportatus fuit, alicujus quietis & commoditatis captandæ cauſa. Pridie autem ejus diei, quo ſanćti Georgii feriæ celebrantur, cum noćte a Fratribus eſſet in eo lećto depoſitus, & Peruſini apud eum excubias agerent, ut ſacrum ejus corpus poſt obitum ſibi retinerent, cuidam illi adſtanti Fratri ait: *Dicito Peruſinis, cos vel propter miracula mea, vel ob mei in Sanćtos relationem, ſive canonizationem, nullam unquam pulſaturos campanam: nec aliud eis datum iri ſignum, niſi Jonæ Prophetæ.* Deinde quietiſſimus & placidiſſimus in lećtulo decumbens, clauſis oculis & ore, abſque ulla membrorum valida protraćtione, aut commotione, beatiſſimum reddidit ſpiritum eodem die, quo ante annos quinquaginta duos a ſanćto Franciſco habitum monaſticum acceperat, puta ipſis ſanćti Georgii martyris feriis. Ejus animam vidit ſanćta quædam perſona cum multorum Fratrum aliorumque animabus, e purgatorio dimiſſis, ad cœlos evolare, Chriſtumque ei venire obviam, & admodum honorifice eum amplexari, adhibito cantu ſuaviſſimo, omnes cœleſtis patriæ regiones efficaciter penetrante.

Laborat variis morbis.

Feliciſſime decedit e vita.

Ejus anima cum magno comitatu glorioſe penetrat cœlos.

XXVII. Quo autem tempore in lećtulo decumbebat ægrotus, etiam quidam Dominicanus Frater in ſuo decubuit Monaſterio, eademque hora obiit, qua Ægidius. Apparuit autem poſt mortem cuidam Fratri, ſummo ejus amico, aitque valde bene ſecum agi: *Cum enim*, inquit, *abirem e corpore, quidam frater Minor Ægidius deceſſit, cui ob ejus eximiam ſanćtitatem id præſtitit Deus, ut multas e purgatorio animas ſecum in cœlum poſſet adducere: Patiebar ego tum dira ſupplicia, ſed ejus meritis evaſi*, atque his dićtis diſparuit. Frater autem, cui apparuerat, hæc aliis indicare nolens, ſubito graviſſimo correptus morbo eſt: ſed con-

Propter ejus merita plures animæ e purgatorio liberatæ.

Ejus gloriam tacens punitur.

conſitens ea cauſa id accidiſſe, quod noluiſſet ſancti fratris Ægidii gloriam & virtutem evulgare, petenſque acciri tum Franciſcanos, tum Dominicanos Fratres, poſtquam hæc eis enarravit, confeſtim ſanatus eſt.

Impletur ejus prophetia.

Porro Peruſini dum ſaxum inquirunt, unde ejus condant monumentum, ſepulcrum marmoreum reperiunt, in quo hiſtoria Jonæ ſculpta erat. In eo igitur repoſuerunt corpus ejus, ſicut ille ſub mortem prædixerat. Sepultus eſt extra Peruſiam in Monte, in Monaſterio Franciſcanorum, & multis claruit miraculis.

S. Bonaventuræ de illo teſtimonium.

Sanctus Bonaventura de eo dicere ſolebat, præſtitum illi a Deo, ut poſſit efficaciter opitulari eis, qui ad animæ ſuæ ſalutem invocant eum: idemque Bonaventura gratias agebat Deo, ſe in ea incidiſſe tempora, quibus ſanctiſsimum hunc fratrem Ægidium & alloqui, & videre potuiſſet.

Laborandum pro præmio.

XXVIII. Etſi autem doctus humanitus non fuit Ægidius, attamen propter ſublimem mentis exceſſum, quo fertur raptus in tertium cœlum: multa dicere conſuevit utilia & ſalutaria. Frater quidam conquerebatur, quod adeo compelleretur externis vacare laboribus, ut vix poſſet perſolvere preces ſuas: dicebatque ſe propterea velle petere Eremitorium, ut poſſet illic Domino in pace & tranquillitate ſervire. Reſpondit ei Ægidius: *Si eas ad Francorum Regem, dicaſque ei ut numeret tibi mille argenti libras, putaſne jure illum dicturum tibi, te quibuſdam agitari furiis talia ab ipſo petentem, cum nullam ſibi navaveris operam? Si vero magnos quoſdam & arduos ejus cauſa exantlaris labores, qui tali ſint præmio digni, fideliter jam & merito tantam pecuniæ vim poſſis ab eo exigere. Si vis igitur in precibus tuis audiri a Deo, primum illius cauſa laborandum tibi erit. Longe autem plus meriti habet unum opus bonum pro alterius factum voluntate, quam duo pro propria. Si quis tibi reſtituat manus, oculos, aut alia quibus orbatus ſis, membra, cupide ſane illi tota vita inſervies, ne ejus beneficiis ingratus habearis. Et ecce præpotens Deus dedit nobis manus, pedes, oculos, cuncta & ſpiritualia, & temporalia bona, nec tamen illi inſervire volumus.*

Meritum obedientiæ.

Laborandum pro Dei donis acquirendis.

XXIX. Dixit ei Frater quidam, ſe multum laborare pro devotionis gratia promerenda, nec ſe illam tamen adipiſci. Cui Ægidius: *Culpam*, inquit, *confitere tuam. Ille enim, cujus ditione omnia continentur, quod hodie non confert, cras fortaſſis largietur. Tu igitur hoc unum dumtaxat cures, ut Domino fideliter ſervias. Nam etiamſi quis a primis mundi initiis uſque ad ſupremum ejus diem vivat, faciatque quidquid poteſt boni, non tamen poteſt ex ſe minimam promereri bonitatem. Eſca quidem parata eſt, ſed non eſt, qui velit accipere.* Alteri cuidam percontanti, quo pacto tentationes effugeret? reſpondit: *Tentationes fugere volens, ipſum cælum fugit: Non enim coronabitur, niſi qui legitime certaverit.* Alius Frater rogavit, quidnam poſſet Deo gratiſsimum facere? Ægidius autem reſpondit illi cantans: *Unam, uni*: nec quidquam his addebat. Dicente Fratre, ſe neſcire quid ea ſibi velint: *Unam*, inquit Ægidius, *animam ſine intermiſſione, & abſque medio uni Deo commendabis.*

Qui fugit tentationem, fugit cœlum.
2. Tim. 2. 5.

Facere quidem, ſed ſancte & prudenter dictum.

Deſpicienda terrena.

XXX. Frater Gratianus ait ad eum: *Ego, mi pater, novi concionari, dare conſilia, & alia bona opera facere: ſed neſcio tamen quid potiſſimum ſequar. Quæſo te dicas, quid tibi conſultiſſimum videatur?* Ægidius reſpondit: *Nihil potes gratius facere Deo, quam ut teipſum a collo ſuſpendas.* Perterrito illo ob hujuſmodi ſermonem, Ægidius ait: *Qui ſuſpenſus eſt, non eſt ille quidem in cælo, attamen terra ſuperior eſt, ſemperque deorſum reſpicit. Sic & tu facias. Quandoquidem nec dum datur tibi eſſe*

in cœlo, mentem ſurſum erigas ab his rebus caducis, exerceaſque te in virtutum operibus; de teipſo ſubmiſſe ſentiens, & Dei miſericordiam conſtanter expectans.

XXXI. Adoleſcens quidam dixit beato Viro, velle ſe religioſum fieri, & Monaſterium petere. Tum ille: *Si vis*, inquit, *iſtud facere, abi & quamprimum jugula parentes tuos*. Adoleſcens vero ejulans: *Quonam*, inquit, *pacto tantum ego in me ſcelus poſſum admittere*? Reſpondit Ægidius: *Non ego te jubeo illos ferro necare, ſed gladio ſpirituali. Qui enim non odit patrem ſuum, & matrem, non poteſt effici Chriſti diſcipulus*. (Item aliud. Odiendi parentes. — Luc. 14. 26.)

XXXII. Frater quidam tentationibus preſſus, ſæpe rogaverat Deum, ut ab iis liberaretur, ſed id fruſtra. Indicavit id igitur beato Ægidio, qui ſic ei reſpondit: *Non mireris frater mi, ſi permittit Deus te confligere cum hoſtibus, quando tot ab illo affectus es gratiæ donis. Quanto enim potioribus armis Rex inſtruit milites ſuos, tanto eos vult virilius dimicare*. Sciſcitanti cuidam, qua ratione poſſet ferventer orare Deum, cor ſuum ſentiens torpore & frigore affectum: ita ait Ægidius: *Ponamus regem quemdam habere duos fideles miniſtros, quorum alter armis munitus ſit, alter inermis: mittere autem eum utrumque, ut cum hoſtibus pugnam ineant. Armatus igitur imperterritus ad certamen: inermis vero dicet regi ſuo: Vides Domine rex, me nullis tectum armis: attamen amore tui proficiſcar ad pugnandum adverſus inimicos tuos. Cernens autem Rex tantam illius erga ſe fidem, dicet ſatellitibus ſuis: Ocyus paretis arma, quibus induatur fideliſſimus ſervus meus, imprimatiſque ei ſignum armaturæ meæ. Ita etiam, qui ad certamen orandi abſque devotionis guſtu fidenter accedit, Deo providente, non fruſtrabitur rebus neceſſariis*. Quodam illum conſulente, num Monaſterium ingredi deberet? ſic reſpondit: *Si quis valde inops ſciret alicubi in agro reconditum theſaurum, putaſne quæſiturum illum ab aliquo, an eum theſaurum effodere deberet? Quanto ergo magis properare debent homines, ut reperiant vitæ æternæ theſaurum*? Tum ille conſiliis ejus parens, relictis omnibus, factus eſt Monachus. (In rebus bonis exequendis non eſt hærendum.)

XXXIII. Rogavit aliquando Ægidius Jureconſultum quemdam bene eruditum, crederet ne præclara eſſe & eximia Dei dona? illo reſpondente, ſe ſic ſentire. Ægidius ait: *Ego vero teſtatum efficiam, te id non credere. Dic mihi quanti æſtimes omnes facultates tuas*? Ait ille: *Valent fortaſſis mille pondo*. Tum Ægidius: *Jam ergo oſtendam*, inquit, *te non niſi ore credere. Si tu bis mille pondo poſſis tibi comparare, centum millia, grande ſane lucrum feceris: attamen nolles hæc dare pro regno cælorum: cæleſtia enim pro nihilo ducis*. Contra Jureconſultus: *Putas tu*, ait, *tantum quemque operari, quantum credit*? Reſpondit Ægidius: *Si bene & recte tu crederes, etiam bonis operibus deditus eſſes: ſicut & ſancti omnes, qui bonorum operum valde ſtudioſi fuere. Quæ ſi reipſa perficere non potuerunt, affectu & deſiderio effecerunt, ſanctumque deſiderium defectum operis ſupplevit. Si quis vera perfectaque eſſet fide præditus, ad talem pertingeret ſtatum, in quo ei plena ſecuritas præſtaretur. Qui vero ſummum illud atque æternum expectat bonum, quid illi poſſit malum officere? & qui æternis ſe credit dedendum ſuppliciis, quid illi poſſit conferre bonum? nec tamen debet unquam peccator, dum eſt in vivis, divinam deſperare miſericordiam. Ut enim nulla tam eſt ſpinoſa aut nodoſa arbor, quæ non poſſit fabrorum arte plana & elegans effici: ita nullus eſt tam flagitioſus peccator, quem non poſſit ornare Deus gratia & virtutibus ſuis*. (Qui fide firma credunt, bene operantur. — Fides vera habet opera annexa. — Nunquam deſperandum.)

XXXIV. Interrogatus quandoque frater Ægidius a quodam, quid-

nam facere deberet, quandoquidem & bene agens, animo ſe efferri ſentiret, & male agens, majori afficeretur animi mœrore, & propemodum deſperaret? ita ei reſpondit: *Optime facis, ſi te peccaſſe doleas: ſed tamen etiam huic dolori adhibendus eſt modus, cogitandumque Dei potentiam longe propenſiorem eſſe ad miſerendum, quam infirmitas tua fuerit ad peccandum. Quod ſi agricola cogitet, ſi quidem ſementem fecero, volucres cœli & beſtiæ terræ, & ſemen & fruges comedent: numquam ſeminare auſus erit, nec habebit quod comedat. At ſapiens agricola ſerit tempore ſuo, ac deinde colligit annonam. Non ſunt igitur propter vanam gloriam bona omittenda opera: ſi enim ea diſplicet, ſemper & maxima & potiſſima operum portio permanet ea facienti.*

Propter vanam gloriam nõ ſunt omittenda bona opera.

Potior multo gratia in Monaſterio, quam in ſeculo.

XXXV. Alio quodam ex ipſo perquirente, poſsitne divinam ſibi conciliare gratiam, qui in ſeculo permaneat? ita ait: *Poteſt quidem, ſed mallem ego gratiam unam in Monaſterio, quam decem in ſeculo. Quæ enim in Monaſterio obtinetur gratia, ea & creſcit facile, & bene cuſtoditur: quod is, qui monaſticum ſectatur inſtitutum, ab omni mundi ſtrepitu & ſollicitudine perturbante, quæ magnum adferunt gratiæ impedimentum, ſejunctus ſit: aliique fratres piis adhortationibus & ſanctis exemplis a malo eum retrahant, & ad bonum incitent. Porro gratia, quæ in ſeculo percipitur, & cito ſolet amitti, & ægre conſervatur: quod mundanarum tentationum ſollicitudo, quæ eſt perturbationum & inquietudinum parens, divinæ gratiæ & impediat & perdat ſuavitatem: & quod alii ſeculo dediti homines peſtiferis ſuaſionibus: & pernicioſis exemplis eum, qui divina gratia præditus eſt, a bono revocent, fortiterque impellant ad perpetranda mala. Si quis enim velit recte & inculpate ſe gerere, eum non modo non adjuvant, ſed irrident etiam: Dei autem inimicos tantum abeſt ut reprehendant, ut etiam efferant & extollant. Satius eſt igitur una potiri gratia in libertate, quam decem in ejuſmodi timoribus & periculis.*

Mundi malitia.

Unuſquiſque debet pro ſe orare.

XXXVI. Frater quidam rogavit Ægidium, ut pro ipſo Dominum deprecaretur. Cui Ægidius: *Tu vero*, inquit, *ora pro te ipſo. Quid enim alium pro te mittis, & tu interim deſides, cum poſſis ipſe iter facere?* Illo dicente, ſe peccatorem eſſe, Ægidium autem Dei amicum, atque ea cauſa poſſe fidenter, & pro ſe, & pro aliis deprecari; Ægidius reſpondit: *Frater mi, ſi omnes urbis hujus plateæ auro & argento plenæ eſſent, proclamatumque foret, licere cuilibet illud auferre, aliumne pro te nuncium ablegaturus eſſes, qui tuo nomine id tolleret? Puto equidem teipſum iturum, nec ſatis fiſurum alteri. Ita nimirum Deus totum implet mundum, & poteſt inveniri ab unoquolibet. Tu igitur ipſe eum adito, nec alium pro te mittas.*

XXXVII. Nobilis vir quidam converſus ad Deum, factus eſt Franciſcanus. Cum hoc magna interceſſit fratri Ægidio conſuetudo & familiaritas, cum eſſet in ſeculo. Poſtquam autem religioſus factus eſt, nullam ei Ægidius voluit peculiarem exhibere familiaritatem, ut ante conſueverat, ſed ait illi: *Frater cariſſime, nos unius ejuſdemque familiæ ſumus, unique Domino pariter famulamur. Mihi autem incompertum eſt, an gratum ſit Deo, ut ſic illi ſervias, quemadmodum ego te hortari velim. Fortaſſis enim me hoc, vel illud monente, illi viſum erit aliud abs te exigere. Itaque non ſum ego deinceps ſollicitus de te, miſſamque facio omnem ſingularem erga te familiaritatem, qualis mihi ſolebat eſſe tecum cum ſecularis eſſes.*

Religioſorum verus magiſter Chriſtus Dominus.

Legen. MS. Chron. antiq. Marc. lib. 7. c. 16.

XXXVIII. Paupertatem quam tanto ſtudio in hujus vitæ aggreſſu ſibi ſectandam propoſuit, perpetuo ſervavit rigore, nec quidquam ſu-

Digitized by Google

ſuperfluum aliquando admiſit in victu, veſtitn, aut habitaculo. In locis deſertis, & eremitoriis tuguriola ſibi conſtruebat ex arborum ramuſculis, & rudibus lateribus abſque temperamento. Poſt completam ædem Aſſiſiatem magnam & amplam nimis, cujus amplitudinem ſatis deſcripſimus ſuperius, cum ad viſitandum ſui Inſtitutoris corpus iter aſſumeret, oſtenderentque ei Fratres tres Eccleſias concameratas, triclinium ſpatioſum, dormitorium latum, clauſtra teſtudinea, magnæ molis columnas, deſuper ductos fornices, & abſidas, porticus ingentes, & atria capaciſſima; nihil, per omnia diſcurrens, dixit, quantumvis qui eum ducebant, cuncta laudarent, & Gregorii IX. Pontificis, aliorumque benefactorum pietatem commendarent, qui in honorem ſancti Franciſci tantæ molis, & ſumptus ædem conſtruxerant. Dum omnia luſtrarent, taceretque ſemper Ægidius, interrogavit eum ex ductoribus unus, quid ſibi videretur? reſpondit: *Fratres, jam nihil ſupereſt, niſi ut uxores ſuperinducatis*. Admirantibus ad hæc verba, ſubjecit: *Non eſt cur miremini, cariſſimi. Etenim perſpicuum vobis eſt, eodem nexu vos ad paupertatem, atque ad caſtitatem teneri, neque amplius vobis licere in illa, quam in iſta diſpenſare. Cum igitur paupertatem e veſtris clauſtris exulare feciſtis, quid reliquum eſt, niſi ut caſtitatem procul faciatis, quam ſimul cum paupertate voviſtis vos ſervaturos? Si licuit vobis in paupertatem peccare; etiam & hoc ſecundum ultro licebit*.

In ædificiis obſervari cupit paupertatem.

Tom. 2. an. 1235. n. 17. & ſeq.

Prudenter & ſalſe taxat paupertatis tranſgreſſores.

XXXIX. Refugium erat Vir ſanctus tentatis & tribulatis, quibus præſto aderat dono conſilii & ſubſidio ferventis orationis. Acceſſit ad eum quidam ex Fratribus, cui in aliis tribulationibus ſubvenit, exultans & jactans, ſe laqueos ſibi præparatos evaſiſſe, & tentamenta viciſſe diaboli. Sequentis etenim a tergo fœminæ dixit, ſibi immiſſam concupiſcentiam, eoque validiorem quo propius illa accedebat: ſtetiſſe vero parumper, atque prætereuntem ſerius aſpexiſſe, mox omnem evanuiſſe tentationem. Interrogavit gloriabundum Vir ſanctus, an pulchra eſſet mulier, vel deformis? an adoleſcentula, vel vetula? Reſpondit anum fuiſſe deformem. Subjunxit Ægidius: *Quid ergo mirum ſi præteriit tentatio appoſito antidoto? Scias fili mi, potius te ſuccubuiſſe, quam viciſſe. In eo conſiſtebat victoria, quod prætereuntem non aſpiceres; ſed dimiſſis, vel clauſis oculis te tentantem omnino negligeres. Victoria tentationis carnalis non in congreſſu, ſed in fuga ſecurior, & firmior. Cave iterum ne moleſtas tibi fœminas, neque in univerſum ullas in faciem reſpexeris: nam pro vetula adoleſcentula, & pro fœda ſpecioſa ſe tibi objiciet, quæ tentationem non remittet, ſed augebit; non tollet, ſed immittet, quo fiet ut facile pro victoria turpem lapſum, & pro gloria perpetuam reportes infamiam*.

Idem cap. 7.

Fugiendus mulierum aſpectus.

XL. Quinque Provinciales Miniſtri eum viſum perrexerunt Peruſiam, quos ut vidit, myſtico & ſpirituali cantu voluit impoſiti monere officii, appoſita ſimilitudine æterni habitaculi, abſque lapide aut calce constructi; neque diſſimilem eſſe, ſubjunxit, Religionem, cujus etiam ædificandæ illi erant operarii. Sed dum cœleſtes voluit deſcribere manſiones, ſtatim raptus eſt, & per integras horas in earumdem contemplatione perſtitit immobilis. In ſe reverſo, & ſubjuncto reliquo ſalutaris documenti diſcurſu, læti receſſerunt.

Religio ſimilis cœleſtibus manſionibus.

Legen. MS. c. 46. Idem c. 14.

XLI. Tantam hominis ſanctitatem miraculis etiam voluit Dominus confirmatam. Ducebatur Aſſiſium vir nobilis ex eodem comitatu, ut abſcinderetur ei crus, ne ſerpenti cancro totus deperiret. Obvio Ægidio ſuam calamitatem expoſuit, corruptione & fœtore vulneris detectis;

Legen. MS. c. 11. & 48. Marc. c. 42. & 45.

roga-

Signo Crucis claudum ſanat.

rogavitque ut ſigno crucis afficeret. Fecit rogatus humiliter crucem, oſculum ex compaſſione inſigens; ſed non prius fecit, quam claudus ſanus exiliret, & pedes glorificans Deum, domum reverteretur. Paupercula fœmina aridis uberibus lactare non valens filiolum, acceſſit opem imploratura. Invenit in oratione hærentem, pauperculæque lacernæ appoſuit ubera, quæ ſtatim lacte intumuerunt. Mortuus etiam plura patravit miracula, tres oculis male habentes perfecto viſui reſtituit;

Plura patravit miracula.

quinque claudos ſanavit, ab aliis duobus crurum dolores abegit, tres a ſquinantia, unam a partus periculo, duos a febre, unum a calculo, & plures alios a variis liberavit infirmitatibus. Mire celebrant multi graves auctores hujus Sancti vitam & doctrinam, neque prorſus indigne. Mirabilis enim apparuit Deus in hoc Sancto ſuo, quem raris virtutibus & magnis prodigiis fecit undique notiſſimum. Ejus corpus viſitavi Peruſii, ubi perpetua habetur in veneratione.

XLII. Sanctam etiam tranſegit vitam ejus ſocius Andreas Burgundus,

Hoc anno n. 20.

B. Andr. Burgundus, ejus ſocius.

cujus ſuperius meminimus, de quo in vita Ægidii hæc ſcribit beatus Leo. Frater Andreas erat homo valde devotus & contemplativus: cui ſemel in cella oranti apparuit Dominus in ſpecie pulcherrimi infantuli, candidi & rubicundi, ad cujus conſpectum ſumma fuit conſolatione repletus. Pulſata ad veſperas campana dubius hæſit vir pius, an ad chorum vocatus obediret, vel potius dilecti frueretur amplexibus? Tandem ſtatuit

Propter obediētiā relinquit infantulum Jeſum.

Prov. 21. 18.

obedire, probe ſciens quod *Vir obediens loquetur victorias*, & quod meritorium eſt creaturæ obſequi propter Creatorem; neque tunc Deum relinqui, quando propter Deum homini obeditur. Id ipſe mox expertus eſt; nam a veſperis redeuntem Chriſtus expectavit, ejus laudans obedientiam. Cui cum frater humiles redderet gratias ob tantam dignationem, quod miſellum placuit expectare: *Ita factum*, inquit, *quia tui Ordinis inſtitutis obſequutus es; quod ſi aliter feciſſes, neque ad veſperas ires, prorſus te inſalutato receſſiſſem*. Præclara profecto res obedientia, cujus tantam vult Dominus haberi rationem, ut ſeipſum propter illam velit dimitti. Sed quantumvis relinquatur, in ipſa obedientia invenitur:

Thom. 1. 2. q. 104. art. 1.

in qua non humanum aliquid pro actionum noſtrarum regula ſuſcipimus, ſed prima omnium regula eſt divina voluntas.

XLIII. Vacante Eccleſia Trevirenſi anno MCCLIX. per mortem Ar-

Committitur Minoritis examen Archiep. Trevlgen.

noldi II. diſcordantibus electoribus, duobuſque in diſcordia creatis, Henricus II. de Wiſtingen Decanus Metenſis, tunc Romæ exiſtens, neque dignitatem ambiens, ab Urbano pro Archiepiſcopatu proponitur. Cum autem ſub Epiſcopalibus inſignibus Trevirim veniſſet, ab omnibus officioſiſſime exceptus eſt: Non defuerunt tamen qui apud Pontificem traducerent, & in quibuſdam articulis accuſarent. Quare commiſit quibuſdam perſonis, ut de horum veritate inquirerent; quod dum illi negligerent, inquirendi munus mandavit Guillelmo de Waltmanshuſe: & Roberto de Warneſperg Minoritis. Hi etiam, vel quia calumniam retexerant, vel quia hominis verebantur potentiam, ſegnes in executione mandati Apoſtolici, iterum monentur, ut contra eumdem procedant. Incipit diploma: *Per exigentiam ſollicitudinis*. Datum 11. Kalend.

Cratep. de Archiep. Treviren.

Decembris. Falſo accuſatum indicant, quæ de ejus ſollicitudine in cura paſtorali ſcribit Cratepolius. quem anno MCCLXXXVI. Bononiæ tradit obiiſſe.

XLIV. Scripſit hoc anno Pontifex ad Archiepiſcopum Colocenſem, Hungariæ, ſeu Lannoniæ inferioris Metropolitam, ut examinaret circum-

cumſtantias & rationes, quæ movebant Oliverium Epiſcopum Sirmii (vulgo *Sirmiſch*, Probi Imperatoris natalibus inclyti, & Concilio Sirmienſi antiquiſſimo, quippe anno CCCLVII. celebrato, notiſſimi) ſuum in eadem Pannonia ſuffraganeum, ut Epiſcopatui renunciare, & ad Ordinem Minorum vellet tranſire. Quas ſi legitimas comperiret, jubet ut auctoritate Apoſtolica Eccleſiæ ceſſionem admittat, & a vinculo, quo eidem tenebatur adſtrictus, abſolutum, ad prædictum Ordinem tranſire permittat: *Significavit nobis*. Idibus Decembris.

Epiſcopus Sirmien. fit Minorita.

XLV. Hoc anno in provincia Saxoniæ ſanctæ Crucis extructum eſt Monaſterium Perienſe in nova Civitate Brandeburgi, cujus ædis nullum ſupereſt monumentum, ex quo amplior miniſtrari poſſit notitia. Tunc exædificatum aliud Cadomi (urbs eſt in Gallica Campania diœceſis Bajocenſis, a litteraria univerſitate commendata) civium, ſed maxime Beletiorum familiæ benevolentia. Areolam quamdam pro ampliori in ædem ingreſſu conceſſiſſe Thomam le Carrior Cadomenſem teſtantur ejus litteræ, eodem anno datæ, adhuc ibidem ſervatæ. Viri præcipui dictæ familiæ Beleth jacent in capitulari aula, prout infixum muro ſequens commemorat Epitaphium. *Hic jacent Guillelmus Beleth, & Hoberta ejus conjux cariſſima, cum Magiſtro Joanne Beletio, & ejus uxore, cumque alio Domino Joanne Beletio, qui bonorum ſuorum temporalium largitate, maximo cum divini cultus deſiderio, priora hujus Conventus poſuere fundamenta. Eis bene precemini*. Senſit etiam hæc ædes Hugnoſticorum ferinam rabiem, ab eiſdem majori ex parte diruta, & in acervum lapidum redacta.

Conv. Perien.

Gonzag. in Prov. Saxo. S. Crucis. Idem in Prov. Franc. Con. 25.

Conv. Cadomen.

XLVI. Nulla invenio hoc anno privilegia ab Urbano conceſſa, præter illud unum, quo omnia ab aliis Pontificibus data Ordini Minorum confirmavit: *Cum a nobis petitur*. IV. Kalend. Junii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. EX pluribus conjecturis Bleſenſe Cœnobium primordia ſum-
„ pſiſſe circa annum MCCLIII. dicebamus: re nihilominus am-
„ plius confirmanda huic anno reſervata, quo Patres Provinciæ Turo-
„ niæ Majoris in eo Conventu ſub die 11. Auguſti celebraſſe comitia ex
„ ejuſdem Provinciæ tranſmiſſis monumentis dignoſcimus, quibus etiam
„ admonemur, Illuſtriſſimum Dominum Joannem de Caſtillione, Bleſa-
„ rum Comitem, ex ſingulari devotione, qua in ſanctum Patrem Fran-
„ ciſcum, ejuſque Ordinem ferebatur, præfatam ædem in perpetuam
„ Fratrum habitationem fundaſſe: non quidem hoc anno, cum veluti
„ funguli terræ ſine ſemine, tempeſtuoſo cœlo, nocte una, vel die mi-
„ nime exoriantur, & matureſcant, ſed prolixa tempora, multumque
„ æris, & laboris expetunt, antequam conſummentur Monaſteria, ad
„ eumque ſtatum reducantur, ut vaſtæ Provinciæ, quemadmodum eſt præ-
„ fata, comitiorum pondus non exiguum ſuſtinere queant. Waddingus
„ hujus Cœnobii conſtructionis tempora non novit: quamobrem
„ ejus tantum meminit ſub eo anno bellorum pleno, quo Angli Re-
„ gionem vaſtantes illud inverecunde nimis diruerunt; at non miran-
„ dum, cum bellicus furor nemini parcat.
„ II. Moniales interea Clariſſæ Monaſterii ſanctæ Agathæ Papien-
„ ſis, ſive ad Ticinum, Ordinis ſancti Damiani, & nuncupatæ incluſæ,
„ moleſtias quamplurimas a diverſis illatas patiebantur: quod ſummo
Pon-

Sup. ad an. 1252. n. 5.

Joannes de Caſtillione Conv. Bleſenſem fundat.

Monum. Prov. Tur. maj. de anno 1680.

Vid. inf. ad annum 1283.

Wadd. ad ann. 1429. n. 13.

,, Pontifici delatum, hic, ut earumdem quieti pro paſtorali ſollicitudi-
,, ne conſuleret, & indemnitati provideret, Epiſcopia Papiæ & Placen-
,, tiæ, nec non aliis Eccleſiæ Prælatis, ut pro earum, ſuorumque bono-
,, rum defenſione apoſtolicam auctoritatem interponerent, epiſtolam
,, tenoris, qui ſequitur, expedivit.

URBANUS EPISCOPUS &c.

Venerabilibus Fratribus Papien. & Placentin. Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, & aliis Eccleſiarum Prælatis per Papien. Placentinen. Civitates, & Diœceſes conſtitutis ſalutem, & Apoſtol. benedictionem.

Bulla pro Clariſſis ſanctæ Agathæ Papien.

Ex mon. MSS. Prov. ſancti Didaci.

,, 1. *NOn abſque dolore cordis, & plurima turbatione didicimus, quod*
,, *ita in pleriſque partibus eccleſiaſtica cenſura diſſolvitur, &*
,, *canonicæ ſententiæ ſeveritas enervatur, ut viri religioſi, ii maxime, qui*
,, *per Sedis Apoſtolicæ privilegia majori donati ſunt libertate, paſſim a ma-*
,, *lefactoribus ſuis injurias ſuſtineant, & rapinas, dum vix invenitur, qui*
,, *congrua illis protectione ſubveniat, & pro fovenda pauperum innocentia*
,, *ſe murum defenſionis opponat.*
,, 2. *Specialiter autem dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa, & ſorores*
,, *Monialium incluſarum Monaſterii ſanctæ Agathæ Papien. Ordinis ſancti*
,, *Damiani, tam de frequentibus injuriis, quam de ipſo quotidiano defectu*
,, *juſtitiæ conquærentes: Univerſitatem veſtram litteris petierunt apoſt.*
,, *excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus ſuis, contra malefactores*
,, *earum, prompta debeatis magnanimitate conſurgere, quod ab anguſtiis,*
,, *quas ſuſtinent, & præſſuris veſtro poſſint præſidio reſpirare.*
,, 3. *Ideoque Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, at-*
,, *que præcipimus, quatenus illos, qui poſſeſſiones, vel res, ſeu domos præ-*
,, *dictarum Sororum irreverenter invaſerint, aut ea injuſte detinuerint,*
,, *quæ prædictis Sororibus ex decedentium teſtamento relinquuntur: ſeu in*
,, *ipſas Sorores, vel ipſarum aliquam, contra Apoſtolicæ Sedis indulta,*
,, *ſententiam excommunicationis, aut interdicti præſumpſerint promulga-*
,, *re, vel decimas de nutrimentis animalium ſuorum, ſpretis ejuſdem Sedis*
,, *privilegiis, extorquere; Si de his vobis manifeſte conſtiterit, canonica*
,, *monitione præmiſſa, ſi laici fuerint, publice candelis accenſis, ſinguli ve-*
,, *ſtrum in diœceſibus, & Eccleſiis veſtris excommunicationis ſententia percel-*
,, *latis: ſi vero Clerici, vel Canonici regulares, ſeu Monachi extiterint,*
,, *appellatione remota, ab officio, & beneficio ſuſpendatis, neutram relaxa-*
,, *turi ſententiam, donec prædictis Sororibus plenarie ſatisfaciant, & tam*
,, *Laici, quam Clerici ſeculares, qui pro violenta manuum injectione in So-*
,, *rores eaſdem, vel ipſarum aliquam, anathematis vinculo fuerint innoda-*
,, *ti, cum diœceſani Epiſcopi litteris ad Sedem Apoſtolicam venientes, ab*
,, *eodem vinculo mereantur abſolvi. Dat. apud Urbem veterem* IV. *Kal. De-*
,, *cembris Pontif. noſtri anno* II.

Indiculus.

Litteræ aliæ Apoſtolicæ pro FF. particularibus & S. Lud.

,, III. Præterea ab eodem Pontifice aliæ emanarunt litteræ Apoſto-
,, licæ, quas ex Indiculo hic referimus: quod Inquiſitores contra hære-
,, ticos procedant: *Licet ex omnibus &c.* XII. Kal. Aprilis: item aliæ
,, ſub dat. VIII. Idus Julii: Provincialis Bononienſ. conſtituitur Prædi-
cator

„ cator Cruciatæ: *Clamat inſtanter &c.* Idibus Maii: præcipitur fratri
„ Manſueto, ut recipiat ad pœnitentiam Ottonem: *Ad audientiam &c.*
„ Idibus Julii: eidem fratri Manſueto: *Dilecte fili &c.* IX. Kal. Auguſti:
„ pro eleemoſyna Regis Angliæ: *Dum cariſsimus &c.* VIII. Kal. Auguſti:
„ pro Fratribus miſſis ad Palæologum: *Inter alias &c.* V. Kal. Auguſti:
„ ad ſanctum Ludovicum incitativa pro defenſione Terræ ſanctæ: *Vocem*
„ *terroris &c.* XIII. Kal. Septembris: ad eumdem laudatoria: *Scripſiſti*
„ *pridem &c.* XII. Kal. Novembr. Guardiano de Urbe executorialis:
„ *Significavit nobis &c.* VIII. Kal. Novembris.
„ IV. Sed & hoc anno fratrem Simeonem Ordinis Minorum Albæ *Ital. Sac. To. 4.*
„ Pompejæ ad Tanarum Epiſcopum creatum fuiſſe, narrat Ughellus: *fol. 408.*
„ hic anno MCCLXVIII. interfuit pactis initis inter Carolum Andega- Fr. Simeon Al-
„ venſem Comitem Provinciæ, nec non Siciliæ Regem, & Aſtenſes bæ Pompejæ E-
„ cives: fuit etiam Apoſtolicus Delegatus ad lites ſedandas inter Mo- piſ.
„ naſterium Vallis Pixii, & homines Cluſæ: in Necrologio vero ejus
„ obitus dies ita deſcribitur: II. *Idus Martii obiit frater Simeon Albenſis*
„ *Epiſcopus, qui huic Eccleſiæ totam ſuam Capellam reliquit.*

ARGUMENTUM.

Mittuntur Apocriſarii quatuor ex Minoritis ad Imperatorem Palæologum. Transfertur ſolemniter corpus ſancti Antonii ad novam ædem, ſuo nomini conſecrandam, cujus majeſtas & amplitudo deſcribitur. Celebrantur generalia Ordinis Comitia, in quibus multa cordate pro bono regimine conſtituta. Petit Bonaventura in Ordinis Protectorem Joannem Caetanum de Urſinis, & obtinet: ſed creato etiam Clariſſarum Protectore Stephano Hungarico Epiſcopo Cardinale Præneſtino, exorta eſt controverſia inter utrumque circa obſequium Fratrum Sanctimonialibus præſtandum. Tamdem compoſita eſt lis, redacta utriuſque cura ad ſolum Caetanum. Præficiuntur Eccleſiæ Chiemenſi in Germania Henricus, & Auximati in Piceno beatus Benevenutus Minoritæ. Fratri Manſueto commendantur res ponderoſæ. Fabriani fit Conventus Provincialis Marchiæ, & extruuntur aliqua Domicilia.

I. NON potuit anno præterito Urbanus ſuos Apocriſarios ad Palæologum mittere, tum quia ex Minoritis (quos deſtinare decreverat) ſelectos viros, a Bonaventura Generali Miniſtro propoſitos, e remotis locis oportuit convocare; tum quod poſtquam conveniſſent, allati ſunt rumores, eumdem ipſum Palæologum, qui Eccleſiæ adhærere ſe velle ſignificabat, Guillelmum de Villarduin Achaiæ Principem, Romanæ Eccleſiæ devotiſſimum, & Latinos in ejus terris morantes perſecutionibus, moleſtiis, & injuriis multis inſectari non deſtitiſſe. Retardarunt itaque hæ cauſæ celerem expeditionem legationis, quam tamdem obeundam voluit, ne pacem & unitatem expetenti judicaretur deeſſe. Miſit porro Simonem de Alvernia, Petrum de Moras, Petrum de Criſta, & Bonifacium de Iporia, alias de Iporegia, Minoritas, viros eruditos & pios, qui rem omnium graviſſimam cum Imperatore peragerent, datis ad eumdem doctiſſimis his litteris, quibus plene reſpondet Imperatoriis, & quam ſit expetendum unitatis & caritatis vinculum, oſtendit.

Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri viam agnoſcere veritatis.

Ex formul. Marini Ebulen.

Nomina Nunciorum ab Imperatore miſſorum.

II. *IMperialis Excellentiæ Nuntios, videlicet, Maximum, dictum Aluſardum Monachum, Andronicum, dictum Muzalonem, & Michaelem, dictum Abalantem, nec non & litteras, quas ex parte tui Culminis præſentarunt cum ingenti gaudio & exultatione, ac honorificentia condigna recepimus; & tam ea, quæ coram nobis, & Fratribus noſtris dicti propoſuere Nuntii, quam earumdem litterarum ſeriem, quas de Græco transferri fecimus in Latinum, plane advertimus, & intelleximus diligenter. Sane in litteris ipſis in primo utique ſalutationis alloquio nos Papam veteris Romæ, Throni Apoſtolici ſucceſſorem, & ſpiritualem tui patrem Imperii recognoſcens; deinde de caritate utilia ſubjunxiſti, dicens, quod Imperium tuum caritatem libenter amplectens, ac habens zelum Dei, & zelans pacis & concordiæ bonum, ſe ad mittendum dictos Nuntios, & prædictas litteras præparavit. Scripſiſti etiam, quod nos, qui Patres ſumus, ad te, quem aſſeris noſtrum devotiſſimum filium, paterni affectus viſcera nullatenus aperimus, quantumcumque tu filius nos diligas ſicut patrem. Nam licet ſtatim capta Conſtantinopolitana urbe alias nobis Epiſtolares litteras miſeris, eamdem intentionem, idemque propoſitum continentes; nihilominus tamen propter ardens tuum in hoc deſiderium, prædictos Nuntios cum hujuſmodi litteris mittere decreviſti; poſtulans ut circa priorem unitatem in Dei Eccleſia renovandam pater filio conjungatur, quoniam ſi hoc Dominus ex alto permiſerit, nullus pro certo præſumet contra ipſam Eccleſiam ſuperbire; quia nec Rex, nec Princeps aliquis Apoſtolicæ audebit reſiſtere juſſioni. Adjeciſti quoque, quod Imperium tuum multo fuit dolore turbatum, intellecto quod Nos contra Januenſes, pro eo quod ſe tibi vinculo confœderationis aſtrinxerunt, excommunicationis duxeramus ſententiam promulgandam apud ipſos, ut ab hujuſmodi confœderatione diſcedant, præceptis & monitis Apoſtolicis inſiſtendo; propterea miratus es valde, quod nos qui magni & primi ſacerdotis locum tenere dignoſcimur, hoc jubemus, guerram paci, & bellum amicitiæ præponendo, cum tamen & Januenſes, & Græci Chriſtiani exiſtant, nec ſit incongruum cum Chriſtianis amicitiam & unionem colere Chriſtianos. Deſcripſiſti etiam multa mala, que contigerunt populo Chriſtiano a tempore, quo Latinæ gentes Græcorum terram, ut tuis verbis utamur, velut ſortem propriam acceperunt, imponens Latinis eiſdem templorum conculcationes, & exterminia divinorum, & quam plura, quæ in ſacris illarum partium ædibus, per eos aſſeris attentata; quæ quidem quoniam facta ſunt, & præterierunt, & quod factum eſt, pro infecto haberi non poteſt, in eiſdem litteris videbaris appetere, ut hinc inde inimicitiæ diſſolverentur, abjicerentur ſcandala, & omne removeretur obſtaculum, ad quod pedes ſuos poſſent offendere Chriſtiani, præſertim cum tu ſicut aſſeris, id toto deſideres mentis affectu, & ſi nos ad hoc ex corde velimus intendere, nihil eſt, quod tantum bonum valeat prohibere. Sed cum nos, qui Patres ſumus, te in hoc debuerimus implendo patris officium præveniſſe; tu nos in hac parte præveniens, pacem nobis & concordiam obtuliſti; propter quod ad conſummationem tractatus hujuſmodi, reputabis nos amplius obligatos; expreſſe proteſtans Imperium tuum, id quod in eo eſt, jam laudabiliter expleviſſe, ac poſſe dicere coram Deo, & angelis ejus, qualiter cucurriſti ad patrem, tamquam filius, patris amator, debitam nobis habitudinem, & convenientem honorem, ac diſpoſitionem ſponte, ac liberaliter offerendo.*

Unde

Unde ſi filium currentem pater repelleret , Imperium tuum ſe de hoc coram Deo , & ejus angelis excuſaret . Addebas præterea , quod de dogmatibus fidei , & conſuetudinibus , ſeu ritibus eccleſiaſticis nullum tunc ſermonem in eiſdem litteris faciebas . Nam ſi in iis aliqua eſſet diſcordia , pace præmiſſa , præhabitaque inter Latinos , & Græcos , hæc ſolverentur facilius , & celerius ſopirentur . Demum autem Tua Sublimitas tam per eaſdem litteras , quam per memoratos Nuncios cum multa petivit inſtantia , ut Apocriſarios , ſeu Legatos noſtros , homines videlicet pacis , & pacificos Chriſti diſcipulos , non gaudentes in vanitate verborum , nec bono pacis mundanam ſapientiam præponentes , ad tuam præſentiam mitteremus , cum per ipſos tuum expectet Imperium recipere a nobis , & prædicta ſede reſponſum .

Reſpondet ad ſingula Pontifex.

Nos igitur prædictis litteris debita coram Fratribus noſtris attentione diſcuſſis , Deo Patri Omnipotenti , a quo bona cuncta procedunt , & in cujus manu Regum corda conſiſtunt , & qui etiam quocumque vult illa ſine obice difficultatis inclinat , millemodas gratiarum retulimus actiones , totaque Romana Mater Eccleſia in laudis ſupernæ jubilum aſſurrexit , pro eo , quod Spiritus ſancti gratia videbatur mentales tanti Principis oculos ſui fulgoris radiis illuſtraſſe , ac oſtendiſſe ſibi viam catholicæ veritatis , per quam ad matrem filia , pars ad totum , & membrum reducatur ad caput . Hoc enim eadem Romana ſemper affectavit Eccleſia , & ad hoc indeſinenter ſuæ ſtudium conſiderationis inflexit , ut Græcorum Eccleſia ſuæ reficeretur lacte dulcedinis , ſuoſque effluentis educaretur uberibus caritatis ; ita quod ovile dominicum ſub unius paſtoris regimine alimenta doctrinæ ſalutis acciperet , & nomen Domini ſub uno veræ fidei dogmate utilius & ſalubrius invocaret . Volentes itaque , quinimo toto mentis cupientes affectu , tam utili , tamque fructuoſo tractatui diligenter , & ferventer inſiſtere , ac noſtros propter hoc ad te Apocriſarios , juxta Imperialis petitionis deſiderium deſtinare , memoratis tuæ Celſitudinis nunciis paterna benignitate dimiſſis promiſimus , quod circa mittendas ad te perſonas idoneas , in quarum ore verba reſponſionis Apoſtolicæ ponerentur , libenter tuæ ſatisfaceremus beneplacito voluntatis .

Excuſat moram.

Licet ergo eiſdem tuis præcedentibus nunciis , vellemus noſtræ ſuper hoc intentionis affectum perducere , faciente Domino , celeriter ad effectum ; longa tamen loci diſtantia , qua dilecti filii Simon de Alvernia , Petrus de Moras , Petrus de Criſta , & Bonifacius de Iporia , Fratres Ordinis Minorum , latores præſentium , Apocriſarii noſtri tunc temporis morabantur ; noſtris ſuper hoc votis contra ſpem noſtram obſtaculum dilationis ingeſſit . Infeſti quoque rumores , qui ad audientiam noſtram medio tempore pervenerunt de perſecationibus , moleſtiis , & preſſuris , quæ nobili viro Guillelmo de Villarduin , Principi Achajæ , devotiſſimo utique dictæ matris Eccleſiæ filio , ejuſque terris , & Inſulis , ac Latinis morantibus in eiſdem , per tui viros Imperii jugiter inferuntur , celerem expeditionem Legationis hujuſmodi retardarunt , cum per hujuſmodi tuorum operum novitatem reſiliiſſe a concepto propoſito , nec in eadem voluntate perſiſtere credereris . Verumtamen quia tanti boni proſequutio non potuit apud nos , nec debuit per aliquod , quantumcumque veriſimile retractivum finaliter impediri , cum ceteris mentis noſtræ deſiderabilibus id ſpecialiter præferamus , ut Chriſtiana plebs ſub orthodoxæ profeſſione fidei , atque cultu proficiat , & in idem individuum collegium unius paſtoris , ſi detur , magiſterio , & cuſtodia muniatur .

Mittuntur Minoritæ Apocriſarii.

Ecce prædictos Fratres , viros utique religione conſpicuos , & in lege Domini eruditos , pacificos , & ramum olivæ in ore geſtantes , veritatis etiam Evangelicæ profeſſo-

 res ,

res, amatores, & cultores humilitatis, qui Chriſtum ſequendo pauperem,
ſeculo cum ſuis divitiis & deliciis derelicto, ad ſolam cæleſtem patriam tota
De unitate. *mentis attentione ſuſpirant, ad Tuam Magnitudinem, tamquam pacis An-*
gelos, de Fratrum noſtrorum conſilio deſtinamus. Sperantes in illo, qui
arcem poſſidens unitatis, univerſitati rerum quas condidit, ſuæ veſtigium
unitatis impreſſit, per quam ad ſuum principium recurrentes, ab eo reci-
piunt perfectionis finem, a quo ſubſiſtendi ſumpſere primordium: & quod
aures Imperialis Magnitudinis ad eorumdem Fratrum ſalutaria monita
efficaciter inclinabit, tibique tribuet ex alto virtutem cogitandi vias Do-
mini, tuoſque pedes in ejus teſtimonia convertendi præduce caritate; quæ
ſicut litterarum tuarum habet aſſertio, tuum excitavit & induxit Impe-
rium ad pacem a nobis, & concordiam requirendam, & ſuper qua etiam
veluti ſupra ſolidum fundamentum, litterarum ipſarum ſtructuram quaſi
De caritate Dei. *totaliter erexiſti. Et licet nos, qui vices illius, licet immeriti, tenemus in*
terris, qui caritatem docuit, caritatem dilexit, caritatem oſtendit, & ca-
ritatem miſit in mundum, verba caritatis a te propoſita in ipſo earumdem
exordio litterarum, caritative recepimus, & libenter audivimus, Deo, qui
1. Joan. 4. 16. Oſeæ 14. 5. *caritas eſt, labiorum noſtrorum propter hoc vitulos immolantes, devote ſup-*
plicantes eidem, ut te per ſuam clementiam ad illius veræ caritatis effe-
ctum, per quam in Deo maneas, & Deus in te dignetur, tamquam in ſuo
habitaculo, permanere. Ex zelo namque ſinceriſſimæ caritatis proculdubio
procedere noveris, quod te & cunctos populos, quos tuum regit, & gubernat
Imperium, ut ad veritatem redeatis catholicam totis anhelamus affectibus,
& vos ut ad ſinum matris Eccleſiæ convertamini promptis deſideriis invita-
mus: quoniam hujuſmodi unio ſive connexio ſalutaris, ſi placeret Altiſſimo,
quod noſtris & tuis temporibus fieret, cordi noſtro inæſtimabilis gaudii ro-
rem infunderet; & anxiæ propter hoc noſtræ mentis ardorem affluentis læ-
titiæ refrigeraret irrigua, noſtrumque animum panem ſalutis, & fructum
animarum deſiderabiliter appetentem, pabulo reficeret caritatis. Tunc
enim nobis & ipſi Eccleſiæ proveniret magnum & deſiderabile ſalutare,
cum videremus varias gentium nationes ſub ejuſdem obſervantia fidei in
unum acceptabilem Chriſto populum congregatas. Tunc etiam exultatione
nimia hilareſceret totus orbis, quia valde bonum & jucundum exiſteret,
fratres ſimul in domo Domini habitare. Hæc, inquam, domus eſt Eccleſia
Pſal. 132. 1. Matth. 7. 24. *Chriſti* firmiter ædificata, & bene fundata ſupra firmam petram *fidei or-*
thodoxæ, quam ipſe Chriſtus ſuo fundavit ſanguine pretioſo, & in qua mul-
Unitatis commendatio. *titudini credentium eſt cor unum & anima una, unus Deus, una fides, &*
Act. 4. 32. *unum baptiſma, & in qua etiam tota fidelium multitudo uni corpori com-*
Epheſ. 4. 5. Rom. 12. 5. *paratur, dicente Apoſtolo,* multi unum corpus ſumus in Chriſto. *Cujus*
quidem corporis unitas a ſpiritus veritate procedit, qui etſi ſit unus, pro ſuo
tamen arbitrio membris ipſius Eccleſiæ diverſitatem influit gratiarum.
1. Cor. 12. 11. *Propter quod idem Apoſtolus, enumeratis Spiritus ſancti donis, ait:* Hæc
Ibidem 13. autem operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult,
Et poſt pauca ſubjunxit: In uno ſpiritu omnes nos in unum corpus bapti-
zati fuimus. *Hæc quidem Eccleſiaſtici corporis unitas per inconſutilem Do-*
Matth. 27. 35. *mini tunicam, quæ diviſis aliis veſtibus, uni tantum ceſſit in ſortem, non*
Joan. 5. 4. *immerito figuratur. Hanc unitatem Piſcina probatica deſignavit, in qua*
unus tantummodo ſanabatur, extra ipſam languentium multitudine rema-
Pſal. 11. 9. *nente; quoniam in hujus unitatis* circuitu impii ambulant, *& in eam in-*
trare renuunt, ut ſanentur. Hanc etiam unitatem commendat Sponſus in
Cant. 6. 8. *Canticis dicens:* Una eſt columba mea; una perfecta mea; *quamquam*
plu-

*plures reginas adoleſcentulas, & concubinas eſſe deſcribat. Ut igitur hu-
juſmodi unitatis gratia firma & illibata penitus ſervaretur, unum eidem
unitati Dominus, videlicet beatum Petrum Apoſtolorum Principem caput
conſtituit & magiſtrum, ut illam quaſi Noe arcam, extra quam animan-
tia derelicta in aquis diluvii ſubmerguntur, in ipſo Apoſtolorum Principe,* Gen. 6. 19.
velut in uno cubito conſummaret, eique magiſterium Eccleſiæ ſuæ conferens Primatus Petri.
& primatum, oves & agnos ſuos illi paſcendos, præmiſſa trina dilectionis Joan. 21.
*interrogatione, commiſit, tradens ei claves Regni cælorum, cum libera
ligandi atque ſolvendi Pontificia, & plenaria poteſtate; & ne ipſius Prin-* Matth. 16. 19.
*cipis fides deficeret aliquando, pro ipſo efficaciter exoravit; quod cum poſt-
modum aliarum Eccleſiarum nonnullæ fuerint hæreticorum errore fœdatæ,
Romana Eccleſia, cujus idem beatus Petrus magiſter extitit, immaculata* Romana Eccleſia immaculata.
*remanſit, nullamque prorſus labem contraxit hæreticæ pravitatis. Unde
reliqui Apoſtoli hujuſmodi inſtitutionem Dominicam, etiam poſt Chriſti
aſcenſionem inviolabiliter obſervantes, recognoverunt eumdem beatum Pe-
trum fore Chriſti Vicarium, & ſuper eo Primatus officium in omnibus obti-
nere. Ad verbum namque ipſius beati Petri ſurgentis in medio fratrum,
unanimiter per Apoſtolos ad electionem Matthiæ proceditur. Surrexit enim* Act. 1. 15.
*in medio tamquam ardens igne Spiritus ſancti, loco Magiſtri, qui ei com-
miſerat gregem ſuum, & tamquam honorabiliſſimus, cui omnes pariter
intendebant. Ejus quoque ſermonibus illi, qui blaſphemabant Apoſtolos,
immo ſanctum Spiritum, convincebantur. Multa inſuper fidelium millia* Act. 2. 41.
*ipſius prædicatione convertebantur ad fidem, in qua quidem prædicatione ſe
ferventer, & ardenter, velut Chriſti Vicarius exercebat. Neque huic inſti-
tutioni Dominicæ ſancti Patres poſtmodum reſtiterunt, ſed ipſius Principis
ſucceſſorem, tamquam illum, qui Chriſti vices in terris obtinet, veneran-
tes, & ad ejus judicium in fidei recurrentes dubiis, ejus auctoritate hæreſes
condemnarunt; manentes ſicut membra in eorum capite Apoſtolico, ſcilicet
Throno Pontificum Romanorum, a quo quærendum eſt, quid ſit tenendum?
quidve credendum? cum ejus ſit reprehendere, ſtatuere, ordinare, diſpone-
re, præcipere, ſolvere, & loco illius ligare, qui ædificavit illum, & quod
nulli alii, ſed ipſi ſoli, quod plenum eſt, tradidit, & conceſſit. Huic etiam
Throno omnes Catholici jure divino caput inclinant, & Primates mundi ve-
ram confitentes fidem, tamquam ipſi Domino Jeſu obediunt, & intendunt,
ac in illum tamquam in ſolem reſpiciunt, & ab eo lumen veritatis &
fidei ad ſalutem recipiunt animarum; prout nonnullorum ſanctorum Pa-
trum tam Græcorum, quam aliorum ſcripturæ veridicæ aſſeverant. Porro
cum præcellens Eccleſiæ prædictæ auctoritas & poteſtas, & evangelico ro-
boretur privilegio, & quam plurium ſanctorum Doctorum teſtimonio ful-
ciatur, nequaquam expediens fore decrevimus plura horum ſuper hoc ſcri-
pta producere, quia ſupervacaneum prorſus exiſteret ſolem adjuvare faci-
bus, & id quod eſt in cælo, & in terra notorium, ſcripturarum ſuffragiis
comprobare. Sed utinam Imperialis judicium rationis nos Throni Apoſtolici
ſucceſſorem, & ſpiritualem tui Patrem Imperii, ſicut verbo in tuis litteris,
ſic & opere recognoſceret, ac nobis debita jura redderet reverentiæ filialis.
Utinam illam caritatem, cujus te aſſeris ſectatorem, circa nos & Thronum
ipſum efficaciter demonſtrares ad gregem redeundo dominicum, ac recipiendo
te ipſum in tanto matris Eccleſiæ gremio, ubi conſolationis maternæ dulce-
dinem cum ceteris orthodoxis mundi Principibus deguſtares; ubi etiam in
cunctis tuis opportunitatibus indeſinenter tibi adeſſe ſentires prompta ſui
præſidii favorabilis adjumenta. Nam ſi hoc tibi Spiritus, qui* ubi vult, Joan. 3. 8.
ſpi-

Utilitas & incrementum provenit regnis ex obedientia & affectu erga Eccleſiam.

ſpirat, *cælitus inſpiraret, non ſolum oſtenderemus, & aperiremus tibi paterni affectus viſcera, verumetiam te intra illa tamquam præcordialem, & cariſſimum filium locaremus, tibique in tui ſuſtentatione, & exaltatione Solii monſtraremus, quantum Thronis regalibus Apoſtolicæ Sedis gratiam & communionem habentibus, ſit neceſſaria, fructuoſa, & utilis poteſtatis Apoſtolicæ plenitudo; neque volumus diffiteri, quinimo conſtanter aſſerimus, quod maxima eidem Eccleſiæ, ac tibi etiam ex tui converſione Imperii utilitas, multorumque incrementa profectuum ſpiritualiter & temporaliter provenirent, quia & ejuſdem corpus Eccleſiæ ex membri reintegratione tam nobilis, appareret, & exiſteret in omni parte ſui elegantiſſime venuſtatum, & membrum ipſum non langueſceret, neque tabeſceret extra corpus, ſed validum ex illo ſuſcipiens incrementum favoris, & honoris vigorem reſumeret & humorem. Illamque curam teneram, vigilemque ſollicitudinem de tuo Imperio eadem haberet Eccleſia, quam habet de ceteris Orbis terræ Regnis atque Provinciis, ſub ſalubri ejus obedientia conſtitutis, quorum poteſtates & principatus adeo fovet, protegit, & gubernat. Quod ſi nonnumquam inter hujuſmodi Regna ſive Provincias diſſenſionum ſcandala, ſeu tumultuantium bellorum diſcrimina forſitan oriantur, ſtatim eadem Eccleſia in medias filiorum furentium partes proſiliens, & ſtrictos jam, vel ſtringendos gladios de manibus altercantium confidenter eripiens, per auctoritatem fit inter ipſos imperioſa placidæ pacis nutrix. Reges quoque Catholici cum inter ipſos aliquid diſſenſionis emergit, vel cum vaſſalli eorum præſumunt contra eos calcaneum rebellionis erigere, mox habent ad portum Eccleſiæ prædictæ recurſum, ejuſque ſalubre conſilium, & auxilium implorantes, tranquillitatis & pacis remedia infallibiliter ab ipſa recipiunt: facitque ut inter diſcordes & turbatos eorum animos ſerena concordia, & concors ſerenitas reformetur, ſedentur ſeditiones a ſubditis concitatæ, & litigantium clamores queruli conticeſcant. Præterea circa hæredes parvulos Regnorum hujuſmodi, ſi quos parentibus eorum Regibus deficientibus in pupillari ætate remanere contigerit, eadem Romana Eccleſia piæ matris aſſumit officium, ac diligenter & utiliter ipſorum gerit regimen & tutelam; eorum hæreditates & regna cum neceſſitas imminet, etiam ſuis propriis ſumptibus a quibuslibet invaſoribus, & occupatoribus defendendo. Hæc autem & alia quamplura refugia invenerunt ſemper, & inveniunt apud eamdem Eccleſiam fidelia & obedientia ſibi Regna, Reges, & Principes orthodoxi. Unde ſi tu (quod ferventer appetimus) inſpiratus a Domino, ad ejus obedientiam recta mentis intentione redires, tanto promptiora favoris & præſidii juvamina tuum in illa inveniet Imperium in tua, tuorumque hæredum defenſione, ac exaltatione perpetua, quanto ferventioribus deſideriis eadem Eccleſia feſta Paſchalia tuæ jucundæ converſionis expectat, quantoque attentioribus ſtudiis te ad ejus unitatem converſum, in ſuæ caritatis amore ac gratia retineret. Quæſumus ergo, quinimo tuam Excellentiam obſecramus per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, ut illud laudabile ac ſalubre propoſitum, quod tuæ litteræ jam ſuper hoc te concepiſſe teſtantur; in partum, ſublata qualibet difficultate ac dilatione, producas, redeundo celeriter ad amplum & ſpatioſum ejuſdem gremium, ubi indubitanter invenies tibi & ſemini tuo perpetua ſolidæ firmitatis ſedilia præparata; & ubi etiam non ſolum tu, ſed & tua poſteritas futuris temporibus recumbere poterit confidenter, quia ſi te in conſilia meliora retuleris, & ad eamdem Eccleſiam in ſpiritu humilitatis redieris, non ſolum auxilium Januenſium, quorum amicitiam nos tibi ſubtrahere velle conquereris, & alio-*

Eccleſia componit diſcordes.

Regibus providet & regnis.

Interdictum Januenſibus cum Palæologo fœdus.

rum

rum fidelium Latinorum potentiam, veram etiam ſi opportunum fuerit, vires
omnium orthodoxorum Regum, ac Principum Orbis terræ, in tuum, tuique
ſolii fulcimentam conſtare, ac provocare ſtudebimus inter te & ipſos indiſ-
ſolubilis fœdera dilectionis ad laudem & gloriam divini nominis, & Chri-
ſtianæ religionis augmentum. Sed quamdiu ipſi Romanæ Eccleſiæ inobe-
diens, & Throno Apoſtolico indevotus extiteris, ſalva conſcientia ſuſtinere
non poſſumus, qaod dicti Januenſes, vel alii quicumque Latini tibi auxi-
lium præbeant, vel favorem: cum ſit prorſus incongruum, ut obedientiæ
filii cum filiis inobedientiæ per alicujus confœderationis commercium mi-
ſceantur, præſertim cum poſſet per tale commercium ſtatus inobedientium
fortius ad inobedientiam roborari. Poſſet etiam de facili puritas filiorum
obedientium ex ſocia converſatione & familiaritate, quam cum inobedienti-
bus contrahunt, in ſynceris eorum moribus maculari. Si ergo contra eoſ-
dem Januenſes proceſſimus, hac de cauſa Imperialis circumſpectio non mi-
retur, cum officii noſtri debitum impleverimus in hac parte, nec per hoc
aliquis, rationis judicium, & non voluntatis ſequens libitam juſte contra
nos poteſt arguere, quod guerram paci, & bellum amicitiæ præponamus:
cum talis confœderatio, ſeu amicitia in guerram, bellum, & ſcandalum
prædictæ Romanæ Eccleſiæ ſuorumque fidelium filiorum, quos ante oculos
ſuos in ejus gremio cum eorumdem favore Januenſium opprimis, cedere to-
taliter dignoſcitur. Et cum ſimus illius Vicarii Veritatis, qui ait: Ego *Joan. 14. 6.*
ſum via, veritas, & vita; *propter quod veritatem diligere, veritatem*
oſtendere, veritatem ſequi, veritatem omnibus dicere, ac veritatem etiam
ſupra tecta prædicare tenemur, tacere in hoc non poſſumus, nec debemus, Non obedire Eccleſiæ Romanæ
nec volumus veritatem: quod omnes illi, qui Throno Apoſtolico non obediunt, grave peccatum.
quantumcumque Chriſtianos ſe nominent, Dominicis obviant inſtitutis, &
in Deo peccant mortaliter, & graviter oculos Divinæ Majeſtatis offendunt.
Nam quanta ſit inobedientiæ culpa verbo Samuelis oſtenditur aſſerentis;
quod quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, *1. Reg. 15. 23.*
acquieſcere nolle. *Monſtrantur etiam exemplo Dathan & Abiron, qui* *Num. 26. 9.*
propter inobedientiæ malum, ab Altiſſimo pœna graviſſima ſunt puniti, ter-
ra eos cum ſuis omnibus abſorbente. Hæc autem tibi dicimus more periti
medici, volentes palpare vulnera inobedientiæ telo transfixa, & ideo verba
noſtra patienter audias, & ſapienter advertas, ut tibi, auctore Deo, profi-
ciant ad ſalutem. Meliora ſunt *enim, Salomone teſte,* diligentis vulnera, *Prov. 27. 6.*
quam fraudulenta oſcula odientis. *Ad noſtrum nempe ſpectat officium, ubi*
neceſſaria eſt increpatio, non tacere; ſicut conticent canes muti non valen- *Iſa. 56. 10.*
tes latrare: *ſed ſecundum Apoſtolum* arguere, obſecrare, & increpare in *2. Tim. 4. 2.*
omni patientia, & doctrina. *Verum quanta mala populo Chriſtiano conti-*
gerint a tempore diſſenſionis, & diviſionis hujuſmodi, nullatenus ignora-
mus: quinimmo dum hæc ante oculos noſtros reducimus, producimus ab imis
amara ſuſpiria, nec poſſumus lacrymas ſuſtinere, dolentes ſuper illis, qui
primi a prædictæ Romanæ Eccleſiæ obedientia recedentes, inter Latinos &
Græcos tanti materiam ſcandali reliquerunt. Nam ſi Latini Græcos diver-
ſis temporibus impugnarunt, hoc proculdubio non fecerunt tantummodo cauſa
acquirendi eorum terras, & divitias temporales, ſed ut per vexationem
Græcis intellectus, qui noluerunt intelligere, ut bene agerent, *præſtare-* *Pſal. 35. 4.*
tur. Propter quod ſi templa divina & ædes ſacræ per aliquos latrunculos,
ſeu per aliquos prædatores deſtructionis exterminium, ſicut in terris, guer-
rarum fluctibus æſtuantibus, conſuevit contingere, forſitan incurrerunt;
nullus ſanæ mentis vel debet, vel poteſt, id Latinis omnibus imputare, ſed
hujuſ-

hujuſmodi latrunculis & prædatoribus, immo potius illis, qui prout dictum
eſt, inter utramque gentem diſſidii zizania ſeminaverunt. Quia vero pa-
cem videris appetere, & petere, ut hinc inde ſolvantur inimicitiæ, abji-
ciantur ſcandala, & omne removeatur obſtaculum, ad quod Chriſtiani poſ-
ſent offendere pedes ſuos; nos tuum in hoc ſalubre & laudabile deſiderium,
dignis laudum præconiis attollentes, ad Imperialem notitiam præſentium
Pacis commendatio. *tenore deferimus, quod cum illius Regis pacifici vices geramus in terris,*
qui unicum ſacrificium per mortem Patri ſe obtulit, ut ſecundum Joannem
Jo. 11. 52. filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum, *& qui ſecundum*
Epheſ. 2. 14. Joan. 14. 27. *Apoſtolum eſt* pax noſtra faciens utraque unum, *& qui etiam ad paſſio-*
nem accedens de pace condidit teſtamentum; veram pacem & concordiam
quærimus, & ad talem pacem inter utrumque populum, auctore Domino,
reformandam vigilanter & efficaciter intendere volumus, per quam utique
pacem copula rectæ caritatis & fidei cordibus inſeratur, & quæ unitatis
vinculum operetur; procul depellat odia, rancores abjiciat, fuget invidiam,
excatiatque livorem, paret mentes, corda conciliet, & ſociet voluntates.
Unde ſi talem pacem, tua nobis offert Serenitas: nos illam & libenter ad-
mittimus, & deſideranter amplectimur, firmo intendentes propoſito, & in-
Pſal. 33. 15. *tentione ſtabili proponentes ſecundum Pſalmiſtam, inquirere, ac ſequi eam,*
ac pro ipſa, ſi opus fuerit, ſuperimpendere noſmetipſos. Sed quia non eſſet
vera, nec ſtabilis, quæ ſuper firmo non conſurgeret unitatis & fidei funda-
mento, non debuit dogmata fidei, nec ritus Eccleſiaſticos tua poſtponere
Magnitudo; cum non ſit dubium, omnem pacem & omnem concordiam tan-
quam adjectivum ex hujuſmodi debere ſubſequi ſubſtantivo. Nam cum hæc
principaliter inſideant menti noſtræ, & cordi noſtro, cum etiam circa hæc
ſpecialiter noſtræ diligentiæ ſtudium, & Apoſtolicæ Sedis verſetur intentio;
inconveniens ſatis fuit illa poſtponere, quæ præponi potius debuiſſent. Nos
autem quia utrumque volumus, utrumque credimus, & utrumque votis an-
xiis expectamus, prædictos noſtros Apocriſarios pro utroque negotio, ut ſci-
licet de dogmatibus fidei, ritibuſque Eccleſiaſticis, & de pace & concordia
cum tuo tractarent Imperio, ad te duximus deſtinandos. Unde ſi pacem
& concordiam deſideras, ut ſcripſiſti, in proſecutione ac conſummatione
tractatus hujuſmodi tractabilem te exhibeas, & benignum; ne reputari
poſſimus ab aliquibus negligentes, quod te non prævenimus, ſed a te fuimus
pacis oblatione præventi: noviter enim tunc fuerat cervicibus noſtris impo-
ſitum jugum Apoſtolicæ ſervitutis, & in illo noſtræ novitatis initio tot &
tantis fuimus ſollicitudinibus obſeſſi, quod ad ſuſtinendos inundantium un-
dique ſuper nos negotiorum impetus, reputabamus nos quaſi penitus impo-
tentes: ſed quantumcumque eſſemus negotiorum varietatibus occupati,
ſemper tamen cogitabamus inter alia maxima, quæ noſtris humeris incum-
bebant, qualiter tuum attrahere poſſemus Imperium ad Eccleſiaſticam uni-
tatem; intendentes in hoc firmiter noſtrorum prædeceſſorum Romanorum
Pontificum veſtigiis inhærere, qui ſub diverſitate temporum indeficientibus
ſtudiis (licet, quod dolenter referimus, coram labores inutiles, ſterileſque
abierint) laborarunt; ac ſpem noſtram ponentes in eo, qui eſt in ſe ſperan-
tium fortitudo, quod Eccleſiæ Dei tantum bonum tuis temporibus proveni-
ret. Ideo Imperialem Manſuetudinem de Fratrum noſtrorum conſilio mone-
mus, rogamus, & hortamur attente, ac per aſperſionem prædicti ſanguinis
obſecramus, quatenus habens cor ſurſum ad Dominum, ac de tua tuique
converſione populi cogitans, & ſalute, prædictos noſtros Apocriſarios ob re-
verentiam Apoſtolicæ Sedis benigne recipias, & honorificentia condigna
per-

pertractes, ac tractes efficaciter ſuper præmiſsis per te, vel per alios, quos ad hoc deputaveris ſuper eiſdem, ſicque attente præbeas ipſorum ſalutaribus monitis aures tuas, ut ſpes quam de tua laudabili intentione concepimus, fructus nobis & toti generali Eccleſiæ afferat concupitos. Si autem ex tractatu hujuſmodi viſum tibi, & eiſdem Apocriſariis fuerit, quod tam pium, tamque ſalubre negotium progreſſum laudabilem & egreſſum debeat habere felicem, ordinari poterit per te, ipſoſque Apocriſarios, ut ſolemnes Nuncii pro ejuſdem conſummatione negotii, cum auctoritate & poteſtate plenaria, & mandato ſufficienti ad nos ex parte tuæ Celſitudinis dirigantur; vel alia via conveniens inveniri, per quam ad conſummationem dicti negotii finaliter, auctore Deo, procedatur. Ad hæc autem ut tractatus hujuſmodi tam ſalubris aliquo ſiniſtri caſus accurſu, ſeu quolibet alio inſperatæ turbationis impediri nequeat interjectu, a tua Magnitudine pro munere petimus ſpeciali, ut ſaltem Divinæ Majeſtatis intuitu, ceſſent penitus interim commotæ jam per te contra memoratum Achajæ Principem ſimultates, terribiles armorum ſtrepitus conquieſcant, hoſtiles arceantur incurſus, & præcipites bellorum impetus refrænentur; ita quod nos videntes, & recognoſcentes, quod libenter in hoc Apoſtolicis beneplacitis te coaptas, reddamur exinde tibi, non ſolum ad benevolentiam, verum etiam ad procuranda tua ſpiritualia, & temporalia commoda promptiores. Ceterum, quia noviſſime hiſce diebus ſcriptum Imperiale recepimus, in quo inter alia continebatur, quod in cauſis, ſeu quæſtionibus, quæ tuum habet, ſeu habere ſperatur Imperium cum Latinis, nullum alium Judicem, niſi ſolum Romanum Pontificem, & Romanam Eccleſiam habere proponis: nos attendentes, quod ex recta confidentia, & benevolentia multu procedit, quod noſtrum & ipſius Eccleſiæ ſubire judicium non recuſas, quinimo te offers ad ſubeundum promptum, expoſitum, & paratum; tui ſuper hoc animi promptitudinem, quam diſponere, ac dirigere jam videtur Altiſſimus ad ſuorum ſemitam mandatorum, commendandam propter hoc multipliciter, ac uberrimis gratiarum actionibus proſequendam fore decrevimus, Imperialis circumſpectionis induſtriæ prædicentes aperte, quod cum nos in valle hujus ſeculi vices ſuperni Judicis exequamur, ſimuſque omnium, ſecundum Apoſtolum, in juſtitia debitores, Rom. 6.18. *ſuper hujuſmodi cauſis, ſeu quæſtionibus, ſi eas vel ipſarum aliquas ad examen Apoſtolicum devenire contigerit, adeo favorabilis juſtitiæ plenitudinem tibi tuoque Imperio exhibere curabimus, quod tu, qui Patris & Matris ſubire judicium elegiſti, merito gaudere poteris te in nobis & prædicta Romana Eccleſia, id quod in Patris & Matris reperire foro ſperaveras, inveniſſe. Dat. apud Urbem Vet.* v. *Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno* II.

Dum hæc tractantur, rogat ut ceſſet a bello cōtra Achajæ Principem.

III. Amplas deinde dedit ipſis Apocriſariis facultates & privilegia, ut miniſterium graviſſimum, ad quod mittebantur, plenius honoraretur, & honorabilius impleretur. Auctoritatem denique impertivit ex ſuo, vel Prædicatorum, aut Ciſtercienſium, vel aliis quibuſcumque Ordinibus, vel ex Clericis ſecularibus viros quoſcumque idoneos aſſumendi in adjutorium, vel obſequium. Datæ poteſtatis inſtrumenta ipſa ſunt, quæ Alexandrum IV. dediſſe Minoritis in Orientem aliaſque terras proficiſcentibus, diximus ſuperius. Ex illo itaque loco ubi in facul- *An.1258. n.1.* tatibus conceſſis aliquantulum diſcrepant, litteras has tranſcribendas curavimus.

Fratribus Simoni de Alvernia, Petro de Moras, Petro de Criſta, & Bonifacio de Yporegia Ordinis Fratrum Minorum, proficiſcentibus in Græciam.

Ex reg. Vatic. n. 15. Ann. 1258.

C*Um hora ſit undecima diei hominibus &c.* ut ſupra in litteris Alexandri IV. uſque ad filiis Eccleſiæ ſanctæ poſſitis. *Liceat etiam vobis ibidem Latinis redeuntibus ad mandatum Sedis Apoſtolicæ, qui ex eo ſunt excommunicatione ligati, quod ab ejuſdem Sedis unitate diverterant, abſolutionis beneficium juxta formam Eccleſiæ impertiri, & ſuper eo diſpenſare cum ipſis, quod ſacros receperunt Ordines, & divina celebrarunt Officia ſic ligati. Hoc ipſum vobis ſit licitum circa illos de terris eiſdem, qui infra ætatem legitimam, aut quod omnes minores, vel qui ſuperiores prætermiſſis inferioribus, conferre, ſeu recipere Ordines præſumpſerant, ſi tamen in hoc ſervata forma talis extiterit, per quam Ordines recepiſſent. Vobis præterea diſpenſare liceat, ut ii de partibus Græciæ, qui ad Eccleſiæ Catholicæ redierint unitatem, inter ſuos habitent, eiſque communicent, necnon, quod Clerici earumdem partium publice ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ redeuntes, gaudeant privilegio clericali. Sit etiam vobis licitum omnium fidelium in prædictis partibus confeſſiones audire, ac ipſis injungere pœnitentias ſalutares, & excommunicatos a canone, vel alio modo, juxta Eccleſiæ formam, abſolvere, dummodo injuriam & damna paſſis ſatisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earumdem in illis caſibus, in quibus ſolent Legati Sedis Apoſtolicæ diſpenſare, ac etiam cum Clericis ipſarum partium patientibus defectum natalium, dummodo non ſint de adulterio, vel inceſtu, aut regularibus procreati, & alias bonæ converſationis exiſtant, ſit vobis diſpenſandi facultas, quam circa illos ſimiliter habeatis, qui ab unitate Eccleſiæ Catholicæ, ſeu religione, vel clericali ordine diſceſſerunt, ſi humiliter, & publice redire voluerint, & digne ſatisfacere de commiſſis, ita quod ipſi religioſi ad ſua loca ſalva diſciplina Ordinis reſumantur, & illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo ſunt aſtricti, juxta præmiſſam formam, & prædictæ ſatisfactionis modum abſolvere valeatis, & cum irregularibus ex eiſdem, ſicut eſt expreſſum ſuperius, diſpenſare. Ad hæc abſolvendi occiſores religioſarum perſonarum in prædictis partibus conſtitutos, dummodo Eccleſiis, vel Monaſteriis, & perſonis per hoc læſis condignam ſatisfactionem impendant, & fundandis de novo ibidem Eccleſiis, primarium lapidem concedendi, & reconciliandi illas, quæ ſunt caſu aliquo prophanatæ, ac diſcordantes inter ſe ad invicem, quod ad pacem & concordiam redeant, necnon quod inordinate viventes, de ſuis exceſſibus, ſicut juſtum fuerit, ſatisfactionem exhibeant, compellendi per cenſuram Eccleſiaſticam vobis libera ſit poteſtas. Inſuper in locis, in quibus vos hoſpitari continget, vel in locis partium earumdem, in quibus reſidentiam facietis, Miſſam, & cetera divina celebrandi Officia, interdictis & excommunicatis nominatim excluſis, ac dandi indulgentias, & commutandi vota abſtinentiæ, facultatem plenariam habeatis. Ceterum vobis concedimus, quod veſtes ſacerdotales altaris, pallas, & corporalia, vobis veſtriſque Fratribus neceſſaria poſſitis, cum neceſſe vobis fuerit, juxta formam Eccleſiæ benedicere, ubi Catholicorum Epiſcoporum copia non habetur. Datum apud Urbem veterem v. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno ii.*

Fratri-

Fratribus Simoni de Alvernia, Petro de Moras, Petro de Criſta, & Bonifacio de Tporegia de Ordine Minorum Nuntiis noſtris in Græciam.

Cum vos, de quorum induſtria & prudentia circumſpecta plenam in Domino fiduciam gerimus, pro fidei Catholicæ, ac ſalutis & pacis fidelium negotio promovendo, ad partes Græciæ deſtinemus; ut eo efficacius, eoque utilius hujuſmodi negotium proſequi valeatis, quo plures in proſecutione ipſius utiles & fideles habueritis adjutores, aſſumendi Fratres de veſtro, Fratrum Prædicatorum, Ciſtercien. & aliorum quorumcumque Fratrum Ordinibus, de quibuſcumque conventibus, ſeu locis volueritis, necnon & ſeculares clericos ad hoc idoneos, qui a vobis in iis, quæ ad promotionem ejuſdem negotii videbuntur utilia, obedire ac intendere teneantur, contrariis eorumdem Ordinum conſuetudinibus, vel ſtatutis ſeu indulgentiis Apoſtolicis eis conceſſis nequaquam obſtantibus, plenam vobis & liberam concedimus auctoritate præſentium facultatem. Datum ut ſupra. Reg. Vatic. n.187.

IV. Item ad univerſos Eccleſiarum Prælatos, & Ordinum Rectores, ut in eundo & redeundo iiſdem Apocriſariis neceſſariis quibuſque ſubſidiis adeſſent, ſcripſit in hunc tenorem.

Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & Conventibus exemptis, & non exemptis ſancti Benedicti, Cluniacen. Præmonſtraten. ſancti Auguſtini, & Ciſtercien. Ordinum, necnon Decanis, Præpoſitis, Archipresbyteris, Capitulis, Præceptoribus ac Prioribus militiæ Templi, ac Hoſpitalis Hieroſolymitani, ad quos litteræ iſtæ pervenerint.

Ut ea, quæ ad officium noſtrum pertinent, irreprehenſibiliter exequamur, oportet nos univerſali præſidentes regimini, frequenter mittere viros idoneos ad negotia, quæ in pleriſque mundi partibus imminent, prout negotiorum ipſorum diverſitas exigit, & natura. Cum igitur dilectos filios fratrem Simonem de Alvernia, Petrum de Moras, Petrum de Criſta, & Bonifacium de Tporegia de Ordine Minorum, nobis & fratribus noſtris meritis ipſorum probitatis acceptos, ad partes Romaniæ pro arduis Eccleſiæ Romanæ negotiis deſtinemus, Univerſitatem veſtram duximus attente rogandam, per Apoſtolica vobis ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus eiſdem Fratribus pro ſe, ac eorum familiis in eundo, morando, & redeundo curetis in evectionibus, & aliis neceſſariis, ac ſecuro conductu taliter pro Apoſtolicæ Sedis & noſtra reverentia providere, quod devotio veſtra poſſit exinde non immerito commendari. Alioquin ſententiam, quam iidem Fratres tulerint in rebelles, uſque ad obſervationem condignam faciemus, auctore Domino, obſervari. Non obſtante, ſi aliquibus ab eadem Sede indultum exiſtat, quod Legatos ſeu Nuntios dictæ Sedis recipere, vel eis providere non teneantur inviti; ſeu quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ſeu de verbo ad verbum de nominibus Monaſteriorum, & Ordinibus eorumdem, ſeu de Eccleſiis, & earum perſonis, & Capitulis tam Cathedralium, quam aliarum Eccleſiarum, vel eorum indulgentiis mentionem. Datum apud Urbem Veterem v. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno II. Reg. Vatic. n.186.

V. Subjunxit alias litteras ad Guillelmum de Villarduin Achajæ Principem, in quibus ſignificavit ſe Palæologo ſcripſiſſe, ut ab eodem infeſtando interim deſiſteret, rogavitque ut ab armis idem Princeps ceſſaret, dum unionis negotium reducebatur ad exitum, ne inter bellorum ſtrepitus, & hoſtiles impugnationes deeſſet occaſio rem omnium utiliſſimam proſequendi. Ita habet epiſtola.

Nobili viro Guillelmo de Villarduin, Principi Achajæ.

Reg. Vatic. n. 88.

Rogat Principem Achajæ ut deſiſtat ab armis.

CUm nos dilectos filios Simonem de Alvernia, Petrum de Moras, Petrum de Criſta, & Bonifacium de Yporegia, Fratres Ordinis Minorum ad Michaelem Palæologum, qui pro Græcorum Imperatore ſe gerit, de fratrum noſtrorum conſilio, ad hoc ſpecialiter deſtinemus, ut ipſum ſi unquam reduci poteſt, ad unitatem Eccleſiæ reducamus, & inter alia, quæ eidem Palæologo ſcribimus, contineatur expreſſe, ut interim donec inter nos & ipſum ſuper hoc tractatus habitus fuerit, commotæ jam per eum contra te ceſſent penitus ſimultates, terribiles armorum ſtrepitus conquieſcant, hoſtiles arceantur incurſus, & præcipites bellorum impetus refrænentur. Nobilitatem tuam rogandam duximus attente, & hortandam, mandantes quatenus ſi dictus Palæologus hæc, quæ ſibi ſuper hoc ſcribimus, duxerit adimplenda, & tu fili ſimiliter ad requiſitionem dictorum Fratrum interim ab ipſius Palæologi impugnatione deſiſtas, intendens eiſdem Fratribus in iis, quæ tibi ſuper his ex parte noſtra duxerint injungenda, cum in hoc non tuus agatur ſpecialiter honor pariter & profectus. Taliter igitur hujuſmodi noſtra precamina & mandatum adimpleas, ut poſſis a nobis de devotionis promptitudine merito commendari. Datum apud Urbem Veterem Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno II.

VI. Neque omiſit ſcribere ad univerſos Achajæ heroes, ad Michalitium Theſſalonicæ Principem, & ad Ducem & Communitatem Venetorum, ut iiſdem Fratribus in negotii proſecutione favorabiliter & efficaciter aſſiſtentes, providerent eis per ſuum diſtrictum de conductu & rebus neceſſariis. Eam, quæ data eſt ad nobiles Achajæ ſubjicimus, cujus tenorem ceteræ, mutatis mutandis, præferebant.

Nobilibus viris Principi Achajæ, ac univerſis Baronibus illarum partium.

Reg. Vatic. n. 189.

Ut provideant in ſuo diſtrictu Apocriſariis.

INter alias ſollicitudinis noſtræ curas, illa præſertim nos angit, & permaxime occupat mentem noſtram, ut vigilantiæ noſtræ ſtudio fides poſſit dilatari Catholica, & ſalus atque tranquillitas Chriſtiano populo provenire. Proinde habentes de dilectis fratribus Simone de Alvernia, Petro de Moras, Petro de Criſta, & Bonifacio de Yporegia de Ordine Minorum, utpote magnæ religionis, & induſtriæ viris, & in opere potentibus & ſermone, plenam in Chriſto fiduciam: ipſos pro fidei, ac ſalutis, & pacis fidelium negotio promovendo ad Palæologum, qui pro Græcorum Imperatore ſe gerit, tamquam ſalutis Angelos, & fideles verborum noſtrorum bajulos, de Fratrum noſtrorum conſilio deſtinamus. Cum igitur in hujuſmodi negotio veſtra ſpecialiter utilitas procuretur, Fratres ipſos cum commiſſo ſibi negotio vobis fiducialiter commendantes, nobilitatem veſtram monemus, & hortamur attente, quatenus eiſdem Fratribus in negotii proſecutione ipſius favo-

ſavorabiliter , & efficaciter aſiſtentes , provideatis ſibi per diſtrictum veſtrum de ſecuro conductu eundo , morando , & redeundo , prout opus fuerit , ut ipſi a vobis duxerint requirendum , ita quod exinde veſtra poſsit devotio merito commendari . Datum apud Urbem Veterem v. *Kal. Auguſti , Pontificatus noſtri anno* II.

VII. Hoc anno ſolemnis facta eſt translatio corporis ſancti Antonii de Padua , aliqua ex parte abſoluto Templo ex ſuo nomine appellando . Præcipua cauſa hujus poſthumi honoris illa fuit , quod laborsnte XIX. annis urbe Patavina ſub intolerabili tyrannide Eccelini de Romanis ſæviſſimi viri , Nerone , & ſi quo alio inhumano monſtro , crudelioris , beatus Lucas Belludinus , ſancti Viri olim ſocius , & Bartholomæus Corsdinus Monaſterii præfectus , ſeu Guardianus , ſacras agentes excubias apud Divi ſepulcrum , profuſiſque lacrymis orantes , ut patriam ſuam (uterqne enim ex primoribus Urbis) libertati & priſtino redderet nitori , ex intimo ſepulcro reſponſum acceperunt , id concedendum eo ipſo anno ſub ſui natalitii die octava . Neque inane fuit oraculum , quippe eo anno , qui Chriſti fuit MCCLVI. menſis Junii die XIX. Octavisnus Ubaldinus Cardinalis , Sedis Apoſtolicæ Legatus , adhibita manu Eccleſiæ confæderatorum , ſuperatis Eccelini ſequacibus , urbem obtinuit . Quo ingenti beneficio devinctl Patavini anno MCCLVII. ſtatuerunt communi Senatus decreto ; ut pro urbis patrono deinceps haberetur Antonius , offerreturque ei ſtatua aurea , ipſius Civitatis præferens ideam ; ultra hæc quotsnnis ex communi ærario ſolverentur quatuor millia librarum monetæ , donec templi fabrica conſummaretur , atque in Natalitii Veſperis publica indicta ſupplicatione , Princeps Venetus , Academici , Religioſi omnes , cunctique ſecularis ſtatus Ordines , & universæ confraternitates , ejus ſepulcrum inviſerent , varia donaria , pecuniam , cereos , oleum pro fovendis lampadibus conſecrarent . Neque his contenti alia in dies adjecerunt , per quæ mirum in modum accrevit Sancti veneratio .

Transfertur corpus ſancti Antonii .

Liberat urbem a ſævæ tyrannidis jugo .

Civium gratitudo .

VIII. Porro Templum , in quod allatum eſt Viri ſancti corpus , Minorum antea uſui conceſſum , in tantam abiit amplitudinem , ut cum optimis Europæ delubris conferri , ſi non omnibus præferri , merito poſſit . Antiquiſſimum eſt , quibuſdam ſeculis ante Chriſtum natum extructum . Junoni qnidam volunt aliquando ſacrum , idque ipſum cujus meminit Livius . Mntato cultu pro æde majori urbis habebatur , eoque dicebatur nomine *Ædes Major* , donec anno MCCXXIX. Jscobus Corradus , Patavinus Epiſcopus , hoc inſignivit titulo : *Sancta Maria Mater Domini* ; deinde ex frequenti cultu , & aucta reverentia *ſancti Antonii* , antonomaſtice *Eccleſia Sancti* nuncupsta eſt . Coaluit ædes ex duabus Eccleſiis , una antiqua , quam diximus Junonis , altera recentiori : Ills protenditur a porta Orientali uſque ad organa , ordinemque columnarum marmorearum prope chorum eo in loco , quo ſupremum erat altare : Iſta chorum , turres campanarias complectitur majores , & quidquid ultra chorum eſt. Hujus additionis artifex Nicolaus Piſsnus , illa ætate celebris Architectus . Incepta eſt fabrica novi additamenti anno MCCXXXI. quo Vir ſanctus e vivis diſceſſit , ſed ob turbulentos motus ſub Eccelino ceſſatum eſt ab opere uſque ad annum MCCLIX. Alia etiam habuit intervalla ſtructura uſque ad annum MCCCVII. quo decrevit Univerſitas Patavina dare pro ſtructura ejuſdem Eccleſiæ libras quatermille ſub regimine domini Hungari de Oddis Peruſini , viri perilluſtris . Quo valido ſubſidio completa eſt

Quale Templum S. Antonii .

Quidam apud Scardeon. de reb. Patavin. lib. 2. claſ. 5.

Liv. lib. 10. dec. 1.

Digitized by Google

eſt Eccleſia, præter magnam teſtudinem, quæ ſuper chorum eſt, & ex variis oblationibus accrevit anno MCCCCXXIV. Eccleſia longa eſt pedes ducentos octuaginta; lata centum triginta unum; alta centum & decem. Pars antiqua multas habet columnas, teſtudines, abſidas, & quatuor turres campanarias, quarum major alta nimis pyramidalis angelum habet tuba ſonantem, ad ventorum varietatem volubilem. Pars nova ultra chorum novem habet Sacella pulchra valde, inter quæ ad chorum interjacet ſpatioſa porticus, & ſuper hanc exurgunt duæ turres campanariæ octangulæ miri artificii, ſed mirabilioris ſuper ſolam teſtudinem fundamenti. Teſtudo magna, quam ſuper chorum fabricatam diximus, octo magnis columnis innititur. Univerſum tectum laminis plumbeis cooperitur. Templi frons præter alios ornatus porticus habet amplas, & deambulatoria duo, unum ſuperius, alterum inferius, variis innixa columnis. Chori ſedilia 88. variegato opere, pulchro artificio cælatis, & inſertis lignis, varias exprimentibus figuras, ſpectabilia redduntur: fecit Laurentius Canotius de Lendenara, in hac arte præſtantiſſimus anno MCCCCLXVIII. Altare majus erectum anno MDLXXXII e marmoreis columnis, variis cruſtis ornatum, multis imaginibus, & ſtatuis æneis fuſis a Donatello Florentino anno MCCCCLXVIII. decore compoſitum. Reconditorium Corporis Chriſti lapide pretioſo, ſtatuis item æneis circumcirca diſpoſitis, in ſummi altaris medio auctoritatem & majeſtatem exprimens, ſimul cum altari completum eſt decem millibus aureorum, operis præfectis Hieronymo Campana Veronenſi, & Cæſare Franco Patavino. In choro conſpicitur candelabrum æneum, altum pedes undecim, miræ pulchritudinis & venuſtatis, centum & quatuor figuris cælatum, ſingulari arte ab Andrea Riccio Brioſcho, ultimo hujus ſeculi commendatiſſimo ſtatuario, conflatum. Singulare hoc opus rerum Patavinarum ſcriptores omnes commendant, atque ipſe artifex appenſo ad ſepulcrum Epitaphio, ab eodem laudatur. Chorum circumdant crates & portæ ferreæ, reticulato textu egregie compactæ, expenſis Eraſmi Gattamelatæ Narnienſis Ducis, bello fortiſſimi (cui ob egregiam fidem cum ſumma virtute conjunctam, Senatus Venetus publico decreto extra Templum ſancti Antonii in ingenti arca ſub dio equeſtrem ſtatuam armati equitis, militare ſceptrum tenentis, erexit) & ſuperius ornant in circuitu viginti quinque ſtatuæ lapideæ, & viginti candelabra; ex utroque vero latere januæ præcipuæ, ænea ſimulacra duo. Ab exteriori parte duodecim habet tabulas, ſeu laminas æreas inſignes; quæ ad dextram & ſiniſtram majoris portæ chori viſuntur: effudit anno MDVII. prædictus Riccius, in quarum altera Judith Hebræa ſopitum, ſeu potius vino ſepultum obtruncat Holofernem: in altera vero trahitur Arca fœderis, quæ de domo Aminadab cum maximo triumpho, præeunte David cum citharis, tympanis, & cymbalis, tripudio, ſolemnique ſaltu adducitur in ſanctam Civitatem. Alias decem fecit Bellanus Patavinus, fuſoria arte præſtantiſſimus anno MCCCCLXXXVIII. exprimunt ſacras hiſtorias veteris inſtrumenti: Abelem a Caino percuſſum; Abrahamum immolantem Iſaac; Joſephum a Fratribus venditum; Pharaonem in aquis ſubmerſum; Iſraelitas aureum vitulum adorantes, ſerpentem æneum in deſerto exaltatum, Samſonem Philiſtæos dejectis ædibus obruentem, Davidis cum Goliath congreſſum, Salomonem meretricum contentionem dirimentem, & Jonam in mare projectum. Alia habet chorus externa ornamenta columnarum, fornicum, ſtatuarum æris a Titiano Aſpetto effuſarum; Crucifixi

item

Scardeon. lib. 3. claſſe 15.
Valer. Polydor. in reb. memorab. baſil. ſancti Ant. c. 15.
Portenar. lib. 9. cap. 9.

item ænei inaurati, a Donatello ſuperius commemorato, conflati. Super arcum Eccleſiæ præcipuum conſpicitur in muro lapis rudis, olim ſancti Antonii cervical. Extra chorum ſupra duos marmoreos fornices, præſtantiſſime deductos, conſurgunt organa bina pneumatica, quorum utraque decem habent pleuritides regulas, ad modos concidendos vel frangendos: fuſores peritiſſimi Vincentius columbus, & Vincentius alter Columna.

IX. Ad lævam organorum, Aquilonem verſus, in veteri Baſilicæ ædificio conſtructum ſancti Antonii Sacellum, pedes longum quadraginta, largum viginti quinque. Inchoati anno MDXXXII. tanta eſt majeſtas, & ſplendor tam in materia, quam in opere, ut primis Italiæ Sacellis poſſit comparari. Frontiſpicium totum marmoreum tranſverſa cingula ſive coronices habet egregie cælatas, expoſitas concamerato muro ſtatuas optimas, obductos quinque arcus columuis quatuor candidiſſimi marmoris, & pilis ſeu ſtelis duabus. In froutis medio inciſæ ſyllabæ tres. Re. Pa. Po. videlicet *Reſpublica Patavina poſuit*. Interius circumcirca undecim arcubus, magnique valoris columnis adornatur, & novem tabulis quadris marmoreis, quibus inſculptæ elegantiſſimæ figuræ humanæ, ultra centum tres indicantes varias Viri ſancti actiones. A læva primam ſculpſit Antonius Minellus Patavinus, in hac arte præſtantiſſimus; exprimit Divum hujus Sodalitii tunicam induentem. Secunda ignoti auctoris, repræſentat miraculum reſtituti capillamenti fœminæ a marito male habitæ ob præſtita Fratribus obſequia. Tertia Divi patrem falſo accuſatum de homicidio, ab eodem liberatum: Fecit Hieronymus Campagna Veronenſis. Quarta adoleſcentulam ſubmerſam ad vivos revocatam; opus eſt Jacobi Sanſovini Florentini. Quinta ſimile miraculum e mari extracti infantuli ſubmerſi; elapſa eſt opificis memoria. Sexta, avari fœneratoris cor inter pecunias reconditum; ſculpſit hanc Tullius Lombardus, nec non ſeptimam reſtituti pedis, quem ſibi præſcidit juvenis, a ſancto viro ob calce impetitam genitricem acriter reprehenſus. Octavæ auctor neſcitur, cui inciſum miraculum projecti in lapides vitri, ſed prorſus illæſi. In nona expreſſit Antonius Lombardus egregius ſtatuarius infantulum, paucos dies natum, articulata loquela ſuſpicionem adulterii a matre avertentem. Tecti concamerati lorica eſt teſtacea, ſeu gypſea teſtudo Titiani Minii Patavini cælatoris eximii, in effingendis & conflandis formis cujuſvis rei peritiſſimi. In tholi medio circumſcripta hæc verba: *Gaude felix Padua, quæ theſaurum poſſides*. Pavimentum tum Sacelli, tum univerſæ Eccleſiæ teſſeris quadriſve rubri, & candidi marmoris ſtratum.

Sacellum ſancti Antonii.

X. In medio ſacrarii conditæ reliquiæ ſancti Antonii in arca ſingulariſſimi lapidis, vagi coloris, ſub morte ejus divinitus inventa & fabricata a Sanctis quatuor coronatis, qui paſſi ſunt ſub Diocletiano Imperatore, quorum ferias celebrat Eccleſia. Suſtinent hanc aram columnæ quatuor, in aræ formam, ad quam aſcenditur per gradus ſeptem marmoreos, utrinque ejuſdem materiæ deductis ſpondis ad cornua uſque altaris, quas columnulæ ſuperpoſitæ, & in quatuor angulis totidem ænei Angeli, valde reddunt venuſtas. Super altare tria ſunt ſimulacra Divorum ænea, & ſcalæ aſcenſum elaudunt portæ duæ æneæ, a ſupranominato Titiano Aſpetto conflatæ anno MDXC. Sancti reliquias repoſuit reverenter hac in arca, præmiſſo omni ſpirituali obſequio, Guido Cardinalis & Epiſcopus Bononienſis in Galliæ, Lombardiæ, Marchiæ Tarviſinæ, Germaniæ

Sancti viri reliquiæ ut reconditæ.

prætii aureorum quingentorum viginti ; tabernacula argentea tria majora, minora alia pro conſervandis Sanctorum reliquiis triginta, candelabra magna decem, lampades multas, ſed unam immenſæ molis, ſtatuas ex voto oblatas majoris ponderis quatuor, minoris triginta novem, tabulas argenteas ſeptem, navem integram omnibus armamentis ornatam; ſtatuam magnam ideam præferentem urbis Patavinæ, præter aliam minutam ſuppellectilem multam nimis. Adnexum Monaſterium Patrum Conventualium gratiſſimum eſt, in quo ultra centum commorantur, & publicam retinent Academiam liberalium artium, & Theologiæ. Opimos habet hæc ædes redditus, in eademque reſidet pravitatis hæreticæ Inquiſitor, qui ex Minoritis in illa urbe ſemper aſſumitur.

XII. Neque tempore decreſcit, ſed in dies magis augetur hujus ædis majeſtas & ſplendor; ita meretur miraculorum frequentia & magnitudo, quæ in hanc diem ob merita & interceſſionem hujus ſanctiſſimi Viri, Deo ita volente, perdurant. Quatenus tantæ rei per univerſum orbem terrarum ita longe lateque fama percrebuit, ut Chriſtiana Religio alterum patronum vix habeat præter immaculatam Virginem Dei matrem Mariam, quem ob quotidiana miracula huic D. Antonio pro cultu præponat, quemve donariis ditioribus, aut ardentioribus precibus pro ſalute in maximis periculis impetranda crebrius interpellet. Quare merito huic Divo tam auguſtum, atque inſigne Templum erectum eſt: ut inter magnificentiſſima totius Orbis ædificia, vel præcipuum exiſtimari jure poſſit: & eſt tantæ in hanc uſque diem venerationis tam apud Patavinos, quam apud omnes exteras nationes, ut multi non ex Hiſpaniis tantum, aut ex Ulyſſipponenſi urbe, & Portugalliæ regno, ſed etiam ex utraque Germania illuc abeant, qui Templum hoc, & ſancti Viri reliquias ſuppliciter venerentur. Sebaſtianus Luſitaniæ Rex, & Margarita Auſtriaca Philippi III. conjux, eo ducebantur erga Virum ſanctum affectu, ut apud Sereniſſ. Venetorum Rempub. inſtanter egerint pro obtinenda aliquali reliquiarum ejuſdem particula. Regi miſſa brachii pars anno MDLXX. Reginæ anno MDCX. pars altera conceſſa. In Templi veſtibulo ſupra arcum portæ Occidentalis leguntur hæc vetuſta & impolita carmina. Augetur quotidie Viri ſancti cultus.

Mille ducentenis uno currente trigenis
Antonius frater venit ad alta pater:
Cujus ad exemplum ſacratum viſita Templum,
Expia nunc voto, fœmina virque noto.
Nunc regnat plenus, qui vixit pauper, egenus,
Hiſpanus genitus, Paduæ tulit eſſe colonus.

XIII. Probant hæc laudabilem Patavinorum gratitudinem erga ſanctum Virum ob beneficia accepta, & præcipue ob liberatam Civitatem, quare præparato mauſolæo exhumari hoc anno ſancti Viri corpus, & decentius recondi voluerunt. Huic translationi ſumma ſolemnitate peractæ in octava Reſurrectionis Dominicæ VII. Idus Aprilis, interfuit Generalis Miniſter ſanctus Bonaventura, qui inter effoſſas ſacras reliquias linguam Viri ſancti triginta duos annos cum corpore humatam, rubentem adhuc & integram admirabiliter repertam, & reverenter cum lacrymis acceptam, pio hoc decoravit elogio. *O lingua benedicta, quæ ſemper Deum benedixiſti, & alios benedicere docuiſti; nunc manifeſte apparet tua quanta fuerint erga Deum obſequia*. Quam devote oſculatus tradidit Optimatibus Patavinis digna theca reponendam. S. Bonav. interfuit translationi.

Alia Patavinorũ obſequia in ſanctum Antonium.

XIV. Neque hic ſubſtitit civium veneratio, ultra etenim ſuperius narrata, decrevit Reſpub. anno MCCLXV. ut eadem cultus ſolemnitate celebraretur feſtum, atque feſti dies Octava propter obtentum eo die ſingulare libertatis beneficium: ut in publico foro binæ erigerentur hinc inde ſtatuæ, una ſancti Antonii, altera ſancti Proſdocimi, ſancti Petri diſcipuli, & primi Epiſcopi Patavini; & dies octo ante, totidemque poſt natalia ſancti Antonii liberæ nundinæ haberi poſſint in foro ſancti Antonii dicto. Anno etiam MCCLXXV. ſtatuit ut in vigilia, nocte & feſto die Sancti ad ejus Baſilicam offerrentur militaria urbis inſignia, cuſtodiretque ſepulcrum Dux militaris cum viginti hominibus armatis, fieretque publica, & univerſalis ſupplicatio ad eamdem Eccleſiam, ad quam conveniret Epiſcopus cum univerſo Clero, Poteſtas Civitatis cum civilis ſtatus ordinibus, & omnia ſodalitia, Communitateſque Artificum cum cereis accenſis. Eodemque anno juſſit, ut ſemper pro majori ſolemnitate, & populi exultatione ſub octava feſti curreretur in ſtadio, & bravia tria proponerentur comprehendentibus. Ipſa vero octava die Poteſtas urbis, comitantibus Optimatibus, in Baſilica convenirent ſolemne ſacrum audituri, gratias pro liberata illo die urbe reddituri, & donaria oblaturi. Anno demum MCCCCXXXV. Michael quarantotto Juris Cæſarei Profeſſor, & Decanus Collegii Legiſtarum ordinavit, quod facultatis Doctores ad eamdem ſupplicationem convenirent doctoralibus ornamentis inſigniti, cereos accenſos geſtantes, & ſinguli collaterales haberent ſocios ex Minoritis; hos poſtea imitata ſunt Collegia Philoſophorum, & Medicorum. Tandem multiplicatis quotidie oblationibus, ut in unum congregarentur, atque in arca communi reponerentur, ſtatutum eſt anno MCCCLXXXVI. quibus in Dei gloriam, & ſancti Antonii honorem expendendis præfecti ſunt quatuor Cives Patavini, & tres Minoritæ, ſingulis annis a Poteſtate urbis eligendi; auctuſque eſt ita oblationum proventus, ut multa millia aureorum ex redditibus annuis theſaurizentur.

Comitia generalia Piſis.

XV. Hoc item anno habita ſunt Comitia xx. Maii in feſto Pentecoſtes in civitate Piſarum, præſidente Miniſtro Generali ſancto Bonaventura. In eiſdem plurima fuerunt prudenter ſtatuta, atque illud præcipue ut peteretur in Protectorem Ordinis Joannes de Urſinis Caetanus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano, Sodalitio valde addictus. Deinde ut omnino dimitteretur cura Sanctimonialium Damianitarum, ſive Clariſſarum, quæ ultra præſtitam humanitatem, & obſequia libere a Fratribus eiſdem impenſa, contendebant hæc & majora ex debito & ſtatuto jure ſibi præſtanda, atque ita conventum eſſe inter ſanctum Franciſcum, & Claram primiceriam, cujus Monaſterii curam in ſe, ſuoſque Fratres Vir ſanctus aſſumpſit. Quare jugum hoc viſum excutere, nec tamen ita facile licuit, uti mox dicetur. Rubricæ multæ Breviario additæ, aliæ correctæ; tunc ordinatum eſt, ut hac ſtropha: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Vergine &c.* clauderentur hymni omnes a Nativitate Domini, uſque ad Epiphaniam, & ſimiliter ad Primam diceretur in Reſponſorio brevi: *Qui natus es de Maria Virgine.* Juſſum item ut novæ hæ feſtivitates admitterentur in Ordine, videlicet Conceptionis * beatæ Virginis Mariæ, Viſitationis ejuſdem, beatæ Annæ illius genitricis, & Marthæ Virginis. Ut in omnibus Monaſteriis una ſaltim miſſa celebraretur qualibet hebdomada de beato Franciſco, die non impedito. Ut volentibus liceret celebrare in feria v. Cœnæ Dominicæ, nulli

In illis conditum ſtatutum ut dimitteretur cura Clariſſarum.

* *Vide quæ de feſto Conceptionis ſcripſit Bonaventura in 3. d. 3. art. 1. quæſt. 2. in corp.*

nulli vero in Sabbato ſancto præter hebdomadarium. Ut cereus Paſchalis remaneret uſque ad diem Aſcenſionis, accendereturque in Miſſa ſaltim in diebus feſtivis. Cetera hujus capituli ſtatuta commodius dabimus peculiari tractatu de comitiis.

Maria. c. 27. Marc. lib. 2. c. 16.

Petit & obtinet Bonav. in Protectorem Joan. Caetanum.

Tom. 2. an. 1222 n. 3. Ciacon. in Innocen. IV. Tom. 3. an. 1255. n. 2.

Impetrat liberari Fratres a cura Monialium. Sed magnus hinc oritur tumultus.

XVI. Abſoluto hoc generali conventu, Bonaventura petitum abiit Protectorem a Pontifice, qui Ancherum Pantaleonem tit. ſanctæ Praxedis Cardinalem, ſuum ex fratre nepotem obtulit. Sed inſtante Bonaventura, ut juxta Patrum omnium in Comitiis congregatorum vota concederetur Joannes Caetanus Urſinus (cui adhuc puerulo, non ſine myſterio ſanctus Franciſcus ſuum Inſtitutum commendavit, quod alias ſcripſimus) annuit Pontifex; quare mendum eſt Ciaconi aſſerentis creatum Minorum Protectorem ab Alexandro IV. quem nos alias monuimus nullum præter ſe concedere voluiſſe. Aliam adjecit Bonaventura petitionem, ut probaretur decretum capituli generalis de rejicienda Monialium cura, liberarenturque Fratres a tam moleſtiis & periculoſis Sororum obſequiis. Atque hoc etiam conceſſit Pontifex, declarationem adhibens, nequaquam Fratres aliquando obligatos ad hæc onera ſubeunda. Et ut major eſſet ſeparatio, unicuique Inſtituto peculiarem præfecit Cardinalem, Minoritis prædictum Caetanum, Clariſſis vero Stephanum Hungarum Epiſcopum Cardinalem Præneſtinum. Sed exorta eſt contentio inter Principes, & quæ verſabatur inter Fratres ac Sorores controverſia, tranſiit ad Cardinales, utrinque contendentes circa majus emolumentum Religionis ſibi commiſſæ. Præneſtinus valde urgebat cauſam Clariſſarum, inhiantium ſibi commodis Fratrum obſequiis; e contra Caetanus Fratres ab excuſſo jam jugo volebat immunes. Eo tamdem deventum eſt, ut ablata Præneſtino quacumque circa Fratres Monialium obſequiis deputandos poteſtate, & aliquot poſt menſes placide dimiſſa earumdem Sororum protectione, uterque Ordo Caetano commendaretur. Suavius ab hoc compoſita controverſia, quia ad conſervandum inter Ordines, æque a ſancto Franciſco inſtitutos caritatis vinculum, & tollendum puſillorum ſcandalum, rogavit Bonaventuram ut rejectam Sororum curam reaſſumeret, adjecta prius cautione ſeu declaratione Pontificia, & ſua, nulla eis præſtari obſequia ex debito, ſed ex caritate. Pio Patri, & ſummo benefactori non potuit hoc Bonaventura denegare, quamvis doluerit ad ſecretum malum, & occultum periculum, conſiderans, quam impenſe laboraverit ſanctus Franciſcus, ne quid eſſet inter Sorores & Fratres commercii; cujus verba rem hanc concernentia a nobis alias relata, nunc vidit eſſe prophetica. Pontificis in hac lite ſedanda declarationem & ſententiam, qui videre voluerit, conſulat hujus tomi appendicem. Incipit: *Inter perſonas*. XVI. Kalend. Septembris. Litteras vero Bonaventuræ ad Viſitatores Monialium cautioneſque, quas ab eiſdem exigi juſſit, dabimus anno ſequenti.

Componit litem Caetan. protector.

Tom. 1. an. 1219. n. 44.

An. 1264.

Henricus Minorita transfertur ad Epiſcop. Kimen.

XVII. Tranſlatus hoc anno ab Epiſcopatu Coronienſi, ſive Curonienſi aliis, Stephano-Politano, & Baſſoniano in Tranſilvania, ad Eccleſiam Chiemenſem, aliis Kimenſem in Germania, ſub Archiepiſcopo Saliſburgenſi diu vacantem, frater Henricus Minorita, cujus non pauca in Eccleſiam obſequia. Tranſlationis litteræ incipiunt: *Divinæ Sapientiæ inſcrutabilis altitudo*. Idibus Februarii; quibus ſimiles dedit ad ipſum Epiſcopum, ut collatam Eccleſiam admitteret; ad univerſum populum Civitatis, & Diœceſis Kimenſis, ut eumdem tamquam patrem & paſtorem animarum admitterent, & ad Epiſcopum Ratiſponenſem, ut eidem reve-

reverentiam exhiberi, & ex fructibus redditum provideri curaret.

S. Benevenutus Minorita Epiſcopus Auximan.

XVIII. Hoc anno reſtituit Urbanus Auximatibus in Piceno dignitatem Epiſcopalem, qua in ſeditionibus Friderici II. filiorumque, quibus adhærebant, privati fuerant: Epiſcopumque creavit ſanctum Benevenutum de Scotivolis Minoritam Anconitanum prius Archidiaconum, & Marchiæ Rectorem: cujus ſanctitatem, vitam & geſta referemus ad annum MCCLXXVI. quo ſanctiſſime deceſſit.

Multa committuntur peragenda fratri Manſueto.

XIX. Fratri Manſueto viro docto, & magnis obeundis rebus idoneo, Capellano ſuo, & Pœnitentiario auctoritatem commiſit Pontifex abſolvendi a cenſuris, & Fratribus de Pœnitentia aggregandi Ottonem Gualducii, præcipuum inter Piſanos Gibellinæ factionis, & Manfredi Siculi tyranni confæderatos, quem modernum Saulem appellat: *Ad audientiam noſtram*. Idibus Julii. Cui etiam ſimul cum Sigerin de Saſſetta Pontificio Mareſcallo commiſſionem, & litteras tranſmiſit, ut Lucanos & Piſanos inter ſe belligerantes pacificarent; addidit etiam epiſtolam ad Priorem Prædicatorum in Tuſcia, ut Lucanos Piſanis armis cedentibus adhuc moleſtos, & caſtrum Aginulphi, quod Piſani poſſidebant, dura obſidione vallantes, ad pacem induceret per ſe, ac per ſuos conſanguineos, & amicos, quos in urbe Lucana habebat, ita ut prædicti pacis internuncii bellicoſos tumultus ad bonum exitum deducerent. Varia de hac re Pontificis reſcripta damus in Pontificio regeſto.

Comitia Provincialia Marchiæ.

XX. Celebratum eſt hoc anno Capitulum Provinciæ Marchiæ in oppido Fabriani, præſide fratre Monaldo de ſancto Lupidio, Miniſtro, & Guardiano Fabrianen. ſive ædis de Cautia (ita cognominatæ a ſitu, qui ad radices Apennini ter mille paſſus diſtabat a Fabriano, ea via, quæ ad Saxum-ferratum ducit) fratre Petro a Moſcano, illius comitatus oppidulo. Convenerunt multi viri pii, præſertim ex ſancti Franciſci comitibus, qui ſerio de ſtabilienda diſciplina regulari tractaverunt. Hos viſum venit Simon Paltinerius Cardinalis tituli ſancti Martini, ab Urbano paulo ante Piceni creatus Legatus. Actum hic de mutanda ſede propter bellorum incurſus, datuſque eſt eis locus in ipſo oppido juxta portam Cavaram, aliis Cervaram, in quo ædificarunt habitaculum ſub anno MCCLXVII. uti alias diximus, largiuſque repetemus ad annum eumdem. Primæ hujus ædis primi præfecti, viri fuerunt optimi, frater Raynerius, ſancti Franciſci confeſſarius, de quo nos alias egimus, & frater Mauritius Argignanus, de quo ita ſcribit beatus Franciſcus Fabrianenſis. *Frater Mauritius de Argignano, qui fuit Canonicus ſancti Venantii, homo ſanctus, magnæ orationis, & multarum lacrymarum, & verus Frater Minor.*

Tom. 1. an. 1215. num. 19.

Frater Mauritius de Argignano. Tom. 1. an. 1215. num. 22. Fabri. in Chron. March. MS.

Conv. S. Mariæ in Georgio.

XXI. Hoc anno, die XIX. Novembris ab Abbate Benedictino Conventus & Eccleſia ſanctæ Mariæ in Georgio, Provinciæ Marchiæ, & Cuſtodiæ Firmanæ cum paramentis, campanis, calicibus, & crucibus fuit conceſſus Fratribus Minoribus per publicum inſtrumentum. Fundatum item hoc anno cœnobium Gripſwaldenſe in Provincia Saxoniæ ſanctæ Crucis, cujus nullum extat monumentum. Eodem anno Cuſtodia Moraviæ complectens Conventus Brunenſem, Olmionzenſem (qui ante aliquot annos conceſſus eſt Patribus Jeſuitis, dato Fratribus cœnobio Monialium ſancti Jacobi) Opavienſem, & Iglavenſem, aggregata eſt Provinciæ Auſtriæ. Et circa hunc annum, ſeu paulo ante, ſuperſtite adhuc beato Ægidio, datus eſt Minoritis locus Dirutæ, aliis Druidæ, caſtelli in collis latere ſupra Tyberim, poſt Tinnæ confluentem, & emenſum lapideum pontem, quo Peruſia Narem verſus itur. Provinciæ ſancti

Rodul. fol. 257. Gonzag. in Prov. Saxon.

Rodul. fol. 291. Conv. Gripſwaldenſis.

Idem fol. 251.

Conv. Dirutæ.

Fran-

Franciſci membrum eſt, & Cuſtodiæ Peruſinæ: priua ſpectabat ad Monachos Benedictinos. Reſtitutum item hoc anno ab ipſo Urbano Pontifice Templum Monaſterii Urbis Veteris; & conceſſa quædam privilegia per Clementem Urbani ſucceſſorem probant circa hoc tempus ædificatum Conventum Callii in Piceno, & cuſtodia Feretrina.

Panvin. in not. ad Platinam in Urb. IV. Ciacon. in eod. Conv. Callii. *Anno* 1259.

XXII. Monuimus ſuperius, tranſmiſſam ab Alexandro Pontifice regulam ad Sorores Regii Monaſterii Humilitatis beatæ Mariæ Diœc. Pariſien. in aliquibus diſcrepantem ab ea, quam Innocentius IV. ceteris dedit Sororibus, & nos in ejus regeſto tranſcripſimus. Hanc vero iſthoc anno Pariſienſes in quibuſdam voluerunt modificatam, & addi titulo *recluſarum*, ſub quo incœperant, agnomen *Minorum*. In omnibus ad interceſſionem ſancti Ludovici Regis Gallorum, ſubſcripſit Urbanus, cujus diploma regulam habens inſertam, damus in regeſto. Incipit: *Religionis augmentum*. VI. Kalend. Auguſti.

Moniales Pariſien. regulam accipiunt modificatam.

Reg. tom. 2. bulla 52. Innoc. IV.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Sollicitus pro Eccleſiæ rebus Summus Pontifex, ſcriptis litteris
„ ad ſanctum Ludovicum Franciæ Regem: *Ecce fili cariſſime &c.*
„ v. Nonas Maii: Michaeli Palæologo Orientis Imperatori pro fratri-
„ bus Nicolao, Gerardo, & Raynero Minoritis alias direxit: *Excellen-*
„ *tia Imperialis &c.* x. Kal. Julii. Guardiano etiam Oſnarburgenſi
„ executorialem deſtinavit: *Circa curam &c.* v. Idus Novembris. In-
„ terim hoc anno Piſis a ſancto Bonaventura Miniſtro Generali comitia
„ Ordinis celebrantur, & frater Petrus Boſztin fit Provincialis Miniſter
„ Provinciæ Boemiæ, & Saxoniæ.

Litteræ Apoſtolicæ. *Indiculus.*

Comitia generalia Piſis. *Ex Caſim. Biern. cit. n. 20.*

„ II. Sereniſſimus Boemiæ Rex Wenceslaus III. hujus nominis, pro
„ ſuo ſingulari in Ordinem ſancti Franciſci affectu, Minoritas in Pliſ-
„ nam recepit, eiſque regiis expenſis Cœnobium & Eccleſiam ſub titu-
„ lo Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis ædificari voluit; Pliſna autem
„ Civitatis titulo decorata ad Niſam fluvium poſita, a Praga regia, in
„ cujus Archidiœceſi eſt. X. milliaribus germanicis in africum recedit.

Wenceslaus III. ædificat cœnobium Pliſn. *Monum. MSS. Prov. Boemiæ.*

Vide infra ad annum 1459.

„ III. His temporibus Venerabilem Patrem fratrem Joannem Stun-
„ nega floruiſſe, monumenta Valentiæ Provinciæ enarrant: & hæc circa
„ tempora ad retributorem omnium Altiſſimum evolaſſe conjicitur: nec
„ enim ejus obitus tempus certum eſt, tempore ipſo diuturnitate rerum
„ memoria eludente; ne ergo illius impoſterum recte & laudabiliter
„ geſta, virtuteſque obliviſcantur, hic de illo ex iiſdem monumentis
„ nonnulla perſtringemus. Ferdinandi V. Aragoniæ Regis Joannes
„ Stunnega a ſacris confeſſionibus cum eſſet, Epiſcopatum Dertonen-
„ ſem primo, & iterum Elnæ infulas Epiſcopales ab eo oblatas ſumma
„ humilitate recuſavit: humilem Minorum vitam elegerat, in qua Deo
„ famularetur, & cathedras dignitatis & honoris, ut periculorum ple-
„ nas Viro Dei fugiendas eſſe prudenter exiſtimabat, dum ſecurius ſit
„ in Religione obedire & ſubeſſe, quam aliis præeſſe & imperare:
„ & Epiſcopatum bonum opus eſſe, at etiam Apoſtolicis humeris haud
„ facile ſuſtinendum noverat.

Joannes Stunnega floret. *Monum. MSS. Prov. Valen. de anno* 1680.

Duos Ep. recuſat.

„ IV. Habito a præfato Rege, licet ægre, conſenſu, ut ad propria
„ ſe recipere poſſet, aulam relinquens, Conventum ſancti Spiritus
„ Valentinæ Provinciæ petiit, in quo Cœnobio a Fratribus integre co-
„ gnitus, cum & ejus virtutes probaſſent, Cuſtos in ea Provincia eligi-

Aulam regiam relinquit.

tur:

„ tur: cujus muneris cauſa ſibi Piſas ad comitia a ſancto Bonaventura „ indicta eundum fuit. Pedeſter cum ſocio laico iter aggreſſus, in co- „ mitiis, quæ ſuæ partis erant, diligenter expletis, redux in ſuam Cu- „ ſtodiam, cum per vaſtam ſolitudinem tempore brumæ pedeſter tran- „ ſiret, occaſo jam ſole, a ſocio, qui circumſpiciens nullam viderat „ domum, ad quam ſpes invitaret hoſpitii, audivit: *Pater ora Domi-* „ *num, ut aliquod hoſpitium nobis parare dignetur: nox eſt, & pluvia:* „ *undique nos circumcingunt tenebræ, nec quam ſpem hoſpitii habere* „ *poſſimus, elucet hucuſque*; his auditis, vir vere religioſus & ſimplex, „ reſpondit: *ita faciam*: ac ſtatim aliquantulum ſtans, & immobilis, „ elevata in Deum mente, oravit: fervorem orationis & meritum oran- „ tis diſce qui legis: ecce: dilabentem e Cœlo repente lucem ſocius „ videt, & obſtupeſcit adeo, ut vix potuerit admonere Joannem: lucis „ fulgor antecedens illos aperit vallem pulchram & amœnam, in qua „ domus, non ruralis, ſed civilis conſpiciebatur a longe: eo lumine „ cœleſti Duce, ipſi, qui taciti ſequebantur illuc dirigentes greſſus in „ nomine Domini, virum longævum, gravem & affabilem obviam ha- „ buere, cui expoſita neceſſitate, quæ eos illuc compulerat, ſumma „ liberalitate excepti, æqua etiam humanitate tractati fuere: unde a „ ſuis neceſſitudinibus corporis, & animi ſublevati, ea nocte apud vi- „ rum omnimode humanum ambo fuere; mane autem ſequenti, ut al- „ beſcere incipiebat aurora expergefacti, ut gratias egere Deo, hoſpiti „ adeo comi, & benevolo, de accepto beneficio gratias etiam reddidere: „ diſcedentes inde, ſuum proſequebantur iter, quando paulolum a pre- „ fata domo digreſſi, faciem ſocius convertit, ut locum adeo gratum „ & opportunum, a quo diſcedebant, intueretur: at mirum! nil vidit, „ evanuerat enim: quamobrem ſtupore correptus Joanni dixit: *Pater,* „ *& ubi eſt domus, ex qua mox egreſſi ſumus?* cui Joannes: *Dominus* „ *ſcit, nobis opus non eſſe, ac ideo non eſt*.

In Provin. regitur.

Miraculo providetur in itinere de hoſp.

„ V. Eodem in itinere, aſpera, deſerta, & inaquoſa loca dum præ- „ tergrediuntur, & ambo ſimul defatigantur, arida ſiti ſocium oppreſ- „ ſum Joannes verbis confortabatur: ſed cum ille ſecundo, & tertio „ lamentaretur, ſervus Dei oravit Dominum, ut fluenta miſericordiæ „ ſuæ ſitienti aperire dignaretur: & ecce mirabile divinæ providentiæ „ ſignum! non longe ſcaturientem fontem adinvenere, cujus limpidis „ & chriſtallinis aquis expleta ſiti, Deum collaudantes progrediebantur: „ at mox reverſus ſocius, ut cucurbitam impleret, quam habebat, nec „ fontem amplius, nec humidam humum reperit: quamobrem obſtupe- „ factus dixit Viro Dei: *ubi eſt fons, qui modo ſcaturiebat, & ex cujus* „ *aquis nunc bibi?* cui ille: *abivit frater mi, reſpondit, cum neceſſitate* „ *noſtra, illumque cum ſuis theſauris repoſuit Altiſſimus, opportuno tem-* „ *pore hominibus ſitientibus, & fiducialiter ab eo petentibus reſeratur*.

Ac item miraculoſe fonte ad extinguendam ſitim provid.

Viſitat Conven. de Pedralv.

„ VI. Barcinonem tamdem cum perveniſſent, Regale Monaſterium „ Dominæ noſtræ de Pedralvos nuncupatum Joannes viſitavit: at ex „ longo, pedeſtrique itinere maxime fatigatus, ſuprema infirmitate „ correptus decubuit: &, Deo revelante, præſcius ſuæ vitæ finem im- „ minere, lætus in hæc verba prorupit: *Hæc requies mea in ſeculum ſe-* „ *culi*: ſubinde vero Eccleſiaſticis Sacramentis munitus animam Deo „ reddidit.

Præſcius ſuæ mortis obiit.

AR-

ARGUMENTUM.

Denuo inſtat Palæologus circa Eccleſiarum unionem; cui novos mittit Pontifex ex Minoritis legatos. Publicata, & authenticis inſtrumentis firmata concordia inter Minores & Clariſſas. Sublata regularum, & appellationum varietate, unam tribuit Caetanus Protector Sanctimonialibus. Evocatur contra Manfredum Siciliæ tyrannum Carolus Andegavenſis, ſed decedente ſub hoc tempore Pontifice, nihil concluditur. Ædificantur aliquot Cœnobia: pauca conferuntur privilegia.

I. DUM ex cauſis jam relatis quatuor ſupra nominati Minores tardius, quam vellet Palæologus, miſſi ſunt Conſtantinopolim, denuo inſtitit apud Pontificem de peragenda unione Latinorum & Græcorum, miſſo in hunc finem Nicolao Crotonienſi, in Calabria ſub Archiepiſcopo Rhegino antiſtite, natione tamen Græco, qui ob ſummam eruditionem, prudentiam, & rerum agendarum peritiam eam dignitatem obtinuit in Occidente, in Oriente vero tantam opinionem, ut ab Imperatore Conſtantinopolim vocaretur, qui cauſas diſſenſionis inter utramque Eccleſiam Græco ſermone plenius exponeret, propter adeptam ex longa mora inter Latinos exactam controverſiarum notitiam. Poſt explicatam Latinorum fidem, & probatam in præcipuis fidei articulis utriuſque gentis concordiam, Legatus miſſus eſt ad Urbanum, Imperatoris deſiderium expoſiturus, quod ſatis aperte per ſubjectas litteras declaravit. *Anno 1263.* *Novum mittit Palæologus legatum ad Pontificem.*

Venerabili Patri Patrum, Beatiſſimo Papæ Veteris Romæ, Imperii noſtri Domino, Urbano Sacroſanctæ & Apoſtolicæ Sedis Summo Pontifici, divina voluntate, & providentia majori, moribus & vita & doctrina coram Deo & Sanctis reverendo: Michael in Chriſto Dei fidelis Imperator, & moderator, Romæorum Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, ac novus Conſtantinus, ſalutem & reverentiam filialem, cum competenti fidei Chriſtianæ honore, & Divorum Canonum.

IN omnibus orationibus noſtris, veſtram licet indigni, & veſtrorum Fratrum S. R. E. C. ad Deum filiali affectione memoriam facimus, quatenus ſeptiformi gratia Dei paracleti, qua totum Eccleſiæ corpus coadunatur, compaginatur, ſanctificatur, & Deo Chriſto legitimo ſuo ſponſo per vos ad nos, & ad omnia membra ſanctæ Matris Eccleſiæ, cujus caput eſt Chriſtus, per ſuam virtutem ipſe cælitus deſtinare dignetur, in futuro vero cum beatiſſimis verticibus chori Apoſtolorum, videlicet Petro & Paulo, a Paſtorum Paſtore Chriſto Deo, qui propter nos beneplacuit ſibi, ſicut ovis occidi, vos dignos faciat coronari. Per præſentes quidem litteras Sacroſanctæ veſtræ Paternitati, & veſtrorum Fratrum diſcretæ dilectioni notificamus, quod tranſactis temporibus beatæ memoriæ Imperatorum prædeceſſorum noſtri Imperii, multotiens Legati, & Nuncii hinc & inde directi fuerunt, ad componendam pacem, unitatem & gratiam reuniendæ in Chriſto Deo Eccleſiæ, quam pravi & ſchiſmatici Præſules dilaceraverunt, & hi medicamen aliquod non portarunt, ſed magis ac magis prædictæ Eccleſiæ ſchiſma & diſcordiæ creverunt propter ſermonis divinæ Scripturæ non puram expoſitionem & divinorum ſacrorum dogmatum, quæ in libris ſanctorum *Ex reg. Vat. inter epiſt. Urbani n. 30.*

Interpretes aliquando fovere diſcordiam.

rum Patrum continebantur declaratione non ſincera, & prædicti Nuncii immediate loqui ad invicem ignorabant, ſed eorum colloquium per illos, qui in medio ſtabant interpretes, non exiſtentes ſufficientes in ſcientia, nec potentes capere amborum intellectus, cum recte ac vere non potuiſſent exponere, & in palam reducere ambarum Eccleſiarum dogmata ad centrum veritatis, & normam veræ fidei pervenire minime potuerunt. Et ſic odium fraternum extinctivum amoris fraterni, & obnubilativum rationis veræ fidei ad lites & contentiones, ad ſuperbiam & contumaciam, necnon ad ſtrepitum armorum, & ſanguinum effuſionem, & ad omnem injuſtitiam juris Divini, & Divinorum Canonum ſemper crevit. Et hæc quidem erant miſerrima, & lacrymarum digna bene ſcientibus, & ſalutem earum deſiderantibus animarum, propter brevitatem temporis hujus ſeculi, quod poſt præſentis vitæ tranſitum ad comparationem perpetui & futuri ſeculi pro nihilo reputatur: Cumque quarto anno, noſtri Imperii primo præterito, vox lætitiæ ab Occidente cor noſtrum tetigerit, & inſonuerit auribus noſtris, quæ animi noſtri accendit affectum, quod a patria & origine gentis noſtræ Romæorum generationis divina gratia & planta proveniens, & de virenti viridario tranſplantata, & ad hortum ſimilem inſerta ſanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ, atque litteris ſacris & ſcientia divinæ Scripturæ, & dogmatibus utriuſque Eccleſiæ adornata, & inſpiratione ſanctiſſimi Spiritus animata, & augmentata ad fructum odoris perveniens, ad Imperium noſtrum tranſportavit, Nicolaus videlicet, Venerabilis

Nicolaus Epiſcop. Crotonien. Natione Græcus.

Præſul Crotonienſis, de quo per multorum relationes virorum venerabilium, veritatem dicentium ſenſimus, ipſum eſſe Dei cultorem diligentem, & Catholicæ fidei diſcretum, & verum prædicatorem, & in omnibus ſermonibus piæ fidei, ſine perſonarum acceptione, zelatorem, reuniendæ omnis matris Eccleſiæ ſine falſitate utriuſque partis verum diſpenſatorem; divinæ Scripturæ, & quæ ſunt ſanctorum Patrum, fidum expoſitorem, cui tertio anno noſtri Imperii, tranquillitatis animi noſtri litteras direximus, rogantes eumdem, quatenus amore Dei, patriæ, & omnium noſtrorum clandeſtine

Pergit Conſtantinopolim ſuos eruditurus.

ad Majeſtatis noſtræ præſentiam perſonaliter ſe conferret, ut ex ore ipſius veritatem fidei, quam confitetur ſancta, & Catholica Romana Dei Eccleſia, & doctrinam divinarum Scripturarum, quam ad eruditionem proponit ipſa Romana Eccleſia, & formam veſtri divini Sacramenti immediate Græco audiremus ſermone, necnon hauriremus veſtram, & veſtrorum Fratrum plenariam voluntatem. Ipſe autem Dei ſpiritu motus in hac hyeme præterita, in vigiliis Dei Chriſti Nativitatis ad Imperium noſtrum acceſſit, quo viſo lætati ſumus, ac ſi ſanctæ Paternitatis veſtræ faciem videremus: qui omnia quæ ſunt veræ fidei per ordinem reſeravit, quæ recte percepimus: & corde & animo illuſtrati invenimus ſanctam Dei Eccleſiam Romanam, non alienatam a nobis in divinis piæ fidei dogmatibus: ſed ea fere nobiſcum ſentientem, & concantantem. Prædictus namque Præſul, ejuſdem Eccleſiæ doctrinam, & ſanctorum Patrum ejus, videlicet ſancti Silveſtri Papæ, Damaſi, Cæleſtini, Agathonis, Adriani, Leonis majoris, & junioris, Gregorii Dialogi, Hilarii Pictavienſis, Ambroſii Mediolanenſis, Auguſtini Hipponenſ. Africæ, Hieronymi, Fulgentii, & aliorum expoſitiones,

Patres Latini, & Græci concordant in myſteriis fidei.

& dogmata rectæ fidei reſeravit noſtro Imperio, ſicut iſti Sancti expoſuerunt prædicta, quæ invenimus concordantia ſermonibus ſanctorum Patrum ejus, videlicet Athanaſii Alexandrini, Baſilii Cæſareæ, & Cappadociæ, Gregorii magni Theologi, Gregorii Nyſſeni, Joannis Chryſoſtomi, cum utroque Cyrillo & ſimilia ſapientes omnino, quæ cum omni fide puriſſima percepimus,

ve-

veneramur, credimus & tenemus: necnon & omnia ſacramenta ejuſdem Eccleſiæ Romanæ veneramur, effectum credentes habere ea in animabus juſtis, quæ Deo couniuntur, conjunguntur, ac confirmantur. Ceterum veſtram ſanctam paternitatem rogamus, quatenus ſicut Princeps omnium Sacerdotum, & univerſalis Doctor Catholicæ Eccleſiæ, ſollicitetis continua promptitudine ad reuniendum eamdem Eccleſiam amodo, cui loco beati Petri, Deus præcipue vos præfecit, quia jam & noſtram tranquillitatem ad hoc peragendum paratam Sanctitas Veſtra habet. Ipſi Matri noſtræ Eccleſiæ omnes gentes, & Patriarchales Sedes extento divina potentia brachio noſtri Imperii, ac omnes nationes, ad devotionem, obedientiam, & amorem ejuſdem Eccleſiæ noſtri tranquilli Imperii potentia ſubjugabit. Quare dictum Præſulem cum præſentibus litteris fidei noſtræ Catholicæ non ficte, ſed ex bona conſcientia, ex animo Dei amore accenſo, ad Veſtram Sanctam Reverendam Paternitatem remittimus, ut ipſe omnia, quæ apud nos, & una nobiſcum, & nos cum eo protulimus, & ordinavimus, ac noſtram voluntatem, & propoſitum veſtris ſacris auribus oretenus referet Deo dante. Quocirca in Domino ſupplicamus veſtræ beatæ affectioni, quatenus eumdem eum aliis diſcretis, & ſanctis viris ſuffultis, & præmunitis Legatis veſtræ ſanctæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, ad noſtrum Imperium revocetis, ac celeriter remittatis ad noſtrum Imperium, Paternitas Veſtra Sancta, qui nobis plenarie veſtram voluntatem, & affectionem referet, & una nobiſcum omnia, quæ ſunt veræ fidei, reuniendæ Eccleſiæ opere infallibili valeat percomplere. Nam Imperium noſtrum omne propoſitum animi noſtri Sanctitati Veſtræ hactenus multoties præſentavit. Remanet ergo totum negotium ad diſcretionem Veſtræ piiſſimæ Sanctitatis, & exinde de cetero Imperio noſtro in Dei teſtimonio accuſatio aliqua non poteſt opponi.

Mittitur legatus ad Gregorium.

II. Ad alteram hanc legationem ſumme gaviſus eſt Urbanus, videns firmum adhuc eſſe Imperatoris deſiderium circa uniendas Eccleſias, neque differendum putavit reſponſum, ſed fovendos potius pios hominis cogitatus. Novos itaque miſit Apocriſarios Gerardum de Prato, & Raynerium de Senis Minoritas, ſuos Pœnitentiarios, uti alias diximus, ubi etiam Bzovium erroris monuimus, dum hos Epiſcopos inſcripſit, quos tamen in ſua decretali ſolum a paupertate, religione, & diſcretione Pontifex laudavit: fortaſſis ex adjuncto eiſdem prædicto Nicolao Epiſcopo, quem pro meliori legationis exitu ad eumdem Imperatorem Pontifex remiſit, error irrepſit. Commiſſum porro his munus cauſæ tractandæ ſimul cum miſſis jam ſuperioribus quatuor Apocriſariis, vel ſeparatim, dum illi Conſtantinopoli non adfuerint. Graviſſimum eſt Urbani reſcriptum, præſtat totum exſcribere.

Alios legatos Minoritas mittit Pontifex.

Ann. 1262. n. 1.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Michaeli Palæologo Illuſtri Imperatori Græcorum, gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

MEdiator Dei & hominum, Deus & homo, Dominus Jeſus Chriſtus, qui Eccleſiam ſuam congregatam ex gentibus, non habentem maculam, neque rugam ſuper gentes & regna conſtituit, extenditque palmites ejus uſque ad Mare, & uſque ad terminos Terræ ipſius propagines dilatavit.

Reg. Vatic. epiſt. 134.
Epheſ. 5. 27.
Pſal. 79. 12.

Ad hoc beatum Petrum Apoſtolorum Principem ipſius Eccleſiæ caput inſtituit, & magiſtrum, ut tam ipſe, quam ceteri ejus ſucceſſores oves dominicas eidem Apoſtolorum Principi confidenter a ſummo paſtore verbo ter repetito commiſſas, fidei Catholicæ documentis imbuerent, morum inſtruerent

Joan. 21. 17.

diſciplina, & vivendi norma dirigerent in cœleſtium ſemitam mandatorum, ac ſuper ipſos vigiles obſervantes excubias, illam de ipſis curam gererent, illamque circa eos ſollicitudinem adhiberent, ut ipſas in unum ovile collectas, ſub unitatis glutino, & caritatis vinculo, ad divina obſequia retinerent: & ſi quas diſgregatas a grege conſpicerent, indeſinentibus ſtudiis, & laboribus indefeſſis ad gregis conſortium revocarent. Nos igitur, qui licet immeriti, ſuper oves ipſas paſtoralis officii magiſterium, per divinæ diſpoſitionis providentiam obtinemus, & qui totis ob hoc deſideramus affectibus, ut Chriſtiana plebs ſub uno veræ fidei cultu proficiat, & variæ gentium nationes, extra Romanæ Matris Eccleſiæ gremium evagantes, in unum ſub ejuſdem vexilla fidei congregatæ, ad Catholicam redeant unitatem, & in illa ſtabili, auctore Deo, firmitate perſiſtant, recepta & perlecta nuper Excellentiæ Imperialis epiſtola, quam nobis Venerabilis frater noſter Nicolaus Crotonienſis Epiſcopus præſentavit: intellectis quoque his, quæ idem Epiſcopus nobis ex parte Magnitudinis tuæ narravit oretenus, eo majoris gaudii fuimus jucunditate perfuſi, eoque uberius lætitiæ fructu horrea mentis noſtræ replevimus, quo certiorem nobis ſpem & fiduciam firmiorem de tua, tuique ſalute Imperii, ejuſdem Epiſcopi fidelis & diſcreta relatio, & epiſtolæ ſeries attulerunt. In eadem namque Sublimitatis tuæ epiſtola, in ipſo videlicet ſalutationis tuæ exordio vidimus contineri, quod ex reverentia, qua Deum Sion in ejus Vicario venerar is, nos, quamvis indignos, & meritis infimos, beatiſſimum veteris Romæ Papam, & Summum Apoſtolici

Compendium epiſtolæ Imperatoriæ.

Throni Pontificem, humiliter recognoſcens, filialem nobis reverentiam cum honore Chriſtianorum fidei, & divinis convenientem canonibus obtuliſti, adjiciens qualiter in omnibus orationibus tuis noſtram, & Fratrum noſtrorum filiali affectu agis memoriam apud Deum, ut Conditor Orbis, & Dominus nobis, quem fateris locum primi & perfectioris inter omnes obtinere Pontifices, ſeptiformem Paracleti gratiam, in qua totum Eccleſiæ corpus unitur, conſolidatur, ſanctificatur, & regitur, in præſenti vita concedat, & hujuſmodi gratiam per nos ad te & cetera membra ipſius Eccleſiæ ſua virtute tranſmittat, & tamdem nos in futuro ſeculo cum beatiſſimis Petro & Paulo, ſummis Throni Apoſtolorum Principibus coronare dignetur. Deinde etiam in eadem epiſtola ſubjunxiſti, quod licet multotiens prædeceſſorum tuorum Imperatorum Græcorum temporibus Legati ad ipſos ab Apoſtolici Throni præſulibus fuerint pro pace & unitate, quam Schiſmatici laceraverunt, in Dei Eccleſia reformanda tranſmiſſi, iidem tamen Legati tam profundo vulneri de nullo medicinæ remedio providerunt, ſed magis ſemper hujuſmodi ſchiſma ſuccrevit, pro eo quod dicti Legati expoſitionem ſermonis ad ſacrorum expoſitionem dogmatum, quæ in ſanctorum Patrum libris habentur, minus perſpicue, minuſque depromebant dilucide, & ſine interprete medio loqui ad invicem neſciebant. Propter quod contigit, quod ipſi Legati, cum interpretes hujuſmodi inſufficientes ſcientia, & impotentes exiſterent ad intentiones illorum, prout erat expediens, exprimendas, ad veritatis centrum, & ad normam pervenire veræ fidei nequiverunt, ex quo inter utrumque populum rancor proceſſit & odium, fuerunt livores accenſi, motæ contentiones, & lites; ſuſcitata jurgia, & animi ad pertinaciam, & contumaciam, & armorum quoque ſtrepitum, & effuſionem ſan-

ſanguinis, & ad alia etiam quamplura crudelia, & enormia concitati. Cumque Tu, ſicut ejuſdem epiſtolæ tenor innuit, poſtquam Imperii tui ſolium conſcendiſti, ex quadam voce lætitiæ, quæ tuis inſonuit auribus, percepiſſes, quod prædictus Nicolaus Crotonienſis Epiſcopus, qui tamquam planta fructifera de virenti & florido patriæ tuæ viridario, tuæque gentis origine, ad hortum memoratæ Romanæ Eccleſiæ fuerat tranſplantatus, ſine perſonarum acceptione zelator, ac ſacrarum explanator intelligens ſcripturarum, tuas eidem Epiſcopo litteras tranſmiſiſti: rogans inſtanter eumdem, ut Dei, ſuæque amore patriæ occulte ad tuam præſentiam ſe transferret, ut immediate ex ore ipſius veritatem fidei, quam ſancta & Catholica Romana Dei Eccleſia profitetur, & divinarum ſcripturarum doctrinam, quam ad eruditionem eadem Romana proponit Eccleſia, formamque noſtri divini ſacramenti ſeu ritus, Græci relatione ſermonis audires, & haurires noſtram, & Fratrum noſtrorum plenarie voluntatem: idem vero Epiſcopus Spiritu divino præmunitus ad tuum Imperium a te ſic vocatus acceſſit, in cujus aſpectu magnam te ſcripſiſti concepiſſe lætitiam, ac ſi noſtram deſiderabilem tibi faciem inſpexiſſes: & tamdem Epiſcopus ipſe tibi, & tuis omnia quæ ſunt veræ fidei per ordinem reſeravit, quæ tu corde & animo illuſtrans, recte reſpiciens, ſanctam Dei Romanam reperiſti Eccleſiam non alienatam a te in divinis piæ fidei dogmatibus, ſed eadem fere tecum ſcientem, ſapientem, conſonam, ſeu concordem. Dicto namque Epiſcopo tibi doctrinam ipſius Romanæ Eccleſiæ, & SS. Patrum ejus Silveſtri videlicet, Damaſi, Cæleſtini, Agathonis, Adriani, utriuſque Leonis, Magni ſcilicet, atque Novi, necnon Gregorii Dialogi, Hilarii Pictavienſ. Ambroſii Mediolanen. Auguſtini, Hieronymi, Fulgencii, & aliorum expoſitiones, ac rectæ fidei dogmata fideliter explanante, ſicut in eadem aſſeruiſti epiſtola SS. Patrum Græcorum Athanaſii, Alexandri, Baſilii Cæſareæ Cappadociæ, Gregorii Magni Theologi, Gregorii Niſſeni, Joannis Chryſoſtomi, & utriuſque Cyrilli hæc conſona & conſentanea penitus inveniſti, in ipſa epiſtola confitendo, quod ea fide ſinceriſſima ſuſcipis, honoras, credis, & tenes, & omnes perfectivas operationes, ideſt Sacramenta ejuſdem Romanæ Eccleſiæ veneraris: credens ea effectum habere in animabus juſtis, quæ Deo uniuntur, configurantur, confirmantur, & etiam conformantur. Unde a nobis cum multa inſtantia petiviſti, ut nos, qui Principatum habemus omnium ſacerdotum, ſumuſque Doctores univerſalis Catholicæ Eccleſiæ ad uniendam amodo hanc Eccleſiam, cui conſtanter affirmas, Deum nos loco beati Petri ſingulariter præfeciſſe, ardenti ſemper deſiderio laboremus, præſertim cum ad hoc tua tranquillitas, ſeu benignitas adeo in omnibus, & per omnia prompta ſit, expoſita penitus, & parata: quod prædictæ Romanæ Eccleſiæ matri tuæ, tamquam totius Catholicæ Eccleſiæ corpori Præpoſitæ & Magiſtræ, omnes nationes, & gentes, cunctaſque Patriarchales ſedes, extenſo per divinæ virtutis gratiam præcelſo Imperii tui brachio, ſicut tua Serenitas obtulit, plene ſubjicies ad laudem & gloriam divini nominis, & Chriſtianæ religionis augmentum. Demum autem nos inſtanter & affectuoſe rogaſti, ut prædictum Epiſcopum, quem cum hujuſmodi tuis litteris tuæ veræ, & non fictæ, Catholicæ fidei, cum bona conſcientia, & mente ſincera divino accenſus ſpiritu, ad hoc ad Sedem Apoſtolicam deſtinabas, ut ipſe omnia quæ apud te, & una tecum, & tu cum eo protuliſti, & etiam ordinaſti, ac tuam voluntatem, tuumque propoſitum noſtris auribus intimaret, cum aliis diſcretis, & ſanctis viris inſtructis, noſtriſque reſponſionibus præmunitis, qui tibi plenarie noſtram voluntatem & affectionem referant, & una tecum omnia, quæ ſunt veræ fidei,

Summe lætatur Pontif. lecta Imperat. epiſtola.

Jacob. 1. 17.

fidei, & uniendæ Eccleſiæ opere infallibili valeant complere, ad tuum remittere Imperium curaremus. Hujuſmodi ergo Excellentiæ Imperialis Epiſtola noſtris comprehenſa luminibus, & ad Fratrum noſtrorum ſolemniter, prout tanti negotii exigebat qualitas, redacta notitiam, nos itemque Fratres ex amæna lectione ipſius, veluti ex præſentialibus Serenitatis tuæ affatibus recreati, Patri luminum, a quo eſt datum omne optimum, & omne donum perfectum, etiam medullatum, cum omnimodæ devotionis incenſo gratiarum obtulimus holocauſtum, exultantes alacriter & unanimiter collaudantes, & benedicentes Dominum, qui tantam nobis dignatus eſt facere gratiam, quod in diebus noſtris per tuæ ſollicitudinis miniſterium aperiatur via compendii ſalutaris, per quam Eccleſia Dei ad antiquam & tranquillam prioris unitatis ſemitum redeat, & grex Dominicus ad caulam unam, eamdemque congeſtus ſub unius paſtoris regimine, & in unius profeſſione fidei gubernetur ſalubrius, & in ejus obſervantia firmius ſolidetur. Et quidem digne gaudemus, Excellentiſſime Imp. quod ex his, quæ in præmiſſa continentur epiſtola, ferventem te cognoſcimus erga nos, & Fratres noſtros ac eamdem Romanam Eccleſiam ſinceritatis affectum, & ad utriuſque unionem Eccleſiæ zelum ardentis caritatis habere, dum inter occupationes multiplices, quibus animum tuum continua Reipublicæ cura ſollicitat, & procelloſas frangendorum ſecularium fluctus involuit, pro nobis eiſdemque Fratribus, & Eccleſia intentis frequenter, ut ſcripſiſti, apud Deum vacas orationibus, & pro unitate renovanda in Eccleſia Dei adeo utiliter, & efficaciter laboraſti, quod agnita per eumdem Epiſcopum concordi variarum, & diverſarum ſententia Scripturarum, quas SS. Patres tam Latini, quam Græci in orthodoxæ fidei fulcimentum ſub diverſitate temporum ediderunt, & quadam laudabili ejuſdem profeſſione fidei in prædicta Epiſtola ex tui proſperitate ingenii, & cum puritate fideliter expreſſa, & ſimpliciter denotata illud deſideranter appetis, & conſtanter proſequi velle videris, quod eadem Romana deſiderat, & ſemper deſideravit Eccleſia, & quod etiam prædeceſſores noſtri Roman. Pontific. a tempore cujus non extat memoria, cunctis ſtudiis, cunctiſque niſibus penes prædeceſſores tuos Græcorum Imperatores ſtuduerunt: licet eorum ſtudia deſideratum fructum non produxerint, promovere. Lætamur etiam, & merito in jubilum ſupernæ laudis aſſurgimus, quod præparata eſt jam materia, & via etiam expedita ipſi Eccleſiæ ad ſui animi deſiderium, ſuæque intentionis propoſitum, de unione hujuſmodi celeriter obtinendum: cum numquam ita certa de hoc ſpes firmaque ſibi fiducia exhibita fuerit, quemadmodum memoratæ tenor epiſtolæ ad ea, quæ prædictus Epiſcopus, quem tamquam virum circumſpectum, & providum, eruditum in lege Domini, ac fervidum tui honoris, & nominis zelatorem, & in noſtris, & prædictorum Fratrum noſtrorum oculis multipliciter gratioſum, benigne recepimus, & diligenter audivimus, noſtro Apoſtolatui expreſſit oretenus, nobis de ipſius unionis negotio præbuerunt. Gloria igitur in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: *quia* ecce nunc acceptabile tempus advenit: ecce nunc dies ſalutis, *gratia plenus adeſt. Exurgunt ergo omnes fidei Catholicæ zelatores, & una cum prædicta Romana Eccleſia, eorum matre, immenſa jucunditate lætentur, & gaudeant, quod Imperator tantæ potentiæ, & qui tam magni Imperii moderatur habenas, promptum ſe exponit, & offert ad fidem Catholicam propagandam in gentibus, ad exaltationem ipſius Eccleſiæ apud Nationes etiam barbaras procurandam, & cultum divinum ſub Apoſtolicæ Sedis Magiſterio ubilibet am-*

Luc. 2. 14.
2. Cor. 6. 2.

ampliandum. Sed non minus ex præmiſſis in te Inelyte Imperator eximiæ debet exultationis cauſa conſurgere: non minus cor tuum debet ardere, tuuſque magnificus animus in gaudiis dilatari. Penſando namque præmium, quod tibi pro tantæ pietatis opere divina diſpenſatio compenſabit: conſiderando quoque quod pro re tam ſancta, tam utili, tamque Deo, & Eccleſiæ fructuoſa funiculo tuæ Magnitudinis, & potentiæ per cuncta mundi climata extendetur latius, & dilatabitur amplius vita tua, & poſt tui diſſolutionem corporis numquam tui memoria Nominis morietur. Potes utique non immerito Deo ſalutari tuo, pro cujus honore tuntum Eccleſiæ ſuæ ſponſæ bonum promoves, jubilare, ſibique devotas gratiarum actiones exſolvere pro eo, quod tibi ſcire, poſſe, ac velle de alto conceſſit inveniendi, ac proſequendi vias & modos, quibus remotis a tanto negotio cujaslibet veteris difficultatis obſtaculis, tam damnoſa gentis utriuſque diſſenſio, de facili amodo, divina favente clementia, ſopiatur. Licet itaque ob olim dilectos filios Simonem de Alvernia, & Petrum de Moras, Petrum de Criſta, & Bonifacium de Tporegia, Fratres Ordinis Minorum Apocriſarios noſtros, ſuper hujuſmodi negotio ſufficienter inſtructos ad tuam Magnitudinem duximus deſtinandos, propter quod ipſi ſatis ad ea, quæ ſcripſiſti ſufficere videbantur; tuis tamen gratis & placidis illecti oblationibus, & ex concepta de complemento negotii ſpei certitudine confortati; excitati quoque tuæ puritatis affectu, quem ad nos, & prædictum negotium te gerere ipſius tenor epiſtolæ, ac memorati Crotonienſis Epiſcopi expreſſio atteſtantur, tuæ ſaluberrimæ petitionis inſtantia debita cum Fratribus noſtris attentione penſata, & petitioni ſatisfaciendum fore decrevimus, & petenti: & ecce Apocriſarios noſtros, videlicet prædictum Epiſcopum, nec non dilectos filios Gerardum de Prato, & Raynerium de Senis Fratres Ordinis Minorum, pauperes utique Chriſti ſervos, religione conſpicuos, providos, diſcretos, ac nobis, & Fratribus noſtris gratos multipliciter, & acceptos ad Imperialem Excellentiam de ipſorum Fratrum conſilio deſtinamus, ut idem Gerardus, & Raynerius, his, quæ præmiſſa continebat Epiſtola, & quæ idem Epiſcopus ex parte tuæ Celſitudinis nobis retulit, & ex ore tuo plenius intellectis ſimul cum prædicto Epiſcopo, animum tuum in hujuſmodi tam ſancto propoſito corroborent, & confirment, teque ad melius ſalutaribus eorum monitis inceſſanter inducant, ac noſtra, & eorumdem fratrum noſtrorum vota tibi plenius exprimentes, una tecum, & cum prædictis aliis Apocriſariis noſtris, ſi præſentes in tua Curia fuerint, alioquin per ſeipſos diligenter, & ferventer intendant, ad præparanda illa, quæ ad finalem dicti conſummationem negotii fuerint opportuna. Ideoque Imperialem Excellentiam rogamus attentius, & hortamur, obſecrantes te per aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti, quatenus attendens provide, quod mora ſemper extitit nociva paratis, quodque tantæ ſalutis opus non eſt aliquatenus differendum, noſtras, & prædictorum Fratrum noſtrorum animas ulterius non ſuſpendas: ſed tamquam ſolaris radius de cujuslibet obſcuræ dubietatis caligine in auroram lucidam feſtinanter erumpas, & conſurgens in Eccleſiæ firmamento patefacias toti mundo tuæ bonæ ſuper hoc intentionis ſplendorem, tuique laudabilis propoſiti claritatem. Accelera quæſumus, ad paratos tibi cum deſiderio maternæ ſuſceptionis amplexus, & confidenter paternæ caritatis brachiis te committas, ita quod mater ſub longiori expectatione ulterius non langueſcat, nec patris fauces exclamando ad te altius raucæ fiant. Ceterum prædictos Epiſcopum, Gerardum, & Raynerium cum omni benignitate recipias, eorumque exhortationibus aures tuæ Serenitatis inclines. Ipſi enim ſinceritatem amoris, favoris

Alios miſſos a ſe Legatos Minoritas memorat.

ris plenitudinem, & puritatis affectum, quibus te, tuumque Imperium proſequi, Deo auctore, proponimus, ac noſtram, & dilectorum Fratrum noſtrorum intentionem tibi apertius poterunt indicare. Datum apud Urbem veterem x. *Kalend. Julii Pontificatus noſtri anno* III.

Marian. l.2.c.27. Chron. antiq. an. 1263.

Bonav. etiam adhibet cautionẽ circa obſequia Monialium.

III. Porro Bonaventura, juxta pactum cum Cardinale Protectore, & ſtatutum a Pontifice circa controverſiam ſuperius relatam, Viſitatores adhibuit Ordinis ſanctæ Claræ, permiſitque ut Fratres ſolita exhiberent Sororibus caritatis obſequia, præmiſſis tamen cautionibus, & teſtimonio publici Scribæ firmatis declarationibus, nihil horum exhiberi ex juſtitia, ſed ex caritate. Hæc illius de hac re ad Tuſciæ Viſitatorem epiſtola.

In Chriſto ſibi cariſſimo Fratri Laurentio, in adminiſtratione Tuſciæ Viſitatori pauperum Dominarum. Frater Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter & ſervus. Salutem & pacem in Domino ſempiternam.

Forma viſitandarum Clariſſarum.

Dignum eſt & conſonum rationi, quod ſpiritualium Ordo virorum ad ea ſe promptum exhibeat, quæ divinum honorem reſpiciunt; animarum ſalutem procurant, naturali ſunt conſona pietati. Quia Ordo Sororum ſanctæ Claræ venerabili patri noſtro Joanni ſancti Nicolai in carcere Diacono Cardinali per ſummum Pontificem eſt commiſſus, & quod idem Dominus ſub ſpe adjutorii noſtri Ordinis, & pro noſtra pace & libertate ſervanda, eumdem in ſuam curam ſuſcepit: Conveniens eſt & decens, quod eidem Domino prompto animo aſſiſtamus. De tua itaque providentia & probitate confiſus, de Fratrum conſilio diſcretorum, mandamus tibi per obedientiam ſalutarem, quatenus viſitationis officium circa Monaſteria Ordinis ſupradicti, intra adminiſtrationem Tuſciæ conſtituta, quæ juxta formam inferius annotatam, libertatis noſtræ inſtrumenta publica, ſive patentes litteras dederunt, vel dederint, exequaris. Et quia opus iſtud ad ſalutem animarum reſpicit, pro quibus Jeſus Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, ſic prudenter, ſic modeſte, ſic juſte, ſic miſericorditer, ſic conſtanter, prædicti opus officii exequaris, quod laus ſit Chriſto, extirpatio vitiorum, ædificatio virtutum, & devotarum conſolatio animarum. Et ut proſecutioni hujus officii valeas intendere ut oportet, Miniſter tuus teneatur tibi præſentium juſſione, de ſocio idoneo providere, & ad hoc ipſum, Cuſtos, in cujus Cuſtodia viſitationem feceris, ſi ſocium tuum impediri contigerit, ſit aſtrictus. Cum autem acceſſeris ad aliquod Monaſterium viſitandum, in quo Fratres non reſideant: Guardianus proximioris loci, vel ejus Vicarius providere tibi de altero ſocio teneatur, & uterque iſtorum ſociorum tibi ſpecialiter aſſignatus ingrediatur tecum Monaſterium, cum pro viſitationis officio fuerit opportunum. Formam autem ſuper viſitationis officio, quæ tibi tranſmittitur per dictum Dominum Cardinalem, tam quoad Regulæ ſuſceptionem, quam alia in ipſa contenta, diligenter obſerves, & efficaciter, ſecundum gratiam a Domino tibi datam, obſervare procures: cavens ab introductione Fratrum in ipſa Monaſteria, exceptis duobus te aſſociantibus ad tuum officium exequendum. Ab omni etiam acceptatione munuſculorum, & a ceteris omnibus, quæ mali ſpeciem poſſunt prætendere quoquo modo. Neque pro hujuſmodi abſolutione officii ad me venias, ſed quam citius poteris, illud exequi ſtudeas diligenter. Sic autem ſollicite ac ſolemniter præmiſſis inſiſtas, quod tuum officium eſſe poſſit

in

in conſpectu Divinæ Majeſtatis acceptum, ac fructuoſum, & conſolatorium Monaſteriis memoratis, præfatoque Domino Cardinali, qui firmam gerit fiduciam, quod hujuſmodi officium per te ſollicite debeat exerceri: nec non & Ordini noſtro, qui ſibi ad ſupportandum hoc onus quod humeris ſuis impoſuit, in hac parte voluit offerri juvamen, nihil ob tuum defectum quoad Deum, vel homines valeat imputari: quin immo tam conſcientia ipſius Domini Cardinalis, quam tua & Fratrum noſtri Ordinis, qui ſibi de ſpeciali gratia in hoc humiliter condeſcendit, in tuto proinde conquieſcat. Forma vero inſtrumenti publici, ſeu litterarum noſtræ libertatis, hæc eſt. Nos talis..... Abbatiſſa, & Sorores talis.... Monaſterio, pro nobis & Monaſterio noſtro dicimus, & confitemur, & etiam recognoſcimus, quod Ordo Fratrum Minorum, vel Fratres ejuſdem Ordinis nobis, ſeu Monaſterio, ſeu perſonis in eo degentibus, ad obſequialia Monaſterio exhibenda aliquatenus ex debito non tenentur. Et idcirco dicti Ordinis Fratribus præcavere volentes, ne per aliqua obſequia, vel miniſteria, quæ nobis dicti Fratres de facto, ſua liberalitate, vel mera gratia exhibebant, ex quantacumque diuturnitate temporis poſſit eis præjudicium generari, promittimus tibi Fratri N. nomine Ordinis, & Fratrum recipienti, & ſtipulanti, quod miniſteria, vel obſequia ab eis taliter exhibenda, nullo unquam tempore, occaſione procurationis hujuſmodi, ex debito non petemus, nec ſuper eis movebimus contra eumdem Ordinem, vel Fratres ipſius Ordinis aliquam quæſtionem. Et in hujuſmodi teſtimonium, volumus fieri hoc publicum inſtrumentum, & ſigilli Conventus noſtri munimine roborari. Datum Aſiſii III. *Non. Octobris anno Domini* MCCLXIV. *Pontificatus Domini Urbani IV. anno* III.

Forma cautionis exhibendæ.

IV. Unum vel alterum publicum inſtrumentum hujus conventionis, & admiſſi ſub hac declaratione Fratrum obſequii, mihi miniſtratum in ipſis membranis originariis. Utrumque damus ad vetuſtatis commendationem, necnon ad duorum gravium cœnobiorum hiſtorias dilucidandas. Primum extractum ex ſcripturis ſacrarii Conventus ſancti Franciſci Interamnenſis; ſecundum ex monumentis Clariſſarum Florentiæ.

In nomine Domini Amen. Anno ejuſdem M. CC. LXIIII. *tempore Domini Urbani Papæ IV. Indictione* VII. *die* XI. *intrantis Junii. Nos Ambroſiana Abbatiſſa Monaſterii ſancti Pauli de Galletto de Interamnen. Maria, Aurea Caſtella, Margarita, Scholaſtica, Angela, Hippolyta, Gregoria, Humilis, Victoria, Cecilia, Joanna, Andrea, Oſtia, Franciſca, Anna, Beatrix, Catarina, Thomaſſa, Benedicta, Clara, Chriſtiana, Lucia, Amadea, Matthæa, Daniela, Odilia, Deodata, Magdalena, Placita, Juſtina, Marina, & Pacifica Sorores ejuſdem Monaſterii pro nobis & Monaſterio noſtro dicimus & confitemur &c.* (uti in norma a ſancto Bonaventura tranſmiſſa: deinde ſubjunctum.) *Actum apud dictum Monaſterium præſentibus fratre Angelo, & Nicolao Petri Mainardi familiaribus ejuſdem Monaſterii...... Angela Maſſei...... teſtibus vocatis & rogatis. Ego Anaſtaſius Joannis Apoſtolicæ Sedis auctoritate Notarius conſtitutus, his interfui & ut ſupra, legi rogatus atque mandatus in præſentia prædictarum Abbatiſſæ & Sororum ſcripſi & publicavi.*

Cautio Monaſterii Interamnenſis.

V. Florentinum inſtrumentum ita habet: *Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis. Bartholomæa Abbatiſſa Monticelli apud Florentiam pauperum Dominarum Ordinis ſancti Damiani, necnon ejuſdem Monaſterii ceteræ Sorores, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam. Cum ſanctiſſimus Pater & Dominus noſter Urbanus Papa IV. quamdam ordinatio-*

Cautio Monaſt. Florent.

tionem inter Miniſtros & Fratres Ordinis Minorum, & perſonas noſtri Ordinis ſuper ſtatum perſonarum noſtrarum duxerit faciendam, prout inferius continetur: Nos Abbatiſſa jam dicta & Sorores Eugenia, Margarita, Maria, Angela, & ceteræ aliæ ordinationem hujuſmodi gratam habentes, illam quantum in nobis eſt ratificamus, acceptamus, & etiam approbamus, ipſamque præſentium tenore promittimus perpetuis temporibus inviolabiliter obſervare, nec unquam contravenire. Tenor autem ordinationis ejuſdem talis eſt: Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Joanni ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, & fratri Bonaventuræ Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum &c. (ut in Pontificiis litteris, quas in regeſto Urbani ſub anno præcedenti repoſuimus. Poſt annectitur) *In teſtimonium autem hujus ratificationis, approbationis, & promiſſionis ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum Florentiæ anno* MCCLXIV. *die* XV. *Octobris.*

Aurea Caſtella diſcipula S. Claræ.

Tom. 3. an. 1238. n. 15.

Zazzera tom. 1. littera O in familia Caſtella.

VI. Ex hoc inſtrumento conſtat, jam obiiſſe beatam Claram Ubaldinam, quæ dum vixit, Abbatiſſam egit, ſucceſſitque immediate Agneti Aſſiſiati, ſanctæ Claræ primiceriæ ſorori. Ex priori vero Monaſterium ſanctæ Claræ Interamnenſe prius extructum extra Civitatem in loco qui dicebatur *Galletum*, & pertinebat ad Monachos Benedictinos; deinde in eo floruiſſe Auream Caſtellam ex nobili Caſtellorum familia, quæ ab ipſa ſancta Clara habitum ſuſcepit, & inter ceteras Sorores primævæ ædis ſancti Damiani Aſſiſiatis recenſetur in ſcriptura ſub ſancta Clara ſtipulata, quam nos dedimus alias. Ejus mentionem facit Franciſcus Zazzera in ſua genealogia illuſtrium Italiæ familiarum: & Illuſtriſſimi Marchiones Caſtelli inter ſuæ familiæ monumenta ejus memoriam obſervant, a quibus primum monumentum originarium in vetuſta pergamena nos accepimus.

Una præſcribitur Clariſſis regula & nomenclatura.

VII. Joannes Caetanus Minorum & Clariſſarum Cardinalis Protector, circa hoc tempus conſiderans Sorores ejuſdem profeſſionis ſub variis militare nominibus, & regulis, quædam enim obſervabant regulam a ſancto Franciſco traditam, aliæ a Gregorio IX. præſcriptam, aliæ Innocentii IV. quædam vero Alexandri IV. aliquæ etiam vocabantur Sorores recluſæ, aliæ pauperes dominæ, aliæ Minoriſſæ, aliæ ſancti Damiani, quædam item Clariſſæ; egit cum Pontifice, ut uno audirent nomine, eamdemque omnes regulam obſervarent. Dedit eidem commiſſionem Pontifex, ut regulam ex jam præſcriptis adaptaret muliebri infirmitati, quam mox ſuo confirmavit diplomate, in quo juſſit, ut omnes eodem nuncuparentur agnomine. Illud præterito anno ſub XV. Kalend. Novembris, necnon hoc anno ſub Non. Maii datum, Cardinalis Protector ſuis adhibitis litteris ad omnia Monaſteria tranſmiſit. In omnibus ferme totius Ordinis cœnobiis admiſſa eſt hæc regula, a qua ad diſtinctionem illarum, quæ ſub ſtricta ſancti Franciſci, vel alia regula perſeverare voluerunt, *Urbaniſtæ* ſunt nuncupatæ. Incipiunt Cardinalis litteræ: *Attendentes de facili*, quas ſimul cum Pontificiis, & regula damus in regeſto.

Tom. 1. an. 1213. n. 18. & ſeq.

Extructa duo ſacella in monte Alvernæ.

VIII. Hoc anno, quod alias monuimus, conſtructa duo ſacellula ſtigmatum a Simone Comite in ſitu duarum cellularum Montis Alvernæ, in quarum una orabat, in altera dormiebat S. Franciſcus, dum quadrageſimam ſancti Michaelis peragebat, & ſacra ſtigmata recepit. Ita præter appoſitam inſcriptionem, ſcribit frater Philippus de Peruſio Provinciæ Tuſciæ Miniſter, narrans qualiter ſanctus Franciſcus apparuit fratri Matthæo de Caſtillione, qui tunc erat in ſacello ſtigmatum, exiſtente fratre Conrado Offi-

Offidano in alio proximo ſacello, & audiente commixtos ſermones, dum ſanctus Franciſcus revelabat locum & tempus inflictornm ſibi vulnerum. Propterea hæc rememoravi, quia incidi in quoſdam, qui velint extructas has Eccleſiunculas poſt incolatum celebris viri Joannis de Alvernia in eodem monte, atque ei demonſtratum locum ſtigmatum impreſſorum: ſed errant, neque enim quidquam habetur hujuſmodi revelationis in ejus legenda, copioſa ſatis, neque ille venit in montem ante Generalatum Matthæi Aquaſpartani circa annum MCCLXXXIX. Philippus autem Peruſinus prædictus tractatulum illum de ſancti Franciſci ſtigmatibus ſcripſit anno MCCLXXXII. quo jam erant Capellæ conſtructæ. Contrariæ autem aſſertionis fundamentum, nimirum, quod ita depictum ſit in ſacello ejuſdem beati Joannis Alvernienſis, debile eſt, quia poſt conceſſum montem Fratribus Obſervantibus, ultra ducentos annos a morte dicti Joannis, adhibita eſt hæc pictura a quodam pictore de Anglario, juxta imperiti cujuſdam narrationem; & pictoribus atque poetis quidlibet addendi ſemper fuit æqua poteſtas.

IX. Manfredus Friderici nothus hoc tempore valde turbabat Eccleſiam, quare inito conſilio, ſtatuit Urbanus contra eum alios Principes eiere. Evocaverat antea Alexander Pontifex Anglos, qui propter inteſtina bella, & res ſub Henrico turbulentas venire diſtulerunt. Quare Urbanus Ludovicum ſanctum Gallorum Regem per Epiſcopum Cuſentinum, nuncium orat, feſtinet ad ſe mittere Carolum germanum fratrem, Andegaviæ Ducem, cui Siciliæ, Neapolitanumqne regnum dare erat in animo, quod poſtea per miſſum Simonem de Bria Cardinalem, confirmatum voluit. Qui licet jam Corradinum Friderici II. nepotem, cui jure hæreditario utrumque Regnum debebatur, adhuc vivere non ignoraret: obſtare tamen ei dicebat immaturam ætatem ad obſiſtendum Manfredi viribus imparem, & quod ſoboles Fridericorum, indoleſque, quæ & Regno fuerat abdicata, ob præteritam Svevorum Ducum in Eccleſ. Rom. perfidiam, ſuſpecta ſibi eſſet. Proinde nulla Urbano adverſus Manfredum, niſi in Galliis ſpes erat. Ludovicus & Carolus, communicato ad invicem conſilio, morem Pontifici gerendum eſſe conſtituunt, ſtimulante quoque Carolum uxore, quæ cum trium Reginarum eſſet ſoror, ſe Comitiſſam appellari, ſcribique egre ferebat. Igitur ſuggerente Urbano, Carolus plurima militum manu collecta, Philippum Montifortem copiarum ducem contra Manfredum præmittit, ut viam Romanam per id tempus ab hoſtis militibus obſeſſam pateſaceret, qua aperta ipſe per Lombardiam, omni inſidiarum ſublato impedimento, Romam petere poſſet. Interea Urbanus ætate & curis confectus, vel ut alii volunt, venenoſis ficubus intoxicatus moritur VI. Non. Aprilis inteſtinis exſiccatis, apud Burgum Peruſii ad Eccleſiam ſancti Petri devote ſuſceptis ſacramentis; ſepultus in Eccleſia Cathedrali ſancti Laurentii, poſtquam ſediſſet annos III. menſem I. dies III. affixumque hoc epitaphium.

Evocatur contra Manfredum Carolus Andegavenſis.

Moritur Urbanus Pontifex.

Archilevita fui, paſtorque gregis Patriar
Tunc Jacobus, poſui mihi nomen ab Urbe monar } *cha.*
Tunc cinis exivi, tumuli poſt condor in ar
Te ſine fine frui tribuas mi ſumme Gerar

Vir fuit doctus, & pius, obeſus corporis mole, pacis ac otii amantiſſimus; Templa multa vetuſta reſtauravit, nova conſtruxit, nihil tam deſideravit, quam Græcos, & Latinos ad concordiam reducere. Dum per externa negotia licebat, ſemper aliquid ſcribere, aut meditari ſolebat, mul-

multas eaſque doctas edidit decretales, & in pretio haboit viros eruditos. Ante ejus mortem xvi. Kalend. Auguſti in undecimo gradu Leonis apparuit ſtella crinita, ſeu quam vocant, Cometa, quæ retrogrado motu in xiii. Cancri gradu in Occiduas partes gradiebatur, altero moto in Meridiem. In multis Orbis partibus viſa fuit, in Gallia, in Syria, in Accone ſeu Ptolemaide, aliiſque regionibus. Multa ſignificaſſe portenta ſcripſerunt plurimi, quorum fidem dubiam fecerunt incerti eventus: id porro certum, ſtatim ut apparuit, ægrotaſſe Urbanum, neque quidquam in itinere ab Urbe Veteri Peruſiam verſus, quantumvis in aliquibus locis hæſerit, melius habuiſſe. Scribuot quidam eo pereunte

Marian. c. 17. Chron. antiq. MSS.

paulatim defeciſſe Cometam, eamque ipſa nocte, qna obiit, penitus evanuiſſe.

Additio Patris Lucæ Waddingi.

Beatus Petrus a S. Andrea.

„ X. Obiit hoc anno xv. Aprilis die Lunæ poſt oecaſum Solis, bea-
„ tus Petrus a ſancto Andrea, Diœceſis Faventinæ, ſancti Franciſci di-
„ ſcipulus in Conventu Caſtrivillarum, Provinciæ Calabriæ, a ſe fabri-
„ cato; propter crebra, quæ patrabat miracula exhumatus, inventus
„ eſt integer, & habitus illæſus poſt annos quadraginta, depoſitum eſt
„ corpus in arca marmorea, io qua jacuit annis fere trecentis, dooec
„ ex ſpeciali commiſsione Clemeotis VIII. anno MDCI. traoslatum eſt
„ ad devotum ſacellom ex latere dextro præcipuæ aræ, & collocatum
„ ſuper altare, ubi magna colitur veneratione. Habitus ejus conſerva-
„ tur in pretioſa theca in ſacrario, ſimul cum libro MS. in quo conti-
„ nentur ejus acta præcipua & miracula. Multa operatus eſt ante, &
„ poſt mortem miracula; claudis greſſum, cæcis viſum, ſurdis auditum,
„ iofirmis ſalutem ſuis precibus obtinuit, ab obſeſſis corporibus dæmo-
„ nes expulit, & ſe invocantibus multa contulit beneficia. Ex catalogo

Fr. Philippus Ep. Viterbien.

„ MS. Epiſcoporum Viterbienſium comperio hoc tempore ſediſſe fra-
„ trem Philippum Minoritam; eique adſtitiſſe ſocii, & ſacellani nomine
„ fratrem Alexium ejuſdem inſtituti.
„ XI. Deceſsit etiam hoc eodem anno die III. Junii in patria ſua
„ ætatis anno LXXXIII. beatus Andreas Hiſpellas, cujus geſta promiſi-

Tom. 2. an. 1253. n. 49.

B. Andreæ Hiſpellatis vitæ compendium.

„ mus alias nos proſecuturos. Ea damus ex libello fratris Thomæ Hi-
„ ſpellatis, ipſius diſcipnli, Hiſpelli apud Patres Conventuales aſſer-
„ vato, & ex collectaneis Joanois Targarini J. C. Hiſpellatis, Bartholi
„ diſcipuli, qui deceſſit anno MCCCLVIII. e quibus Guido Olorinus de
„ Targarinis J. U. D. Joannis pronepos anno MOXXXVII. has notulas
„ exſcripſit. Andreas presbyter anno MCCXXIII. ætatis XLIV. a ſancto
„ Franciſco ſui Ordinis habitum ſuſcepit. Anno MCCXXVI. ſaocto Fran-
„ ciſco adſtitit morienti, a quo ſalutaria monita circa modum prædicandi
„ verbum divinum pro animarum profectu ſuſcepit. Anno MCCXXVIII.
„ impetravit a Gregorio IX. dum Aſſiſium proficiſceretur ſanctum Fran-
„ ciſcum canonizaturus, ut Eccleſiam Hiſpellatum præcipuam conſe-
„ craret. Anno MCCXXXIII. abiit in Hiſpaniam ad comitia generalia
„ Numantina, ſive Soriana, in quibus ad Patrum deprecationem dixi-

Tom. 2. an. 1233. n. 1.

„ mus patratum eſſe miraculum impetratæ pluviæ, areſceote longo tem-
„ pore illa regione. Citata Hiſpellatum monumenta rem hanc tribuunt
„ meritis, & precibus Andreæ, & proinde Andream ab aquis, non
„ *de lacchis*, ut alii corrupte ab idiomate Italico *dell' acque* tranſtule-
„ runt, fuiſſe nuncupatum. Reverſus in Italiam per aliquot annos, præ-
„ dicavit per civitates & oppida Lombardiæ. Paſſus a fratre Elia Ge-
„ nerali Miniſtro multas moleſtias, ſimul cum aliis regularis inſtituti
pro-

propugnatoribus, tulit patienter. Anno MCCXLVIII. ſororem Pacificam ſanctæ Claræ diſcipulam Hiſpellum duxit Monaſterium Vallis Gloriæ Clariſſarum, uti alias diximus, reformaturam. Anno inſequenti, Chriſtum ſecum in cubiculo loquentem ad pulſum campanæ reliquit, abſolutiſque veſperis expectantem invenit, qui & ſubjunxit, me propter me reliquiſti, factum probo, & beneficio compenſabo. Anno demum iſto ſanctiſſime obiit miraculis clarus, ſolemnibus exequiis nobili conditus ſepulcro, præſentibus beatis Ægidio Aſſiſiate, & Morico ſancti Franciſci diſcipulis. *Tom. 1. an. 1213. n. 64.*

XII. Hoc anno in vigilia Aſcenſionis ipſo diluculo obiit Jutta vidua, nobilis genere, ex familia Sangerhauſen. ex Provincia Turingiæ in Germania. In matrimonium viro nobili tradita, ita cum illo vixit, ut admirandæ adepta ſit nomen ſanctitatis. Viro mortuo in expeditione Hieroſolymitana, fructum matrimonii cultui divino mancipavit. Etenim aſſumpto tertii Ordinis ſancti Franciſci inſtituto, poſſeſſionem omnem a viro relictam in pauperes pro amore Dei, & voluntariæ paupertatis ſtudio diſtribuit. Semel Salvatoris humani generis viſione admonita, ut vitæ ſuæ imitatrix eſſe velit, pauperum ſtatim cæcorum, & claudorum miniſterium ducatumque ſuſcepit, cum iiſdem mendicans, non ſine gravi ludibrio ſuorum. In qua tribulatione ſpontanea confortata eſt, Domino ſibi iterum apparente, & dicente: *Tuum eſt totum, quod meum eſt.* Curæ paralyticorum addicta, eis tanta pietate ſervivit, ſacroſanctam hoſtiam ex unius paralyticæ ore tranſumptam (neque enim corroſis corruptiſque labiis, & mento divina myſteria guſtare potuit) cum debita devotione ſumpſit. Ex qua admirabili refectione, tota die in facie ſua ſplendor mirificus pingebatur. Aliquando leproſas perſonas deducentem nox denſa invenit in itinere, verum oratione facta, ſolem lucentem revocavit, atque per duo milliaria (tantum enim reſtabat de itinere) & ſibi & comitibus affulſit, nec prius in occaſum abiit, quam familia Dei in hoſpitium deſcendit. Intenta meditationi de rebus cœleſtibus ferrum ignitum rapuit ex foco, & in ſuo loco collocavit abſque ulla manus læſione. Ex latere Dominico in trina viſione dulcedinem ineffabilem ſugebat, quam ſibi Dominus abunde propinavit.

Obiit B. Jutta Vidua.

Cod. MS. Germanic.

Alter Polonicus.

Ejus virtutes.

XIII. Porro voluntas divina fuit, ut pro majore contemplatione ſolum patrium in Germania relinqueret, & in Pruſsiam ſe transferret paupertatis Chriſti amore. Quod ſub temporibus Boleslai Pudici Regis Poloniæ, & beatæ Cunegundis conſortis ſuæ evenit. Qua tempeſtate exercitus Germanicus ſuppetias laturus in terram Pruſsiæ tendebat; ipſa vero penes Eccleſiam Culmenſem, in pago Bielcina medio ferme milliari a Civitate Maideburgen. conſtitit. Et quoties ibat, aut redibat ab ædibus ſacris, in nemore intermedio ante arborem, cui appoſita erat effigies Crucifixi ter adoratura procumbere, eamque ſemper devotiſſime adorare, etiam nunc traditio eſt. Deſuper benedictæ Trinitatis abſtruſiſſimo myſterio miras capiebat revelationes, in tantumque ſpiritus dulcedine afficiebatur, per internorum ſenſuum in abyſſo divinæ majeſtatis immerſionem, ut extra ſe rapi, & a terra, divina virtute, ſublevari, bis horis aliquot viſa ſit. Pro Prutenis noviter ad fidem converſis, & pro fidei Chriſtianæ in partibus illis propagatione, cum profuſione lacrymarum Dominum exorabat, ut ſanguinem cum lacrymis ex oculis nonnumquam profunderet, &

Ex Germania abiit in Pruſſiam.

,, quod mirum eſt, abſque oculorum damno. Cogitationes cordium
,, hominum cognitas habuit; profunda ſacræ Scripturæ myſteria juxta
,, verum, genuinumque ſenſum ingenioſe aperiebat. Infirma, & morti
,, proxima quarto poſt ingreſſum in Pruſsiam anno, ab Epiſcopo Cul-
,, menſi Herderico, ſumpto ſalutari viatico, dum paſſio Dominica le-
,, geretur ſibi, feliciter migravit in Cœlum. Totam vitam dicitur tranſe-
,, giſſe abſque labe peccati mortalis; & ex corpore ipſius ſtatim poſt
,, mortem, mirus & ſuavis odor effundebatur. Antequam in ſepul-
,, crum inferretur, amantiſſimam ex ſororibus ſpiritualibus adſtantem,
Miracula poſt mortem. ,, & vultum ſuavem intuentem, apertis oculis placide intuita eſt, viſa-
,, que oculos in Cœlum fixiſſe, pro eadem divinam clementiam procul-
,, dubio exoratura; quos poſtmodum clauſit ſpontanee. Sepulta eſt in
,, Cathedrali Eccleſia Culmenſi. Ad cujus ſepulturam quotquot ade-
,, rant mutationem cordium ſuorum in meliorem vitam acceperuot.
,, Quædam paralytica, & altera morbum caducum gravem paſſa, ad cor-
,, pus Beatæ ſanitati reſtitutæ ſunt. Multi præterea circa ſepulcrum
,, Divæ præfatæ cæci, claudi, leproſi, & variis infirmitatibus gravati
,, ſanati ſunt. Supplicatumque eſt Sedi Apoſtolicæ pro illius canoniza-
,, tione annis ſuperioribus per Epiſcopos Pruſſiæ, Ordinis Theutonici
,, primores cum Magiſtro Generali. Veſtis & habitus ejus pingitur gri-
,, ſei coloris abſque mantello ſeu pallio, cingulus ex corio latior ali-
,, quanto: velum capitis album. Imago ejus ad latus Salvatoris in ge-
,, nua procumbens, dulces ex eo conſolationes haurieos, viſitur, una
,, cum patre ſuo ſpirituali beato fratre Joanne Pruteno, de quo ſtatim
,, dicemus. Compendium hoc vitæ beatæ Juttæ extractum eſt ex anti-
,, qua Bibliotheca Paphinenſi Ordinis Ciſtercienſis. Alia eſt hæc Jutta a
,, virgine Jutta, ſanctæ Eliſabethæ pediſſequa, quam diximus anno
Tom. 3. an. 1252. ,, MCCLII. deceſſiſſe.

Conv. Xereſius. XIV. Paucis ante hunc annis in Urbe *Xerez de la Fronteræ* in Bætics, Hiſpaniæ Provincia antiquiſſima, Alphonſus Princeps Ferdinandi ſancti filius, paulo poſt expugnatam urbem, Minoritis domum extrui voluit, quam hoc anno occupare cœperunt, non decimo menſe ab aſ- Gonzag. in Prov. Bæt. Conv. 4. ſumpto in Regem Alphonſo fundatore, ut vult Gonzaga, niſi fortaſſis ex errore menſes pro annis poſiti ſint, totidem enim elapſi erant ejus Regni, patre Ferdinando defuncto. Anno MCCCCXCV. ex conventione mutua tranſiit a Patribus Conventualibus ad Obſervantes, illis conſentientibus, his ex pacto admittentibus. Floruit hic locus ſanctis, religioſiſque viris, quorum amore allecti multi proceres, & converſari, & ſepeliri ibidem voluerunt. Antiqua habet ſacella & mauſolæa plurima, inter quæ præcipuum illud, quod ad dextrum majoris altaris latus con- Blancha Petri Crudelis uxor. ſpicitur, Blanchæ Joannis Ducis Borbonii Regio Gallorum ſanguine nobiliſſimi, potentiſsimique filiæ, Caſtellæ Reginæ, Petri Crudelis uxoris, cui ſequens epitaphium appoſitum.

Chriſto Opt. Max. Sacrum. Diva Blancha Hiſpaniarum Reginæ, patre Borbonio, ex inclyta Francorum Regum proſapia, moribus & corpore venuſtiſſima fuit, ſed prævalente ... publice occubuit, juſſu Petri mariti Crudelis, anno ſal. MCCCLXI. *ætatis vero ſuæ* XXV.

Marian. de reb. Hiſpan. lib. 17. c. 3. Joannes Mariana Tudelæ in Templi ſummi ſacrario, translatitio funere aliquanto poſt tumulatam ſcribit ab iis Gallis, qui Henrico fratri, Petri

ini-

inimico opitulatum venerunt , cum in Galliam deferre ad majorum ſepulcra propoſuiſſent. Vacuo ne ſepulcro inane hoc epitaphium , an deluſi Tudelani , non auſim judicare. Laudatur præſtantiſſima adoleſcentula a pietate , a lectiſſima forma , a ſanctiſſimis moribus , quæ immanem mariti ſævitiam amplius extollunt. In Provincia Saxonica fundatus hoc anno Conventus Barbonenſis , cujus nullum licuit reperire monumentum. Conv. Barbonen. *Gonzag. in Prov. Saxon.*

XV. Eodem anno in Cordubenſi urbe Michael Diaz matricis Eccleſiæ Archidiaconus , ædiculam ſanctæ Catarinæ ad eamdem Eccleſiam ſpectantem , conſentientibus Epiſcopo , & Capitularibus in Eccleſiam competentem , eidem Virgini ſacram , commutavit , adjuncto Clariſſarum Parthenone, translatis in Monaſterii formam ampliſſimis ædibus vicinis, quas Ferdinandus Rex cognomento *Sanctus* , Ludovico filio ſecundo genito conſtruxit. Diplomata plura Regia & Pontificia ſervantur in hoc Monaſterio , plures immunitates & privilegia eidem conceſſa teſtantia: Regia univerſa Philippus II. datis litteris III. Auguſti anno Domini MDLXII. Matriti confirmavit. In oppido Proceni , quod juxta Paliam flumen inter montes infra Soranum , nec longe ab Urbe Veteri ſitum eſt in Tuſcia , hoc anno XIV. Julii conceſſam Eccleſiam ſancti Martini conſenſu cujuſdam Bonaventuræ presbyteri ſcribit Rodulphus ; ſed dum ab Alexandro IV. factam hanc conceſsionem addit , vel errat in annorum calculo , vel oportuit ſcribere Urbanum IV. qui tunc ſedebat. Ante hunc annum fundatum Conventum Montis Otoni in Provincia Marchiæ docet bulla Clementis IV. anno primo ſui Pontificatus data , ibidem aſſervata. Accolæ fundationem referunt ad ipſum ſanctum Franciſcum.

Conv. Cordubens. *Idem in Prov. Granat. Monaſt. 1.* Conv. Proceni. *Rodul. fol. 259.* Conv. Montis Otoni.

XVI. Non tam fundatum , quam aggregatum hoc anno Ordini Clariſſarum Monaſterium Luzeburgenſe, quod inchoarunt jam pridem quædam mulieres pœnitentes. Volentes aggregari Ordini ſanctæ Claræ ex ſimplicitate , & religionis fervore , regulam ejuſdem Ordinis aſſumpſerunt , & Monialem quamdam Monaſterii ſanctæ Claræ Metenſis in Abbatiſſam ſibi , abſque Superioris auctoritate , præfecerunt. Re melius perpenſa , recurrerunt ad Pontificem , qui examinandam commiſit Miniſtro Provinciali Regni Franciæ , atque hoc anno denuo Miniſtro Coloniæ , interponente ſuas preces Comite Luzeburgenſi : *Pia vota perſonarum*. XI. Kal. Julii. Monaſt. Luzeburgen. *Vide anno 1257. n. 25.*

XVII. Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii beatæ Catarinæ juxta Pruvinum, Senonenſis Diœceſis, ad preces Regis Navarræ, conceſsit hoc anno Pontifex regulam , vel ab Alexandro IV. traditam Monaſterio Humilitatis Pariſienſi , vel a ſe nuper compactam : *Cariſsimi in Chriſto*. X. Kal. Jul. Fratribus & Sororibus tertii Ordinis ſeu de Pœnitentia indulſit ut in terris Tuſciæ Manfredo Siculo adhærentibus , & interdicto ſubjectis ſacro intereſſe poſsint , & Eccleſiaſtica recipere ſacramenta : *Pium arbitrantes & congruum*. III. Non. Julii. Privilegia.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. URbanus Pontifex ſatagebat , ut unionem Græcorum Eccleſiæ Latinæ , ſeu Romanæ videret : ſperabat enim ea via negotia Terræ Sanctæ , & fidelium omnium quietem & pacem facilius provenire poſſe ; at Sapientia divina , quæ attingit a fine uſque ad finem , diſponens omnia ſuaviter , ut vult , eum a curis ſolvens , a Burgo Peruſii , Urban. IV. agit pro unione Græcor.

Anno Christi 1264.	Urbani IV. anno 3. & 4.	Schismatis Imper. Occio. anno 9.	Religionis Minorum anno 57.

,, ruſii, ad quem ſe contulerat, vi. Nonas Octobris ad vitam Sancto-
,, rum tranſtulit: ſepultuſque eſt in Eccleſia Cathedrali ſancti Lauren-
,, tii, a pietate, doctrina, & paſtorali ſollicitudine laudatus.
,, II. Frater Petrus Baſztin, qui a ſancto Bonaventura Piſis in Po-
,, loniam, & Boemiam Miniſter miſſus fuerat, Uratislaviæ hoc anno in
,, feſto B. P. N. Franciſci prima comitia provincialia tenuit: quando
,, B. P. Joannes *Lobedau* patria Thorunienſis, Culmæ paucis poſt diebus

Joannis Lobed. mors & ejus memorabilia.

,, ſpiritum cœlo reddidit. Erat hic Joannes natione Prutenus, ex Tho-
,, runia Pruſſiæ Civitate ſuperba, muris & emporio celebri, oriundus:
,, a Patre Loberdancus, vel ut alii volunt, Lobedanus, vulgo *Lobedau*,
,, cognomen fortitus eſt: ſpretis mundanis, Religionem Seraphici Patris
,, profeſſus eſt. In ſtudiis adeo profecit, ut gradum doctoratus in ſacra
,, Theologia obtinuerit non tantum, ſed etiam in divini verbi Concio-
,, natorem evaſerit. Inter alia religioſa, & pia exercitia ſtudium oratio-
,, nis, & contemplationis coluit: ſæpe occupabatur in meditatione Do-
,, minicæ Incarnationis, attente, & profunde admirans puerum Divi-
,, num in faſciis Jeſum Salvatorem mundi. Quam grata fuerit Altiſſimo

Plures visiones hab.

Theat. Bajard.

,, tanti myſterii contemplatio, ipſe Dominus aperuit, qui ſeſe medi-
,, tanti in forma pueri ab uberibus Matris pendentis demonſtravit:
,, Durante ea viſione, Fratres præ foribus cellæ viri Dei, cujus eloquia
,, cum Deipara auſcultabant, agnoſcentes vocem fœmineam mirabantur
,, & ſtupebant: nec tamen de eo, nec vel ſuſpicari hujuſmodi rem,
,, quod ſcilicet cum muliere ſolus in cella loqueretur, auſi ſunt: ſed
,, altera quadam vice, dum conſimili viſione dignaretur, Fratres non
,, tantum fœminæ vocem, ſed & pueri ejulatus audivere: demirantes
,, caſum, primo pulſant, deinde fores infringunt, ingreſſi autem cel-
,, lam nil, præter Crucifixi ſculptam imaginem raræ magnitudinis ante
,, Joannem orantem invenerunt: porro imaginis caro ad inſtar vivæ
,, tenera erat. Aderat cum aliis loci Superior, qui ſub integerrima fide
,, a Joanne myſterium didicit: faſſus enim eſt ſe Dominum vidiſſe in
,, forma pueri, ut quondam ſanctis Franciſco, & Antonio, & etiam ut
,, Mariæ Magdalenæ in ſpecie hortulani, nec non ut diſcipulis in Emaus
,, euntibus in modum peregrini apparuerat; alii addunt, cauſam fletus
,, audiſſe dixiſſe, quod ſcilicet fides Catholica, & Chriſtiana pietas in
,, Pruſſia conculcanda foret, cum magno animarum detrimento. Beatæ
,, Juttæ Viduæ Magiſter in ſpiritualibus, & etiam a confeſſionibus fuit:
,, Vir vitæ ſanctitate, morum probitate, & miraculorum ubertate cla-
,, riſſimus, obiit hoc anno, ut dicebamus, die ix. Octobris: quod con-

Martin. Baron. in catal. SS. Ord.

,, ſtat ex ipſius vita manuſcripta, ac teſtatur Martinus Baronius in Ca-
,, talogo Sanctorum Ordinis; ſepulturam vero apud ſuos Culmæ nactus

Radul. fol. 323.

,, eſt, miraculis ante, & poſt obitum clarus: quamobrem errat Rodul-

Wadd. to. 7. ad tom. 2. num. 14. fol. 457. n. 14. in veteri editione

,, phus, qui ait Joannem *Lobedau* obiiſſe anno mdxxvii. die vii. Fe-
,, bruarii: nec temporis metam attingit Waddingus in ſuis additioni-
,, bus. Fuit vir moribus, vitæ religioſitate conſpicuus, & caritate in
,, Deum, & proximum ardens. Poſt mortem viſus eſt non raro in pro-
,, fundo maris navigantibus, & ipſum invocantibus, noctu, ubi maxima
,, urgebat neceſsitas, lumine viam adaperire, veluti face præeunte,
,, quod itidem in fluminibus præſtitit: quamobrem ejus imago Culmæ,

Poſt mortem navigantes ſuccurrit.

,, una cum Patronis Pruſsiæ, beatis ſcilicet Dorothea, & Jutta epita-
,, phio dignata legitur ſequenti.

Re-

Religiosus Frater Joannes Loserdank ex Thourn oriundus, qui vita, et miraculis, nec non doctrina refulsit.

„ Ejus ſepulcrum in principio hæreſis Lutheranæ ter ejus corpore vi„ duatum, ter etiam divinitus ſibi reſtitutum fuit, ut ſcribit Caſimirus: „ tamdem magis inſaniente hæreticorum furore, ſacra oſſa confuſa, & „ alienis aliorum defunctorum permixta, quæ, & ubi ſint, ignoratur; „ volunt nonnulli, Clerum Culmenſem ea collegiſſe, & illata in Ca„ thedralem, cum iis beatarum Juttæ, & Dorotheæ ſecreto loco condi„ diſſe in ea magna hæreticorum perſecutione ſub Alberto Pruſsiæ Du„ ce: refriguerat hinc ad tempus in multis erga ſanctum Virum devo„ tio, ſed tamdem pietas Joannis *Liſpchi* Antiſtitis Culmenſis anno „ MDCXXXVIII. ut Fridericus Schembecus Societatis Jeſu teſtatur; „ eamdem in quaſi poſtliminio redivivum iterum innovavit, & auctori„ tate publica inſtauravit, ut inſcriptiones ad altare ejuſdem Sancti a „ dextris, & a ſiniſtris oſtendant Culmæ in Eccleſia Minorum Conven„ tualium: a dextris quidem ita legitur: *D. Joanni Thorun. Minoritæ* „ *Præſulis optimi Joannis Lipski pietate in honoribus inſtaurandis redivi*„ *vo S. P. Q. C. ſuo Tutelari antiquo gratulatur exultans*. A ſiniſtris ve„ ro *D. Joanni Pruteno Ordinis Minorum antiquos honores, a perfidis pro*„ *fanatos, pie reſtituens Joannes Lipski Culmenſis, & Pomeraniæ Anti*„ *ſtes, ejus patrocinio ſe, ſuaſque oves Paſtor indignus ſupplex commen*„ *dat*.

Corpus ter a Lutheranis rapitur, & toties miraculoſe reſtituitur.

Erga eumdẽ renovatur devot.

Caſimir. Biern. cit. n. 21.

„ III. Eodem igitur anno, ut prædiximus, quo Petrus Baſztin co„ mitia provincialia Uratislaviæ in feſto S. P. Franciſci, celebrabat, „ quinque poſt dies Joannes *Lobedau*, conſummato præſentis vitæ curſu, „ ad bravium æternæ beatitatis in cœlo, glorioſe pervenit, corporis „ gravi Sarcina Culmæ relicta; Eum vero paulo poſt ſequuta eſt Jutta „ Vidua, niſi forte paulo ante præceſſerit: licet enim ſit certus annus, „ non tamen eſt certa dies illius fœliciſsimi obitus in eadem urbe Cul„ ma ſequuti; de hac autem viragine glorioſa, pauca, ſed mira, & pie„ tatis amatoribus non diſplicenda, narrabimus.

„ IV. A Waddingo noſtrarum antiquitatum accuratiſsimo venatore, „ Cantuariæ Cœnobium in Anglia, non niſi ad annum MCCLXXII. Oxo„ niæ ad annum MCCXCVI. memoratur. Nos vero ad hunc annum ex „ authentico inſtrumento ejus memoriam retrahimus, ſicut & nonnul„ lorum aliorum: & quidem Cantuariam (*Conturberii* Anglis) urbem „ Archiepiſcopalem, ac olim clariſsimam, & regiam ſitu amenam, figura „ rotundam, amplam, ac ſacris ædibus ornatam, apud Dublin mariti„ mam ſtationem, a Londinio in ortum hibernum LII. M. P. Regionis „ diſtantem, plurima ſuorum Archiepiſcoporum ſanctimonia fulgentem, „ longe ante hæc tempora, priſcos, & primos Ordinis nuper enaſcentis „ Fratres Minoritas, Apoſtolicæ vitæ reſtauratores libenter excepiſſe, „ licet præciſum tempus neſciatur, nemo dubitat; ſicuti nec de Oxo„ nio, indigenis *Oxford*, ad Thamenſim fluvium, Civitate Epiſcopali, „ academia nobili, a Londinio in Occidentem æſtivum ad XLII. M. P. „ diſtante, ambigit. Eſt etiam ibidem in Anglia *Romenal* locus ad Ma„ re contra Caletum, a Cantuaria XXV. M. P. diſtans, qui, & ipſe eoſ„ dem excepit ante hunc annum, ut reperio; licet apud Annaliſtam „ nullam hujuſcemodi rei mentionem viderim. Sunt & Camberiacum, & Ge-

Hic Meliſſanus ad verbum hiſtoriam B. Juttæ, quam Waddingus ſuperius refert, iterum repetit, quam propterea merito delere duximus.

,, & Gebenna in Sabaudia, apud quas Civitates noſtri Patres etiam ante

Camberiacū C. deſcribitur.

,, hæc tempora admiſſi fuere; ſed Camberiacum ſive Camberinum, aut
,, Camberium, Gallis *Chamberi*, Italis *Ciamberi* urbs totius Sabaudiæ

De Geben. Conv. teſtimon. eſt infra ad an. 1268.

,, Metropolis, Diœceſis Gratianopolitanæ, in Convalli ſita, montibus
,, undique cincta, nobilis, & Parlamento celebris eſt; & Gebenna ſive
,, Geneva ad lacum: *Qua rapitur præceps Rhodanus genitore Lemano*

Gebenna.

,, Civitas antiqua, utpote cujus Lucanus, & Cæſar faciunt mentionem,
,, jacet: agrum habet fertilem, vineta uberrima, pontem etiam li-
,, gneum, quo partes urbis ultra, & cis Rhodanum ſitæ connectuntur.
,, Camberium ergo, & Gebennam præfatas Civitates, ante hæc tempora

Utrobique cœnobia pro fratribus.

,, Minoritas excepiſſe, non ambiget, qui re cogitaverit utraſque ju-
,, riſdictionis extitiſſe Thomæ I. Sabaudiæ Comitis, & Beatricis ejuſdem

Petr. Ber. in deſcript. Sabau. fo. 251.
Sup. ad an. 1213 *num.* 11.

,, conjugis, quam Cœnobium S. P. Franciſco anno MCCXIII. Secuſii
,, fundaſſe diximus: non enim illorum Heroum pietas adeo exigua erat,
,, ut vix eam demonſtraſſe in unica domo Secuſiana ſibi ſufficeret, eum
,, etiam eorum deſcendentes, avita devotione, in Minoritas ſemper
,, fuerint, & ſint maxime propenſi. Sed ut præfatorum Conventuum
,, antiquitates, tum eorum, qui in Anglia, cum horum, qui in Sabaudia

Tom. 2. *fol.* 59. *&* 60.

,, numerantur, unico teſtimonio, ſed omni exceptione majore, aperia-
,, mus, ex Guicenonio teſtamenti Bonifacii Archiepiſcopi Cantuarienſis
,, partem ad noſtrum intentum adducimus, quod ita incipit.

In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis Patris,
& Filii, & Spiritus ſancti.

Teſtamentum Bonifacii de Sabaudia, Archiepiſcopi Cantuarienſis.

,, A*Nno gratiæ* MCCLXIV. *die Sabbati proxima poſt feſtum beati Diony-*
,, *ſii, E littera Dominicali currente,* V. *Kal. Octobris. Ego Boniſa-*
,, *cius Archiepiſcopus Cantuarienſis conſiderans omnibus hominibus vitæ*
,, *terminum morem eſſe &c.* poſt plura legata ita diſponit: *Fratribus*
,, *Prædicatorum Cantuarienſium quadraginta marchas: Fratribus Minori-*
,, *bus ejuſdem loci quadraginta marchas:* Et aliis piis Legatis interpoſitis,
,, ſequitur: *Fratribus Minoribus de Romenal, quinque marchas relinquo:*
,, *Fratribus Prædicatoribus Oxonienſibus, quindecim marchas: Fratribus*
,, *Minoribus ejuſdem loci, quindecim marchas: Singulis Conventibus Præ-*
,, *dicatorum, & Minorum Provinciæ Cantuarienſis, quibus ſpecialiter*
,, *nihil reliqui, quinque marchas: pauperibus Scholaribus Oxoniæ ſtudenti-*
,, *bus viginti marchas: Conventui Fratrum Prædicatorum pariter quinde-*
,, *cim marchas: Fratribus Minoribus ejuſdem loci, quindecim marchas:*
,, *pauperibus Scholaribus ibidem ſtudentibus, viginti marchas. Hujus etiam*
,, *ultimæ diſpoſitionis meæ cariſſimas Dominas, & Neptes meas Margare-*
,, *tam Reginam Franciæ, cui ducentas libras Turonenſ. pro jocalibus relin-*
,, *quo, & Aleonoram Reginam Angliæ, cui pro eadem cauſa relinquo ſexa-*
,, *ginta marchas, Superiores ordino, & conſtituo tutrices, & adjutrices,*
,, *cum ab executoribus meis fuerint requiſitæ &c.* & ſubinde proſequitur:
,, *Fratribus Minoribus Chamberiaci, quadraginta libras fortes &c.* ae
,, tamdem poſt alia nonnulla, ſuum teſtamentum claudit ſub eodem an-
,, no, & die, quibus ſupra.

,, Ex hac diſpoſitione teſtamentaria liquet, Fratres Prædicatores
,, longe ante hunc annum fuiſſe Cantuariæ, & Oxonii, nec non in Pro-
,, vincia Cantuarienſi loca habuiſſe: & Minores in ſpecie apud Rome-
,, nal, qui indigenis dicitur, ni fallor, *Romney*, ad mare contra Gale-
,, tum, ut ſupra dicebam; Inſuper etiam Chamberiaci in Sabaudia: non
enim

,, enim Monaſteriorum ædes uno circumductu manus, & levi oris flatu,
,, veluti vaſa vitrea fiunt.

,, VI. At hujus præfati Antiſtitis, gratitudinis ergo, non pigebit
,, genus aperire. Fuit Bonifacius, ordine inter Fratres ſervato, unde-
,, cimus filius Thomæ hujus nominis primi Sabaudiæ Comitis, de quo
,, ſupra dicebamus. Juvenculus Carthuſianis ſe adſcripſit: ſed anno
,, MCCXXXIV. Bellicenſis Epiſcopus electus eſt: anno MCCXLI. precibus
,, Henrici III. & Aleonoræ ejus conjugis Angliæ Regum (licet quod
,, extraneus eſſet, Angli repugnarent) Archiepiſcopus Cantuariæ ele-
,, ctus, a ſummo Pontifice Lugduni confirmatur anno MCCXLIII. ac ita
,, ſancto Edemondo in Archiepiſcopatu ſucceſſit, qui pariter ex Ordine
,, Carthuſiano aſſumptus fuerat: anno MCCXLIV. (ante poſſeſſionem
,, initam Archiepiſcopatus) Epiſcopo Wintoniæ a ſua Sede per Henri-
,, cum deturbato, conſolatorias epiſtolas ſcripſit: & ut reſtitueretur,
,, plurimum laborans & non deſiſtens, de hoc a ſummo Pontifice lauda-
,, tus, voti compos effectus eſt, eo Wintoniæ reſtituto: ipſe vero ab
,, Innocentio IV. Lugduni conſecratus, in ſuo munere ita ſe geſſit, ut
,, inter cetera ſemper laudibus efferenda, caritate maxime in pauperes,
,, & pauperum Religioſorum domos emicuerit. Teſtamentum condidit,
,, ut ſupra: deſiderio videndi fratrem ſuum Philippum Comitem Sabau-
,, diæ, in patriam ex Anglia reverſus, ibi in Caſtro ſanctæ Helenæ
,, die XIV. Julii anno MCCLXX. ad ſuperos evolavit. Corpus ejus ad
,, Eccleſiam Altæ Combæ delatum, in æneo & perpulchro mauſoleo re-
,, conditum fuit cum Epitaphio ſequenti.

Bonifac. filius XI Thom. I. Sabaudiæ Comitis.

Fit Carthuſianus.

Inde Epiſc. Bellicéſis; inde Cantuariæ. Revertitur in Sabaud.

Defertur in Eccleſ. Altæ Com.

HIC JACET BONIFACIUS DE SABAUDIA CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS, OPERIBUS BONIS, ET VIRTUTIBUS PLENUS. OBIIT AUTEM APUD S. HELENAM ANNO DOMINI MCCLXX. XIV. DIE JULII.

Guicen. to. 1. c. 8. in Thom. 1. Sab. Com.

,, Et ibi miraculis pluribus a Deo per eum patratis a tota Sabaudia ve-
,, neratur ut Sanctus. Qui plura cupit Guicenonii ſupra citati hiſtoriam
,, legat.

Miraculis refulget.

ARGUMENTUM.

Poſt diuturnam Sedis Apoſtolicæ vacationem eligitur Clemens IV. qui vocatum a prædeceſſore Carolum Andegavenſem excitat contra Manfredum. Inquiſitoribus Minoritis multa præſcribit & concedit. Oſtendit Deus quibuſdam ſignis, quam ſibi diſpliceat a Religione regreſſus. Prædicatur in Hiſpania per Minores crux contra Saracenos. Sancto Bonaventuræ confertur opulenta Eboracenſis Eccleſia, nec admittit. Obtinent Minoritæ plura Domicilia, & privilegia.

I. POST mortem Urbani IV. acriter inter ſe de Pontificatu contendebant electores, quorum diſſidia diuturnam ultra quatuor menſium Sedis vacationem non ſine magno rei Eccleſiaſticæ detrimento fecerunt. Cum vero Patres ſæpe re infecta e conventibus diſceſſiſſent, tamdem Peruſii Nonis Februarii, ipſo die ſanctæ Agathæ, Pontifex Maximus renunciatus eſt Guido Groſſus Sabinenſis Epiſcopus, patre Fulcodio nobilis familiæ in Gallia Narbonenſi, e vico ſancti Ægidii ad Rodani

Eligitur Clemens IV.

ripam ortus. Ab ineunte ætate militiæ primum, deinde utrique juri operam dedit. Ex legitimo thoro filias duas ſuſcepit; actiones forenſes advocando aliquandiu in Regis Francorum prætorio, integer & ſine labe ſumma cum laude profeſſus. Ejus doctrina & prudentia motus ſanctus Ludovicus, a ſecretis & conſiliis adſcivit. Uxore mortua, ſacris initiatus, mox Archidiaconus Podienſis, deinde Epiſcopus Anicienſis, dehinc Podienſis, tamdem Archiepiſcopus Narbonenſis, demum Epiſcopus Cardinalis Sabinus ab Urbano creatur. Abſens in Anglia dum diſcordias inter Henricum Regem, & Simonem Comitem Montisfortis alioſque Regni proceres ortas ſua auctoritate ſedaret, aſſumptus eſt ad ſupremam Sedem communi omnium ſuffragio, non compromiſſo in ſex duntaxat Cardinales facto, uti ſcribit Ciaconius; neque enim in Cle-
Ciacon. in Clem. mentis, ſed in Gregorii ſucceſſoris electione diſſidentes compromiſerunt Cardinales.

Carolum Andegavenſ. evocat contra Manfredum.

II. Carolum Andegavenſem Urbani mors ab Italico revocabat itinere, niſi Clementis ejuſdem ſtudioſiſſimi, electio conſilia confirmaret. Miſſis namque Nunciis iterum vocatus, ſtabilitis conditionibus regni
Platin. in Clem. ſuſcipiendi, accepto ære, & conſcripto milite multo, terreſtri itinere præmiſſo exercitu, cum triginta triremibus Maſſilia ſolvens, Tiberi amne ſubvectus, Romam ingreſſus, tamdiu Senatoris munus mandato Pontificis obivit, quoad ſupervenere Cardinales a Pontifice miſſi, qui hominem in Lateranenſi Baſilica Hieruſalem, & Siciliæ Regem declararunt: hac præcipua conditione, ut Carolus ſacramento adactus, quotannis feudi nomine quadraginta millia nummum aureorum Eccleſiæ Romanæ perſolveret: neve Imperium Romanum etiam ultro oblatum acciperet. Alias multas conditiones appoſuit Clemens in ſua bulla aurea, cujus apud me fidele tranſumptum. Pro augendis copiis & numeroſo ſcribendo milite, qui Manfredi potentiæ ſecurius poſſet occurrere, multis in locis, præcipue in Galliæ regno, Crucem prædicari juſſit ad præcipuos Eccleſiarum Prælatos, & Provinciales Prædicatorum & Minorum datis his litteris, in quibus eaſdem vel majores tribuit Indulgen-
Tom. 2. an. 1235. n. 27 tias Cruceſignatis, quas Gregorium IX. alias eiſdem conceſſiſſe retulimus.

Bituricen. Narbonen. Senonen. & Rothomagen. Archiepiſcopis, & Priori Prædicatorum, & Miniſtro Minorum Fratrum, Provincialibus Franciæ, & Decano Remen.

Reg. Vat. n. 25. *DE venenoſo genere, velut de radice colubri virulenta progenies Manfredus, quondam Princeps Tarentinus, egreſſus, ab ineunte ætate paternis ſe conformans nequitiis, niſus eſt, quantum potuit, paternam ſævitiam ſuperare. Qui ſicut impius in peſſimis rebus exultans, gloriatus eſt eſſe*
Manfredi nequitia. *ac dici Eccleſiæ perſecutor ad depreſſionem orthodoxæ fidei, enervationem juris Eccleſiaſtici, & jugem turbationem Italiæ, prout patet per opera damnabili progenitoris imitatione ſuſpirans. In qua voluntate perfida non ſolum perſeverans, ſed creſcens, quantum in eo eſt, prophanavit ſacra, religioſa fœdavit, deſtruxit Eccleſias, afflixit viros Eccleſiaſticos, & alios tam nobiles, quam populares, & pupillis, & viduis non pepercit, alias molitus totis viribus acceptum virus effundere, ac iniquitatem tam innatam, quam a patre propagatam in matrem Eccleſiam parturire. Et ut ad ſuæ intentionis perfidiam poſſet pervenire facilius, Saracenis, & aliis inimicis Eccleſiæ in* Chri-

Chriſtianorum diſpendium ſpeciali ſe amicitia copulavit. Idem quoque Regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam pertinens, ut de aliis taceamus, invadens, ac Regnicolas perfidia inhumana contractans, quantum ex ipſius Regni opibus lædat Eccleſiam, turbet Italiam, & alias etiam remotas partes concutiat, non ſolum vicinis eſt notum, ſed ad extremos Orbis angulos jam pervenit. Et licet Eccleſia, tamquam pia mater, longo tempore diſſimulaverit iſta, credens quod ille ad cor rediens pœnitentiam ageret de commiſsis, quia tamen de die in diem fiebat deterior, & pejora prioribus cumulabat, quadam inevitabili neceſsitate oportuit nos pro Eccleſiæ defenſione Athletam aſſumere, ipſumque erigere ad illius proterviam retundendam. Cujus rei cauſa cariſsimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Siciliæ Illuſtrem, quem more progenitorum ſuorum Apoſtolica Sedes ſemper invenit ad beneplacita ſua paratum, vocavimus ad hujuſmodi negotium, eique prædictum Regnum de Fratrum noſtrorum conſilio duximus conferendum, firma ſpe fiduciaque tenentes, quod per ipſius ſtrenuitatem, fidelitatem, & potentiam idem Regnum optata pace fruetur, gaudebit Italia, a bellis, a turbationibus inteſtinis quieſcens, Imperii Romaniæ ſtatus reformabitur, & Terræ ſanctæ in manu valida ſuccurretur. Cum igitur idem Rex pro fidei Catholicæ incremento, Eccleſiæ honore, bono ſtatu totius Italiæ, ac optata quiete fidelium, zelo fidei & devotionis accenſus, aſſumpto Crucis ſignaculo contra prædictum Manfredum, & Saracenos Luceriæ, accingat ſe viriliter ac potenter; Nos attendentes, quod Chriſtiani populi, & maxime Italiæ intereſt, ut tam ſalubre negotium, a cujus ſucceſſu dependet plurimum, quam credatur, tranquillitas, in manu forti & robuſta procedat; Italicos & alios fideles ad hoc ſalutare Jeſu Chriſti exercitus tirocinium, non ſolum piis exhortationibus, ſed etiam ſuperabundantibus gratiis invocamus. Et ut univerſi, & ſinguli ad id eo libentius, & animoſius intendant, quo exinde dona ſpiritualia, quæ temporalibus præferenda ſunt, perceperint potiora: Nos de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, & illa, quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque ſolvendi contulit, poteſtate, omnibus, qui aſſumpto Crucis ſignaculo, ad eumdem Regem ituri cum eo contra Manfredum, & Saracenos prædictos in propriis perſonis, & expenſis acceſſerint, plenam ſuorum peccaminum veniam indulgemus, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, &c. (ut habetur in bulla Gregorii IX. paucis mutatis.) Ceterum vos & illi, quibus verbum hujuſmodi commiſeritis prædicandum, Rectores Eccleſiarum illarum partium, & prædictarum Civitatum & Diœt. moneatis diligenter, & efficaciter inducatis eos ad id, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellendo, ut ipſi cum parochianis ſuis ad audiendum verbum Crucis devote, ac reverenter accedant, & in ipſis prædicationibus veſtris ubi expedire videritis, harum litterarum tenorem legatis, & faciatis legi cum debita reverentia, & exponi. Ceterum quia ſicut accepimus, prædicationis officium, quod pro jam dicto negotio imponimus vobis & aliis, per quæſtuarios impeditur, ne ipſi negotio impedimentum, vel obſtaculum aliquod ingeratur, quæſtuariis univerſis, ſi qui præſentes fuerint, proponendi aliquid populo, dum a vobis proponitur verbum Crucis, licentiam penitus interdicere procuretis, temeritatem eorum, qui contra præſumpſerint per cenſuram eamdem, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Ad hæc volumus, & diſtricte præcipimus, ut tam vos, quam illi, quibus hujuſmodi officium commiſeritis, ita ſitis univerſi & ſinguli in præmiſſis exequendis ſolliciti, quod ſine dilatione abſque alio mandato, nec expectet unus alium,

Contra eum excitatus Carolus.

Invocantur in ejus auxilium fideles.

Tom. I. an. 1235. n. 26.

exequamini ea fideliter & prudenter: Ita tamen, quod in executione hujuſmodi alter alterum non impediat, nec perturbet. Non obſtantibus, ſi aliquibus, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non valeant a Sede Apoſtolica ſit indultum, & quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, ſeu litteris ab eadem Sede obtentis, vel obtinendis, per quæ prædicta impediri vel differri poſſint, & de quibus ſpecialem oporteat in præſentibus fieri mentionem. Datum Peruſii IV. *Nonas Novembris anno* 1.

III. Non ſolum Siculum Regnum, & temporale Eccleſiæ Dominium Clemens curabat, verum multo potius fidei res volebat integras. Quare plurima ſtatuit contra hæreticos, & prædeceſſorum ſuorum, ac Friderici Imperatoris contra eoſdem leges latas confirmavit, eiſdem ferme verborum ſormulis, quibus Alexander, & Innocentius IV. eaſdem pœnas promulgarunt, præterquamquod in ſequenti bulla, qua Inquiſitoribus ampliſſimas concedit facultates, contra hæreticos, & prædicatores quæſtuarios, eiſque procedendi modum præſcribit in variis partibus Romaniæ, multa inſerit, amplioreſque addit facultates, quam in aliis ſimilibus dederint Innocentius anno XI. ſui Pontificatus, & Alexander anno IV. Porro ita ſe habet ex autographo Aracœlitano num. 120.

CLEMENS EPISCOPUS &c.

Dilectis Fratribus Ordinis Minorum Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in adminiſtratione Romaniæ deputatis auctoritate Apoſtolica & in poſterum deputandis.

Facultates datæ Inquiſitoribus Romaniæ.

LIcet ex omnibus mundi partibus, quæ Chriſtiana religione cenſentur, teneamur ex officii noſtri debito extirpare lethiferam peſtem hæreticæ pravitatis, in Italia tamen imminet nobis hæc ſollicitudo propenſius, ubi eamdem peſtem propter malitiam temporis, quæ in detrimentum fidei Catholicæ perverſa geniminagerminavit, ex vicinitate perſenſimus abundantius ſuccreviſſe. Ut igitur Inquiſitionis officium contra hæreticos in Urbe, Campania, Maritima Oſtien. Vellitren. Portuen. Albanen. Tuſculan. Præneſtin. Sabinen. Tiburtin. Nepeſin. Sutrin. Caſtellan. Ortan. Viterbien. Tuſcanen. Caſtren. Balneoregen. Urbevetan. Soranen. Reatin.: Terris Machilon. & Amiterni dumtaxat exceptis, & Marſican. civitatibus, & Diæceſibus ſuis, auctoritate Apoſtolica poſſit efficacius adimpleri, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore poſtpoſito, virtutem Spiritus induentes ex alto, prædictum officium, quod auctoritate Apoſtolica vobis committimus, ubique infra præfatos limites ſimul, vel ſeparatim, aut ſingulariter prout negotii utilitas ſuadebit, ſub ſpe mercedis æternæ, ſic efficaciter proſequi, & exequi ſtudeatis, ut per ſollicitudinis veſtræ prudentiam de locis prædictis radix iniquitatis hæreticæ ſuccidatur, & vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quæ perverſis moribus demoliuntur eamdem, fructus afferat catholicæ puritatis. Si quos autem de pravitate prædicta culpabiles inveneritis, vel infectos, ſeu etiam infamatos, contra ipſos, niſi examinati abſolute velint mandatis Eccleſiæ obedire; necnon & contra receptatores, defenſores, & fautores eorum, juxta ſanctiones Canonicas, auctoritate Apoſtolica, hominum metu divino timori poſtpoſito, procedatis. Non obſtantibus aliquibus litteris ad quoſcumque alios de locis prædictis, exceptis locorum Diæceſanis, ſuper hujuſmodi negotio ab Apoſtolica Sede directis, quorum deinceps ad inquiſitio-

nes

nes bujuſmodi faciendas, noluimus auctoritate procedi, quinimo ne procedatur per illos diſtrictius inhibemus; nec prætextu commiſſionis ſpecialiter eiſdem Diœceſanis ſuper hoc factæ, veſtros proceſſus in eorumdem Diœceſanorum Civitatibus, & Diœceſibus volumus impediri, nec per hoc quod fidei negotium generaliter in ipſis locis vobis committimus, commiſſiones a præfata Sede Diœceſanis eiſdem factas, ſi forſan illarum, ſeu etiam ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus revocare. Verumtamen ſive auctoritate ordinaria, ſive ex delegatione prædictæ Sedis iidem Diœceſani in bujuſmodi negotio proceſſerint, nequaquam volumus, vel per concurſum proceſſuum, vel alias quomodolibet veſtros impediri proceſſus, quin Diœceſanorum ipſorum proceſſibus non obſtantibus, in eodem negotio procedere libere valeatis. Si vero aliqui ex prædictis bæretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad Eccleſiaſticam unitatem, eis, juxta formam Eccleſiæ, abſolutionis beneficium impendatis, & injungatis eiſdem, quod injungi talibus conſuevit: proviſo ſolerter ne ſimulata converſione redeant fraudalenter, ut vos, imo potius ſeipſos fallentes ſub agni ſpecie gerant lupum. Quod ſi aliqui fuerint judicandi bæretici, vel incarcerationis pœna perpetuæ alicui pro bujuſmodi crimine fuerit infligenda, ad id per vos de diœceſanorum, vel vicariorum ſuorum, ſi ipſis diœceſanis abſentibus, præſentes fuerint, conſilio procedatur; ut in tantæ animadverſionis judicio non poſtponenda Pontificum auctoritas intercedat. Verum quia in tam gravi crimine cum multa oporteat cautela procedi, ut in reos ſine ullo proferatur errore duræ ac dignæ ſeveritas ultionis, volumus & mandamus, ut vos, vel illi quos ad hoc duxeritis deputandos in examinatione teſtium, quos recipi ſuper crimine prædicto, ipſumque contingentibus oportuerit, adbibeatis duas religioſas & diſcretas perſonas, in quarum præſentia per publicam, ſi commode poteſt baberi, perſonam, aut per duos viros idoneos fideliter eorumdem depoſitiones teſtium, conſcribantur. Ad conſcribendas quoque bujuſmodi depoſitiones teſtium, & ad faciendum omnia, quæ in commiſſo vobis officio ad Scrivarii ſeu Tabellionis officium pertinent, teneri diſtricte præcipimus, cum per vos, ſeu per deputatos ad hoc a vobis requiſiti fuerint, omnes & ſingulos veſtri Ordinis Fratres, quibus, dum eſſent in ſeculo, bujuſmodi Tabellionatus officium ratione præfati negotii fidei fuit a dicta Sede commiſſum, & in poſterum committetur, concedentes bujuſmodi Fratribus, necnon & aliis religioſis quibuslibet, qui bumiliter dum eſſent in ſeculo, dictum Tabellionatus officium babaerunt, & exercuerunt, quibuſcumque etiam clericis ſecularibus officium ipſum babentibus, etiam ſi iidem Fratres religioſi & clerici ſint in ſacris Ordinibus conſtituti, exercendi libere officium ipſum quoad præmiſſa: non obſtante aliquo contrario ſtatuto Canonis, vel Ordinis, quocumque vallato munimine, plenariam facultatem. Quod ſi teſtibus, quos a vobis recipi, vel ab alio vice veſtra ſuper eodem crimine examinari contigerit, ex publicatione nominum eorumdem videritis periculum imminere, ipſorum nomina non publice, ſed ſecrete coram aliquibus perſonis providis, & boneſtis, religioſis, & aliis ad hoc vocatis, de quorum conſilio ad ſententiam, vel condemnationem procedi volumus, exprimantur, & ſic non obſtante, quod illis contra quos bujuſmodi teſtes depoſuerint, eorum nomina non fuerint publicata, ad cognitionem judicis inſtruendam adbibeatur plena fides teſtium depoſitionibus eorumdem. Ut ergo commiſſi vobis officii debitum utilius, & liberius exequamini, committendi citationes, teſtium examinationes, cum de bujuſmodi crimine, ac ipſius circumſtantiis duxeritis inquirendum, damus auctoritatem: ita tamen quod

eidem

eidem examinationi duæ perſonæ religioſæ, ut dictum eſt, interſint: & denunciationes ſententiarum, quas in quoslibet hac de cauſa tuleritis; accerſendi quoque prout expedierit, peritos quoslibet, ut vobis in ferendis hujuſmodi ſententiis præbeant conſilium opportunum, ac vobis aſſiſtant: convocandi etiam clerum, & populum Civitatum, Caſtrorum, aliorumque locorum, prout dicto negotio fidei videritis expedire. Inſuper in dicto negotio de plano, & abſque judiciorum, & advocatorum ſtrepitu, ac contra illos, quos in prædictis locis in hæreſeos crimine commiſiſſe conſtiterit, licet ad alias partes ſe transferendos duxerint, procedendi, necnon faciendi vobis libros, ſeu quaternos, & alia ſcripta, in quibus Inquiſitiones factæ, & proceſſus per quoſcumque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, vel legatorum ejus, habiti contra hæreticos continentur, a quibuslibet aſſignari, & obſervari inviolabiliter omnes conſtitutiones Apoſtolicas, & leges Imperiales per quondam Fridericum, olim Romanorum Imperatorem, tunc in devotione Romanæ Eccleſiæ perſiſtentem, Paduæ promulgatas adverſus hujuſmodi peſtem hæreticæ pravitatis: privandi præterea de diœceſanorum, vel eis abſentibus, Vicariorum ſuorum conſilio, hæreticos eoſdem, credentes, receptatores, & defenſores, eorumque filios, & nepotes perſonatibus, dignitatibus, ac beneficiis Eccleſiaſticis, officiis publicis, ac honoribus quibuſcumque. Nec non & largiendi viginti, vel quadraginta dierum indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad veſtram convocationem propter hoc faciendam acceſſerint, plena ſit vobis, & ſingulis veſtrum præſentium tenore facultas. Vobis autem pro hujuſmodi negotio laborantibus illam peccatorum veniam indulgemus, quæ ſuccurrentibus Terræ ſanctæ in generali Concilio eſt conceſſa, ſociis vero Fratribus veſtri Ordinis, & Notariis veſtris, qui una vobiſcum in proſecutione hujuſmodi negotii laborabunt, & omnibus, qui perſonaliter vobis aſtiterint in eodem negotio, & qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores, & defenſores eorum vobis ex animo præſtiterint conſilium, auxilium, vel favorem, de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, tres annos de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus. Et ſi qui ex iis in proſecutione hujuſmodi negotii forte deceſſerint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, plenam veniam indulgemus. Compeſcendi præterea, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, prædicatores quæſtuarios, ubi contigerit pro Inquiſitionis ſeu fidei negotio congregationem fieri, vel alias eidem negotio quomodolibet ex hoc impedimentum afferri, a prædicationis officio, quod ad ipſos nullatenus pertinet, quorum intereſt tantum caritativa ſubſidia ſimpliciter petere, ac indulgentiam ſi quam forte habent, exponere, liberam vobis & ſingulis veſtrum concedimus auctoritate præſentium facultatem. Ceterum ſi forte, quod non credimus, aliqui cujuſcumque conditionis huic negotio vobis commiſſo, ſe opponere, ſeu illud præſumpſerint aliquatenus impedire, ut non poſſit procedi libere in eodem, contra eos, tamquam contra hæreticorum fautores & defenſores; contra illos vero, qui idem negotium requiſiti juxta officium, & poſſe ſuum non juverint, ſeu faverint ſtudioſe, freti eadem auctoritate, intrepide procedatis ſecundum canonicas ſanctiones. Nos nihilominus ad reprimendam tam ſuperbam, & pernicioſam audaciam, & omnimode confundendam, in illos gladium Eccleſiaſticæ poteſtatis acriter exeremus, & Reges, & Principes, alioſque Chriſti fideles, ſive pro Terræ ſanctæ ſuccurſu, ſive alias pro Chriſti ſervitio crucis charactere inſignitos, necnon & ceteros Catholicos,

prout

prout expedire viderimus, invocabimus contra eos, ut cælum & cerra adverſus deteſtabilem temeritatem ipſorum pariter moveantur. Denique ut circa præmiſſa plene vobis & ſingulis veſtrum coertionis expedita, & inviolabilis adſit auctoritas, volumus ut ea omnia viriliter exequamini, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis quibuſcumque perſonis cujuſvis conditionis, dignitatis, vel gradus, Religionis, vel Ordinis, præſertim Ciſtercien. Prædicatorum, Minorum, ſeu Eremitarum, ſive Communitatibus & univerſitatibus civitatum, & locorum ſpecialiter, vel generaliter ſub quacumque verborum expreſſione, vel forma a memorata Sede conceſſis, vel in poſterum concedendis, etiamſi dicant in illis, quod eis per aliquas licteras totum de verbo ad verbum tenorem non continentes privilegiorum, vel indulgentiarum ipſarum nequeat derogari, & illis maxime privilegiis, & indulgentiis, quibus ab ipſa Sede conceſſum eſt aliquibus, ſeu concedetur deinceps, quod excommunicari, vel ipſorum Terræ ſupponi non poſſint Eccleſiaſtico interdicto, aut quod prædictorum, aut aliorum quorumcumque Ordinum Fratres ad executiones negotiorum, aut ad citationes quorumlibet, ſeu ad denunciationes ſententiarum excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti auctoritate litterarum Apoſtolicarum minime cogi poſſint, niſi de ipſorum ordinationibus, privilegiis, vel indulgentiis, eis ſuper hoc ab hac Sede conceſſis, eadem habeatur in eiſdem litteris mentio ſpecialis, cum ex hujuſmodi vel aliis privilegiis, & indulgentiis nullum vobis in tantæ pietatis negotio velimus obſtaculum interponi, & conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio generali non obſtante. Datum Peruſii XV. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno 1.

IV. Sub eodem tenore verborum ſimilem fecit poteſtatem Inquiſitoribus deputatis in adminiſtratione beati Franciſci, ut Inquiſitionis officium exercerent in Spoletana, Fulginate, Aſſiſinate, Nucerina uſque ad montes Apenninos dumtaxat, Eugubina, civitate Caſtellana, Peruſina, Tudertina, Amelienſi, Narnienſi, & Interamnenſi civitatibus, & diœceſibus ſuis, necnon & in terris Machilonis & Amiterni (quos in ſuperiori bulla excepit) & dominorum de Monticello & Sumatis, ac etiam in Arquatæ, & Tuſi caſtris, & arce de Balli, & eorum pertinentiis, in Reatina & Aſculana diœceſibus. Dedit litteras in eadem civitate Peruſii, ſub VIII. Kalend. Octobris; habentur originariæ in eodem Archivo num. 98. eaſque tranſcripſit Penna ad calcem directorii. Deinde in eadem Civitate III. Kalend. ejuſdem menſis in prænominatis locis Inquiſitores idoneos conſtituendi dedit poteſtatem Miniſtro Provinciali ejuſdem adminiſtrationis, ſeu Provinciæ ſancti Franciſci; quibus præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ, ut Inquiſitionis officium in locis ſibi commiſſis viriliter exerceant contra hæreticos, fautores, defenſores, & receptatores eorum, juxta formam in præcedentibus litteris expreſſam. Quod ſi ex aliqua cauſa aliquis Inquiſitor foret amovendus, eo amoto, de conſilio diſcretorum, alium ſubſtituat cum pari auctoritate & poteſtate, idemque faciat Inquiſitore mortuo. Exemplar tranſmiſſum eſt ex Archivo Aſſiſiate.

Aliæ commiſſiones ad alios Minoritas Inquiſitores.

Di-

Dilecto filio . . . Miniſtro Provinciali Fratrum Ordinis Minorum in adminiſtratione beati Franciſci .

V. *Licet ex omnibus mundi partibus &c. Sicut in bulla præcedenti uſque ad* abundantius ſuccreviſſe. *Cupientes igitar in Spoletana, Fulginate, Aſſiſinate, Nucerina uſque ad montes Apenninos dumtaxat, Eugubina, Civitate Caſtell. Peruſin. Tadertin. Amelien. Narnien. & Interamnen. Civitatibus, & Diœceſibus ſuis, necnon & Terris Machilon. & Amiterni, & Dominorum de Monticeliis & Sumatis, ac etiam inde Arquatæ & TuſiCaſtris, & Arce de Salii, & eorum pertinentiis Reatin. & Eſculan. Diœceſ. per aliquos de Fratribus tui Ordinis partem ſuper hoc noſtræ ſollicitudinis adimpleri, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de conſilio aliquorum diſcretorum Fratrum ipſius Ordinis, eligas duos de Fratribus ejuſdem Ordinis tuæ adminiſtrationis, idoneos ad hujuſmodi opus Dominicum exequendum, eiſque in virtute obedientiæ diſtricte Apoſtolica præcipere auctoritate procures, ut Inquiſitionis officium in locis prædictis contra hæreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, juxta formam in aliis litteris noſtris expreſſam, quas Fratribus prædicti Ordinis Inquiſitoribus hujuſmodi pravitatis in eiſdem locis deputatis auctoritate Apoſtolica, & in poſterum deputandis, non expreſſis aliquorum nominibus, ſuper exequendo dicto Inquiſitionis officio deſtinamus, exequi ſtudeant diligenter. Nos enim prædictos duos Fratres, quos ad hoc elegeris, & utrumque ipſorum præfatum officium exequi, juxta formam in litteris ipſis expreſſam, ac ipſos illam poteſtatem & auctoritatem plenarie habere volumus, quæ in eiſdem litteris continetur. Si vero tu, vel Vicarius tuus, te abſente, aliquem Inquiſitorum hujaſmodi, ex aliqua forte cauſa nonnumquam fore videritis amovendum, ipſum amoveatis, & ſubſtituatis loco ejus alium, quem ſimilem poteſtatem & auctoritatem habere volumus, quotiens vobis deliberatione cum aliquibus diſcretis Fratribus dicti Ordinis præhabita, hoc fore videbitur faciendum: & ſi aliqaem, vel aliquos Inquiſitorum ipſorum decedere forte contigerit, nos ſubſtitaendi de conſilio aliquorum diſcretorum Fratrum ejuſdem Ordinis alium, vel alios loco illius, vel illorum, qui deceſſerint, ita quod hujuſmodi ſubſtituti eiſdem omnino auctoritate, ac poteſtate fungantur, tibi dictoque Vicario, ſi tu abſens fueris, plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Datum Peruſii* III. *Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri anno* I.

VI. Præter has bullas aliam edidit in eadem urbe Peruſii II. Kalend. Novembris incipientem: *Cum adverſus hæreticam pravitatem*, in qua omnes Leges a Friderico II. quondam Imperatore in favorem Eccleſiæ, & contra hæreticam pravitatem latas confirmavit, & pœnas in eiſdem ſtatutas exerceri voluit. Ipſam hanc bullam dedimus ſupra ſub anno XII. Pontificatus Innocentii IV. Habetur in Archivo Aracœl. num.71.

VII. Quoſdam ſub hoc tempore ad ſeculum reverti volentes, qualiter Deus miſericorditer in priori confirmaverit propoſito, non erit adeo *Marian. cap.19.* ingratum ſi hic breviter referamus. Pariſiis adoleſcentem Sodalitio valedicturum ſub quadrageſimæ initio magiſter tironum ſanctis perſuaſionibus detinuit uſque ad Paſcha. In paraſceve apparuit Chriſtus gravem *Chriſtus apparet e religione diſceſſuro.* humeris crucem ferens, & dicens: *Non mihi compateris fili onus magnum feren-*

ferenti? Cui ille humiliter: *Domine compatior, & vellem te hoc onere levare. Accipe*, inquit Chriſtus, *crucem hanc, quam ſi in finem uſque portaveris, ſalvus eris*. Quibus verbis & viſis intellexit ſibi a Chriſto perſeverantiam in aſſumpto vitæ genere perſuaderi. Ibidem alter victus lacrymis genitricis (quæ in ſumma paupertate diligenter eumdem nutriverat, volueratque ut veluti debitum ſibi ſubſidium impenderet reverſus ad ſeculum) ſtatuit in craſtinum abire, ſed non inconſulto Domino, cujus etiam obſequium in exercenda erga matrem pietate fieri judicabat. Dixit itaque coram Chriſti crucifixi imagine: *Domine, qui corda noſti hominum, probe ſcis, nequaquam me velle tuam majeſtatem deſerere, ſed cupere ſummæ matris egeſtati conſulere, quæ ſolerti cura in magna rerum penuria enutrivit adoleſcentem*. Emiſit ad hæc verba imago ſanguinem ex latere, & deinde reſpondit: *Ego carius te nutrivi, quam mater tua, atque iſto ſanguine te redemi, nec propter matrem me deberes dimittere*. Stupefactus, conſtanter decrevit in Ordine perſeverare, conſiderans profundius juxta factam ſibi viſionem illud Evangelicum: *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*.

Alteri ſimiliter perſuadet, ne abeat.

Matth. 10. 37.

VIII. Quidam Ordinis Apoſtata ductus eſt in ſpiritu, ut videret plures menſæ ignitæ aſſidentes, dapes igneas, potum ſulphureum appoſitum, quæ dum ſumerent coacti, flammæ undique per nares, aures, & ora erumpebant. Maledicebant omnes diei quo geniti ſunt, parentibus qui eos genuerunt, Creatori qui fecit, Chriſto qui redemit, & ſanguini ejus qui propter illos fuit diſperſus. Varia habebant ſigna, per quæ dignoſcebantur diverſarum fuiſſe transfugas religionum. In medio ſedebat Cacodæmon, torvo vultu omnibus imperitans, atque ad ignitas epulas edendas tridente candenti compellens. Objiciebat unicuique cauſam ſui profugii, quoſdam palam referebat ob ingluviem, alios ob delicias, alios ob libidinem, hos ob dignitates ambiendas, illos ob parentum carnalem affectum ſacras deſeruiſſe ſodalitates, & ſingulos durius in vitiorum ſedibus cruciabat. Dum paululum ſubſtitit, & obſtupuit Apoſtata ad hoc ſpectaculum, vidit ædes cum malis incolis a terræ hiatu abſorberi. Ad miſerandum ſpectaculum timuit miſellus, & ad religionem, ex qua diſceſſit, rediit confeſtim.

Variis cruciati ſuppliciis Apoſtatæ.

IX. Qualiter vero religioſis Fratribus in Sodalitio Deus adeſt, & dat eis eſcam in tempore opportuno, confirmare licet hoc patulo exemplo, exſcripto ex fido auctore, cui res ipſa evenerat. Is eſt Thomas Cantipratanus, illorum temporum candidus auctor, qui rem ita deſcribit. *Mihi ipſi res mira ſatis contigit, quam etſi factam tegere voluiſſem, non poſſem: eo quod multis innotuit. Menſe Auguſto, familia circa meſſem inſtantius occuputa, facto mane prandio, ego & Diaconus, qui mecum religioſe degebat, rete ſumpſimus, & ut tempus deduceremus, ad piſcinam late diffuſam acceſſimus ad piſcandum. Remiſſo ergo Diacono ad cuſtodiam domus, intravi ſolus naviculam piſcaturus. Multo ergo niſu capere aliquid longa die fruſtra conatus ſum, & circa occaſum ſolis cum exire tentarem, ecce prædictus Diaconus cum tribus Fratribus Minoribus hoſpitio ſuſceptis veniebat, quos ut vidi gaviſus ſum, & omiſſa ſalutatione, præ gaudio dixi*: Per totum diem laborans nihil prendidi: in verbo autem veſtro laxabo rete. *Et accepta corda qua unus cinctus erat, retis funiculo alligavi. Prima ergo vice jactato reti, in terram traxi octoginta piſces talis qualitatis, ſaporis & eſus, quales numquam ante vel poſt in eadem piſcina, vel alia ejuſdem ſpeciei, vidi vel guſtavi. Læti ergo in facto mirabili, domum per-*

Cantiprat. lib. 2. de apib. cap. 25. num. 10.

Religioſis viris mirabiliter piſces extrahuntur.

Luc. 5. 5.

perreximus, cœnavimus, reverſa de agro familia, quotquot erant in domo ſatiati ſunt: miſſiſque partibus his, qui ſibi non præparaverant, gratias Domino retulimus largitori.

Idem cap. 4. & 10.

Eis panis furfureus fit in delitias.

X. Ille idem alium refert eventum, quo valde egentibus panem acerosum & ſordidum, ſapidum, & dulcem Deus reddidit: *Quod,* inquit, *mihi cum Fratribus Minoribus contigerit in terra nativitatis meæ ſimpliciter enarrabo. Veni pedes in villam ignotam mihi, longo itinere fatigatus in tantum, ut præ debilitate nimia corde me deficere mox putarem. Ingreſſi Fratres domum presbyteri, nec ſaltem fruſtum panis nigerrimi, quo familia veſcebatur, potuerunt obtinere. Inde digreſſi late per villam, nihil prorſus niſi in fine villæ a quadam paupercula fragmen panis furfurei habuerunt, donum ſatis magnum; imo mihi maximum donativum. Recedimus ergo ſub dumo, panem comedimus. Et licet palearum ariſtæ, quæ erant in pane, palatum comedentium ſtimularent, numquam tamen in vita mea ſum tam ſuavi deliciarum edulio delectatus. Conſideravi ergo nec ſine gravi dolore cordis, quid illi beati viri in multis locis, & in multis articulis gravioribus ſuſtinebant, qui hoc una die non poteram ſuſtinere. Taceam ergo de talibus quæ illis frequenter occurrunt.*

Marian. lib. 13. cap. 15.

Mauri Hiſpaniæ animos reaſſumunt cōtra Chriſtianos.

XI. A quibuſdam annis Mahomad Alhamar Rex Granatæ in Hiſpania, & Hudielis Rex Murciæ Alphonſi Regis Caſtellæ beneficiarii, rebellandi conſilia inter ſe communicabant, deſiderio reſtaurandæ priſtinæ potentiæ, & ſpe Africani auxilii allecti. Marrochii Rege ad belli ſocietatem per Legatos ſollicitato, acceptiſque paucis equitibus ſubſidiariis (neque enim inſigniorem tunc manum miſit Marrochius, ſuſpendens ex fortuna fidem habendam Mauris Hiſpaniæ) plures irruptiones fecerunt in terras Alphonſi, multa deprædati. Collectis copiis, convocato in auxilium Jacobo Aragoniæ Rege, Caſtellanus voluit injurias in rebelles ulciſci. Itum hoc anno ad bellum, Alphonſo in Granatenſes fines irrumpente, Jacobo Murciæ regnum debellante. Inter hæc fama, quæ omnia in majus auget, magnis rumoribus ſpargebat, hoſtes ex Africa non jam auxilia, ſed juſtum exercitum evocare, atque hunc ſolerter mitti ſpe non dubia veteris Imperii reſtituendi in Hiſpania. Hi rumores Alphonſum vehementer perculerunt, & Chriſtianos turbarunt. Ut novo itaque Hiſpaniæ exitio præcaveretur, commiſit Pontifex Archiepiſcopo Hiſpalenſi, ut Crux prædicaretur in eiſdem partibus, & Januenſi, ac Piſana civitatibus. Specialem autem auctoritatem dedit ad eamdem invitandi fratri Joanni Martini Minoritæ hoc diplomate.

Jubetur prædicari contra eos Crux.

Fratri Joanni Martini de Ordine Minorum.

Reg. Vat. n. 87.

XII. *Circa tutelam Terræ Hiſpaniæ, cujus fines perſecutores nominis Chriſtiani, Saraceni videlicet de Africa, una cum Rege Granatæ in gravi multitudine invaſiſſe noſcuntur, juxta quod officii noſtri requirit debitum, ſolerti ſtudio vigilantes, prædicationis Crucis negotium contra Saracenos eoſdem in Regnis Hiſpaniæ & Januen. & Piſan. civitatibus & diœceſibus venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Hiſpalen. per noſtras duximus litteras committendum. Ut igitur eo felicius & efficacius hujuſmodi procedat negotium, quo plures habuerit promotores, nos de tuæ fidei puritate, ac circumſpectione & experta prudentia, in cujus ore* non eſt verbum Domini alligatum, *plenam in Domino fiduciam obtinentes, tibi etiam idem prædicationis negotium, juxta formam ſecundum quam*

2. Tim. 2. 9.

eidem Archiepiſcopo in omnibus & ſingulis eſt commiſſum, ita quod in nullo per hoc commiſſioni factæ ipſi Archiepiſcopo derogetur, præſentium auctoritate committimus exequendum. Quocirca diſcretioni tuæ in remiſſionem injungimus peccatorum, quatenus in eodem negotio, juxta datam tibi a Domino prudentiam, diligenter procedas ſecundum prædictarum continentiam litterarum. Datum Peruſii x. Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno 1.

XIII. Vacabat hoc anno opulentiſſima Sedes Eboracenſis Provinciæ Northumbriæ in Anglia per mortem, ſive Godefridi de Kinton. ut probabilius innuunt Matthæus Paris, & Nicolaus Trivetus, ſive Guillelmi Ludhami, uti habet Nicolaus Harpsfeldius, quem ſane vel in perſona Pontificis, vel in Epiſcopatus duratione deceptum facile licebit oſtendere. Ab Urbano IV. ſacro miniſteriatu initiatum, & ſeptennium in hoc munere expleviſſe ſcribit; quod profecto conſtare non poteſt: dum hoc anno electus eſt ad eamdem Sedem vacantem per Præſulis mortem divus Bonaventura, ut jam narro, inter quem & primum Urbani annum non tot anni intercedunt. Valde diſcrepant auctores circa promotos ad hanc Eccleſiam ſub iſto tempore prælatos, ſed aliquam facem præbebit quam ſubjicimus, ſcriptura. Eſt quod mirer, eorumdem nullum, neque Pariſium, neque Weſtmonaſterienſem, neque Harpsfeeldium, ſed nec alium ex eis quos viderim, Anglicos ſcriptores hujus Bonaventuræ promotionis meminiſſe. Eos latuiſſe crediderim ex ſolertia ſancti Viri in tanta dignitate renuncianda. Noſtri Scriptores volunt aſſumptum eumdem ad hunc Epiſcopatum dum Pariſiis legeret opus illud laudatiſſimum, inſcriptum: *Illuminationes, ſeu Viſiones Eccleſiæ in Hexameron*, quo teſte Petro Galeſinio, brevi ſermone complexus eſt totam Dioniſii Areopagitæ myſticam Theologiam. Sed vel errant in hac re communiter, vel mendum eſt in Typographia; quippe ad finem ejuſdem operis hæc verba ſubjunguntur: *Legebatur & componebatur hoc Opuſculum anno Domini* M. CC. LXXIV. (*legendum puto* LXXIII. *ut ſub illo anno amplius monebo*) *a Paſcha uſque ad Pentecoſten, præſentibus aliquibus Magiſtris, & Baccalaureis Theologiæ, & aliis Fratribus centum ſexaginta.* Unde potius judicaverim opus hoc reliquiſſe incompletum ob aſſumptionem ad Cardinalatum, quæ in Pentecoſte in prima creatione Cardinalium per Gregorium facta eſt, ut notarunt Panuin. & Ciacon. & citationem ad Concilium Lugdunenſe, in quo vita functus eſt: quod & ipſe, qui Opuſculum collegit & recognovit, atque ſub ipſo Bonaventura e cathedra docente excepit, manifeſtius ſubindicat, dum ita in additionibus ad finem conqueritur de tanti operis imperfectione: *Sed heu, heu, heu, ſuperveniente ſtatu excelſiori, & vitæ exceſſu Domini & Magiſtri hujus operis proſecutionem proſecuturi non acceperunt hæ viſiones. Hæc autem, quæ de quatuor viſionibus notavi, talia ſunt, qualia de ore loquentis rapere poteram in quaternum. Alii quidem duo ſocii mecum notabant &c. Superveniente*, inquit, *ſtatu excelſiori*, ſcilicet Cardinalatus, non illius Epiſcopatus, quem non admiſit: *in feſto Pentecoſtes*, ſub quo tempore dicit notator opus relictum imperfectum, *& vitæ exceſſu* paulo poſt in Concilio Lugdunenſi ſequuto finem non acceperunt viſiones. Inde etiam hoc confirmatum putem, quod non ſit, qui referat diſtincte, Bonaventuram ſub his annis extra Italiam progreſſum, neque ullum ejus veſtigium, aut acta reperiam in finibus Gallorum. Quidquid ſit de loco aſſumptionis, diploma do ex Regeſto Vaticano, cui ſubjunguntur

Pariſ. ad annum 1267.
Trivet. in Chro. MS.
Harpsfeeld. ſecul. 13. cap. 26.
Stemmata Lotharingiæ to. 5. fol. 280.

Offertur Bonaventuræ Eccleſia Eboracenſis.

Marc. l. 2. c. 4.
Marian. cap. 28.
Galeſin. in vita cap. 8.
Galeſ. in vita cap. 12.

Quando ſcripſit opus Hexameron.

Panuin. & Ciacon. in Gregor.

& te illi præficimus in Archiepiſcopum, & paſtorem, abſolventes te a vinculo miniſterii Generalis præfati Ordinis, & ad dictam Eccleſiam transferentes, liberam tibi tranſeundi ad illam licentiam concedendo. Ideoque prudentiam tuam monemus, & hortamur attente, & affectuoſe rogamus, tibique in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, & in remiſſionem injungimus peccatorum, quatenus ejuſdem Eccleſiæ neceſſitatem, honorem, & commodum dictæ Sedis, & ſtatum præfati Regni, valide his diebus tempeſtate turbatum, & inteſtina vexatione divulſum, propter quod proborum virorum potentia indiget, quorum diligentia, & ſtudio reparetur ſolide, ac integre reformetur, ſolerter conſiderans, & ſapienter advertens divinis in hoc beneplacitis aliquatenus non repugnes, noſtriſque juſſionibus difficultatis ſeu tarditatis obſtaculum penitus non opponas, ſed vocationi cæleſti humiliter acquieſcas, & de ſuperno ac noſtro confiſus auxilio reverenter, & devote ſuſcipias impoſitum a Domino tibi onus regendo, & dirigendo juxta datam tibi ab ipſo gratiam, prædictam Eccleſiam, & in ſpiritualibus & temporalibus ampliando, ita quod exinde grande præmium apud Deum, & penes nos uberioris favoris beneficia merearis. Datum Peruſii VIII. *Kalend. Decembris anno* 1.

Turbatum tunc Angliæ regnum.

XV. Sed non prius accepit has litteras Vir ſanctus, quam concito greſſu ad Pontificem abierit, oraturus ne tantum ſibi indigno onus imponeret, aut ſublimem conferret dignitatem. Atque adeo efficaciter & conſtanter oravit, ut ægre hæc audientem tamdem vicerit Pontificem, qui ejus animi integritatem, & dignitatum nobilem contemptum admiratus, tamdem ſubjunxit illud Eccleſiaſtici: *Sta in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce*. Qua licentia ſibi facta onus excutiendi, alacriori animo regreſſus, a tanti muneris cura multiplici quidem, & magna liberatus, in ſanctis inſtitutis contemplationeque ac ſtudio rerum divinarum liberius conquievit. Fecit profecto conſentanee ad ea, quæ ſcripſit in c. 2. Regulæ Minorum, ubi docet, quam ſint fugiendi Religioſis Epiſcopatus.

Nō admittit dignitatem Bonav.

Eccl. 11. 21.

XVI. Eodem anno alius Minorita Joannes de Alneto renunciavit Eccleſiæ Rapotenſi in Hibernia, Archiepiſcopo Armachano ſuffraganeæ, cui eum præfecit Urbanus Papa de plenitudine poteſtatis. Non admiſit dignitatem cauſatus apud Clementem infirmitatem, & ineptitudinem: *Rapotenſis Eccleſia*. IV. Kalend. Maii. Et in eodem Regno Mauritium Epiſcopum Roſſenſem, in provincia Momoniæ, Archiepiſcopi Caſſellen. ſuffraganeum, qui ante promotionem ſuam votum emiſit, quod Ordinem Fratrum Minorum intraret, ad ejuſdem inſtantiam a vinculo, quo tenebatur Eccleſiæ adſtrictus, abſolvit, commiſſo cauſæ examine prædicto Archiepiſcopo: *Ex parte venerabilis*. VII. Kalend. Maii.

Refutat Eccleſiā Rapoten. Joannes de Alneto Minorita.

Mauritius Epiſcopus Roſſenſis obtinet veniam ingrediendi Ordinem Minorum.

XVII. Jozanorum Comites hoc anno prope Civitatem ſancti Macharii in Aquitania ædificarunt Minoribus domicilium; ſed a Patribus Conventualibus ad Obſervantes devolutum ex mandato Leonis X. anno MDXVII. Dominus de Duras Comes de Montgomery, hæreticæ factionis Dux, prædicta urbe capta illud ſuccendit anno MDLXIII. Cum autem per id tempus Burdigalenſis Senatus quoſdam hæreticorum miniſtros capite damnatos, igni tradidiſſet, præfatus Duracenſis Dominus, tamquam par pari redditurus tres Patres Bernardum a Turga, Bernardum Boerinum, tertium item Bernardum Dalencum ſacerdotes, & concionatores ſuſpendi, & in Garumnam flumen, reliquis interim confratribus car-

Conv. S. Macharii.

Gonzag. in prov. Aquit. antiq. Con. 18.

carceribus mancipatis, projici juſſit. Illinc poſt triduum per Orthodoxos erepta cadavera humata ſunt in fluminis margine, ſed poſt curioſius conquiſita a provinciæ Aquitaniæ antiquioris Fratribus, honeſtiori loco recondenda, nullo pacto inveniri potuerunt. Anno vero MDLXVII. recepta per Dominum Monlucium Civitate, fugatiſque hæreticis, e carceribus Fratres prodierunt, ruinaſque cœnobii paulatim reſtaurarunt.

Idem in prov. Turon. Con. 18.

Conv. Venetens.

XVIII. In Britannia Armorica, in civitate Venetorum Epiſcopali antiquiſſima, vulgo *Vannes*, ſub Archiepiſcopo Turonenſi, aliud ferunt extruxiſſe circa hunc annum habitaculum Minoribus virum Principem Artburum ſecundum, Britanniæ Ducem, cujus tumulus in medio chori ſcripturam habet pene obliteratam, ut vix ac ne vix quidem legi poſſit. Ejus inſignia Eccleſiæ parietibus circumquaque infixa, eum indicant fundatorem. Hoc autem ipſo anno Eccleſia conſecrata eſt a R. Guidone Venetenſium Epiſcopo. Venetenſes circa annum MDXX. lue inguinaria, morbove peſtifero graviter oppreſſi, ut liberarentur, periculumque evaderent, Sacellum titulo Dominæ noſtræ de virtutibus inſignitum, in eadem Eccleſia extruxerunt, ſicque votorum compotes ſunt effecti.

Venetenſes liberantur a morbo peſtifero, facto Sacello in honorem beatæ Mariæ

Conv. Nurſiæ.

XIX. In Nurſia Umbriæ Civitate antiquiſſima inter montes maximos, qui tamen fructiferis quibuſdam convallibus & rivulis dirimuntur, ſita ſancti Benedicti Monachorum Coryphæi, & Sertorii militari gloria illuſtris natalitiis notiſſima, intendebant hoc anno Minores domicilium extruere: ſed repellebantur a Patribus Benedictinis. Quare ſuas dignanter interpoſuit preces Pontifex ut admitterentur, & fraterne tractarentur: *Dilectos filios*. III. Kalend. Novembris. Ejus favore & protectione inchoarunt ſuas ædes extra civitatem; deinde recepti intra eamdem, & ſub Clemente V. conceſſa eis Eccleſia ſancti Bartholomæi in commodo urbis ſitu, quam poſtea auguſtiorem fecerunt, cujus ſtructura vetuſtatis mihi venerationem incuſſit. In priori Eccleſia jacent quidam beatus Antonius, & beatus Honuphrius laici ejuſdem Inſtituti. In provincia Marchiæ & Cuſtodia Firmana ante hunc annum extructos Conventus Montis Ulmi, & Montis ſancti Petri Angelorum docent bullæ Clementis hoc anno datæ & ibidem aſſervatæ.

Conv. Montis Ulmi & Conv. Montis S. Petri Angelorum.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Conv. Reolæ.

Gonz. in prov. Aqui-antiq. Con. 21.

Monum. MSS. ejuſd. Prov.

„ XX. Ex monumentis mihi ab Aquitania tranſmiſſis, comperi hujus temporis partum eſſe Conventum urbis Reolæ Ducatus Aquitanici. Incertam ei tribuit originem Gonzaga; ſed prædicta monumenta circa hunc annum extructum referunt ab Angliæ Regibus, tunc Aquitaniæ Principibus. Aliqui fundationem tribuunt familiæ Canconenſi; alii nobiliſſimæ ſtirpi de Mawoſin. Sed Anglos primos fuiſſe ſtructores Gentilitia ſtemmata, ædificii forma, & vetuſta ſepulcra convincunt. Canconenſis familia multa in domus ornamentum, & complementum contulit; Mawoſina bellis dirutum ſuis ſumptibus reſtauravit; atque ideo poſt exactos ab Aquitania Anglos Illuſtriſſ. Dom. de Rovequelaure Franciæ Mareſcallum, Torquatum Equitem, bonorum Dom. de Mawoſin legitimum poſſeſſorem, hujus Conventus patronum Fratres cognoverunt. Patet hujus Conventus antiqua amplitudo ex latiſſimo murorum ambitu, ſumptuoſa Eccleſiæ altitudine, & diſtenta in longum latumque dormitorii, & clauſtri proportione. Ejus ornamentum conjicitur ex clauſtro toto marmoreo pulchris, & frequentibus columnis ſuffulto. Situm commendabant optima cœli temperies, & eminens ſupra urbem proſpectus. A Patribus Conventualibus tranſlata eſt domus, petente Franciſco I. Gallorum Rege, an-

no

„ no MDXVIII. die penultimo menſis Julii, annuente Leone X., litteras „ Apoſtolicas exequente Joanne de Caſtro Ferrucio Subdecano Burdi„ galæ, Miniſtro tunc provinciæ Aquitaniæ fratre Joanne Merulo. An„ no MDLXXVII. in vigilia Epiphaniæ urbe ab hæreticis deprædata cœ„ nobium funditus pene deſtructum eſt, ſed paulo poſt Reola a Catho„ licis militibus recuperata, Fratribus a fuga revocatis domus reſtaurata „ eſt, & Ordini reſtituta. Piſanus in Cuſtodia Burdegalenſi corrupte „ vocat hunc Conventum Regulæ.

XXI. Ex magno Pontificis affectu erga ſanctum Franciſcum viſitavit perſonaliter ejus Eccleſiam Aſſiſii, & Templum ſanctæ Claræ; quod conſecrari voluit intus & foris per circuitum a Rodulpho Cardinali Epiſcopo Albanenſi. Magna ſolemnitate peractus ritus prima die Septembris in die Dominico, præſente ipſo Pontifice, & univerſa Curia; conſecrante ipſo Pontifice altare majus, ſub quo ſancta Clara requieſcebat; & Stephano Cardinale Epiſcopo altare ſanctorum Georgii, Coſmæ, & Damiani.

Viſitat Pontif. corpora S. Franciſci, & S. Claræ.

Conſecratur Eccleſia S. Claræ.

XXII. Anicii urbis, de qua nos alias, Fratribus Pontifex per ſuas litteras: *Spiritu beatæ conſiderationis*. V. Nonas Maii, juſſit concedi ab Epiſcopo partem ſui prati, ad arctæ habitationis anguſtias dilatandas. Capaces declaravit univerſos Minoritas ut ſuccederent licite in bonis parentum, poſſeſſiones apprehenderent, & in ſuam utilitatem converterent, prout ſibi melius videretur expedire, univerſas cenſuras occaſione præmiſſorum contra illos latas decernens irritas & inanes. * *Obtentu divini nominis*. II. Idus Februar. quod tamen Sixtus IV. poſtea declaravit de Obſervantibus non intelligendum. Nullum Legatum niſi de latere miſſum, poſſe Fratres excommunicare, aut ullis cenſuris ſubjicere, niſi facta ſpeciali mentione hujus conceſſionis indulſit: *Exigentibus veſtræ devotionis*. XVII. Kalend. Julii. Declaravit Fratres de licentia Legati Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii non ſolum ſine conſenſu inferiorum, imo ipſis invitis prædicare, & audire confeſſiones poſſe; ſtricteque inhibet, ne quiſquam moleſtet Fratres, neque ipſis confitentes, vel ad illorum prædicationes accedentes: *Quidam temere*. XII. Kalend. Julii. Conſtituit quoſdam Peruſinos procuratores ſeu ſyndicos provinciæ ſancti Franciſci: *Cum dilecti filii*. VIII. Kalend. Auguſti. Infringentes loca Fratrum, aut in eis damnabiliter violentiam exercentes, ipſo facto decrevit pro excommunicatis habendos, & non abſolvendos fore, niſi per Sedem Apoſtolicam, aut Conſervatores Ordinis: *In quibuſdam locis*. III. Kal. Julii. Dedit indulgentias centum dierum viſitantibus ubicumque Eccleſias Fratrum Minorum in multis feſtivitatibus in diplomate præſcriptis: *Loca Sanctorum*. V. Idus Octobris. Conceſſit ne Moniales ſanctæ Claræ tenerentur ad ſolvenda ſubſidia, ſeu exactiones quibuſvis perſonis ſub prætextu quarumcumque litterarum: *Quanto ſtudioſius*. XII. Kalend. Decembris. Eodem die decrevit nullum Monaſterium ex Ordinibus in paupertate fundatis ædificari, aut ædificatum recipi poſſe infra ſpatium tercentum cannarum (quæ menſura eſt Italica, quaſi quatuor ulnarum) a Monaſteriis Fratrum Minorum, decernens aliter ædificatum deſtrui debere: *Ad conſervandam gloriam*. Eodem etiam die confirmavit omnia Minorum privilegia, additis quibuſdam aliis: bulla incipit: *Virtute conſpicuos*; cujus tenorem damus in regeſto ſub Alexandro IV. atque iterum miniſtrabimus, Deo favente, ſub Sixto IV. ejus Mari Magno inſertam.

Varia privilegia.

* Num iſthæc ſubſiſtat veritas, nimirum Conſtitutionem: *Obtentu* non pro ſolis Prædicatoribus, ſed etiam pro Minoribus fuiſſe editam, poterit Lector conſulere Criterium, quod ſupra Waddingum, Deo volente, publico prælo dabitur; & interim modernum Ordinis Prædicatorũ Bullarium Tom. 1. Pont. Clem. IV. In 39. pag. mihi 470. eoſque libellos, qui data opera, iſtud expendunt negotium.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Clemens IV. eligitur.

Ejus litteræ diverſæ in favoré Ordinis.

Indiculus.

I. VAcaverat Apoſtolica Sedes quatuor, & amplius menſibus ab obitu Urbani IV. cum tandem Guido Groſſus natione Gallus, Narbonenſis, Patre Fulgodio in vico ſancti Ægidii ad Rhodani ripam ortus, aliquando a conſiliis ſancto Ludovico, uxoratus, poſtea Archiepiſcopus Narbonenſis, inde Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis, ac tamdem hoc anno abſens in Gallia, communibus Cardinalium votis Peruſii, Nonis Februarii ſummus Pontifex Clemens IV. ſalutatus eſt; his, quæ ab Annaliſta noſtrum concernentia Ordinem ſunt relata, de Clemente IV. novo Pontifice quæ ſequuntur adjungi poſſunt. Placentiæ Guardiano executorialis pro quodam Epiſcopatu: *Cum ſicut &c.* VI. Idus Junii: Quod Minores in ſuis Eccleſiis poſſint audire confeſſiones: *Ex parte veſtra &c.* XVII. Kal. Julii: Imploratio auxilii ſancti Ludovici Regis Francorum: *Cum ſicut Pharao &c.* XII. Kal. Auguſti: Indulgentia pro die ſanctæ Claræ: *Licet is de cujus &c.* XV. Kal. Auguſti: ut non ædificentur Conventus juxta Clariſſas Aſſiſinatenſes: *Paci, & quieti &c.* Nonis Auguſti: Præparatio ad canonizationem ſanctæ Claræ: *Cum in ſeptimana &c.* XII. Kal. Septembris: pro Terræ ſanctæ ſubſidio: *De venenoſo &c.* IV. Nonas Septembris: Ad Regem Armeniæ pro rebus Terræ ſanctæ: *Quanto te Dominus &c.* VII. Kal. Auguſti: pro Inquiſitoribus ſancti Franciſci: *Licet ex omnibus &c.* VIII. Kal. Octobris: pro Monialibus Montis Lucis Peruſini: *Splendor &c.* II. Kal. Octobris: pro eiſdem: *Perſonis quæ &c.* eadem die pro eiſdem: *Quanto ſtudioſius &c.* XII. Kal. Decembris: pro ſancto Bonaventura electo Epiſcopo: *Summo Paſtori &c.* VII. Kal. Decembris: pro corpore cujuſdam Ducis de Monte Flaſcone: *Devotioni &c.* VII. Idus Decembris: pro Inquiſitoribus aliqua ſtatuta: *Ne aliquis dubitationem &c.* ... Pro ſancto Ludovico Rege Francorum, commendatitia: *Privilegium amoris &c.*: Deplorat Terram ſanctam: *Amara eſt potio &c.* ... Miniſtris Prædicatorum, & Minorum exhortatio pro Terræ ſanctæ reparatione: *Expanſis in Cruce &c.* Sancto Ludovico Regi Francorum pro ſuccurſu Terræ ſanctæ: *Occurrunt frequenter &c.*

Congregatio capitularis Prov. Bohemiæ, & Poloniæ.

Acceptatur Conventus Glogoviæ.

Caſimir. Bier. cit. n. 22.

II. Interea Provinciæ Bohemiæ, & Poloniæ urgentibus negotiis, viſum eſt Petro *Baſztin* Miniſtro Provinciali accelerare Comitia: quamobrem poſt ea, quæ ſuperiore anno celebraverat Uratislaviæ in feſto ſancti P. Franciſci, ſecunda indixit, habenda *Gretzli* in Dominica: *Jubilate*; In iis autem præter alia ad bonum Provinciæ commune pertinentia, decretum fuit, locum inhabitandum a Fratribus apud Glogoviam majorem oblatum acceptare.

ARGUMENTUM.

Circa Inquiſitores plura ſtatuit Pontifex, & Carolo Andegavenſi ad extremum uſque exitium contra Manfredum auxiliatur. Diſcrimen inter Minorum, & Prædicatorum Ordines ex ipſa cauſa præſcribit. Generalem Conventum celebrat Bonaventura, & laudabiliter multa conſtituit. Inter Inquiſitores utriuſque Sodalitii concordia firmatur. Soldanus Babyloniæ varias exercet ſtrages Ptolemaide, & Minoritas trucidat. Guillelmi de ſancto Amore ſimulatam pœnitentiam Pontifex contemnit. Sanctitudo & virtus Franciſcanæ veſtis cæleſtibus probatur indiciis. Floret Rogerius Baccon. Oppidum Soriæ urbis dignitate donatur, & religioſa extruuntur habitacula.

I. INTER turbulentos bellorum motus, & præſentia diſcrimina, quæ Manfredi furor atque potentia ſub oculis ponebant, non eſt oblitus Clemens fidei retinendæ, aut læſæ reſtituendæ, quare leges a ſuis prædeceſſoribus Innocentio & Alexandro contra hæreticos latas, & a nobis alias datas confirmavit, & promulgavit, voluitque ab omnibus obſervari. Quare datis ad Prædicatores & Minores Inquiſitores litteris, præcepit, ut intra deſignatos ſibi limites curarent in omnibus Urbium & locorum libris capitularibus conſcribi, & contra renuentes vel negligentes cenſuris Eccleſiaſticis procedi. Diploma habetur originarium in archivo Aracœlitano num. 110. Confirmat Pontif. leges latas contra hæreticos.

Dilectis filiis Fratribus Prædicatorum & Minorum Ordinum, Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis per Italiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ deputatis, & in poſterum deputandis.

AD extirpanda de medio populi Chriſtiani hæreticæ pravitatis zizania, quæ abundantius ſolito ſuccreverunt, ſuperſeminante illa licentius Matth. 13. 25. *his diebus homine inimico. Tanto ſtudioſius juxta commiſſam nobis ſollicitudinem inſudare proponimus, quanto pernicioſius negligeremus eadem in necem Catholici ſeminis pervagari. Ut autem adverſus hujuſmodi nequitiæ operarios conſurgant, ſtentque firmiter Eccleſiæ filii, ac orthodoxæ fidei zelatores, Conſtitutiones quaſdam fel. rec. Innocentius Papa prædeceſſor noſter dilectis filiis Poteſtatibus, ſive Rectoribus, Conſulibus, Capitaneis, Antianis, Conſiliis & Communitatibus Civitatum, Caſtrorum, aliorumque locorum per Italiam conſtitutis mandavit, ut conſtitutiones ipſas in ſuis conſcribi capitularibus facerent, & exacta diligentia obſervarent. Unde prædictis Poteſtatibus, ſeu Rectoribus, Conſulibus, Capitaneis, Antianis, Conſiliis, & Communitatibus damus noſtris litteris in mandatis, ut ipſi, & ſinguli eorum conſtitutiones eaſdem, cum quibuſdam adjectionibus, modificationibus, & declarationibus per dictum Alexandrum prædeceſſorem noſtrum, & etiam per nos factas, conſcribi in ſuis capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, ſecundum eas contra omnem hæreſim ſe adverſus hanc ſanctam Eccleſiam extollentem, ſine aliqua omiſſione procedant. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi dicti Poteſtates, ſive Rectores, Conſules, Capitanei, Antiani, Conſilia, & Communitates mandatum noſtrum ſuper hoc neglexerint adimplere, vos & ſinguli veſtrum illos, & ſingulos eorum infra deſignatos vobis limites*

per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras eorum, monitione præmiſſa, appellatione remota, cogatis. Non obſtante, ſi aliquibus a Sede Apoſtolica ſit indultum, vel in poſterum indulgeri contingat, quod perſonæ excommunicari, & Civitates, & caſtra, terræ & loca ipſorum interdici non poſſint, ſive qualibet alia indulgentia Sedis ejuſdem, per quam effectus præſentium impediri valeat, vel differri, & de qua cujuſque toto tenore de verbo ad verbum ſpecialem & expreſſam in noſtris litteris oporteat fieri mentionem, & conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Datum Peruſii xv. Kalen. Februarii, Pontificatus noſtri anno I.

Profligat Carolus Manfredum.

II. Contra Manfredum etiam ut Carolus inſtructo milite procederet, omnem opem impendit. Movit tamdem novus Rex, ſed veteranus miles in moleſtum Eccleſiæ inimicum, & occupatis quibuſdam caſtris, demum Manfredum prope Beneventum, poſtquam vario Marte pugnatum eſt, non ſine ſanguine profligavit. Scripſit ipſe Carolus ad Clementem tantum fuiſſe numerum cæſorum, ut celarent campum oculis ſuper jacentia cadavera. Captivi ducti ſunt plurimi, & Manfredus ipſe multo vulnere peremptus præmium reportavit ſcelerum, ut firmior fama eſt, ſuffocati patris, interfecti Henrici, & veneno extincti Conradi utriuſque fratris, ſtuprorum, libidinum, rapinarum, violatæ Majeſtatis Divinæ, & contemptus clavium Eccleſiæ, die XXVII. Februarii in ſabbato, Indictione VIII. Ejus cadaver juxta ripam fluminis Celoris, qui Beneventum præterfluit, abſque funebri aliquo officio ſepultum, juſſu Clementis erutum dejectumque, & extra Regnum ad ripam fluminis cognomento Viridis, qui Picentes ab Aprutinis dividit, ſub dio conditum a Coſentino præſule fuit, eo quod ob immania ſcelera excommunicatus occubuiſſet. Cæſo Manfredo, dedere ſe utriuſque Siciliæ Urbes Carolo Regi renunciato, quamvis ulterius agendum fuerit ei contra conſanguineos, & ſequaces Manfredi, & expugnanda paulatim eorum receptacula. Hæc quæ de Carolo prælibavimus lucem afferent iis, quæ de ſancto Ludovico ejuſdem nepote ſuo tempore nobis ſunt enarranda.

III. Nobilis quidam hoc tempore Miles, mundi & bellorum pertæſus, voluit reliquo vitæ ſpatio ſub aliquo potiori vel Franciſci, vel Dominici vexillo militare, ſub quo ſecurior vita, & certius erat præmium propoſitum. Dubius hærebat utri horum ſuum nomen daret; quare conſulendum duxit Pontificem, a quo ſequens accepit reſponſum.

Dilecto filio N. militi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Rodul. fol. 115. Marian. c. 26. Anton. tit. 20. cap. 1.

QUæris a nobis conſilium, quod apud te rectius poteris invenire. Si enim Dominus inſpiravit, relicto ſeculo, vitæ frugem appetere melioris, Dei ſpiritum ſicut nec poſſumus, ſic nec volumus prohibere, præſertim cum filium habeas bene diſciplinatum, ut credimus, qui tuæ domui ſciet providere. Quod ſi propoſito non mutato ſciſcitaris ulterius, quem tibi ex Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus præeligendum credimus, id præcipue conſcientiæ tuæ relinquimus. Magis enim tu ſcire poteris utriuſque Ordinis obſervantias, quæ non ſunt pares in omnibus, ſed in diverſis articulis excedentes & exceſſæ. Alterius quidem iſtorum Ordinum lectus eſt durior, nuditas gravior, & (ut nonulli judicant) paupertas profundior; & alterius cibus parcior, longiora jejunia, & (ut quamplures autumant) ſanctior diſciplina. Neutrum ergo neutri præficimus, ſed in una & arctiſſima

Judicium de Prædicatorum & Minorum Ordinibus.

ma paupertate fundatos, ad unam tendere credimus, ſalutem ſcilicet animarum; & ideo ſive hunc, ſive illum elegeris, arctam vitam aggredieris, & per portam intrabis anguſtam ad terram mellifluam, & præ ceteris ſpatioſam. Unde apud te hoc pondera, hoc diligenter adverte, quis magis animo tuo placeat, quemque ſperes melius portaturum: & ſic uni converſatione adhæreas, ut amore ab altero non diſcedas. Frater enim Prædicator, qui Minores non diligit, eſt execrabilis. Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum Ordinem, vel contemnit, eſt execrabilis, & damnandus. Datum Peruſii XIII. *Kalen. Maii, Pontificatus noſtri anno* II.

Minores & Prædicatores debent ſe invicem diligere.

Comitia generalia.

IV. Miniſter Generalis Bonaventura hoc anno ſub menſe Aprilis convocavit Lutetiam Pariſiorum ad ſynodum generalem præcipuos Ordinis Patres, in qua cœptum eſt publicas haberi diſputationes; neque id fruſtra, ut facilius de ea, quæ in nobis eſt fide & ſpe, omni petenti, juxta ſancti Petri conſilium, cum modeſtia & timore rationem reddere poſſimus; & perſpicere poſſent Ordinis Rectores quantum ubique proficiant in ſacris doctrinis adoleſcentes. Hinc invaluit hic mos in noſtro, & aliis Ordinibus, neque aliquando poſtea intermiſſus, tum propter tanti Inſtitutoris reverentiam, tu propter manifeſtam ipſarum exercitationum utilitatem. Multa & varia in rebus fidei diſputationum genera inſtituta ſunt, quarum uſu & exercitatiſſimo ſtudio, non modo abditiſſimos, abſtruſiſſimoſque emergentium dubiorum calles nobis colluſtratos, verum etiam omnium credibilium tam contingentium, quam neceſſariorum firmiſsima, ac validiſsima rationum præſidia Eccleſiæ Catholicæ parta fuiſſe conſtat. Recte quidem & cum fœnore ſemel introducta hæc conſuetudo, in omnium ferme Ordinum Comitiis frequentatur. In his Pariſienſibus dum concionaretur ſanctus Primicerius, & ex roſtris ſancti Franciſci laudes celebraret, inter cetera conſtanter aſſeruit, eum deſignatum fuiſſe per illum ſextum Angelum Apocalypſeos, de quo Joan. *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi.* Adjunxitque in magno fervore, uti ſcribit Ubertinus de Caſali, ſe id ſcire certiſsime per ſolemnes & indubitabiles revelationes factas talibus perſonis, quod de eo non poſſit dubitari. Bartholomæus Piſanus ait, ipſum ſanctum Bonaventuram unum fuiſſe ex eis, quibus hoc fuit revelatum: & certe in prologo legendæ Viri ſancti, tamquam rem ſibi vel revelatam, vel aliunde omnino certam eamdem deſcribit. Enimvero, ut prædictus refert Piſanus, cum hæreret Vir ſanctus in loco ſanctæ Mariæ de Portiuncula, conſtitutumque eſſet ut ſequenti prædicaret die ſancti Inſtitutoris excellentias, expanſo coram ſacræ Apocalypſeos codice inſtanter oravit Dominum, ut dignaretur ei myſterium illud ſexti Angeli aperire; & docere, de quo intelligenda erant illa verba: *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi.* Et ſubito facta eſt ad eum vox de cœlo dicens: *Frater Bonaventura, verba illa litteraliter dicta ſunt de ſancto Franciſco.* Quod & ille ſequenti die prædicavit, certo denuncians adſtanti multitudini ita cuidam fide digno fuiſſe revelatum.

Hic primum habitæ publicæ diſputationes in comitiis.

Sanctus Franciſcus ſextus Angelus Apocalypſeos.

Apoc. 7. 22.

Ubert. l. 5. arbor. vitæ Chriſti c. 3.

Piſan. confor. 1. & 11.

V. In hoc Capitulo actum eſt de reſtituendo Ordinis nitore, & tollendis quibuſdam abuſibus, qui ex multiplicata familia facilius irrepſerunt. Commiſſa a Patribus conſcriptis, & Ordinis Definitoribus hæc Provincia Miniſtro Generali, ut per ſuas litteras Provinciales Miniſtros moneret. Ita fecit: exemplar epiſtolæ encyclicæ ad omnes ſcriptæ, hoc

Scribit Bonaven. ad omnes Miniſtros circa Ordinis diſciplinam.

eſt quod ſubjicio ad Miniſtrum Provinciæ in Francia tranſmiſſum. Poſt hoc Capitulum iſtam exaratam inſtructionem aſſerit expreſſe Marianus, & datæ tempus evincit: ſed Petrus Galeſinus neque appoſito anno, neque menſe poſt comitia Aſsiſii habita anno MCCLXIX. minus recte datam commemorat, cujus error vel ex ipſa epiſtola poteſt apprehendi. In ea etenim Bonaventura loquitur de Clemente Pontifice tamquam de ſuperſtite, & vivo, cujus hortatu & nutu quædam Fratribus ſe præſcribere admonet: ſub tempore vero Capituli Aſsiſiatis jam e vivis exceſſerat Pontifex. In ea monet & præcipit Vir ſanctus, ut Fratres caveant a frequentia diſcurſuum, ab importunitate quæſtuum, a ſumptuoſitate ædificiorum, librorum, veſtium, ac ciborum, & prædicatione contra Prælatos coram laicis, & a litigioſa invaſione ſepulturarum & ſollicita teſtamentorum conditione.

Marian. l. 28.
Galeſin. cap. 9.

In Chriſto ſibi cariſſimo fratri B. Saucelis Provinciæ Miniſtro: Frater Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum Miniſter Generalis & ſervus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

Cura religioſi Rectoris, in quo præcipue conſiſtit.

Quoniam ad hoc potiſſimam vigilare debet ſolliciti cura Rectoris, ut in commiſſo ſibi grege meritum virtutis accreſcat, claudatur via vitiis, & detur moribus diſciplina, diligenti deliberatione præhabita viſum eſt tam mihi, quam definitoribus Capituli generalis, ut Miniſtris ſingulis aliqua ibidem examinata, & diſcuſſa litteratorie demandarem, ipſoſque ſollicitos redderem ad eos potiſſimum abuſus tollendos de medio, quibus ſinceritas Religionis inficitur, perfectionis celſitudo deprimitur, & ſanctitatis claritas offuſcatur. Sane cum Evangelici culminis obſervata profeſſio, nos hactenus ſpectabiles, & amabiles mundo reddiderit, omnique favore ac reverentia dignos, ecce jam nunc multitudine in proclivia tendente, & remiſſius agentibus iis, qui præſunt: vitiorum quædam ſentes cernuntur ſuccreſcere, quæ dum ſacrum venerandumque Collegium deſpicabile, oneroſum, & odibile reddunt plurimis, convertitur in ſcandalum, quod canctis eſſe debuerat in exemplum. Nam frequentia diſcurſus, & importunitas quæſtus, viles nos & graves efficiunt, pro eo videlicet, quod dum paucis nolumus eſſe contenti, & ædificia ſumptuoſa conamur erigere, vilia ſummo ſtudio repudiantes, nobilia per incuriam perdimus, cum murorum curioſa conſtructio deſtractionem generet morum, & ædificiorum ad excelſa porrectio, proſtrationem pariat animarum. Perhorreo quorumdam procacium audaciam, qua contra Patris noſtri doctrinam, coram laicis prædicando in Eccleſiis contra Prælatos, ipſorum acta ſuggillando conſurgant, non niſi ſcandala, jurgia, & odia ſeminant, & non ſolum ipſorum, verum etiam Dei provocant iram, cum divina conſtet lege ſancitum, ne quis maledicat ſurdo, nec ponat offendiculum coram cæco. *Sed & ſepulturarum, & teſtamentorum litigioſa & avida quædam invaſio, cum excluſione illorum, ad quos animarum cura ſpectare dignoſcitur, non modicum nos toti clero fecit exoſos, ſicut experientia docente percepimus: & ipſe ſanctiſſimus Pater Pontifex Summus Dominus Clemens Fratres omnes ad cavenda hujuſmodi, pia providentia, per me voluit commonere. Horum autem omnium hanc puto potiſſimam rationem, & cauſam: quod ea, quæ provida cura per totius Ordinis providentiam in generali Capitulo ſtatuuntur, parvipenduntur a Fratribus, & habentur pro nihilo, nec tamen tranſgreſſores hujuſmodi diſciplina debita caſtigantur. Sicque fit cæleſtis permiſſione judicii, ut*

Franciſc. in teſtam.

Lev. 19. 14.

Radix malorum in religioſis, inobedientia.

ut ſpernentes modica, in maxima decidant: quia dum diſciplina negligitur, insolentiæ creſcunt, ac per hoc interior negligentia circa exercitationem Eccl. 19. 1.
virtutum exterius procedit in ſcandalum, per eorum patentem ruinam, qui
ſtare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit ut ſanctæ religionis ſplendor
præfulgidus in pallorem degeneret, ſanctitatis pulchritudo ſordeſcat, bonæ
opinionis odor computreat, & nomen Domini blaſphemetur. Ne igitur ſan- Ezech. 3. 18.
guis animarum, non ſolum noſtræ ſollicitudini commiſſarum, ſed & omnium
quæ ad lumen ſanctæ religionis per viam ſalutis incedunt, de noſtris mani-
bus requiratur, caritatis tuæ zelum, quantum poſſum efficaciori mandato,
duxi præſentibus excitandum, adjurans te per aſperſionem ſanguinis Jeſu
Chriſti Crucifixi, & per ſtigmata paſſionis ejus, quæ in ſacro noſtri Patris
corpore indubitabili claritate fulſerunt, ut ſicut ſervus Chriſti fidelis, &
prudens ad præfatarum extirpationem peſtium toto te animi vigore ſuccin-
gas, tota mentis attentione invigiles, totoque fervore ſpiritus ſuccendaris.
Et primum quidem ad ſanctæ orationis ſtudium Fratres tuæ curæ commiſſos
efficaciter incitans, ad regulæ promiſſæ obſervantiam ſinceram inducas pa-
riter, & compellas; peſtiferos & inſolentes, nullius verendo faciem, evel-
lens, & deſtruens, diſſipans & diſpergens, vel carcerali mancipando cu- Jerem. 1. 10.
ſtodiæ, vel de unitate ſacri Collegii expellendo, juxta quod pietatis ſimul &
juſtitiæ lex expoſcit, ne dum, crudeli miſericordia, uni membro putrido par- Expellendi mali.
citur, in totius corporis ſoſpitatem putrens corruptio diffundatur. Et quo-
niam paupertas eſt noſtri Ordinis prærogativa ſublimis: ne nobilis hæc mar- Commendatio paupertatis.
garita conculcanda porcis viliter exponatur, diſcurſuum cauſam, & quæ-
ſtuum, ſumptuoſitatem videlicet ædificiorum, librorumque, veſtium, ac
ciborum, ſic ſtudeas amputare, quod a profeſſionis excellentia, vitæ obſer- Religioſos pauperes dedecet rerum affluentia.
vantia non diſcordet. Fœdum eſt enim, & prophanum mendacium ſummæ
paupertatis ſe profeſſorem aſſerere, & rerum penuriam pati nolle: interius
divitum inſtar velle affluere, & exterius more pauperum mendicare. Inbi-
beas etiam Fratribus firmiter & diſtricte, quia tam divino, quam canonico
prohibentur imperio, ne Prælatorum vitam coram populo carpant: ſed po-
tius reverentiam exhibeant, non tantum bonis & modeſtis, verumetiam di- 1. Pet. 2. 18.
ſcolis, quia etiam hoc exigit ſacrum myſterium Chriſtificæ unctionis. Man-
des etiam Fratribus univerſis, ut pacem Clericorum omnium tam in te-
ſtamentis, quam ſepulturis, quantum in eis eſt, ſic ſtudeant obſervare, ut
nullam contra nos occaſionem habeant juſtæ querelæ: ſimulque ſeculo e contra
clareſcat, quod non commoda rerum, ſed lucra quærimus animarum. De-
nique quia his & aliis deordinationibus innumeris per ſtatuta Ordinis via
præcluditur; volo ut per loca Fratrum, ea ſic diligenter conſcribi, legi fa-
cias & ſervari: ut qui profeſſione virtutum præcipui credimur, nequaquam
morum incompoſitione poſtremi merito cenſeamur. His igitur, cariſſime Fra-
ter, tam efficaci ſtudio non ceſſes intendere, quod & Deus gratum habeat,
& ego tuæ obedientiæ promptitudinem, & ſollicitudinem, vigilantiam,
zelumque Ordinis ſacri poſſim non immerito commendare. Et ut hoc me-
lius fiat, volo ut præſentium ſeries omnibus Fratribus tuæ Provinciæ per
te, vel per Cuſtodes, quotiens opportunum fuerit, explicetur. Datum Pa-
riſius anno Domini MCCLXVI. *in die ſancti Georgii Martyris.*

VI. Monet Rodulphus in his Comitiis maxime enituiſſe ſancti Bo- *Rodul. fol. 239.*
naventuræ prudentiam in ſedandis diſcordiis exortis inter Minorum, &
Prædicatorum Ordines, & præcipue inter Inquiſitores hæreticæ pravi- Sedantur lites inter Inquiſitores.
tatis ex eiſdem deſignatos. Non inaniter judicarim propter has lites
ma-

mature dirimendas, ante conſuetum tempus Pentecoſtes indictum hunc generalem conventum, atque in eo appoſitam omnem curam, ut religioſa pax inter graviſſima ſodalitia firmaretur. Sanę in monumentis Vaticanis inveni grave exortum diſſidium inter Prædicatores Maſſilienſes, & Fratrem Maurinum Ordinis Minorum Inquiſitorem hæreticæ pravitatis in Provinciæ partibus, ejuſque Coinquiſitorem Guillelmum Bertrandi. *Reg. Vatic. epiſt. 199. & 203.* Rei totius proceſſum exſcripſi ex Pontificio regeſto in tomo litterarum extravagantium, ubi duæ de hac re commiſſiones, ad Archiepiſcopum Aquenſem una, ad Priorem Provincialem Ordinis Prædicatorum Provinciæ, vel ejus locum tenentem altera. Aliud etiam non leve fuit diſſidium inter eoſdem Ordines in Montepeſſulano, in Carcaſſonen. & Bellicardii Seneſcalciis, vel Provinciæ, & Folcalqueriæ Comitatibus, Arelatenſi & Avenionen. Civitatibus, atque alibi paſsim. Graviſsimum initium litterarum ad prædictum Præſulem Aquenſem, quibus judicium *Epiſt. 212.* fert Pontifex in jurgiis cum Inquiſitoribus, & ad pacem invitat; hic ſubnecto.

Archiepiscopo Aquen.

Spiritualib. majores parat dæmon inſidias.

VII. P*aupertatis altiſſimæ profeſſoribus, & divinæ præconibus voluntatis eo parat ſubtiliores inſidias humani generis inimicus, quo eoſdem conſpicit ceteris animoſius ſpiritualis ingredi campum certaminis, a rerum temporalium ſarcinis expeditos, ſcuto protectos fidei, & Evangelicæ gladio prædicationis accinctos, & non ſuæ tantummodo proſequentes ſalutis negotium, quin etiam molas iniqui conterere, & de faucibus ejus* *Job. 29. 17.* *prædam eripere ſatagentes. Hoc autem ſtudium ſibi elegiſſe noſcuntur dilecti filii Minorum, & Prædicatorum Ordinum Fratres, quos licet ab invicem diſcernant habitus, & diſtinguat profeſſio regularis, voto tamen conſimili, pari curſu finem iſtum ſibi præſtituunt, ut tam clerum, quam populum verbis ædificent, & exemplis: & evulſis in agro Domini urticæ ſentibus pravitatis, pro tam piæ ſervitutis obſequio grande fœnus in præmium præſtolantes, carnis demum ſolutis vinculis, onereque depoſito, juſtum & æquum judicem, & propitium ſibi ſentiant, & inveniant liberalem. Quantam ſane concordiam, quantam pacem, quam fundatæ, quam ſolidæ vinculum caritatis eſſe deceat inter ipſos, & perfectio ſtatus indicat & ſalubris propoſiti ſancta conceptio; ejus denique ſedula proſecutio, labor inſuper & finis operis manifeſtant, quo fit ut inter eos ſeminante diſcordiam hoſte publico, colubro tortuoſo, miſerabili ſe committant diſcrimini, qui proculdubio dæmonum adjutores accenſum ignem eorum ſtudio, tamquam lignis nutrientes injectis, inter eos exorta ſcandala verbo vel facto conſolidant. Illi vero præcipue, qui ex altero dictorum Ordinum, vel utroque quod extinguere deberent incendium, fovere temere non verentur. Hinc eſt quod dolentes accepimus in Provinciæ partibus &c.* Deinde relato totius rei proceſſu jubet, ne Fratres Prædicatores contra Minores, vel e contra, ex commiſſo, vel impoſterum committendo Inquiſitionis officio, quantumcumque ſcirent, aut exiſtimarent reos, aliqua ratione audeant procedere; ſed eorumdem ſuperioribus denuncient, vel ad Sedem Apoſtolicam referant ſi maluerint, vel viderint expedire. *Datum Viterbii III. Idus Junii, ann. Pontif. II.*

Commendantur Prædicatores & Minores.

Bendocdar Soldanus Babyloniæ multos martyrio affecit.

VIII. Hoc anno Bendocdar Soldanus Babyloniæ, qui tyrannice occiſo ſuo anteceſſore, dominium uſurpavit anno MCCLX. poſt varias excurſiones,

nes, direptiones, & prædas cum Ptolemaidem, quam aliquoties obſedit, expugnare non poſſet, venit ad caſtrum Saphet, obtinuitque xxiv. die Junii, & contra deditionis pacta, præter Caſtellanum cunctos occidit. *Obtento enim* (verba ſunt Sanuti) *caſtro poſt ſolis occaſum, miſit Admiratam ſuadens, ut Saracenorum legem ſuſcipiant; alioquin gladio cuncti perirent. At univerſi, duorum Fratrum Minorum, qui aderant, monitis, tota nocte confortati, martyrium potius elegerunt, quam Chriſti negare fidem, fluebatque ſanguis per montis declivium quaſi aquæ rivulus, fuerunt autem ultra* DC. *Poſt hos vero Fratrem Jacobam de Podio, & Fratrem Jeremiam, quia ceteros in fide firmaverant, & Priorem Templariorum excoriari fecerunt, deinde fuſtigari; poſtremo ad locum ceterorum deducti, capite cæſi ſunt. Fecit autem Soldanus locum materia circumdari, quia noctibus ſuper corpora ſplendebat lux, etiam cernentibus Saracenis.*

Marian. Sanut. lib. 3. part. 12. cap. 8.

Inter quos Fratrem Jacobum de Podio, & Fratrem Jeremiam.

IX. Tantarum turbarum, quas ſupra pluribus annis recenſuimus, auctor & motor Guillelmus de ſancto Amore, tamquam operarius ſubdolus, miſſo Opuſculo ad Clementem, voluit in ſuam partem trahere, ut in priſtinum gradum reſtitueret. Probe ex temerariis auſibus hominem jam noverat Pontifex, quare dubitans ne lateret anguis in herba, voluit ipſe libellum examinare, in quo antiquum virus evomi, & eamdem ſcalpi ſcabiem comprehendit. Reſpondit itaque per has litteras, quid de libro, & auctore ſibi videretur.

Ann. 1251. n. 33.

Novum Guillelmi a ſancto Amore librum Pontifex rejicit.

Magiſtro Guillelmo de ſancto Amore.

SI circa veritatis indaginem elaboras, ſi cautelas Eccleſiæ colligis ex ſcripturis, dum tamen ſobrius inquiſitor exiſtas, & activum evites ſcandalum, non te credimus arguendum, ſed cavendum eſt tibi, ne vel præteritorum tuorum tuo hæreat animo nimis tenax memoria, & ſub doctrinæ ſpecie detractionis colores inſidias, vel illam objurgationem merearis audire, qua Paulum tetigit Feſtus dicens: Te multæ litteræ faciunt inſanire. *Sane libellum novum evolvere cœpimus, quem miſiſti, qui licet interdum alias auras circinet, veterem tamen multum ſapit, & cum excuſſus & diſcuſſas licet colorationem in aliquo videatur habere, totam primi ſubſtantiam comprobatur retinere. Verum dum totum non legimus, nihil tibi poſſumus reſpondere, niſi quod provida diligentia cor tuum munias, ne ſub boni ſpecie ille te ſeducat, qui ſe, ut lateat, in lucis Angelum transfigurat. Nos autem cum legerimus hoc Opuſculum, & aliis amatoribus veritatis, & eamdem intelligentibus communicaverimus, tunc quod nobis videtur tibi dabimus intimare. Sed quia res forſitan abibit in longum propter negotiorum inſtantiam, quæ de mundi diverſis partibus nos ſolito acrius inquietant, dilectum filium Magiſtrum Thomam ſupradicti præſentatorem operis ultra noluimus detinere. Datum Viterbii* xv. *Kal. Novembris, Pontificatus noſtri anno* II.

Reg. Vatic. inter extravag. n. 268.

Act. 26. 24.

2. Cor. 11. 14.

Marian. lib. 2. cap. 19.

X. Liceat hic vel ipſam exteriorem teſſeram ſtatus monaſtici, quem hic Magiſter adeo temere, & impie condemnavit, divinis teſtimoniis, & cœleſtibus prodigiis commendare. Fuit ex Minoribus adoleſcens quidam, qui vitæ regularis pertæſus voluit ad ſeculum redire. Extra Monaſterium inter maturam jam ſegetem ne videretur, voluit habitum exuere. Viderunt tamen meſſores latibula quærentem, in ſegete ſe abſcondentem, & ferum moloſſum inſeqnentem. Malum ſectatorem ille

Chron. antiq.

Habitum exuens male moritur.

ille non vidit, donec expoliatum habitu invaſit, & ſpectantibus meſſoribus, qui ad miſeri clamores acceſſerunt, apprehenſo gutture tamdem ſuffocavit. Ut ultionem ſuſcepit, & Dei judicium exercuit, ſubito diſparuit, obſtupeſcentibus ſpectatoribus, qui facile ſibi perſuaſerunt, Dei miniſtrum canem illum fuiſſe, & plexum illum Fratrem tam ſevere ob projectum ſacrum veſtimentum. Idem ferme per omnia evenit alteri Fratri Hiſpano, qui cum audiret a ſociis ſancti Franciſci referri revelationem eidem factam de non condemnando ullo, qui ſub ſanctæ Religionis habitu ejuſdem inſtituta perfecte obſervaret, tamquam falſam ſprevit. Deinde poſt aliquot dies Fratribus valedixit, quem inſequuti ſunt duo, ut aberrantem revocarent. Obſervarunt per devia abeuntem, & rabidum pone ſubiiſſe canem, quem cum ut reſpiceret elamantes monerent, ille in furiam actus habitum & cingulum exuit. Illa non prius abjecit, quam adorſus canis ſuffocaret, nec auxilio poterant eſſe conſodales, qui recte notarunt cucullatum non potuiſſe canem offendere, quem habitu exuto ad mortem momordit.

Item alter.

Aliis habitu ſpoliato mortē minatur diabolus.

XI. In Provincia ſancti Jacobi in Cuſtodia, & Monaſterio Eborenſi adoleſcens quidam Frater Dominicus Eires nuncupatus in valetudinario jacens, tum propter æſtivum, tum propter febrilem calorem, aliquando habitum depoſuit in ſcamno vicino. Sub veſpere abiit in Eccleſiam valetudinarii Præfectus, & dæmones lectum infirmi arripientes, per feneſtram minabantur ſe in hortum projecturos. Rediit ad clamores infirmi qui orabat in Eccleſia, & petenti projecit in lectum religioſum veſtimentum. Abierunt ſtatim mali portitores dimiſſo lecto, induitque infirmus veſtem, quam contra dæmonum incurſus occultæ novit eſſe virtutis.

Marian. cap. 27.

Natalitia Sanctorum colenda.

XII. Huc etiam pertinet aliud hujus temporis miraculum, quo ſignificatum voluit Dominus, quanti æſtimet ſuorum Sanctorum honorem. In natalitiis ſancti Franciſci mulier quædam non longe a monte Alvernæ, ubi religioſior eſt ſancti Viri cultus, & celebrior memoria, furno panes inferre volebat. Reprehenſa a vicinis, quod tanti Divi feſto a ſervilibus non vacaret, irriſit feſtivitatem. Obturatum ſerio præfurnium dum aperire voluit, & coctos panes extrahere, duros extraxit lapides, quibus durum emollitum eſt pectus, & prorupit in lacrymas, errati veniam exorans. Allati ſunt lapides in montem Alvernæ panis formam præferentes, qui teſtimonium manifeſto perhibent ſigno, & plurimos excitant in ſancti Viri ferventiorem devotionem.

Floret Rogerius Baccon.

Picus lib. 1. in Aſtrolog. & in Apolog.
Pitſ. de ſcriptor. Angl. ad annum 1284.

XIII. Florebat hoc tempore Rogerius Baccon Anglus doctor Oxonienſis, communiter *Doctor mirabilis* ſalutatus. Singularis fuit acuminis & perſpicaciſſimi ingenii, ad miraculum ſubtilis, ut eum Joannes Picus Mirandulanus Comes non immerito virum ingenioſiſſimum prædicaverit, & Joannes Pitſeus in omni doctrinæ, ſcientiæque genere adeo eum excelluiſſe dicat, ut vix unquam ſui parem viderit. Accurate calluit Poeſin, Rhetoricam, omnemque politiorem doctrinam, omnes artes liberales, omnes ſcientias Mathematicas, Medicinam, Philoſophiam omnem, omnem Theologiam, & Juriſprudentiam, Græcas, & Hebræas litteras, hiſtorias etiam, atque omnia venerandæ antiquitatis monimenta; adeo ut illi nihil defuerit ad virum omnibus numeris perfectiſſime eruditum, & in omni prorſus ſcientia ſumme doctum. Sanctum Edmundum Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Richardum Fitzacrium, ſeniorem Dominicanum, amicos in ſtudiis fautores, & aliquando Ma-

Magiſtros habuit; quo tempore Rex Angliæ Henricus III. conſilio potiſſimum Petri Epiſcopi Wintonienſis, Pictavienſis, & alios exteros in Angliam introduxerat. Hic & Frater ejus Robertus Oxonii coram Rege conciones habuerant contra dictum Petrum, ſerio ſuadentes Regi ne ultra pateretur ſe Petri conſiliis duci, vel potius ſeduci, nec traderet munita patriæ loca hominibus externis cuſtodienda, propter quæ exortos magnos tumultus diximus ſuperius. Pontifici Clementi, in minoribus conſtituto, familiaris fuit, ad quem familiares etiam in Pontificatu litteras dabat. Multos perpeſſus eſt labores & calumnias, aliquot annis a Clemente defuncto, ex invidia, vel ignorantia accuſatus apud Hieronymum Aſculanum Miniſtrum Generalem, quod difficilia multa adinvenerit, quæ aliorum effugerant induſtriam, vel ſuperaverant captum. In eo erravit Pitſeus, quod accuſationem hanc factam, & examen ſubiiſſe Romæ ſub Clemente, & prædicto Generali dicat. Etenim obiit Clemens anno MCCLXVIII. & creatus eſt Miniſter Hieronymus anno MCCLXXIV. Verum eſt, quoddam ejus Opuſculum ſibi tranſmitti voluiſſe Clementem, an legendi profundi hominis curioſa arcana cupidine, an ſubtilioris, vel obſcurioris examinandi deſiderio non plane conſtat ex ſubjectis litteris Pontificiis, ex Vaticano tranſcriptis. Porro Bacconum Romam miſiſſe diſcipulum ſuum Fratrem Joannem Londinenſem ad eumdem Pontificem cum libellis, & inſtrumentis Mathematicis a ſe compoſitis, & ſuæ Sanctitati auctoris nomine præſentandis, auctor eſt Pitſeus, qui innumera & mirabilia hominis opera recenſet, quæ nos in noſtrorum ſcriptorum catalogo dabimus opportunius. Iterum redibit de homine ſermo ſub Aſculano præfato, & ad annum MCCLXXXIV. quo e vivis exceſſit.

Ann. 1259.

Calumniam patitur propter doctrinam.

Dilecto filio Fratri Rogerio dicto Baccon, Ordinis Fratrum Minorum.

XIV. *TUæ devotionis litteras gratanter recepimus, ſed & verba notavimus diligenter, quæ ad explanationem earum dilectus filius G. dictus Bonecor miles, viva voce nobis propoſuit, tam fideliter, quam prudenter. Sane ut melius nobis liqueat, quid intendas, volumus, & tibi per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus non obſtante præcepto Prælati cujuſcumque contrario, vel tui Ordinis conſtitutione quacumque, opus illud, quod te dilecto filio Raymundo de Lauduno communicare rogavimus, in minori officio conſtituti, ſcriptum de bona littera nobis mittere, quam citius poteris, non omittas, & per tuas nobis declares litteras, quæ tibi videntur adhibenda remedia circa illa, quæ nuper eſſe tanti diſcriminis intimaſti, & hoc quanto ſecretius poteris facias indilate. Datum Viterbii* x. *Kalend. Julii, anno* 11.

XV. Erectum in Civitatem hoc anno nobile Caſtrum Soriæ diœceſis Oxomenſis in Regno Caſtellæ ad preces Alphonſi Regis, Prioris, & Conventus ſancti Petri, ac Univerſitatis ipſius municipii; & Eccleſia Ordinis ſancti Auguſtini ejuſdem loci, facta Cathedralis, unitaque matrici Oxomenſi per Provinciales Ordinum Prædicatorum, & Minorum ejuſdem Regni, quibus conceſſa in hac re auctoritas per ſequens diploma, quod ad antiquitatis, & prædictæ Civitatis commendationem non ignobilem hic ſubnectimus.

Oppidum Soriæ fit civitas.

Priori Provinciali Prædicatorum in Hiſpania, & Miniſtro Minorum Fratrum in Regno Caſtellæ.

Gen. 27. 27. *Caſtrum de Soria Oxomenſis Diœceſis proat accepimus, ſicut ager, cui benedixit Dominus, famoſum inter alia loca illarum partium, & fæcundum in populis, tales producit alumnos tam clericos, quam laicos, per quos non ſolum Regalis Curia, verumetiam tam propinquæ, quam remotæ partes Hiſpaniæ honorantur. Proinde ſiquidem cariſſimus filius noſter Illuſtris Rex Caſtellæ & Legionis, ac Venerabilis frater noſter Epiſcopus Oxomen. necnon Prior & Conventus Eccleſiæ ſancti Petri, ac Univerſitas hominum ipſius Caſtri nobis humiliter ſupplicarunt, ut prædictum Caſtrum Civitatis vocabulo inſignire, ita quod nomen, & omen civitatis gerat, & ipſam Eccleſiam Ordinis ſancti Auguſtini in Cathedralem erigere, ac eam Eccleſiæ Oxomen. ejuſdem Ordinis counire, ita quod de cetero ſit unus Epiſcopus utriuſque, paterna ſollicitudine curaremus. Nos itaque ipſorum deſideria in hac parte proſequi favore benevolo intendentes, diſcretioni veſtræ, de qua plenam fiduciam in Domino obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, conſideratis diligenter circumſtantiis univerſis, videritis expedire eiſdem Eccleſiis, unionem hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica faciatis: Non obſtante indulgentia Sedis Apoſtolicæ, qua Fratribus veſtrorum Ordinum dicitur eſſe conceſſum, quod non teneantur ſe intromittere inviti, de quibuſcumque negotiis, quæ ipſis per litteras Apoſtolicas committuntur, niſi in eis de indulto hujuſmodi, & Ordine veſtro plena & expreſſa mentio habeatur. Datum Viterbii* v. *Idus Januarii anno* 11.

XVI. Data hoc eodem anno alia moleſta commiſſio fratri Eneco Minoritæ, viro gravi, & in rebus agendis perito, Pontificis Capellano, & Pœnitentiario, ut procederet contra Jacobum quinque Eccleſienſem Epiſcopum, de variis & enormibus criminibus non ſemel accuſatum. Contra eumdem olim inquiri juſſit Alexander IV. per Strigonienſem Archiepiſcopum, alioſque collegas, deinde Urbanus per Abbatem Monaſterii de Pilis Ciſtercienſis Ordinis, per Cuſtodem Eccleſiæ Albenſis Veſprinienſis diœceſis, & Provincialem Fr. Prædicatorum Ungariæ, quorum proceſſus in hoc negotio confecti commiſſi ſunt examinandi Henrico Cardinali Epiſcopo Oſtienſi. Novis vero delatis querelis miſſus eſt in Ungariam prædictus Enecus cum plena auctoritate ſuper prædictis criminibus & exceſſibus inquiſiturus diligentius veritatem, proceſſurus nihilominus ad inquiſitionem contra dictum Epiſcopum ſuper aliis facinoribus, quæ poſt inchoatum hujuſmodi negotium dicebatur perpetraſſe. Tria accepit in hac re a Pontifice longiora diplomata, quam ut expediat tranſcribi, neque æquum videatur tot crimina a tot annis ſepulta in memoriam revocare. Data ſunt Viterbii VIII. Kalend. Octobris, III. Idus ejuſdem menſis, & XII. Kal. Novembris.

Enecus Minorita mittitur contra Epiſcopum quinque Eccleſien.

Reg. Vat. epiſt. 124. 128. & 140.

XVII. Factus eſt hoc anno Fr. Leonard. Aſculanus coadjutor Epiſcopi Eugubini paralytici, reſtituto ad ſuam Eccleſiam Epiſcopo Averſano, (a qua exulabat propter calamitoſas temporum viciſſitudines ſub Manfredo Siculo Tyranno) qui prædictum Eugubinum coadjuvabat in regimine. Litteras ad eumdem datas hic ſubjungo, omittens alias ejuſdem ferme tenoris miſſas ad prædictum Eugubinum Epiſcopum, ad Capitulum, ad Clerum civitatis & diœceſis Eugubinæ.

Epiſcopus Averſanus.
Fr. Leonard. ſit coadjutor Epiſcopi Eugubini.

Fra-

Fratri Leonardo de Eſculo Ordinis Fratrum Minorum.

Sicut noſtris auribus eſt relatum, Venerabilis frater noſter Epiſcopus Eugubin. adeo morbo paralytico eſt gravatus, ut membrorum ſuorum deſtitutus officio ſibimet gravis & Eccleſiæ Eugubinæ ad exequendum paſtorale officium fere inutilis ſit effectus. Et licet propter hoc olim Sedes Apoſtolica Venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Averſan. tunc propter malitiam temporis reſidere in ſua Eccleſia nequeuntem in coadjutorem dicto Eugubino Epiſcopo deputaſſet, quia tamen idem Averſan. Epiſcopus reſtituta pace in Regno Siciliæ ad præfatam Eccleſiam ſuam eſt reverſus, idem Epiſcopus Eugubin. abſque coadjutore remanſit. Hinc eſt quod nos te, de cujus circumſpectione, & induſtria, & converſatione honeſta nobis laudabile teſtimonium fuit perhibitum, eidem Eugubino Epiſcopo, reſervata ſibi collatione beneficiorum ſuorum libera, in coadjutorem duximus deputandum, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ipſius Eccleſiæ Eugubinæ curam, tamquam ejuſdem Eugubinæ Epiſcopi coadjutor in ſpiritualibus & temporalibus ita geras ſollicite, ac prudenter, quod dignam Deo poſſis exinde rationem reddere, noſque diligentiæ tuæ ſtudium poſſimus merito commendare. Datum Viterbii VII. *Kal. Auguſti anno* II. *Reg. Vat. ep. 107.*

XVIII. Cœnobium Priſquitii, Rodulph. Paſquitii, aliis Peſcutii in Provincia ſancti Angeli, & Cuſtodia ſacri Montis circa hoc tempus miraculoſe conſtructum. Supererant fabricæ Fratres duo, quibus cum cæmenta defeciſſent, nocte media ad divinas laudes exurgentes, audierunt colliſionem projectorum lapidum, & miniſteria operariorum. Intrepidi perrexerunt ad atrium viſuri quinam intempeſta nocte ſuas operas adhibebant; & viderunt multitudinem magnam abeuntium, & redeuntium in veſtibus albis, lapides, calcem, & alias quaſque materias ad domicilii ſtructuram in ſilentio afferentium. Coadunatorum lapidum magna congeries oſtendit proxima luce viſionem non fuiſſe phantaſticam, neque deinceps defuit materia ad operis complementum.

Conv. Priſquitii. *Marian. cap. 27. Rod. fol. 278.*

XIX. Extructa etiam hoc anno alia domicilia, unum Maliani, quod oppidum eſt in Sabinis in Umbria, non adeo longe ab Urbe Nomentana, juxta Calentinum & Collem veterem oppida notiſſima. Hoc anno datum Fratribus ſub Clemente IV. prædicat præ foribus inſcriptio. Secundum in oppido Bettonio in eadem Umbria prope Aſſiſium. Prius erat Oratorium, ubi jacebat corpus ſancti Criſpoldi. In hoc Conventu floruerunt frater Joannes de Laudibus & frater Jordanus Laicus, Viri ſancti, & quidam Nicolaus, qui in Epiſtolas & Evangelia quadrageſimalia ſcripſit ſermones. Tertium in oppido Potentiæ, in Lucaniæ finibus in Regno Neapolitano prope vallem Dianiam verſus Septentrionem contra Peucetios. Quartum Wittembergenſe in Provincia Saxoniæ ſanctæ Crucis.
,, Sed in genealogia Imperatorum, & Principum Eliæ Reuſneri, ita
,, lego ſcriptum: *Helena Brunſvicenſis, Othonis IV. Imperatoris filia,*
,, *uxor Alberti I. Ducis Saxoniæ, obiit anno* MCCLXXIII. *Idibus Septembr.*
,, *Witenbergæ funerata in Cœnobio Minorum, quod ipſa extruxerat an-*
,, *no* MCCXXXVIII. Ita hic auctor in ſtirpe Aſcania; ubi etiam ſepultam
,, refert in eodem Monaſterio Agnetem filiam Rodulphi Habsburgii
,, Cæſaris, uxorem alterius Alberti Ducis Saxoniæ anno MCCCXXVII.
,, defunctam.,, Quintum Martelli, quod Aquitaniæ oppidum eſt,

Conv. Maliani. *Rodulp. fol. 259.*
Conv. Bettonii. *Idem fol. 251.*
Fr. Joannes de Laudibus, & Fr. Jordanus Laicus & Fr. Nicolaus. *Idem fol. 276.*
Conv. Potentiæ.
Gonzag. in Prov. Saxoniæ S. Crucis.
ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Idem in Provin. Aquitaniæ recen. Conv. 41. Conv. Wittemberg. & Martelli. *Idem in Provin. Concep Con. 36.* Conv. Atienzæ. Frater Antonius Laicus B. Salvatoris Frater. Conv. Roccæ da Contrada.

direptum, & combuſtum ab hæreticis anno MDLXIX. cujus proinde nulla ſuppetunt monumenta. Sextum Atienzæ in regno Caſtellæ diœceſis Siguntinæ, ante hunc annum ex oppidanorum facultatibus conſtat originem accepiſſe, quo vero determinato tempore, non eſt omnino compertum. Floruit ibi multis annis Antonius Laicus, Salvatoris ab Orta, miraculis clariſſimi frater, omnium virtutum genere ſpectatiſſimus, qui ad annum MDXCI. obiit, communi hominum opinione dignus, qui Sanctis adnumeretur. Septimum circa hoc tempus in Rocca de Contrada Provinciæ Marchiæ & Cuſtodiæ Æſinæ, ut conſtat per bullam Clementis ibidem aſſervatam.

XX. Indulſit hoc anno Pontifex ut Fratres, quibus Eccleſiarum prælati conceſſerunt ſuam auctoritatem ad abſolvendum, vel diſpenſandum in quibuſcumque criminibus, ea poſſint uti, etiam Prælatis eiſdem mortuis, donec viduatis Eccleſiis provideatur de paſtoribus: *Exigentibus veſtræ devotionis* III. Kal. Martii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litteræ Apoſtolicæ pro FF.

Indiculus.

,, I. PRæter ea, quæ notavit Waddingus, a ſummi Pontificis ſolli-
,, citudine ſequentes expeditæ litteræ fuere: prima, qua a ju-
,, riſdictione Monaſterium Aſſiſienſe exemit: *Etſi univerſi Orbis &c.*
,, Idibus Januarii: pro interpretatione privilegiorum Ordinis: *Ordinis*
,, *veſtri &c.* XII. Kal. Martii: pro Monialibus Montis Lucii Peruſii:
,, *Paci & tranquillitati &c.* Nonis Martii: pro eiſdem Monialibus:
,, *Religioſam vitam &c.* X. Kal. Aprilis: ad ſanctum Ludovicum pro
,, ſtatu Terræ ſanctæ: *Ecce per Dei &c.* XVIII. Kal. Junii: ad Priorem
,, Prædicatorum pro Minoritis: *Grave Fratrum &c.* XVI. Kal. Julii: ad
,, Dominicanos, & Minoritas Montis Peſulani: *Ægre ferimus &c.*
,, Kal. Julii: pro Cruceſignatis, & Terra ſancta in Anglia: *Succenſa ve-*
,, *lut ignis &c.* II. Idus Auguſti: fratri Raymundo executorialis pro
,, abſolvendo voto: *Sua nobis &c.* Idibus Auguſti: ad ſanctum Ludovi-
,, cum pro Comitatu de Melgorio: *Quia quidem &c.* XVI. Kal. Octo-
,, bris: fratri Eneco executorialis contra Epiſcopum: *Olim felicis &c.*
,, VIII. Kal. Octobris: pro auxilio Terræ ſanctæ in Regno Siciliæ.....
,, XIV. Kal. Novembris: deploratio cladis Hieroſolymitanæ: *Ecce fili*
,, *&c.* VII. Kal. Novembris: pro Terra ſancta, & Cruceſignatis in An-
,, glia: *Ad ſuſtentationem &c.* VIII. Kal. Novembris: pro fratre Corne-
,, lio Cathedrando: *Inquiramus &c.* VI. Kal. Novembris: confirmatio
,, Regulæ Clariſſarum: *Solet annuere &c.* II. Kal. Januarii.

Comitia generalia Pariſiis. Gamfredum eligunt.

,, II. In Comitiis Generalibus a D. Bonaventura Pariſiis hoc anno
,, celebratis, Provinciæ Bohemiæ, & Poloniæ reſtitutis duabus Cuſto-
,, diis Moraviæ, & Budiſſinæ, frater Gamfredus in illius Miniſtrum in
,, Ordine novum inſtitutus eſt: qui eodem hoc anno Fratrum convoca-
,, to cœtu, Pragæ in feſto ſancti Jacobi comitialia celebravit.

AR-

ARGUMENTUM.

Palæologi Nuncios benigne ſuſcipit Pontifex: neque tamen injuſte petitis ſubſcribit, ſed mittit ad Imperatorem expreſſam quam profiteri deberet fidei formulam. Referuntur acta quædam beati Franciſci Fabrianenſis. Promoventur ad plures Eccleſias Minoritæ. Conſtruuntur multa domicilia.

An. 1263.

Veniunt Legati ab Imperat. ad Pontificem.

I. QUATUOR illi Minoritæ, quos ſuperius diximus miſſos Apocriſarios ad Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem, aliquandiu in ejusCuria commorati, cum non poſſent plene aſſequi quod volebant, & expediebat ad perfectam ſuæ legationis functionem, volentes tamdem obtinere quod poterant, in quamdam cum eo devenerunt concordiam ſcriptura explicatam per certos articulos, bona fide ſpondentes ſe apud Sedem Apoſtolicam inſtituros, quantum eſſet in eis, ut ſcripturam hujuſmodi acceptaret. Miſit poſt triennium Imperator ſuos Nuncios, ſed nec ſufficienter circa rem omnium graviſſimam inſtructos, neque ad hoc ipſum, ad quod mittebantur, plenam habentes poteſtatem, ut ſcriptura roboraretur. Id facere non placuit Pontifici propter æquas cauſas, ſed potius mittere ad eumdem Imperatorem expreſſam fidei admittendæ, & credendorum arcanorum ſeriem, ut abſque ambagibus, aut anfractibus explicite confiteretur eamdem cum Eccleſia Romana fidei doctrinam; ad quam ſerius & maturius amplectendam, ſi ita placeret, Concilium Œcumenicum ſe indicturum, ubi commodius videretur, adjunxit. Graviſſimæ ſunt Pontificis litteræ, & ampla fidei profeſſio, quam ad rei majeſtatem hic libuit ſubjungere.

Negat quod petunt.

Mittit fidei profeſſionem.

Palæologo Illuſtri Imperatori Græcorum gratiam, per quam gloriam obtineat in futuro.

Ex epiſt. ſecretis Reg. Vatic. n. 1.

II. *MAgnitudinis tuæ litteras, ac viros providos, & diſcretos latores earum, Apocriſarios tui Culminis, ad noſtram venientes præſentiam ſerena facie, ſed & animo læto recepimus, & eis ſuper omnibus, quæ proponere voluerunt coram nobis, & Fratribus noſtris, audientia benigna conceſſa fideles adhibuimus interpretes, qui noſtrum eis, & ſuum nobis in omnibus, & per omnia panderunt intellectum. Ipſum quoque litterarum veſtrarum initium, quod ex Pſalmis aſſumpſeras ſpiritualis, & nobilis citharædi, cordis tui gaudium manifeſtans, ex eo juſta ratione conceptum, quod in domum Domini te ſperabas iturum, illuc etiam tribus, tribus Domini, Latinorum videlicet, & Græcorum pariter aſcenſuras, acceptum nobis plurimum cum gaudio accepimus exultationis ingentis. Hoc eſt enim, quod & nos totis viſceribus concupiſcimus, quod & in ipſis miſſarum ſolemniis a Domino petimus inceſſanter, ut ſuam videlicet Eccleſiam toto orbe terrarum adunare dignetur. Hoc eſt, quod videre ſummopere cupimus, ut ipſius ruinas impleat, ſciſſuras reparet, muros ædificet, & ſanctorum cuſtodia muniat Angelorum. Non ſunt enim nobis incognita damna populi Chriſtiani, quæ jam dudum Latinorum, & Græcorum diſſenſio peperit annoſa pariter, & damnoſa, dum diviſos inter ſe populos, & in ſua ſe adverſis mutuo debilitando conatibus converſos viſcera frequentius, & liberius furor hoſtilis invaſit, qui eiſdem glutino veræ caritatis unitis obeſſe minime potuiſſet. Sane olim ad fel. rec. Urbanum Papam prædeceſſorem noſtrum, cum*

Pſal. 121. v. 2.

Quam deſideraverit Clemens unionem.

tuis

tuis litteris ſolemnes nuncios deſtinans tuum modo conſimili per eoſdem nuncios, & litteras pium deſiderium explicando inter cetera poſtulaſti, ut ad tuam præſentiam Apocriſarios ſuos mitteret, ſeu legatos pacis homines, & pacificos Chriſti diſcipulos, non gaudentes in vanitate verborum, neque bono pacis mundanam ſapientium præponentes. Qui tuis votis annuens in hac parte viros electos de Fratrum Minorum Ordine, viros utique pauperes in hoc mundo, in fide divites, in lege Domini plenius eruditos, fratres ſcilicet Simonem de Alvernia, Petrum de Moras, Petrum de Chriſta, & Bonifacium de Yporegia cum ſuis ſub certa forma litteris ad te miſit.

Memorat miſſos ab Urbano Nuncios.

Licet autem idem prædeceſſor noſter Celſitudinis tuæ litteras ſupradictas cum magno gaudio recepiſſet, & in ipſis contenta litteris ſigillatim inſpecta pietatis perpenderet ſpeciem obtinere, ad contentum tamen in eis ordinem ſicut non debuit, ſic nec voluit ſe arctare. Tu quidem eorumdem Latinorum, & Græcorum concordiam diſſolutis inimicitiis in caritate mutua prius decreveras ſolidandam, & tunc demum videbatur tibi commodior de dogmatibus fidei, & rituum diverſitate tractatus. Et ad hujuſmodi probationem Ordinis ex ſcripturis authenticis argumenta multa compegeras ad probandum, quod bonorum ſit omnium caritas fundamentum.

Et legationis ejus ſeriem.

Ipſe vero tuis non obvians argumentis, nec præconia caritatis attenuans, quam Sedes Apoſtolica illibatam ſervat ad filios etiam indevotos, ſed fidei primum, & ſolidam fundamentum attendens, ſine qua Deo eſt impoſſibile placere,

Hebr. 11. 6.

non injuſte de conſonantia fidei tractatum cenſuit præmittendum. Abſit enim ut Romanam Eccleſiam, quæ nec rugam habens, nec maculam, illam tenet hodie, quam ſemper hactenus tenuit, fidei veritatem, filios etiam ſe avertentes ab ea odio proſequi fateamur; cum proculdubio eadem mater Eccleſia juſtis, & peccatoribus, obedientibus, & rebellibus exhibens piæ caritatis affectum, ad ſalutem omnium, quibus modis poteſt, intendat, nec ideo minus diligere ſit cenſenda, quod interdum, exigente juſtitia, peccatorum confringit cornua, qui ſalutaribus monitis obtemperare contemnunt.

Epheſ. 5. 27.

Prudenter diligit mater Eccleſia filios ſuos, etiam dyſcolos.

Pſal. 74. 11.

Sicut nec recto judicio dici poteſt medicus odioſus, qui curandis vulneribus ferrum & ignem adhiberet, quæ levioris antidoti medicamine non curantur. Stetit itaque cum fide caritas apud ipſam. Sed qui fidem contaminant, neceſſario deſerunt caritatem, ad quam nullus eſt eis reditus, niſi prius quam non receperant, vel receptam abjecerant, fidei veritatem agnoſcant, cum ſit illa fons vivus caritatis, cui nullus communicat alienus.

Abſque fide non eſt caritas.

Ut igitur rectus eſſet ad pacis optatæ colloquium, & tractatum ingreſſus, miſſi ſunt ad tuam Magnitudinem dicti Fratres de dogmatibus fidei, & Eccleſiaſticis ritibus tractaturi, ac inſuper de concordia ſuper aliis inter prædeceſſorem ipſum, & te, tuumque populum reformanda. In ejuſdem prædeceſſoris litteris hoc expreſſo, quod ſi ex hujuſmodi tractatu tibi & ipſis Fratribus videretur, quod tam pium, tamque ſalubre negotium progreſſum laudabilem, & egreſſum deberet habere felicem, per te ordinari poſſet & eos, quod pro ejuſdem conſummatione negotii ſolemnes nuncii cum auctoritate, & poteſtate plenaria, & ſufficienti mandato ad Sedem Apoſtolicam ex parte tuæ Celſitudinis mitterentur, vel alia inveniretur via conveniens, per quam promptus ad negotii conſummationem ipſius Deo procederetur auctore. Ceterum Fratres ipſi aliquandiu in tua Curia commorati, cum non poſſent ad plenum aſſequi quod volebant, volentes tamdem obtinere quod poterant, in quamdam tecum, ut dicitur, convenere ſcripturam, certos articulos continentem. Magnitudini tuæ bona fide ſpondentes, ſe apud dictam Sedem inſtituros, quantum eſſet in eis, ut ſcripturam hujuſmodi Sedes eadem acceptaret. Nuper autem tuis Apocriſariis

riis ſupradictis ad noſtram præſentiam accedentibus, & a nobis prius ſecreto, ut eis placuit, ac in Fratrum noſtrorum præſentia ſubſequenter auditis, ſuper fidei veræ dogmatibus cum eiſdem conferre voluimus non contentioſæ diſputationis certamine, ſed verbis ſimplicibus, & Evangelicæ conſonis veritati. Quod recuſantibus ipſis admittere, tractatores eis obtulimus de dictorum Fratrum noſtrorum collegio, qui colloquio familiari diſcuterent cum eiſdem, quibus modis, quibuſve gradibus tam ſalubre poſſet negotium conſummari. Sed ipſi nec iſtud recipere voluerunt, proponentes finaliter, quod nec ad diſputandum, nec ad tractandum venerant, ſed per nos roborari petebant, quæ a prædictis Fratribus, Simone ſcilicet, & collegis ipſius in tua, ut dicebant, præſentia fuerant acceptata, quæ cujuſdam ſcripturæ ſeries, quam in noſtra protulerunt præſentia, continebat, de qua tamen pro te tuiſque ſubditis roboranda, etiamſi nos acceptare vellemus eamdem, nullam ſe recepiſſe penitus poteſtatem coram nobis, & eiſdem Fratribus noſtris iidem tui Apocriſarii ſunt confeſſi. Quibus auditis, mirati ſumus tanti Apocriſarios Principis, qui, ſi ea, quæ in ejuſdem prædeceſſoris litteris expreſſa ſupra meminimus, adeo proceſſiſſent, quod juxta ſeriem exiſtimares non immerito nuncios deſtinandos, mitti a te debuerant, ut præmittitur, cum auctoritate, & poteſtate plenaria, & ſufficienti mandato, ſic inſtarent ſuper ejuſdem corroboratione ſcripturæ; cum tamen ad hoc petendum, nec in ſcriptis, nec alias mandatum aliquod exhiberent, immo nec prædictæ tuæ Celſitudinis litteræ, nobis præſentatæ per ipſos, de petitione hujuſmodi, vel præfata ſcriptura, ſeu etiam de prædictis Sedis ejuſdem Apocriſariis aliquam facerent mentionem, aut quod ipſis tuis Apocriſariis fides a nobis deberet ſuper iis, quæ pro parte tua proponerent, adhiberi, Sed ne ipſos contemnere videremur, benigne ipſis oſtendimus, quod præfata ſcriptura nobis per ipſos exhibita, non potuit a ſæpedictis Fratribus dictæ Sedis Apocriſariis, ejuſdem Sedis nomine approbari, cum ad id ab ea non habuerint poteſtatem. Tractatores ſiquidem miſſi fuerant, non negotii perfectores; ſicque per conſequens illorum incumbebat officio tractatus ſui ſummam ipſi Sedi referre, illiuſque approbationem ejuſdem Sedis judicio reſervare. Quod & ipſimet conſultius attendentes circa finem præfatæ ſcripturæ fatentur ex injuncti miniſterii debito dictæ Sedi inventa renunciare debere. Nec approbationis ſibi uſurparunt officium, ſed inſtantiæ ſuæ miniſterium promiſerunt, ſpondentes, ut prædiximus, ſe inſtituros apud dictam Sedem, quantum in eis erat, ut ſcripturam approbaret eamdem. Videat itaque tua Sublimitas, quam pure, quam liquide dicti Fratres Apocriſarii Sedis ejuſdem, ſuæ poteſtatis, & miniſterii reſervarunt ſeriem, & fines, ſeu terminos expreſſerunt, quam clare, quam aperte ſuæ intentionis aperuere propoſitum. Quid enim clarius dici, vel ſcribi potuit; ut nondum actum quis diceret, quod adhuc omnino ex alterius approbatione pendebat? Fratres igitur memorati, Apocriſarii dictæ Sedis, nec roboraverunt, nec intenderunt, ſicut nec etiam potuerunt, prædictam ſine Sedis ejuſdem conſcientia roborare ſcripturam. Nos quoque petitionem a præfatis tuis Apocriſariis ſuper ipſius ſcripturæ, inſpecto tenore, cum nonnulla, quæ continentur in ea, nec accommoda, nec utilia, immo diſpendioſa, & damnoſa potius tanta, & tali negotio reputemus, de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio, ejuſdem negotii qualitate penſata, non duximus admittendam, præſertim cum ipſi tui Apocriſarii ad roborandam eamdem, pro te tuique Imperii Clero, vel populo nullum, ut præmiſimus, mandatum vel poteſtatem haberent, nec tu de petitione præmiſſa tuis aliquid litteris duxeris inſerendum; immo ab eadem ſcriptura, utpote

pote de cujus corroboratione jam elapſo fere triennio non curaſti, nec per noſtros Apocriſarios, poſt ſuperius nominatos noviſſime ad te miſſos, qui apud te moram diutius contraxerunt, nobis miſiſti aliquid verbo, vel ſcripto, receſſiſſe veriſimiliter credi poſſes, quamquam & alias non fuiſset a nobis eadem petitio admittenda. In eis etenim quæ ſunt fidei, & veritatem reſpiciunt, ſine qua ſalus eſse non poteſt, explicite non ſub involucro eſt agendum, ideoque ut in lucem omnia veniant, nec verboram ambagibus intentionis noſtræ puritas involvatur, tenore præſentium duximas declarandum, quid tibi a Prælatis, & ceteris ſab tua ditione degentibus faciendum incumbat, ut ad ſinum ejuſdem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris tuæ ſano fretus conſilio redeas reverenter. Quod ſi faciendum, Domino decreveris inſpirante, ipſa mater piiſſima filio redeunti ſinum largiſſimæ pietatis aperiens in tuos læta properabit amplexus. Ecce ergo quod corde firmiter credimus, & quod ore ſimpliciter profitemur, tibi plane proponimus, & exponimus, nec in velamentis ænigmatum dogmata noſtra tegimus, ſed omnino verbis explicitis, & apertis notam eſſe volumus univerſis profeſſionem fidei, quam tenemus. Quam a te, Clero, & populo prædictis exigimus, ut eamdem tu & ipſi profiteamini, ſi ad noſtram, ut deſideramus, volueris redire unitatem. Ea inſuper, quæ circa ejuſdem Eccleſiæ Romanæ primatum, de cujus veritate nonnulla præfatæ ſcripturæ ſeries continebat, a te ac ipſis, Clero, & populo recipi, ac acceptari volumus plenius, & apertius explicantes.

Mittit Pontifex ad Græcos expreſsâ fidei profeſſionem.

Et quidem credimus ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, totamque deitatem coeſſentialem, conſubſtantialem, coæternam, & coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, & per quem omnia, in quo omnia, quæ ſunt in cælo, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, corporalia, & ſpiritualia.

Credimus ſingulam quamque in ſancta Trinitate perſonam unum verum Deum, plenum, & perfectum.

Credimus ipſum Filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum de Patre conſubſtantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu ſancto ex Maria ſemper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum & hominem, verum, proprium in utraque natura, atque perfectum, non adoptivum, neque fantaſmaticum, ſed unum & unicum filium Dei in duabus, & ex duabus, divina ſcilicet, & humana naturis; ſed in unius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem, & immortalem divinitate, ſed in humanitate pro nobis, & pro ſalute noſtra paſſum, vera carnis paſſione mortuum, & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione, die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne, in qua reſurrexit, & anima aſcendiſſe in cælum, & ſedere ad dexteram Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua ſive bona fuerint ſive mala.

Credimus etiam Spiritum ſanctum, plenum, & perfectum, verumque Deum ex Patre & Filio procedentem, coæqualem & coeſſentialem & coomnipotentem & coæternum per omnia Patri & Filio.

Credimus hanc ſanctam Trinitatem non tres Deos, ſed unum Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem, & incommutabilem.

Credimus ſanctam Catholicam & Apoſtolicam, unam eſſe veram Eccleſiam, in qua unum datur baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum.

Cre-

Credimus etiam veram reſurrectionem ejuſdem carnis, quam nunc geſtamus, & vitam æternam.

Credimus etiam novi & veteris teſtamenti, Legis ac Prophetarum & Apoſtolorum unum eſſe auctorem Deum ac Dominum omnipotentem. Hæc eſt vera fides Catholica, & hanc ſuper dictis articulis tenet & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia. Sed & propter diverſos errores, a quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos dicit & prædicat eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos, ſed per veram pœnitentiam ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum. Quod ſi vere pœnitentes in caritate deceſſerint, antequam dignæ pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari; & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverint ſecundum Eccleſiæ inſtituta. Illorum igitur animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt peccati contractam maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas, eadem ſancta Romana Eccleſia credit, & firmiter aſſeverat. Et quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.

Tenet etiam & docet eadem Romana Eccleſia ſeptem eſſe Eccleſiaſtica Sacramenta. Unum ſcilicet Baptiſma, de quo dictum eſt ſupra. Aliud eſt Sacramentum Confirmationis, quod per manus impoſitionem Epiſcopi conferunt chriſmando renatos. Aliud eſt Pœnitentia. Aliud eſt Euchariſtia. Aliud eſt Sacramentum Ordinis. Aliud eſt Matrimonium. Aliud eſt Extrema Unctio, quæ ſecundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus exhibetur. Jacob. 5. 14.

Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Romana Eccleſia, tenens, & docens, quod in ipſo ſacramento panis vere tranſſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

De Matrimonio tenet, quod nec unus vir ſimul plures uxores, nec una mulier ſimul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius conjugum, ſecundas, & tertias, & deinceps nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum ex cauſa alia non obſiſtat.

Ipſa quoque ſacroſancta Romana Eccleſia ſummum & plenum primatum, & principatum ſuper univerſam Catholicam Eccleſiam obtinens, quem ſe ab ipſo Domino in beato Petro Apoſtolorum Principe ſeu vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & humiliter recognoſcit, ſicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debet judicio definire. Ad quam poteſt gravatus quilibet in negotiis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus appellare. Sed & in omnibus cauſis ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt recurri judicium, & eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubjectæ, ipſarumque Prælati & obedientiam, & reverentiam ſibi debent; apud quam ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod Eccleſias ceteras ad ſollicitudinis partem admittit. Quarum multas & Patriarchales præcipue diverſis privilegiis eadem Romana Eccleſia honoravit, ſua tamen prærogati-

va tam in generalibus Conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalva.

Porro præſcriptam puriſſimam, tertiſſimam, & ſolidiſſimam Orthodoxæ fidei veritatem Evangelicæ doctrinæ conſonam, a ſanctis Patribus traditam, & Romanorum Pontificum in ſuis Synodis definitione firmatam, ſicut nec decet, ſic nec volumus novæ diſcuſſioni, ac definitioni ſubjacere, ipſam quaſi per hoc quomodolibet contra fas & licitum in dubium revocando. Ideoque licet in præfata ſcriptura de convocatione Concilii ageretur, & licet tu per tuas præfatas litteras Concilium in Terra tua convocari petieris; nos tamen nullo modo proponimus Concilium ad diſcuſſionem, ſeu definitionem hujuſmodi convocare: non quod cujuſquam faciem vereamur, vel eamdem ſacroſanctam Romanam Eccleſiam Græcorum ſuperari prudentia timeamus; ſed quia prorſus indecens foret, immo nec licet, nec expedit in dubium revocari præmiſſam veræ fidei puritatem, tot ſacræ paginæ auctoritatibus, tot Sanctorum roboratam ſententiis, tot Romanorum Pontificum ſtabili definitione firmatam, pro cujus defenſione ſi neceſſe foret, parati eſſemus ſubire martyrium, & morti etiam exponere corpus noſtrum. Quam ideo ad præſens nequaquam auctoritatibus, quarum tamen ſatis nobis copia pro voto ſuppeteret, munire curavimus, ſed in ſimplicitate veridica, ſic pure, ſic explicite tam prædictis tuis adhibendam nunciis, quam tibi decrevimus deſtinandam, quia vel notam prolixitatis nimiæ diffuſus epiſtolæ textus incurreret, ſi auctoritatum multitudinem, quibus eadem roborata veritas, contineret; vel ſi notam vitare volens hujuſmodi tam prolixam, tot articulorum materiam brevi ſermone perſtringeret, de defectu forſitan, qui proculdubio nimis foret in tanto notabilis & periculoſus negotio, notaretur; & quia provida deliberatione concepimus Apocriſarios aliquos, in lege Dei peritos, ad tuam præſentiam deſtinare, cum quibus tu ac prædicti Clerus, & populus ſuper præmiſſis conferre poteritis, & ſicut ſperamus, ipſi vobis ſufficienter divina eis id donante clementia, reſpondebunt. Sed nihilominus, ſi quid tuam tuorumve animos concutit, ſi quid turbat, ut coram aliquid, quæ ſupraſcripſimus vereminí, ut petimus, profiteri, aliquos de peritioribus, quos in prædictis repereris Clero, vel populo ad noſtram mitte præſentiam, noſque, qui juxta ejuſdem

1. Pet. 3. 15.

Principis Apoſtolorum ſententiam, parati ſumus omni poſcenti nos, de ea, quæ in nobis eſt fide & ſpe reddere rationem, illos, quos miſeris, caritative tractabimus, & patienter quidquid proponere voluerint, audiemus, & tam plene, donante Domino, ſatisfaciemus eiſdem, quod amoto cujuslibet dubitationis ſcrupulo, fidei veritatem agnoſcens, & in agnita ſalubriter gloriantes, ad te cum gloria remeabunt. Ipſis quoque Apocriſariis tuis, cum de præmiſſa profeſſione fidei eis, ut præmittitur, copiam fecimus: clementer obtulimus benigne ipſis ſatisfacere, ſi ſuper ea in aliquo dubitarent. Ideoque Excellentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, per aſperſionem ſui pretioſi Sanguinis obſecrantes, quatenus diligenter attendens, quantum tibi accreſcet ad meritum, quantum accedet ad gloriam, & exaltationem tui nominis ampliandam, ſi datum tibi deſuper fuerit, ut oves, quæ perierunt, tuæ diligentiæ ſtudio ad caulam Domini reducantur, ſi tuis fiat laboribus, ut unum ſit ovile, unuſque Paſtor Latinorum & Græcorum populis tuis temporibus in unitate præmiſſæ Orthodoxæ fidei adunatis, ſic ſtudeas habilitare materiam, ſic animos tuum tuorumque diſponere, quod in prædictorum Apocriſariorum noſtrorum adventu, te ac præmiſſis Clero, & populo præſcriptam humiliter ſuſcipientibus, & fideliter profitentibus fidei veritatem, facilis ſit ad reliqua, Domino faciente, proceſſus. Quòd ſi poſtquam taliter ſupra propoſitum, tu iidemque Clerus, & populus verita-

veritatem fidei ſuſceperitis, & profeſſi fueritis, & ad obedientiam, ut præmiſimus, ejuſdem veneritis matris veſtræ, Concilium per Sedem ipſam ad locum, qui ad hoc eidem Sedi videatur idonens, convocari petieritis ad caritatis vinculum inter Latinos & Græcos fœdere perpetuo roborandum, Legatos ſuper hoc ad nos poteris deſtinare, quibus, faciente Domino, reſponſum dabitur, quo tuum deſiderium ſatiari poterit, & debebit. Ad præmiſſæ igitur tam ſalutiferæ unionis ſalutare commercium efficaciter ſollicitudo tuæ ſublimitatis intendat. Et ut animarum & corporum diſcrimina, quæ ingerit inveterata diſſenſio, præcidantur, præmiſſa, quæ paterna monitione requirimus, implere feſtinet. Scitura quod occaſione tractatus hujuſmodi, nec iis, qui a tua Magnificentia ſe gravatos eſſe queruntur, ſicut nec debemus, in ſua juſtitia deeſſe proponimus, nec a proſecutione tanti negotii per alias vias, quas ad animarum ſalutem Dominus miniſtraverit, deſiſtemus. Datum Viterbii IV. *Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno* IV.

III. Hanc eamdem fidei profeſſionem miſit aliquot poſt annis Sedes Vacans, nec non Gregorius X. ad ipſum hunc Palæologum; in qua eſt quod admirer adeo expreſſe pro fidei articulo credendum inter ceteros præſcriptum fuiſſe illum, videlicet; *Animas, quæ poſt peccati contractam maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, pœnis purgatorii ſunt purgatæ; in cœlum mox recipi*; & tamen tantopere de eodem fuiſſe dubitatum ſub Joanne XXII. ut vel ipſe Pontifex nihil non fecerit ad trahendum quoſque in ſententiam ſuam, huic profeſſioni ex oppoſito contrariam. Niſi fortaſſis aliud voluerit eſſe *in cœlum recipi*, & aliud *videre facialiter divinam eſſentiam*. Ad quod evitandum effugium Concilium Florentinum in ſua definitione & profeſſione fidei relatis his ipſis verbis (nam & magnam hujus profeſſionis partem ad verbum habet inſertam) addidit; *in cœlum mox recipi: & intueri clare ipſum Deum trinum & unum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate, alium alio perfectius*. Sed de hoc ſuo loco ſub eodem Joanne opportunius ſermo redibit. Ad Clementem redeo, qui alias miſit litteras Joſepho, ex Monacho Monaſterii Montis Galeſii, CIX. Patriarchæ Conſtantinopolitano, quibus eum ad fidei unitatem invitat, atque ut ad eamdem concordiam efficaciter, & breviter Palæologum, & ceteros ſibi ſubditos inducat, affectuoſius hortatur.

Dilecto in Chriſto .... Patriarchæ Græcorum ſpiritum gratiæ ſalutaris.

Tuarum nobis miſſarum nuper ſeries litterarum tui deſiderii, ad Eccleſiarum Latinæ videlicet & Græcæ deſiderabilem unionem reſeravit affectum, tanto proculdubio gratiorem, quanto & nos plenius ad illam afficimur, quantoque eam tamquam Deo acceptabilem, & animabus gratia divina propoſita ſalutarem, totis viſceribus affectamus. Hoc eſt ſiquidem, quod inter ſollicitudines noſtris humeris incumbentes, perpeti cura revolvimus; hoc eſt, ad quod ardentius noſtra ſuſpirat intentio; hoc eſt, quod in ſolidæ caritatis ardore crebris orationibus poſtulamus, ut ille lapis angularis, qui facit utraque unum, ſuam ſanctam Catholicam, & univerſalem Eccleſiam ſchiſmatum ſciſſura diviſam miſericorditer uniens, in unitate fidei orthodoxæ toto orbe dignanter adunet. Innumera etenim, & inæſtimabilia præcipue animarum, ſed & corporum commoda, quæ populo Chriſtiano hu-

Reg. Vatic. in literis ſecr. n. 2.

Hortatur Patriarcham Conſtantinop. ad unionem.

Quantum deſideret Clemens unitatem Græcorum & Latinorum.

juſmodi unio deſideranda, tam ſalubris afferret, diligenter advertimus, nec numeroſa diſcrimina, quæ jam intulit, proh dolor! inveterata diſſenſio ignoramus. Propter quod, ne tam utile, tam pium negotium per verba inefficacia ulterius deducatur, viam ad accelerationem hujuſmodi nobis admodum votivi negotii, de conſilio Fratrum noſtrorum compendioſam, ut ſperamus, elegimus, quam ideo præſentibus non duximus inſerendam, quia eam magnifico viro Michaeli Palæologo, Imperatori Græcorum Illuſtri, noſtris litteris plenius explicamus. Ideoque fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente in Domino Jeſu Chriſto, per aſperſionem ſui prætioſi ſanguinis obſecrantes, quatenus præmiſſum affectum, quem eædem tuæ litteræ prætendebant, per efficacem operis evidentiam exhibens, ad celerem executionem illorum, quæ in prædictis noſtris litteris paterne requirimur, in humilitatis ſpiritu te ipſum promptum, & propitium offeras, & tam præfatum Græcorum Imperatorem, quam alios, quo poteris ſtudio ſolertis exhortationis inducas, ut cum Altiſſimi dextera tam glorioſam opus utilitatis tantæ perfecerit, tu in hoc te utilem extitiſſe cooperatorem ipſius, ſub ſpe nihilominus divinæ gratiæ ac favoris Apoſtolici, quem tibi ex hoc accreviſſe digne lætaberis, poſſis non immerito gloriari. Datam Viterbii IV. *Non. Martii anno* III.

Legenda MS. Acta ejus Fabriano tranſmiſſa.

Franciſc. Fabrian. fit Minorita.

IV. Hoc anno cœleſti monitus oraculo beatus Franciſcus Fabrianenſis Minorum ſubiit vitam: nam cum ſolitarius in cubiculo lectiones Philoſophiæ naturalis, a Magiſtro acceptas, ſerius ſtuderet, facta eſt ad eum hæc vox III. Kalend. Septembris: *Franciſce ſurge, quære Fratrem Gratiam Ordinis Minorum, & quidquid tibi præſcripſerit, protinus exequere.* Circumſpiciens an adeſſet, qui hæc verba proferret, neminem vidit: ſed dum iterum ſtudiis intendit, ſecundo, & tertio ipſa eadem vox cœleſtis intonuit. Prudenter judicavit contra ſtimulum non eſſe calcitrandum, ſed divinis monitis obtemperandum, quare continuo prædictum adiit Gratiam, Minorum tunc Guardianum, cui rem omnem ſincere expandit, & vitæ ſuæ univerſam ſeriem narravit. Præmonitus ille cælitus de ſuperventuro adoleſcente, amice excepit, ut ſub Minoritarum inſtituto ſedulo Deo inſerviret, hortatus eſt, & in Dei obſequiis viam mandatorum ejuſdem curreret alacriter, pie conſuluit. Adamuſſim Inſtructoris ſibi cælitus præſcripti conſilia amplexus, valedixit parentibus, initiatus a Miniſtro Provinciali, de quo nos ſuperius egimus, Fratre Monaldo de ſancto Elpidio. Ita ipſe ſub his verbis in ſuis Chronicis Fabrianenſibus ſcriptum reliquit: *Anno Domini* M. CC. LXVII. *Ego Frater Franciſcus veni ad Ordinem, receptus a Fratre Monaldo a ſancto Elpidio, virtute & efficacia orationis matris meæ, meritis matris meæ, & inſtantia precum earumdem.* Magiſtros habuit in tirocinio ipſum fratrem Gratiam, & Raynerium ſenem plebanum, ſancti Franciſci diſcipulum, de quo egimus alias, & brevi redibit occaſio iterum ratiocinandi. Multa etiam didicit virtutis incrementa ſub ipſo ingreſſu a ſancto Silveſtro Auximenſi, Silveſtrinæ, a ſuo nomine ita dictæ, Congregationis monaſticæ primicerio, apud Fabrianenſes tunc ſanctitate celebri, qui hoc ipſo anno terram cœlo commutavit.

Ann. 1263. n. 20.

Tom. 1. An. 1215. num. 22.
Ann. 1268.

Silveſter Auximenſis.

V. Sub tirocinii anno miſſus eſt Aſſiſium ad lucrandam Indulgentiam celebrem Portiunculæ, ubi familiare habuit colloquium cum beato Leone, ſancti Franciſci ſocio, confeſſario, & ſecretario, circa ejuſdem ſancti Viri ſtigmata, & modum obtentæ hujus Indulgentiæ, quorum ipſe te-

teſtimonium perhibet in libello a ſe conſcripto de veritate & excellentia hujus ſacræ Indulgentiæ, cujus iſtud initium: *Ad memoriam in futurum. Ego Frater Franciſcus de Fabriano inutilis & indignus Frater Minor, quod legi & vidi ſub ſigillo authentico Domini Epiſcopi Aſſiſiatis de Indulgentia ſanctæ Mariæ de Portiuncula dictæ Civitatis Aſſiſii, ecce nunc redigo in hujuſmodi ſcriptum.* Et narrata univerſa hiſtoria eo modo, quo nos ex ejuſdem Epiſcopi litteris, coævisque auctoribus ſuperius retulimus, ſubjungit: *Et hoc teſtificatus eſt Frater Leo, unus de ſociis beati Franciſci, vir probæ vitæ, quem ego Frater Franciſcus vidi in anno, quo veni ad Fratres, quando ivi ad dictam Indulgentiam. Dixit enim dictus Frater Leo ſe audiviſſe ab ore beati Franciſci de dicta Indulgentia, ab eo, ut prædicitur, impetrata &c.* Alibi etiam in alio Opuſculo, quod confecit de ſerie & geſtis Miniſtrorum Generalium, dum probare vellet beatum Petrum a Cathanio ex horum numero fuiſſe, eo tamen ſenſu, quo nos ſuo diximus loco, id ita confirmat teſtimonio prædicti Leonis: *De ſupradicto Fratre Petro Cathanii, quod fuerit Generalis Miniſter, habetur ex dictis Fratris Leonis, unius de ſociis ſancti Franciſci, quem ſcilicet Fratrem Leonem ego vidi, & ſcripta ejus legi, quæ recollegit de dictis & vita ſanctiſſimi Patris noſtri Franciſci.* In hac ſerie Miniſtrorum inſigne præbet de ſancto Bonaventura teſtimonium, quod ne aliquando excidat, hic placuit adjungere: *Septimus Generalis Miniſter poſt tranſitum beati Patris Franciſci fuit Frater Bonaventura de Balneoregio, vir bonæ memoriæ, ſanctus, & juſtus, & rectus, ac timens Deum, conſummatus in artibus apud Pariſios., & poſt ingreſſum ipſius in Ordinem Magiſter effectus in ſacra Theologia, licentiatus ſub Magiſtro Alexandro primo Magiſtro Ordinis, quem cum eſſet in ſeculo, tota Pariſienſis Univerſitas ſequebatur, ſub quo ſeptem Fratres noſtri fuerunt licentiati, & Magiſtri effecti in ſacra Theologia. Hic jam dictus Frater Bonaventura vir eloquentiſſimus fuit, mirabilis in intellectu ſacræ paginæ & totius ſacræ Theologiæ, pulcherrimus ſermocinator ad clerum, & prædicator ad populum, in cujus præſentia ubique terrarum omnis lingua ſilebat. Hic factus eſt Generalis Miniſter trigeſimo tertio anno a tranſitu beati Franciſci. Hic ſtetit Generalis* xv. *annos, & exiſtens Generalis factus fuit Cardinalis a Domino Papa Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi.* Quæ vero de annorum & Miniſtrorum computo, aliiſque hic inſerit, ſuis locis examinavimus.

Margin: Ejus teſtimoniũ de Indulgentia Portiunculæ. — Tom. 1. an. 1221. num. 21. & ann. 1223. num. 1. & ſeqq. — Tom. 1. an. 1220. num. 25. — Ejus teſtimoniũ de ſancto Bonaventura.

VI. Vitam hanc & inſtitutum profeſſus, addictus eſt per ſuperiores ſacræ Theologiæ ſtudiis, in quibus adeo mirifice profecit, ut celebris evaſerit prædicator, animabus valde proficuus, propterea a noſtris ſcriptoribus commendatus. Piſanus ita eum laudat: *Cuſtodia Æſina habet locum de Fabriano, in quo jacet Prædicator devotus Franciſcus, miraculis glorioſus.* Marcus Uliſsyponen. *Homo doctiſſimus & magnus Prædicator.* Ultra pietatem & orationem, adhibuit etiam litterarum humanarum & divinarum ſtudium ad myſteria enodanda, ad res docte & fundate explicandas. Neque exiguus ei librorum cumulus, quippe inter monumenta, quæ morienti ſupererant, & apud Minores Fabrianenſes ſervantur, habetur etiam Indiculus librorum, quos emi fecit pecunia, a Patre ſuo ultimis tabulis in hunc finem legata. Graviores quoſque habuit ex ſanctis Patribus, primos & notiores omnes Theologiæ Magiſtros, expoſitores utriuſque teſtamenti, Philoſophos plures, & Mathematicos, & ſui ſeculi optimos concionatores. Id profecto omnino æquum eſſet, ut qui ſacram hanc, inter Chriſtianos primam, exercerent

Margin: Valde profecit in ſacris litteris. — Piſan. conf. 8. Marc. p. 2. lib. 7. cap. 1. — Suppetebat ei copia librorũ. — Prædicatores oportet ſtudere.

ar-

Digitized by Google

artem, non tam proprio fiderent ingeniolo, aut quidquid in buccam vel in cerebrum veniret, audacter nimis ex alto profunderent, quam ſedulo orationis & litterarum ſtudio fundate, & graviter ad utilitatem, & ædificationem, populos docerent, & profundis ſacræ Scripturæ arcanis exponendis, non temere abſque Magiſtro, inconſultis ſanctis Patribus, aut gravioribus interpretibus in re graviſſima, ut quotidie fit, ſe ingererent, & turpiter in omnium oculis errarent. Sancta & nobis germana eſt paupertas, ea videlicet quæ uniuſcujuſque ſtatum, & functiones decet; videlicet ut ſimplex & illiteratus Frater, quæ ad victum tenuem, & pauperem veſtitum ſunt neceſſaria, ut ſacerdos, quæ ad Sacerdotium, ad confeſſiones excipiendas, ad aliorum animas curandas inſtructorios habeat codices; ut facultatum liberalium, & ſacræ Theologiæ profeſſores, verbique divini concionatores ad feria, & laborioſa miniſteria ſubſidia habeant neceſſariorum librorum. Ut ſuperfluitatem & exceſſum condemno, ita neceſſitatem in his rebus agnoſco; nec debere committi quempiam, quantumvis audaculum, periculoſæ in ponderoſo miniſterio temeritati.

Neceſſaria copia librorum non eſt contra paupertatem Franciſcanam.

VII. Humilius de ſe hic ſenſit Franciſcus, quam ſibi voluerit fidere, potius volens cum optimis Magiſtris ſentire, quam ſolus errare. Ultra conciones, docendo & legendo, ſuo Inſtituto, & urbi nativæ fuit ſplendori. Virtutes omnes continuo conatu aſſequutus eſt; & in altaris miniſterio obeundo devotionem multam, & curam impendit. Cum aliquando miſſam pro defunctis celebraret affectuoſius, vehementerque compateretur animabus dura tormenta patientibus, & in fine ſacrum myſterium clauderet illa deprecatiuncula: *Requieſcant in pace*, multorum exaudita eſt vox alacriter reſpondentium: *Amen*: quos vel Angelos miniſtrantes ſacrificanti, vel animas ad preces ſancti Viri a purgatorii ergaſtulo liberatas judicare licebit. Inſigni virtutum exemplo ad ſodalitium allexit duos nepotes, Antonium & Dominicum, Bonaventuræ de Feſto, & Joannæ ſororis filios; tertium Petruccium Friderici fratris filium. Patrui imitati ſunt veſtigia, ſancte & humiliter ſemper in Ordine viventes. Dominicus ceteris celebrior, quippe qui inter Ordinis ſcriptores communiter annumeratur. De ceteris Franciſci actis alias opportunior ſermo redibit.

Franciſc. per ſacrificium miſſæ multas liberat animas e purgatorio.

Conſanguinei ejus ſiunt Minoritæ eo hortante.

VIII. Accrevit Ordini hoc anno non mediocre ornamentum ex aſſumptis pluribus ejuſdem Alumnis ad regendas varias Eccleſias, quorum aſſumptiones certiores reddimus ex ſubjectis ad calcem hujus Tomi Pontificiis reſcriptis. Electus eſt ab ipſo Capitulo in Epiſcopum Iſerniæ, aliis Æſerniæ, vulgo *Sergna*, inter Sannites ſub Archiepiſcopo Capuano urbis vetuſtæ, Cœleſtini V. & Andreæ Iſernien. celeberrimi Juriſconſulti, patriæ, frater Henricus de ſancto Germano. Confirmavit electionem Pontifex datis litteris ad Rodulphum Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, Sedis Apoſtolicæ Legatum in regnis Siciliæ: *Ex parte dilectorum filiorum* XII. Kalend. Martii. Urbanus IV. ad preces Alphonſi X. Regis Caſtellæ tranſtulit Sedem Epiſcopalem ab urbe Sidonæ, ſuffraganea Archiepiſcopo Hiſpalenſi, ad Inſulam Gadicenſem, & locum Gadis, vulgo *Cadiz*, prædictæ urbis vicinum, cujus Eccleſiam ſanctæ Cruci dicatam, quam prædictus Rex honorifice dotare intendebat, Cathedralem fecit, miſſa ad hæc omnia auctoritate ad Epiſcopum Abulenſem, quam etiam revalidavit Clemens ejus ſucceſſor. Ille porro in primum hujus Eccleſiæ Epiſcopum coaptavit fratrem Joannem Martini, Regi acceptum, cu-

Varii Epiſcopatus conferuntur Minoritis. Iſernienſis Epiſcopus eligitur Fr. Henricus de S. Germano.

Digitized by Google

cujus ſuperius meminimus. Reſtiterunt Archiepiſcopus, & Capitulares Hiſpalenſes huic proviſioni, allegantes in his ſibi inferri præjudicium & gravamen. Auditis Hiſpalenſium & recens Electi rationibus, commiſit rei examen, & judicium Pontifex Clemens Conchenſi, & Cordubenſi Epiſcopis per litteras incipientes: *Olim felicis recordationis Urbanus*. VIII. Kalend. Junii. Gratum fore hoc monumentum antiquariis, & illius Eccleſiæ hominibus indubie pollicemur. „ Hujus Epiſcopi „ Joannis diligentia, ait Joannes Mariana, Wambæ Regis, apud Hiſpa- „ nos nominatiſſimi, corpus ex Pampligæ Monaſterio Toletum transla- „ tum fuiſſe, atque addictæ Leocadiæ Templum prope aram maximam „ tumulatum. „ Mortuo in Curia Epiſcopo Ægitaniæ, aliis rectius Igeditaniæ, vulgo *Eidania*, ſeu *Idanha* (quæ modo vicus eſt obſcurus ſitus in feraciſſima regione, quam aliquando luſtravi, translata Sede Epiſcopali in urbem Guardiæ, Archiepiſcopo Braccarenſi in Luſitania ſuffraganea) translatus eſt ad eamdem Sedem frater Valaſcus Minorita Epiſcopus Famaguſtæ (quæ urbs eſt in inſula Cypri, ſuffraganea Archiepiſcopo Nicoſienſi) optime de Eccleſia meritus, perfunctus multis apud univerſos ferme Europæ Reges ponderoſis Legationibus, quas nos per varios annos expreſſimus: *In diſpenſatione miniſteriorum* XV. Kal. Octobris. Ad Epiſcopatum Caſſanenſem in Calabria, a juriſdictione Archiepiſcopali exemptum, cujus dominium temporale ſpectat ad Principem Biſigniani, promotum fratrem Marcum de Aſſiſio; ad Caſertanum ſub Archiepiſcopo Capuano, Principatus dignitate hodie gaudentem, ſpectantemque ad gentem Aquam-vivam, quemdam fratrem Philippum; ad Aſculanum non illum, qui in Piceno eſt, ſed Satrianum, nunc Principatus titulo illuſtrem, in Apulia Daunia apud Apennini montis radices, inter Neapolim & Barium, Archiepiſcopo Beneventano ſuffraganeum. Alium Minoritam ex nomine in diplomate omiſſo ignotum, aſſumptum fuiſſe mihi conſtat ex litteris Pontificiis datis ad prædictum Cardinalem Rodulphum, in iis partibus Legatum, quibus approbat horum promotionem, licet non petierint licentiam acceptandi, uti ex lege Pontificia tenebantur, a ſuis ſuperioribus (de quo eſt aliud circa fratrem Marcum reſcriptum anno ſequenti: *Significavit nobis*. XII. Kalend. Maii: *Licet nobis* IX. Kalend. Februarii.

> Fr. Joannes Martini primus Epiſcopus Gadicenſis.
>
> *Anno 1265. & anno 1248. n. 1. tom. 1.*
>
> ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
>
> *Marian. de reb. Hiſp. lib. 6. c. 14.*
>
> Fr. Valaſcus Epiſcopus Famaguſtę translatus in Epiſcopum Ægitanienſem.
>
> Caſſanenſis Epiſcopus fit frater Marcus de Aſſiſio.
>
> Caſertanus Epiſcopus fit frater Philippus de Aſculo.
>
> Aſculanus Epiſcopus fit alius Minorita ignotus.

IX. Inſigni Eccleſiæ Patavinæ, quam ſuperius diximus D. Antonio ſacram, adjunctum hoc anno Monaſterium ſub adminiſtratione beati Lucæ Belludini Patavini, de quo ſuperius loquuti ſumus, & alias ſermonem inſtituemus. Floruerunt in hoc Conventu viri præſtantiſſimi: inter hos præcipue numerantur beatus Damianus de Comitibus, quidam beatus Jacobus martyr, qui dum vehementi fidei fervore verbum Dei prædicaret Saracenis, martyrio coronatus eſt; beatus item Fulgentius, & alii viri ſancti. Anſolinus Epiſcopus Sanadrienſis ſub Archiepiſcopo Spalatenſi in Dalmatia, Martinus Albæ Pompejæ ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi in ditione Montis-Ferrati, Henricus Epiſcopus alter, ſed ignotæ Sedis, Nicolaus cognomento Graſſetus, Inquiſitor, & divi Antonii cultor præcipuus, de quo extat Paduæ in medio Templi divi Antonii ad columnam, ſub imagine Deiparæ Virginis partum ſuum adorantis, quædam tabella affixa, quæ & viri hujus ſummam pietatem, & præclaras animi dotes teſtatur. Claruit quoque frater Ruffinus Luparus, qui ſuis ſacris concionibus per totam Italiam longe lateque magnam ſui nominis gloriam expandit, qui præter humanarum, divinarum-

> *Ann. 1263. n. 8.*
> *Rodul. fol. 269.*
> *Ann. 1263. n. 7.*
> *Ann. 1269.*
>
> Viri Illuſtr. Conventus Patavini.
>
> Fr. Ruffinus Luparus.

Digitized by Google

rumque litterarum non vulgarem peritiam, ob ſummam vitæ probitatem maxime præſtabat: tanta quoque præfulſit in dicendo facundia, & tam vehementi in objurgandis vitiis acrimonia, ut quam plurimos a peccatis ad ſalutarem pœnitentiam, ad vitæ tranquillitatem, & ad optimam vivendi rationem evocaverit; tamdem ab Adriano VI. Anconitanus Epiſcopus electus, ſed corpore invalido & concionandi labore attrito, ætate licet robuſta, accumulato ſibi honore, ad ſuperos feliciter emigravit. Obiit autem anno ſalutis M. D. XXII.

Hieronymus Magnanus.

His non inferioribus virtutibus præclarus extitit Magiſter Hieronymus Magnanus, Epiſcopus Veſtanus, primo eximius Theologus, & in univerſa Italia Eccleſiaſtes inſignis, cujus ſama ad Julium II. Pontificem Maximum perlata, Romam accitus eſt, & in Epiſcopum Veſtanum delectus, ſed in patriam reverſus, obiit tamdem MDXXVII. Edidit quædam Opuſcula, præter elegantem illam epiſtolam ad Adrianum Pontificem Maximum apposita in fronte operis ſub titulo, quodlibeti. Fuit cum Jacobo Sadoleto viro egregio maxima ſamiliaritate conjunctus. Etiam hujus viri meminit Leonicus in ſuis Dialogis, ubi de precibus agit: *Aderant*, inquit, *mecum cum alii plerique, tum & Hieronymus Magnanus Veſtanus Epiſcopus, vir & religione conſpicuus, & litterarum etiam ſtudiis in primis clarus*.

Bartholomæus Uliarius. Antonius Tubeta.

Hunc locum etiam plurimum exornavit Magiſter Bartholomæus Uliarius Cardinalis; & paulo poſt Magiſter Antonius Tubeta in inclyta Patavina Academia primæ Philoſophiæ profeſſor eximius, ad quem ex omnibus mundi partibus confluebant ſtudioſi omnes, velut ad mercaturam bonarum artium.

Albertus a ſancto Georgio.

Claruit quoque anno MCCCXCII. Magiſter Albertus a ſancto Georgio, qui ob inſignem ejus doctrinam, & in ſacris concionibus facundiam, a Boniſacio VIII. in Epiſcopum Feltrenſem electus eſt. Floruit in eodem loco Magiſter Paulinus, qui conditus eſt in æde divi Antonii, cujuſque vita qualis fuit, inſcriptio, & Epitaphium ſepulcro appoſita declarant.

Idem fol. 276.

Convent. ſanctæ Agathæ.

Chron. Fabrian. MS.

Rodul. fol. 257.

Ann. 1261. n. 20.

Transfertur convent. Fabrianen.

X. Hoc anno in oppido ſanctæ Agathæ, Gothorum cognominato, quia ab illis conſtructum, in Campania, non procul a Neapolitana Civitate, Clemens Pontifex emit ſitum, & dedit Fratribus intra oppidi mœnia, in quo poſſent Monaſterium ſibi conſtruere. Fabrianenſes hoc anno Sedem mutarunt a ſitu Cantiæ, uti præmonuimus ſupra, ad portam Cervaram (ita ſerunt a cerva fugitiva nuncupatam) ipſius municipii Fabrianenſis, ne in aperto campo paterent incurſibus hoſtium, obſtrepente tunc undique bello. Licentiam dederunt Simon Paltinerius tituli ſancti Martini Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, & Guido Epiſcopus Camerinenſis, quorum litteras damus in hujus Tomi regeſto. Inchoata Eccleſia anno ſequenti; cujus primum lapidem benedixit idem Guido Epiſcopus, uti ex hoc inſtrumento conſtat: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Anno Domini* M. CC. LXVIII. *Indictione* XII. *Eccleſia Romana paſtore vacante. Venerabilis Pater Dominus Guido, Dei & Apoſtolica gratia Camerinenſis Epiſcopus, conceſſit primarium lapidem benedictum Guardiano Fratrum Minorum, & aliis Fratribus ejus Ordinis Fabriani commorantibus, & mandavit, ut ipſius Domini Epiſcopi auctoritate ponant dictum lapidem benedictum in fundamento Eccleſiæ ad honorem Dei omnipotentis, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, & beatiſſimi Confeſſoris Chriſti Franciſci, & omnium Sanctorum. Actum in Caſtro ſancti Severini in clauſtro Monaſterii ſancti Laurentii die ultima Maii, præſentibus Domino Salimbene Abbate Monaſterii Vallis fecinæ, Domino Manente ejus Mo-*

Google

Monacho, & Gentile Abbandonati teſtibus, de iis vocatis & rogatis. Ego Stabilis Matthæi de Aliſurno Imperiali auctoritate Notarius his omnibus interſui, & ut ſupra legitur, de mandato dicti Venerabilis Patris Domini Epiſcopi ſcripſi, & publicavi. Hic perſtiterunt Fratres uſque ad annum MCCLXXXII. quo ad meditullium oppidi ſe tranſtulerunt, ita procurante beato Franciſco Fabrianenſi, quod tunc largius referemus.

Ann. 1267. Monumen. Iſern. MSS.

Convent. Iſern.

XI. Iſerniæ, de qua paulo ante loquuti ſumus, compleverunt Fratres Eccleſiam novam (neglecta priori ſancto Stephano ſacra, quam ſimul cum Monaſterio inchoaſſe ſanctum Franciſcum dum regnum Neapolitanum luſtravit, illius populi fert traditio) ſub invocatione ſui Inſtitutoris. Prope frontiſpicium Templi egregie elaboratum, hæc viſitur inſcriptio. *Anno Domini* M.CC.LXVII. *ſub tempore fratris Benedicti Min. actum eſt hoc opus.* Prius effuſam campanam docent inſcriptæ hæ litteræ. *Magiſter Joſeph me fecit* MCCLIX. Conſervata adhuc, abſque neceſſario tamen uſu, propter reverentiam ſancti Franciſci, prima Eccleſia, cujus præcipua Janua erat in ipſo urbis muro; & cubiculum, in quo per aliquot dies Vir ſanctus requieſcit. Recentior Eccleſia auguſtior eſt, & omnium illius urbis optima: frontem habet in præcipua platea, atque hinc frequentiſſimum populi concurſum. Adjunctum huic Eccleſiæ anno MCCCCL. Sacellum D. Antonii adeo amplum, ut integræ Eccleſiæ adæquet menſuram, & numeroſæ ſerviat Iſernienſium ſodalitati. Pertinet hic locus ad provinciam ſancti Angeli, & Cuſtodiam comitatus Moliſæ Patrum Conventualium. Circa hunc annum receptus fuit Conventus ſancti Angeli in Pontano ditionis Firmanæ, ut patet per bullam Clementis ibidem aſſervatam.

Con. ſancti Angeli in Pontano.

XII. Cariloci in Burgundia Minores ſibi ſedem poſuerunt ſub Alexando IV. ſed reſtiterunt Monachi ejuſdem loci, abiitque in lites controverſia, quas ſopire curarunt prædictus Alexander, & ejus ſucceſſor Urbanus, nec tamen potuerunt. Comparuernnt procuratores partium coram Clemente, quibus ſavorabilia quæque pro ſe allegantibus, & monſtrantibus, non tamen voluit Pontifex ultimum ferre judicium, ſed ut ſuaviter negotium componeretur: *Orta dudum*. II. Idus Decembris. Hoc eodem anno, ſcribit Joannes Clin in ſuis Annalibus, Hiberniæ celebrata Comitia provincialia in Conventu Kilkenniæ, ſeu ſancti Canici, quod certo argumento eſt, jam ſub hoc tempore ſatis illam excreviſſe provinciam.

Conv. Cariloci.

Comitia Provincialia in Hibernia.

XIII. Sub hoc anno nobilis fœmina Dulcia Pavo vidua P.C. a Caſtilione Empuriarum, citerioris Hiſpaniæ oppido in beatæ Claræ memoriam ex domeſticis facultatibus Monaſterium extruxit, & ſectatricibus primæ Regulæ Clariſſarum concredidit, vocatis ex Monaſterio ſanctæ Claræ Barchinonenſi diſciplinæ regularis Magiſtris. Ejuſdem etiam temporis putatur Monaſterium ſanctæ Claræ Tarraconenſe, e publicis piorum Civium facultatibus majori ex parte erectum. A Patribus Conventualibus translatum eſt regimen ad Obſervantes anno MDLXVII. ſub quibus reformatum eſt, allatis religioſioribus Monialibus ex prædicto Conventu Caſtilionenſi. Dertoſæ item Monaſterium in eodem cum præcedentibus Cataloniæ principatu erectum circa illud tempus ex publicis accolarum facultatibus, tranſivit eodem anno ad Patres Obſervantes. Auxit Monaſterii redditus Joannes Amella Dertoſanus, dum libera prole & hæredibus ſuas facultates, non tamen pingues nimis, donavit eiſdem, conſtructa ſibi humili ædicula non longe a præfato Monaſterio, re-

Mona. Caſtilionis.

Gonzag. in Prov. Catalon. Monaſt. 5.

Conv. Tarraconen.

Idem Monaſt. 6. Mon. MSS.

Conv. Dertoſæ.

Idem Monaſt. 7. Monum. MSS.

recluſa in eodem ſua conjuge. Martinus a Corduba, & Mendoza Epiſcopus Dertoſenſis virtute cujuſdam brevis Pii V. ad inſtantiam Philippi II. obtenti; omnia bona mobilia, & immobilia, jura & emolumenta quæcumque ſpectantia ad Monaſterium ſancti Franciſci ſub Patribus Conventualibus (quod ab Obſervantibus etiam derelictum, modo incolitur a Patribus Dominicanis) huic Monaſterio applicavit, & appropriavit. Joannes Iſquierdo ejuſdem etiam urbis Epiſcopus, virtute quarumdam litterarum Gregorii XIII. alia hia Sanctimonialibus ſubſidia tribuit caritatis.

XIV. Statuit hoc anno Clemens, ut Eccleſiæ Prælati reverti cogerent tirones quoſdam, qui ab Ordine recedentes, vel uxores ducebant, vel tamquam errones vagabantur, neglecto voto, ſeu profeſſione tacita, ex induta publica veſte profeſſorum expreſſa: *Ex parte dilectorum* 11. Kalend. Septembris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litteræ Apoſtolicæ pro ſancto Ludovico, & Novitiis Ordinis.

,, I. EX ſummo Pontifice tantum huic anno pauca addenda mihi oc-
,, currunt: pro Monialibus Montis Lucis Peruſini: *Non abſque*
,, *dolore &c.* v. Kal. Februarii: Guardiano Biſuntino executorialis: *Ex*
,, *parte &c.* vi. Idus Martii: Sancto Ludovico de preſſuris Terræ ſan-
,, ctæ: *In ſpiritu pietatis &c.* iii. Nonas Maii: Simoni Cardinali de
,, laudibus ſancti Ludovici: *Fervens dudum &c.* iii. Nonas Maii: Palæo-
,, logo Imperatori, ubi de ſancto Ludovico Rege: *Si preſſuris &c.*
xvi. Kal. Junii: pro Novitiis Religionis Ordinis Minorum: *Venerabili-*
,, *bus &c.* 11. Kal. Septembris.

ARGUMENTUM.

Agitur de ſacro bello pro rebus Syriacis ſuccurrendis. Soldanus Babyloniæ urbes plurimas, & tamdem Antiochiam in ſuam redigit poteſtatem, cæſis & in captivitatem ductis multis Chriſtianorum millibus, atque inter hos plurimis Minoritis. Moriuntur beatus Raynerius Fabrianenſis, beata Salomea Clariſſa, & Regina olim Galatiæ: necnon Pontifex Clemens. Extruuntur quædam Cœnobia; ſed Neapolitani, a ſancta Maria Nova cognominati, largius referuntur res præclariores.

I. AD extremum malorum ventum erat in Syria, Regnumque majorum virtute conſtitutum, hujus ævi Principum partim ignavia, partim diſcordia collapſum erat. Quidam enim domi feriabantur, alii inter ſe arma ſtringentes, commoda publica, religioniſque dedecus privatis cupiditatibus poſthabebant. Virtutis indoles, qua res tantæ perfectæ erant, conſenuerat rerum humanarum inconſtantia; & quoniam toties irrito conatu Principum, qui pro re Chriſtiana ſublevanda eo coacervatim Mari, Terraque ſæpe commigrarunt; ſuperioribus annis id bellum erat tentatum. Nova nunc ſe occaſio melioris fortunæ oſtentabat: quæ uno fere tempore Hiſpaniam, Angliam, & Galliam ad arma repetenda excivit. Alphonſus hujus nominis III. Luſitaniæ Rex, non tam rogatus, quam ſponte huic bello ſacro ſe parat, in cujus ſubſidium petiit a Clemente, ultra omnes Hieroſolymorum ſtudioſo, ut legata in

Conſpirant Principes ad ſacrum bellum.

pios

pios uſus indiſtincte relicta, ſeu relinquenda, non expreſſis aliquibus perſonis vel locis, dummodo non eſſent arbitrio certæ perſonæ commiſſa, in regno, & aliis terris ſuis per triennium poſſit percipere in hanc expeditionem convertenda. Similiter ei concederentur bona per uſuras, rapinas, alioſque modos illicitos acquiſita, ſi perſonæ ipſæ bona hujuſmodi tenentes ea ſponte elargiri vellent, ac illi quibus reſtitutio fieri debeat, edictis publice propoſitis in locis competeutibus omnino inveniri, aut ſciri non poſſent. Ut conferrentur eidem redemptiones votorum Cruceſignatorum, & ſignandorum, obventiones, & legata ex quacumque cauſa provenientia ejuſdem Terræ ſanctæ ſubſidio deputata; ut abſolverentur qui Cruce ſignari vellent, & cum Rege proficiſci a quibuſvis cenſuris ob delicta, quantumvis gravia contractis. Ut per prædicatores excitarentur ad banc expeditionem, & ſacram Crucis teſſeram ſuſcipiendam Luſitani, quorum ope & comitatu magni ſumptus & immenſi laboris facinus poſſit adoriri. Per quinque diplomata auctoritatem ad hæc omnia Regi concedenda commiſit Pontifex Prioribus duobus Ordinis Prædicatorum, Portugallenſi & Sanctaranenſi, ſeu Scalabitano; nec non Guardianis duobus Ordinis Minorum, Elborenſi, & Gardianenſi Egitanenſis diœceſis, de qua paulo ſuperius loquuti ſumus, per quos quatuor Regni terminos complexus eſt eis, citraque Tagum, Interamnnm, & Montana. Pontificias datas ad III. Kalend. Auguſti damus in appendice, necnon alias, quibus facultatem dedit eodem tempore, præfatum Regem & Regnum liberandi per ſex menſes a ſententiis interdicti ab Arcbiepiſcopo Braccarenſi, aliiſque Epiſcopis Luſitanis propter controverſiam quamdam juriſdictionis & immunitatis Eccleſiaſticæ latis, non ſine magno illius Regni detrimento & mœrore, poſt diuturnum multorum annorum interdictum, non remittentibus Alexandro, aut Urbano bujus nominis Quartis juſtiſſimam indignationem, propter repulſam legitimam uxorem Matildem Bononiæ Comitem, quæ pauperem antequam ad Regnum perveniret opima domo exceperat, & propter contractas ſceleſtas nuptias cum Beatrice notha Alphonſi X. Caſtellæ Regis, ex Maria Villenia Petri Guſmani viri clariſſimi filia. Sic longo tempore regiæ improbitatis pœnam ſuſtinuerunt populi innocentes: ſic ſunt res bumanæ, ſic fert conditio mortalium.

In hunc finem multa conferuntur Regi Luſitaniæ.

An. 1267.

Diuturnum interdictum in Luſitania.

II. Ultra omnem Syriam, & circumvicinas regiones vexabat Bendocdar Soldanus Babyloniæ. Septimo die Martii hujus anni cepit proditioſe Japham treugis conſtitutis, occiſis multis incolis, aliis expoliatis, quorum miſellorum in pace amaritudo erat amariſſima. Aprilis XV. cepit Caſtrum Belforti, & XXIV. circumcirca Tripolim deſtruxit viridaria; deinde proceſſit contra Antiochiam, obtinuitque Civitatem abſque ullo belli tumultn: poſt obtentam occidit ſeptemdecim millia hominum, & ultra centum millia deduxit in captivitatem: qua ſtrage facta eſt celeberrima Civitas Patriarcbalis, ditiſſimumqne emporium, quaſi ſolitudo deſerti. Differunt auctores circa hujus calamitatis tempus: ſuperiori anno obtigiſſe ſcribit Ptolomæus Lucenſis: Marinus Sanutus cum aliis rerum Orientalium ſcriproribus hunc ipſum aſſignant. Tunc ex Minoritis plurimos interiiſſe ſcribit noſter Marianus, & funditus deleta Monaſteria duo, unum ampliſſimum, multorum Fratrum Collegium in ipſa Civitate, alterum in Montana nigra, cujus primam fundationem, vel noſtris deditionem narravimus ſuperius, in quorum unoquoque omnes Fratres periere.

Multa cepit loca Soldanus Babyloniæ Bendocdar.

Atque inter hæc Antiochiam.

Ptolom. in Chron. ad an. 1267. Marin. lib. 1. par. 12. c. 9. Marian. c. 27. Tom. I. an. 1219. n. 66.

Trucidātur multi Minoritæ.

Tom. 1. an. 1215. num. 22. Rodul. fol. 100.

Moritur beatus Raynerius Fabrianenſ.

III. Hoc anno mortuus eſt in Conventu Fabrianenſi Provinciæ Marchiæ beatus Raynerius Fabrianenſis plebanus Eccleſiæ Civitatis, quem ſancto Franciſco familiarem alias diximus, a quo præmonitus eſt hujus mox ſuſcipiendi Inſtituti, ſicut omnes noſtri ſcribunt Hiſtorici. Solus Rodulphus in hoc lapſus eſt, qui prius velit fuiſſe Benedictinum. Per triginta annos ſanctam & laudabilem vitam duxit in Ordine multis a Domino clarificatus miraculis. Solemniter undique ad funus concurrente populo, ſepultus eſt in æde ſancti Franciſci Fabrianenſis, Divi honore affectus, in ſacello ſub turre campanaria prope majus altare. Scribit beatus Franciſcus Fabrianenſis hæc de ejus morte: *Anno Domini* M. CC. LXVIII. *quando ego eram novitius obiit frater Raynerius, qui fuit plebanus plebis Civitæ, cui ſanctus Franciſcus fuit pluries confeſſus, quando erat plebanus, & prædixit ſibi in ſpiritu Dei, dicens; Fili, tu eris de noſtris. Iſte fuit ſanctus homo & verus frater Minor.* Narrat etiam ad ejus exemplum multos in eodem loco pios claruiſſe viros doctrina & ſanctitate, quorum catalogum ſubtexit. Præcipui ſunt frater Hugolinus & frater Jacobus germani Fratres Fabrianenſes, genere nobiles; frater Bonacura Guardianus, Cuſtos, & Viſitator pauperum Dominarum, ſeu Clariſſarum; frater Thomas eiſdem functus officiis, frater Gratia, qui prænominatum Franciſcum Fabrianenſem, ut initiaretur inſtruxit; frater Maximus Zanzalinus, qui ultra ſanctam vitam in liberalibus artibus ſacra Theologia, & Jure Canonico optime verſatus erat; frater Franciſcus quidam Theologiæ profeſſor, & Cuſtos; frater Mauritius de Argegnano; frater Creſcilbene V. I. D. & probus Judex in ſeculo, a quo evocatus ad Ordinem per miraculum; frater Damianus, & frater Raynaldus fraterno vinculo conjuncti. Ad quadraginta novem prædictus Franciſcus Fabrian. pios & doctos viros recenſet.

Plures viri pii Fabrianenſes Minoritæ.

Obiit beata Salomea.

Cromer. de reb. Polon. to. 2. l. 9. Rodul. fol. 241. Acta MSS. Cracoviæ. Ann. 1254. n. 37.

IV. Eodem item anno xv. Kal. Decembris obiit beata Salomea, Boleslai Pudici ſoror, & Colomanni Principis uxor ex Regina Halicienſi, ſeu Galatienſi ſanctæ Claræ Inſtitutum profeſſa, uti diximus ſuperius, in Monaſterio Zavichoſtenſi, deinde in Scalenſi (quo Boleslaus primum Cœnobium a Tartaris, & Ruſſis nuper direptum tranſtulerat) ſancte pieque converſata. Infirmari cœpit IV. Idus Novembris in vigilia ſancti Martini Epiſcopi & Confeſſoris in die Sabbati, dum attente infra miſſarum ſolemnia recitari audiret ſacrum Evangelium. Summa patientia & æquanimitate ægritudinis moleſtias paſſa, prædixit Fratribus & Sororibus in proximo imminere ſarcinæ deponendæ diem; cui dolentes reſpondebant: *Abſit hoc a te Domina, per Dei gratiam longo adhuc tempore nobiſcum permanebis.* At illa: *Proximus Sabbati dies id vobis perſuadebit.* Quod & evenit, morienti illa in Sabbato. Feria quinta vero convocatas Sorores univerſas hortata eſt ad mutuam dilectionem, ad pacem, ad puritatem animæ & corporis, cum timore & tremore ſervandam, ad evitandas murmurationes domeſticas, & fugiendos ſeculi rumores: *Si hæc*, inquit, *feceritis, manet vos præmium felicitatis æternæ; ſin aliter, tribulationes multæ vos apprehendent.* His dictis renunciavit rebus omnibus terrenis, dicens: *In nomine Domini, omnia quæ habeo, ſive debite poſſidebam, ſive indebite, vel moriar, vel vivam, omnia reſigno in manus Abbatiſſæ. Poſt mortem meam, corpus tradatur Fratribus noſtris Minoritis, ſi illud velint apud ſe ſepelire. Neque velim, ut amplius oretis Dominum pro longiori vita mihi concedenda, quia Dominum meum Jeſum Chriſtum, matremque ejus piiſſimam fideliter exoro, ut ſe-*

feliciter curſum meum abſolvam, & de hoc vili corporum ergaſtulo aſſumat animam meam, quia in gravamen multorum, non in ſubſidium ſum hic conſtituta.

V. Mirum, quot & qualibus modis prænunciatam ejus mortem Dominus voluerit. Matrona quædam in viſione perſpexit plures quaſi ad funus ex ordine procedentes ſub ſilentio, duas columnas cryſtallinas a terra ad cœlum pertingentes, tres deinde viros aſpectu venerabiles, & decoros in ſummitate cœlorum, qui dicebant: *Dilectam & caram Salomeam expectamus, quæ brevi caducam vitam terminabit.* Frater Boguſlaus, nuncupatus Lupus, Minorita ſub hora tranſitus erat in Caſtro ſanctæ Salomeæ, viditque duas columnas marmoreas a ſacello ejuſdem divæ ad cœlum uſque protenſas, atque banc noſtram Salomeam per illas ad thronum Majeſtatis aſcendentem. Deinde audivit dulciſſimam barmoniam, & hæc verba repetitis vocibus modulari: *Frondult, floruit virgula Aaron.* Eodem die quædam ex Sororibus vultum ejus conſiderans hilarem nimis, atque ipſam ſubridentem, interrogavit: *Domina, an quidpiam jucundum vides, quod tot dolores patientem adeo exhilaret? Video* reſpondit, *Dominam meam, Virginem ſanctiſſimam, matrem Domini, quæ ultra captum lætificat.* Eadem autem hora, qua tranſitura erat ex hoc mundo, devotas exercebat vigilias Agnes Abbatiſſa cum aliis Sororibus moribundæ circumſtans, & in emiſſione ultimi halitus viderunt omnes quaſi ſtellam parvam ex ore ejus progredientem in cœlum. — *Prænunciata cælitus ejus mors.*

VI. Extinctam circumdant omnes Sorores, quibus ſe immiſcens juvencula quædam a longo tempore cœca, velo capitis pedes defunctæ terſit, atque oculis admovit. Hoc unum ſuo malo remedium adhibuit, & protinus vidit, legitque ex tempore Pſalmos Davidicos, quaſi a tanto tempore nullum habuerit impedimentum, ſed conſueverit quotidie legere Pſalterium. Dum per ſeptem integros dies in feretro jaceret in choro Monialium incorrupta, odorem ſpirans gratiſsimum, & oleum ſudans ſaluberrimum, decidit ex ore & naribus ſanguis ſuper cervical ſubjectum, & linteolum, quo caput ejus obtegebatur. Die octavo poſt traditum corpus ſepulturæ apud Divi Franciſci Cracovienſis ædem, quo funus translatum, Abbatiſſa alio obducto linteamine ſanguinolenta tradidit lavanda cuidam Salomeæ olim pediſſequæ. Hujus filia Stroncba nuncupata, ſuppoſuerat capiti nocte ſequenti cervical: cui apparens defuncta, iracundæ ſpeciem præferens, dixit: *Quomodo auſa es meum tuo capiti cervical ſupponere, aut abſtergere velle meum ſanguinem plurimis habendum in pretio?* Et ſubtraxit veluti indignabunda cervical. Quæ dum juvencula recitat genitrici, ſummo mane cruentum cervical, & linteamen referunt ad Monaſterium; ubi religioſe ſervata plurima patrarunt miracula. Dum in choro inhumata jaceret, ſororem Boguslaram, filiam Comitis Slane, a nimio capitis dolore; hujus germanam ſororem digitos habentem contractos; Agnetem e ſcala dejectam, & corpore colliſam mirabiliter ſanavit. In populo Miechorriæ, narrante ſibi marito ſanctæ Heroinæ mortem, reſpondit quædam petulans fœmina: *abeat in malam rem, Reginæ ſtatum contempſit, ſordidumque vitæ genus inter mendicas elegit.* Non prius dixit, quam fœde os torqueretur ad occiput, quo laboravit malo, donec poſt ſeptem dies reſipiſcens, veniam errati deprecata, convaluit. Paulo poſt frater Gerardus Minorita nuncupatus Kobyla, in Kalys, dextræ uſu anno integro ita privatus, ut nec Miſſam celebrare poſſet, ab eadem Diva ſibi apparente ſanatus eſt, ſacrumque

Cæcam illuminat.

Linteamina ejus ſanguine aſperſa, miraculoſa.

Infirmas ſanat.

Eidem obloquuta fœmina corripitur.

Mancum curat.

Digitized by Google

Item claudum. que peregit die ſequenti. Anno MDCLXIX. frater Geniterus Ordinis Minorum, Præfectus Monaſterii de lapide ſanctæ Mariæ, graviſſime læſus pede, claudusque effectus, recordatus, ſe habere collyrium quoddam ſibi a ſancta Salomea datum, illud applicuit cruri confracto, & ſtatim conſolidatum eſt, neque amplius ullum ſenſit dolorem. Innumera ſunt hujus generis miracula, quæ ne pariant faſtidium, omitto.

Moritur Clemēs Pontifex. VII. Hoc anno III. Kalendas Decembris poſt triennii, novem menſium & viginti quinque dierum Pontificatum (licet ultra tres annos dies Plat. in Clemen. dumtaxat viginti unum Platina recenſeat) vita functus eſt Viterbii Clemens Pontifex, vir optimus, & ſanctiſsimus, undique commendabilis, a Commendatur. doctrina, a pietate, religione, humanitate, modeſtia, caritate in proximum, & pauperes Chriſti. Sepultus apud Prædicatores in Eccleſia ſanctæ Mariæ ad gradus. Ita accurate & fideliter res Eccleſiæ diſpenſavit, ut plus Deo quam affinitati, & cognationi tribuerit. Filias duas ante Pontificatum legitime ſuſceptas tenui affecit dote: nepotem clericum fecit ut ex præbendis tribus, quam vellet eligeret, alias duas omnino relinqueret. Verum inſtantibus amicis, ut non ſolum quæ habebat, nepoti dimitteret, ſed majora & plura tribueret, reſpondit Vir ſanctiſsimus, ſe Deo, non autem carni & ſanguini acquieturum. Deum ita velle, ut ſua in pias cauſas erogarentur, nec eſſe dignum Petri ſucceſſorem, qui plus cognationi, quam pietati & Chriſto tribueret. Probat hæc religioſiſsima & piiſsima epiſtola, quam Panvinus tranſcripſit, qua parentibus aperte ſignificat, nihil ultra humilem eorumdem ſtatum a ſe expectandum. Delectabatur mirifice doctrina Bonaventuræ, quia copioſe, quia ſolide, quia ad rem ſcripſit, atque in omnibus ſuis operibus & intellectum illuminat, & voluntatem inflammat. Hac autem commendatione moriens Vir ſanctiſsimus, magnum ſui apud omnes deſiderium reliquit. Hinc contentio inter Cardinales orta eſt tædioſiſsima, cum dignus Clementi ſucceſſor difficile inveniretur: & ut fit, ſtudium pietatis poſt longam diſcordiam tranſiit in ſtudium partium, ita ut magno Orbis Chriſtiani detrimento, & ſcandalo ſedes vacaverit annos II. menſes IX. dies II.

Additio Patris Lucæ Waddingi. „ VIII. Ex monumentis urbis Pacenſis in Hiſpania, conſtat ſub hoc „ anno Epiſcopum fuiſſe fratrem Petrum Perez, primum, poſt recupe„ ratam urbem a poteſtate Maurorum Antiſtitem. Ita enim habet ſigil„ lum ipſius appoſitum ad quoddam inſtrumentum contractus initi hoc Fr. Petrus Epiſc. Pacen. „ ipſo anno MCCLXVIII. *Petrus primus Epiſcopus Pacen.* Hic inſtituit in „ Eccleſia Cathedrali duodecim Canonicos, & ſex Portionarios, mul„ taſque leges pro morum reformatione præſcripſit. Vixit in pontifi„ catu ultra annos triginta.

IX. Ex ſuperius relatis commiſsionibus ad plures Præfectos, ſeu Guardianos Minorum in Luſitania, conſtat ante hoc tempus ædificata quædam ejuſdem regni Monaſteria: quorum aliunde perfecte ſcire non licuit originem, diminute nimis & oſcitanter miniſtrantis nobis illius regni monumentis, quantumvis laboraverimus pro eiſdem habendis, & Initiatus auctor in Luſitania. cupierimus viciſsitudinem, gratiamque rependere ob ſuſceptum ibidem regularis vitæ inſtitutum, datamque operam liberalibus, & ſacræ Theologiæ diſciplinis. Memorata ſuperius a Pontifice Cœnobia hic dabimus, Conv. Scalabitanus. neque alibi licet commodius. Sanctarenum, aliis Santarena (a ſanctæ Irenæ divæ Liberatæ ſororis celeberrimæ Virginis & Martyris, corpore illuc mirabiliter per Tagum delato ita corrupto vocabulo nuncupata) vetu-

vetnſtis Coſmogrąphis Scalabis dicta, diœceſis Ulyſſiponen. ad ora Tagi
in decllvi eminentis collis exædificata: Villa eſt regia, Luſitanis Prin-
cipibus olim ob amœnitatem, rerum abundantiam, & ferarum venatio-
nem gratiſſima, Eccleſiis multis & Religioſorum habitaculis ornatiſſima.
Extra muros in collis jugo prope Monaſterium Clariſſarum, de quo alias *Anno 1259.*
præſati ſumus, conſtructum amplum & nobile ſatis, ſeptuaginta, & plu-
rium Minoritarum capax Cœnobium ſancto Franciſco ſacrnm. Cujus præ-
ter hoc unum, quod diximus vetuſtatis monumentum, occurrit ſcriptu-
ra quædam apud prædictas Clariſſas aſſervata, anno MCCLXIII. data, in
qua hujus ædis fit mentio. Rumorem, eumque non niſi vulgarem, ibi-
dem eſſe ſcribit Gonzaga, & ipſe ſæpius præſens excepi poſt extinctos *Gonz. in Prov. Portug. Conv. 6.*
illic Templarios, Monaſterium noſtris datum, vel quod minus verum eſt,
finem ibidem habuiſſe dictos milites Templi, antequam noſtra Religio
plantaretur ln Luſitania. Quod quam vulgare, & ineptum ſit, facillima
temporum obſervatio declarabit. Deleti Templarii ſub Clemente V.
poſt annum MCCC. ſicut alias in ſimili dubio admonui, & ſub ipſo Fran- *Tom. 1. an. 1220. n. 73.*
ciſco in illud regnum introductum ejus inſtitutum probavi. Atque hujus
Monaſterii vetuſtiorem ſundationem, ultra citatum Clariſſarum monu-
mentum, probant palam data hoc anno Clementis diplomata. Commoda
eſt hæc ædes ob amplitudinem & aeris ſalnbritatem, diſciplinis littera-
riis, quas proinde habet perpetuas vel artium liberalium, vel divina-
rum. Jacet in chori capite, concamerato in muro, nobili mauſolæo,
prope matrem Conſtantiam, ſepultus in Franciſcano habitu Ferdinandus
Primus hujus nominis Rex Luſitanorum. Floruit in hoc Monaſterio An-
tonius Sanctaranenſis (quem perperam vocat Gonzaga Rodericum) ex
profanis prius amoribus, deinde ex divinis a Marco Ulyſſiponenſi cele- *Marc. 2. p. lib. 4. c. 17.*
bratus, cujus nos etiam alias recordabimur.

X. Conventus Leyriæ, aliis Lerenæ (olim Villæ & fortis municipii, *Conv. Leyriæ.*
Diœceſis Conimbricen. modo Urbis Epiſcopalis inter Liſim & Lenam
fluviolos) origo etiam incerta, niſi quod ſub Gregorio IX. ad annnm
MCCXXXIV. vel circiter incœptum ſuſpicari poſſimus ex ejuſdem litteris *Tom. 2. an. 1233. n. 31. & ſeq.*
increpatoriis a nobis ſupra relatis, datis ad Canonicos regulares ſanctæ
Crucis Conimbricenſis, qui vel ex dominio prædictæ villæ, vel ex domo
aut poſſeſſionibus ibi retentis impediebant Minores, ne illic ſedem con-
ſtituerent. Aliud vetuſtatis hujus ædis monumentum, ſed hoc noſtro *Idem Conv. 7.*
poſterius reperitur in carthophylacio Clariſſarum Ulyſsiponenſium, in
quo teſtis rogatus recenſetur Joannes Gallecus Guardianus Leirienſis
anno MCCXCIV. Prius conſtructa ſuit longius a villa, ſed prope fluvium
villæ adlabentem poſtea a Joanne hujus nominis Primo, Portugalliæ Re-
ge Petri Primi filio illegitimo! (qui Ferdinando Primo partim magno
populi ſavore & applauſu, partim vi & potentia, repulſo Joanne Rege
Caſtellæ, ad quem jus regni juſtis hæredibus deſtituti, propter Beatri-
cem conjugem ſpectabat; & occiſo Comite Joanne Fernandio Anderio,
cujus clandeſtina cum Regina Eleonora, defuncti Ferdinandi uxore com-
mercia male audiebant in populo, ſuccesſit in regno) prope urbem exæ-
dificata anno MCCCLXXXIV. in ſatisſactionem male contractarum nnptia-
rum cum Philippa filia Joannis Leceſtriæ Ducis, quarum incapax erat
abſqne Pontificis diſpenſatione, ob Magiſteriatum Aviſienſem. Amœ-
niſsimus eſt hic Conventus, decurrente per borti medium placido fluvio-
lo; inſtructa habet viridaria, & pomaria, virentes & gratos lucos, per
aquæductus derivatam aquam ex oppoſiti montis viſceribus citra fluvium
ſcatu-

Auctor aliquandiu hic incola. ſcaturientem. Hic artes liberales abſolvi, & aliquot poſt annis verbi divini publice prædicandi miniſterium inchoavi. Locum ſtudioſis propitium ſalubremque communiter judicant, & propterea liberalioris diſciplinæ ſeminarium, quinquaginta Fratrum capax, illius Provinciæ Rectores eſſe voluerunt.

Conv. Guardiæ. XI. Guardiæ (civitas eſt in ultimis montanorum Luſitaniæ finibus, ad quam Sedes Epiſcopalis Egitanienſis translata eſt) Monaſterii origo eiſdem ignorantiæ tenebris, quibus Scalabitanum, quas jam diximus, involvitur. Ejus vetuſtatem ultra annum MCCCXX. non eſt qui ex probatis monumentis deducat: communiterque judicatur, deletis Templariis *Idem Conv. 19.* primis poſſeſſoribus, noſtris datum. Ex prælibato a nobis in hujus anni limine diplomate conſtat, ante hunc annum noſtrum fuiſſe, neque certum veſtigium illic viſere licet Militum Templi; neque ædis extra urbem poſitæ humilitas mihi illac aliquoties tranſeunti, vel minimum repræſentavit tantæ religionis amplitudinem. Floruit ibi aliquando beatus Petrus Guardienſis, de cujus Apotheoſi modo agitur in Urbe: geſta ſuo loco nos referemus.

Conv. Eborenſis. XII. Eborenſis urbis citra Tagum Metropolis Monaſterium intra mœnia conſtructum pes quoſdam ſancti Franciſci diſcipulos ex Gallecis *Idem in Prov. Algarbior. Con. 8.* profectos, quorum corpora ibidem recondita ad lævam portæ, quæ ex Eccleſia clauſtrum ingredientibus occurrit, ſunt qui affirment, ſed quo id tempore non explicant, neque eſt qui quidpiam antiquius aut certius hoc noſtro monumento circa vetuſtatem offerat. Tranſivit ædes a Conventualibus ad Obſervantes ſub Leone X. ita poſtulante Rege Emanuele, & ſpectat ad Provinciam Algarbiorum. Grave & celebre eſt Monaſterium, perpetuum Theologiæ Collegium, ex teſtudine Eccleſiæ ultra conſuetudinem ampliſſima, undique apud Luſitanos commendatum.

Idem in Prov. Portug. Conv. 15. XIII. Memorandus etiam hic alius Luſitaniæ, ſed Provinciæ Portu- Conv. Portuenſis. galliæ inſignis Conventus, intra Portuenſem civitatem, ad Durii fluminis oſtium nobiliſſimam, ſed prope navale ædificatus. Actum eſt de conſtruendo parum a morte ſancti Franciſci, ſed contradictores non defuere: Inter hos Chriſtianus Decanus Portuenſis præcipuus, ad quem Gregorius IX. ſuas litteras dedit, ut a moleſtiis & injuriis ceſſaret. Piorum eleemoſynis & Fratrum induſtria in pulchram molem crevit ædificium. Eccleſia eſt ampliſſima, & promptis Fratrum obſequiis, gravi cultu, & commodiſſimo ſitu, ultra omnes totius urbis a creberrimo populi con- Auctor in qua æde initiatus. curſu commendata. Magnam univerſa domus præſefert auctoritatem, undique auguſta, in qua ſæpius moram traxi dum prope ad ter M. P. ſub hoc inſtituto initiatus ſum in piiſſimo ſimul ac religioſiſſimo tirocinio ſacræ ædis Conceptionis Virgineæ, extra oppidum arbuſtulorum, vulgo Conv. Staphuli. *Mattozinhos*. Sumpſit ſub hoc tempore initium Conventus Staphuli in Marchia Anconitana, & Cuſtodia Æſina: ſic etenim evenit, quod de beato Franciſco Fabrianenſi referimus in ejus vita de apparitione mortuorum ſub miſſæ ſacrificio.

Idem in Prov. Terræ laboris Conv. 1. XIV. Carolus Andegavenſis, utriuſque Siciliæ Rex, jam ſuperatis Manfredo & Conradino, de tutius munienda urbe Neapolitana cogita- Conv. Neapolitan. S. Mariæ novæ. vit. Caſtrum Capuanum minus ei placuit, arriſitque fundus Monaſterii ſanctæ Mariæ de Palatio (ex vicina Regia ita cognominati) Fratrum Minorum in ipſo littore maris ab aliquot annis conſtructi, ob commoditatem & amœnitatem peropportunus. Tranſtulit itaque hoc anno ædem ad urbis clauſtra, & Fratribus commodam auguſtamque fecit, ſe dignam, ſub

ſub titulo ſanctæ Mariæ Novæ, quam prioris ædis, & nova ſuppellectile inſtruxit. Regiam magnificentiam alii auxere, adjunctis quibuſdam ædificii incrementis. Gondiſalvus Fernandez a Corduba Hiſpani exercitus optimus Præfectus, & felici rerum eventu, rei militaris peritia atque exercitio *Dux Magnus* antonomaſtice dictus, peramplum ſacrum plurimis ſacellis collateralibus illuſtratum ex quadrato atque polito lapide, in ea ædificandum curavit: in quo & corpus beati Patris Jacobi a Marchia recondidit, & Lautreccum Gallicarum copiarum olim Ducem, ſumptuoſo ſepulcro erecto, humari voluit. Poſſet optimo jure hoc ſacrum, ſeu templum ſecunda Eccleſia dici, cum plures alias, & capacitate, religione, elegantia & ſacris ornamentis ſuperet. In majori ejuſdem ara corpus beati Patris Jacobi a Marchia, cryſtallina reconditum arca, ſuperſtat; & ſacrarium locuplete ſupellectile ſacra adjacet refertum. Ad quod etiam Neapolitanus populus, ob tanti Patris reliquias, incredibili fertur devotione. Templum præcipuum inſigne, ſplendidiſſimum, & ultra noſtrum ſtatum magnificum evaſit ex piorum oblationibus, & donariis datis, ob crebra miracula cujuſdam imaginis beatæ Virginis (de Gratiis dictæ propter multas, quas fecit univerſi ordinis hominibus) honorifice collocatæ in ſacello Comitum de Aliſe. Ita teſtatur hæc inſcriptio præcipuæ januæ ſuperpoſita: *Templum a Carolo I. Andegavenſi in Arce veteri conſtructum, illuſtriori forma piorum oblationibus ibidem reſtitutis, divæque Mariæ Aſſumptæ dicatum. Philippo II. ac III. Auſtriis Regibus invictiſſ.* MDXCIX. Cœpit hæc venerabilis imago (ad cujus aram aliquoties rem ſacram non ſine occulto & ſacro animi æſtu peregi) miraculis clareſcere, Fratribus auxilio adeſſe & honori, eo tempore quo durius cum eiſdem agebant Clemens VIII. & Cardinalis Geſualdus Archiepiſcopus Neapolitanus. Ad hanc Eccleſiam ab eodem Carolo fundatore translata ex priori a ſe diruta æde oſſa beati Auguſtini Aſſiſiatis, ſancti Franciſci diſcipuli, & primi Terræ laboris Miniſtri (de quo alias ſemel & iterum loquuti ſumus) ſcribit Gonzaga. Ea condita in primæva noſtrorum apud Neapolitanos æde ſancti Laurentii ſcripſimus ex Piſano, cui ſubſcribit Rodulphus, agens de eodem Monaſterio, licet ſui immemor in recenſendis viris beatis, dicat jacere Capuæ, ibidemque obiiſſe, & totius vitæ ſeriem ante aram majorem illic expreſſam. In hac re illud dumtaxat certum, nihil haberi certi, neque ab ullis horum locorum incolis aliquod grave afferri monumentum, per quod ſuæ aſſertioni fidem advehant, neque eſſe qui auſint ſancti hominis apud ſe monſtrare ſepulcrum. In eam inclinaverim ſententiam, ut prius in æde ſancti Laurentii omnium prima, & illius Provinciæ præcipua diem obierit, in cujus mutatione aut aliis de cauſis, ex variiſque eventibus, qui in reliquiis transferendis facile occurrunt, vel translatas fuiſſe has, vel per dictas ædes diſtributas. Jacet illic in ſacello prædicti Magni Ducis Reverendiſſimus Pater Franciſcus Zenus, cui in ſepulcro marmoreo in pavimento appoſitum hoc epitaphium: *Sepulchrum Rev. P. Fr. Franciſci Zeni de Mediolano, Vicarii Generalis Ordin. Minorum de Obſervantia, & Apoſtolici Commiſſarii, qui moribus & doctrina floruit, & Sabbatho ſancto anno* MDXII. *ſpiritum reddidit cælo*. Ibidem etiam deceſſit anno MDCXVII. Rev. Pater Joannes a Carthagena Hiſpanus, Provinciæ Conceptionis apud Paulum V. in pretio habitus, & in ſacra hac Urbe magni factus ab Illuſtriſſimis Cardinalibus, viriſque doctis: cujus eruditionem produnt multi ab eo editi libri, ob communem æſtimationem ſæpius in præ-

Sacellum Magni Ducis.

Corpus B. Auguſtini Aſſiſiatis ubi conditum. *Tom. 1. an. 1216. n. 3. & an. 1226. n. 35. Gonz. cit. An. 1280. n. 37. Piſan. confor. 11. Rodul. fol. 275. Idem fol. 81.*

Sepulcrum Franciſci Zeni.

Joan. a Carthagena.

præcipuis Typographiis recuſi. Jacet ante aram beati Jacobi Piceni.

XV. Sunt in prædicto ſacello, & in præcipua Eccleſia ſepulti viri non pauci nobiliſsimi, quorum potiora dabimus hic epitaphia. In Magni Ducis Eccleſia eſt ſacellum familiæ Prignanorum & Funicellorum affabre elaboratum ad latus ſiniſtrum altaris, in quo requieſcit corpus beati Jacobi Piceni, e regione ſacrarii, in quo hæc habetur memoria Urbani VI. ex eadem familia prognati: *Urbanus Papa VI. ex familia Prignana Neapoli natus, ſed a Piſis oriundus; Barii Archiepiſcopus ante erat. Is mortuo Gregorio Papa XI. a Cardinalibus* IV. *Idus Aprilis in Conclavi conſentientibus Pont. Max. fuit renunciatus, ac* XIV. *Kalend. Maii Papatus inſigne aſſequutus fuit. Sedit magno tumultu annos* XI. *menſes* VI. *dies* VI. *obiit Romæ anno* MCCCXCI. III. *Idus Octobris: Jacet in Baſilica ſancti Petri*. Inter prædictum ſacellulum & Aram beati Jacobi in pavimento ſepultus fuit in habitu Minorum Carolus Auſtriades, ita in baptiſmo dictus, filius Regis Tuniſi; mihi olim Ulyſsipone familiaris. Inſcripta hæc carmina.

Epitaphia magnorum virorū. — Urbani VI. — Caroli Auſtriadis.

Tuniſi Regis ſoboles hic extat. Amidæ
Carolus Auſtriades lumine dictus aquæ.
Cænobio, qui cuncta dedit mitiſſimus iſti,
Ut pro ſe precibus cælica regna petant.
Pectore magnanimo, pietate inſignis, & armis.
Vixit, & aſcendit ſydera veſte Minor.
An. Dom. MDCI.

Extra cratem, quæ reliquam Eccleſiam dividit ab ara beati Jacobi, hinc inde habentur ſequentes inſcriptiones hominum, ex fama notiſsimorum. Prima eſt Odetti Fuxii Lautrecci, nobiliſsimi Galli, generalis Præfecti exercitus Franciſci Regis Gallorum adverſus Carolum V. Imperatorem, ex multis feliciter debellatis civitatibus antonomaſtice dicti, *Expugnator Urbium*. Corpus illius, virulento morbo extincti, ab avaro milite exhumatum & abſconditum ut redempti pretium acciperet, redemit Gondiſalvus Ferdinandus a Corduba, Ludovici filius, Magni Ducis nepos, qui ſepulcrum nobile poſuit, & hoc epitaphium: *Odetto Fuxio Lautreeco, Gonſalvus Ludovici Fr. Corduba, Magni Gonſalvi nepos, cum ejus oſſa, quamvis hoſtis, ut belli fortuna tulerat, ſine honore jacere comperiſſet, humanarum miſeriarum memor, in avito ſacello Gallo Duci Hiſpanus Princeps P.* Alterum idem Gondiſalvus poſuit Petro Navarro Cantabro veterano & perito Duci, qui indignatione commotus tranſiit ad partes Gallorum, poſtquam optime meruiſſet in caſtris Caroli V. Ita habet: *Oſſibus & memoriæ Petri Navarri Cantabri, ſolerti in expugnandis urbibus arte clariſſimi, Gonſalvus Ferdinandus, Ludovici F. Magni Gonſalvi nepos, Sueſſæ Princeps, Ducem Gallorum partes ſequutum pio ſepulchri munere honeſtavit: cum hoc in ſe habeat præclara virtus, ut vel in hoſte ſit admirabilis.*

Magni Lautrecci. — Petri Navarri Cantabri.

XVI. In ſacrario majoris Eccleſiæ altius elevata in area, byſſo & auro cooperta, appenſis inſignibus militaribus, recondita ſunt oſſa Principis Caroli Emmanuelis Lotharingi. Ita ſubſcriptum: *D. O. M. Carolo Emmanueli, Magni illius Caroli, Menæi Ducis filio, Lotharingio, Somarivæ Comiti, regio Auſtraſio, & Sabaudiæ Principum genere claro; peragrata Italia, & Africæ littoribus, ad ſuorum gloriam æmulandam; Neapoli immature defuncto, Maximi Philippi Regis magnificentia decorato, & Joan. Alphonſi Pimentelli Comitis, regnique Vicarii pientiſſimi Principis, hoſpitali humanitate honeſtato, Principes parentes, licet in externo ſolo, inter avita tamen Siculorum Regum monumenta mæſtiſſimi poſuere. Obiit anno*

Caroli Emmanuelis Lotharingi.

anno cIↄ. Iↄ. c. IX. Ad aram præcipuam Templi majoris ſunt plures inſcriptiones multorum ex familia nobiliſsima Afflictorum, ex quibus unam hanc ſubminiſtro: *Michaeli Afflicto, cujus familia a D. Euſtachio Martyre cruciatibus Afflicto originem & nomen traxit. Ferdinando Primo Aragonico in primis charo, in regno Neapolitano Quæſtorum Præfecto, ac pro Magno Camerario mox a Ferdinando Catholico Hiſpan. & Neapolit. Rege ob res præclare geſtas in ordinem Comitum Triventi tit. adſcito. Joan. Hieronymus Triventi Comes V. Abario F. C.* MDLXXX. Univerſum utrumque Templum, & collateralia ſacella referta ſunt tumulis, & honorariis inſcriptionibus nobiliſsimarum familiarum illius urbis & regni. Laquearia ædis majoris deaurata ſunt & depicta multo ſumptu, & grata varietate. Domus interna Fratrum capaciſsima eſt, ultra centum & quinquaginta incolarum habitaculum, undique majeſtatem & auctoritatem habet, ſive officinas inferiores, ſive triclinium, omnium quæ vidi ampliſſimum, ſive clauſtra, ſive dormitoria conſideres. Caput eſt Provinciæ Terræ laboris, in quo perpetuum eſt Theologicum ſtudium multorum adoleſcentum. Inchoata hoc anno VII. Junii Eccleſia Monaſterii Collis Pergolæ in Piceno Provinciæ Marchiæ Anconitanæ Cuſtodiæ Fanenſis.

Michaelis Afflicti.

Rodul. fol. 318.

XVII. Propter juſtas religionum querelas de nimio ſpatio ter centum cannarum præfixo, uti alias diximus, pro ædificaudis Monaſteriis Mendicantium, ubi alia præextiterant, reduxit hoc anno Pontifex menſuram ad centum quadraginta cannas: *Quia plerumque*. IV. Kalen. Jul. Prohibitionem ab Alexandro IV. factam de non recipiendis ab invicem Prædicatoribus & Minoribus, intelligendam voluit de profeſsis: *Lecta nobis*. IV. Non. Jul. Eccleſiarum Prælatis prohibuit ne privilegia, vel indulgentias Prædicatorum, aut Minorum, ſive clara, ſive dubia, vel obſcura de cetero interpretarentur, reſervans Sedi Apoſtolicæ eorumdem declarationem: *Ordinis veſtri*. Nonis Julii.

Privilegia.

Anno 1265.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. SUmmus Pontifex Clemens IV. ut Moniales tempore interdicti *Indiculus.*
„ divinis officiis intereſſe poſſent conceſſo indulto: *Inducunt nos* Obit Clement
„ Idibus Martii III. Kal. Decembris, obiit Viterbii, & apud Prædicato- PP. IV.
„ res in Eccleſia ſanctæ Mariæ ad gradus tumulatus eſt: Fuit doctrina
„ & vitæ ſanctimonia celebris, optimi regiminis, & virtutum omnium,
„ quæ decent Romanum Pontificem exemplar: Ab ejus obitu ſedes Apo-
„ ſtolica per annos duos, menſes novem, & dies duos Pontifice Rectore
„ vacavit.
„ II. Interea non pauci doctrina, & vitæ ſanctimonia commendabi- Franciſcus Fabrianenſ.
„ les in Religione florebant: Franciſcus in Conventu Fabriani ſuæ pa- Franciſcus de
„ triæ, ſacræ Theologiæ profeſſor, & provinciæ Marchiæ Cuſtos, in March.
„ Chronicis Fabrianenſibus deſcriptus VIII. Idus Auguſti. Alius item Guillelmus Maranus.
„ Franciſcus de Marchia, humilitate, contemplatione, oratione, virtu- Joannes Spinel-
„ tibus, & ſanctis moribus cumulatus deceſſit hoc anno VIII. Kal. Janua- lus.
„ rii. In almo Conventu Pariſienſi, litteris, & pietate inſignis Guillel- *Theatr. Bajard.*
„ mus Maranus: & ibidem Joannes Spinellus conſimilibus chariſmatibus *Franciſcus Fabrian. in Chroni-*
„ ornatus, cum Petro Joannis eorumdem æmulo glorioſo. *cis Fabrianen.*
„ III. At hoc anno ſub Gamfredo Provinciæ Bohemiæ, & Poloniæ
„ Miniſtro, ingens, & grave diſſidium inter Fratres ibidem exortum
„ eſt: Bohæmi enim a Gamfredo recedentes, Pragæ in feſto Pentecoſtes

Diſſidium inter FF. Bohemos, & Polonos.

Caſimir. Biern. art. 19. n. 1.

,, congregati, Vicarium Provinciæ fratrem Jacobum Diedonis ſibi ele-
,, gerunt, interpoſita ad Apoſtolicam Sedem appellatione: Gamfredus
,, vero cum alia parte Fratrum, capitulum celehravit in Aureo Monte:
,, Sede tamen Pontificia vacante, per ſuum Commiſſarium Miniſter Ge-
,, neralis diſcordes animos Polonorum, & Bohemorum prudenter con-
,, ciliatos, univit.

Conventus Lauſanen.

Et Geben.

Wadd. ad ann. 1289.

,, IV. Supra antiquitatem Conventuum Cantuariæ, Oxonii, de
,, Romenal in Anglia, & Camberiaci, nec non Gebennæ in Sabaudia ex
,, quibuſdam ſupremis tabulis teſtamentariis indigitavi: circa illum
,, Gebennæ præcucurrit calamus; ſed hìc emendat, dum præter præfato-
,, rum, Gebennenſi Lauſanenſem adjungens, eorum confirmat, & ho-
,, rum antiquitatem ex conſimili teſtimonio irrefragabili. Sciendum eſt,
,, Annaliſtam de Conventu Lauſanenſi non niſi egiſſe ad an. MCCLXXXIX.
,, cujuſdam Indulgentiæ occaſione his verbis: ex variis etiam Indulgen-
,, tiis a Nicolao Pontifice ſub hoc anno conceſſis viſitantibus Eccleſias
,, Minorum, nobis conſtat, ſub hoc tempore domicilia habuiſſe in Lau-
,, ſanenſi Urbe ad ripam dexteram, & ſeptemtrionalem lacus Lemani,
,, ſub Archiepiſcopo Veſuntino, nunc ab hæreticis Bernenſibus occupa-
,, ta: de Gebennenſi vero occaſione Comitiorum in eo celebratorum a
,, ſectatoribus Clementis tempore Schiſmatis, in quibus electus fuit
,, Antiminiſter Generalis quidam frater Angelus, ex diplomate, quo
,, Clemens confirmatum voluit, quod Patres ſtatuerant circa controver-
,, ſiam, quæ verſabatur inter Cœnobia Secuſiæ Taurinen. & Cameræ
,, Maurianen. Diœceſum: Item ad annum MCCCC. ubi ſic: In Cuſtodia
,, Lauſanenſi Cœnobium Gebennen., Gratianopolis, Camberiaci, Ni-
,, vidumi, Grandiſoni, & Mojeranci.

Frater Angelus Antim. Generalis.

Vide infr. ad annum 1289. n. 7.

Conventus Lauſanæ, Gebennæ, & Camb. quam ant.

Samuel Guich. hiſt. Sabaud. in Petri Com.

PetrusComes de Sabaudia obiit Chiloni 7. Junii.

,, V. Verum longe ante extructa Cœnobia Lauſanæ, Gebennæ, &
,, Camberiaci ex ſequenti puhlico, & ineluctabili teſtimonio conſtat, ex
,, tabulis nempe teſtamentariis Petri Comitis Sabaudiæ, qui fuit filius
,, Thomæ I. actis Chiloni in Vaudo anno MCCLXVIII. in feſto ſancti
,, Joannis Evangeliſtæ ante portam Latinam: inter cetera enim pia le-
,, gata, hæc in iis leguntur: *Item Eccleſiæ beati Petri de Gebennis viginti*
,, *libras: Fratribus Minoribus ibidem viginti libras: Fratribus Prædica-*
,, *toribus ibidem viginti libras: Eccleſiæ beatæ Mariæ Lauſanenſis triginta*
,, *libras: Fratribus Prædicatoribus ibidem viginti libras: Fratribus Mino-*
,, *ribus ibidem viginti libras: Fratribus Minoribus de Camberiaco viginti*
,, *libras*: Moritur autem Petrus eodem anno Chiloni in Vaudo die VII.
,, Junii anno MCCLXVIII. & ejus corpus ad altam Cumbam delatum in
,, ſepulcro Majorum ſuorum conditum fuit: hoc teſtimonium afferen-
,, dum erat.

Conventus Eborenſis.

Wadd. & Gonzaga ad hunc an. 1268. n. 11.

In eo ſepu. diſcipuli quidam S. P. N.

Ex Topog. Ferrerii.

,, VI. At de Conventu S. P. Franciſci Eborenſi ad hunc annum
,, ſcribit Waddingus intra urbis mœnia ejuſdem per quoſdam S. Patris
,, Franciſci diſcipulos ex Gallæcis profectos, quorum corpora ibidem,
,, ad lævam portæ Eccleſiæ clauſtrum ingredientis quieſcunt, conſtru-
,, ctum fuiſſe, ſunt qui affirmant: non explicat tamen quo tempore, nec
,, de his quidquam certius habetur. Antequam ulterius progrediar no-
,, to curioſis, ſed piis, Eboram, quæ & Ebura vulgo *Eubra* dicitur,
,, Civitatem eſſe Archiepiſcopalem, minime obſcuram Luſitaniæ, &
,, primam poſt Ulyſſipponem, in planitie, forma quaſi circulari, ad col-
,, les, & Callipodis amnis ortum: ædes ſacras habere elegantes, &
,, academiam: ab Ulyſſippone XXII. M.P. Hiſpan. a Pace Julia in Arctos

XI. di-

,, xi. diſtare, remotiorem vero eſſe a Pace Julia. Hujus ergo urbis intra
[Ebora C. Archdeſe.]
,, mœniorum ambitum conſtructum Cœnobium a præfatis S. P. Franci-
,, ſci ſociis ,noviſſime ſuæ vetuſtatis indicia profert, dum an. MDCLXXIV.
[*Ex mon. Prov. Alg. de anno* 1680.]
,, a ſepulcro indigitato a Waddingo tria corpora extracta , in majoris
,, pietatis obſequium , in marmorea urna , & ſecunda Eccleſiæ Capella ,
,, ad Evangelii partem , ſub hac epigraphe repoſita fuere .
[Epigraph. ad eorum tumbam .]
,, *Chriſtipheri quondam veniunt tria pignora Patris .*
,, *Gallæci patria ſurgit , & iſta domus .*
,, *Igneus hinc fervor Franciſci impleverat illos ;*
,, *Tanti ignis cineres claudit uterque lapis .*
,, Conſtructionem autem , non tantum intra muros urbis , ſed etiam
[Fr. Min. protecti a Regibus Luſitan.]
,, juxta regia palatia factam fuiſſe Regis Alphonſi II. perſuadetur : quod
,, omnium Regularium ibi noſtri ſint primi , & quod ædes regali ſemper
,, ſub patrocinio fuerint : & quidem præter Alphonſum V. qui ſuo di-
[Privileg. Apoſtolic. pro eodem Conv.]
,, plomate in archivo illius Conventus cuſtodito , Fratres ab omni tri-
,, buto exonerat jam pridem : ultimo Rex Emanuel glorioſæ memoriæ
,, illiuſdem Conventus Eccleſiam totius Europæ aliis præſtantiorem , ut
,, Luſitani prædicant, aliaque juncta ædificia regia, & regiis ſtemmatibus
[Et aliud regium]
,, inſignita , excitavit : extat præterea ibidem in archivo quædam provi-
,, ſio regia manu firmata , qua præfatus Rex ad ampliationem Conventus
,, duas ſui palatii partes donavit : & aliud quoque decretum , quo viri-
,, darium , & pomerium ejuſdem ſui palatii circa Conventum exiſtentia
,, Fratribus elargitus eſt . Præter hæc autem in eodem archivo Clemen-
,, tis IV. bulla ſervata , qua cavetur , neminem , etiamſi quiſpiam eſſet
,, Legatus Apoſtolicus , Fratres illius ædis excommunicare poſſe , ſine
,, ſpeciali ſummi Pontificis licentia , etiam ante eumdem Pontificem ,
,, eum Conventum fundatum fuiſſe , ſatis ſuperque oſtendit : ſicut etiam
,, illud regium privilegium , quo Procurator Conventus , in provi-
,, ſione annonæ tam in foro , quam alibi , omnibus & quibuſcumque præ-
,, fertur .
,, VII. At ſacrarum earum ædium continuata ſeptuaginta religioſo-
[Relig. 70. inhabitant .]
,, rum incolarum vitæ ſanctimonia , populique devotio commendant ;
,, Cum inde ſpiritualis fructus ubertas exoriatur quam plurimum com-
,, mendata cœlo:occurrit ibi memoranda ædicula interior,contigua capi-
[Sacra ædicula in eo .]
,, tulo Fratrum, ab indigenis civibus *Caza des oſſos* communiter appellata,
,, magnitudine & ſepulcrali oſſium ex omni latere diſpoſitorum appara-
,, tu , grato horrore corda compungente , fructuoſe ſpectabilis : vivis in
,, ea coloribus Jeſu Chriſti ſub Crucis jugo laborantis imago exprimi-
,, tur , unde Chriſtianæ Philoſophiæ licæum dici meretur , in quo ſalutis
,, Auctor , & dator ſuos diſcipulos , & quoſvis alios æternitatis beatæ
[*Mon. cit.*]
,, per januam mortis viam edoceat : & quidem ad ſacrum licæum om-
,, nes utriuſque ſexus in eam ædiculam confluunt : Sacrificia pro anima-
,, bus Purgatorii fiunt : piiſſimæ præces effunduntur , & ſacris meditatio-
,, nibus opera datur : ac ita pietas colitur , devotio augetur , & pœnan-
,, tibus in Purgatorio piiſſime ſuffragatur .
,, VIII. Ceterum , eo in ſacro Eborenſi Cœnobio , cum virtutibus
[Florent in eodē Con. duo Anton.]
,, mire floruiſſet , judicium finale expectat Venerab. Pater Antonius de
,, *Gomar* , qui ſpiritu prophetico donatus plura futura prædixit , & præ-
,, nunciato die ſui obitus, ſenex ſpiritum Deo reddidit incerto tempore.
,, Quieſcit etiam ibid. Venerand. P. frater Antonius alter dictus de
,, *Matre Dei* , qui incer cetera pietatis opera in Deiparam Virginem
ma-

Villa nova Oppid. in Luſitania.

„ maxima devotione ſerebatur ; Viginti duobus milliaribus hiſp. ab „ Ebora in Lybicum ad mare, & fauces fluvii, eſt Villa nova oppidum, „ mille ſontium dicta, & ibi prope in littore eſt depoſitum Venerab. P. „ ſratris Bernardini oratione, & pœnitentia inſignis: Erat Vir Dei adeo „ ſolitudinis amicus, quod a ſuperioribus, ibidem in quadam cellula „ ſolitariam vitam agere impetraverit: ibi ſolitarius ab hominum con„ ſortio remotus, cum cœlicolis beatis commorans in terris converſa„ batur: & ibi tamdem corruptibili pondere depoſito, meritis onuſtus „ glorioſis, totus levis, & agilis properavit in cœlum: permanet adhuc „ ædicula, & apud incolas nomen Cellæ ſancti Bernardini fauſte perſe„ verat.

Bern. Minorita ibi ſepelitur.

Mon. praſ.

Cujus cella honorifice ſervatur

Mon. Tur. Major. de an. 1680.

„ IX. Andegavenſibus interea fratribus Minoritis devotiſſimus Ivo „ presbyter, & Eccleſiæ Cathedralis Decanus, valetudinarii Conven„ tus pia liberalitate conſtructa Capella, ad ſpirituale ſolatium Fratrum „ infirmorum, & convaleſcentium, obdormivit in Domino, & apud eoſ„ dem, quos vivens ſancte amaverat, electa ſibi pro quiete ſepultu„ ra ſub lampade Chori, expectans reſurrectionem ab anno MCCLXVIII. „ jacet.

Ivo Presb. ædificat Capellam.

Vide ſup. ad an. 1216. 1280. & 7. Obiit, & ſepelitur in eodem Conventu.

ARGUMENTUM.

Serius agunt Cardinales de mittendis copiis auxiliaribus in Syriam, & juvandis Principum Chriſtianorum conatibus, confirmata legatione tranſmarina Rodulpho Cardinali Epiſcopo Albano. Opi fuit per ſe ſuoſque Bonaventura, qui indictis comitiis Aſſiſiatibus, plurima perquam utiliter decrevit. Ordines deinde Mendicantium viriliter defendit contra Giraldum de Abbatis-villa: Moritur beatus Lucas Belludinus, ſancti Antonii ſocius. Extruuntur aliquot domicilia.

In miſero ſtatu res Chriſtianorum ſub hoc tēpore.

I. RES Chriſtiana ſub hoc tempore in ſummo periclitabatur diſcrimine, Tartaris longe lateque ſe diffundentibus, in Poloniam, Ruſſiam, Hungariam irruentibus, Græcis cum Latinis in Oriente digladiantibus; Soldano Babyloniæ aliiſque hoſtibus Hieroſolymam univerſamque Syriam debellantibus. Italiæ Dynaſtis miſere inter ſe ſævientibus; & quod malorum ſummum erat, vacante Sede Apoſtolica, nullus erat qui tantis malis ex officio mederetur. Tantum enim exarſit inter Cardinales ſtudium partium, & crevit appetitus res ſuas alienis præferendi, ut nequaquam adduci poſſent, quantumvis pauci, ad concordiam. Singulorum excellentia, immodica quorumdam ambitio, aliorum item zelus, & deſiderium ſancto Pontifici Clementi dignum creandi ſucceſſorem, atque abeundi a comitiis facultas fecit ut integrum hunc annum, & ſequentem in alterius protraherent diſſidiis.

Miſſus a Clemente Cardinalis legatus Tranſmarinus.

II. Inter ſe diſcordes, nihilominus concorditer dolebant, res Hieroſolymorum in tam miſero ſtatu ultimum minari exitium, quare conſilium inierunt deſperatæ ferme regioni ſuccurrere per auxiliares copias, ſavente præcipue, & præeunte Ludovico ſancto Rege Galliarum. In hoc ipſum totus incumbebat antequam moreretur Clemens, in eoque ſtatu res verſabantur, ut Rodulphum Gallum Cardinalem, Albanum Epiſcopum ſuum crearit Legatum in partibus Tranſmarinis, atque ille Pontificis nomine rei Catholicæ & Eccleſiaſticæ curam ageret, judexque arbi-

ter

ter eſſet inter tot Principes ad hanc expeditionem transfretaturos. Hunc itaque miſit in Galliam ad Ludovicum Regem, ut expeditius omnia fierent, ejuſque auctoritate & prudentia excitarentur ad commigrandum alii Principes Chriſtiani. Paulo antea in Galliam profecto Cardinales reliqui auctoritate Eccleſiæ Apoſtolicæ, quæ penes eos tunc reſidebat, confirmarunt legationem, rogantes ut quantocyus claſſicum caneret, & ut transfretaret exercitus ſedulo laboraret. Diploma Cardinalium, quia in ſimili materia novum, & quia graviſſimum ad noſtri Ludovici laudem hic ſubtexo. Confirmatur a Cardinalibus in Sede Vacante.

Miſeratione divina Epiſcopi Presbyteri & Diaconi ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales: Venerabili Fratri, Rodulpho Epiſcopo Albanenſi Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem in Domino.

III. *Guſtato frequenter amaritudinis calice ſuper dilatatis oppreſſionibus Terræ ſanctæ, quam ſauciat, & lacerat manus Agarenorum impia, madefieri ſemper avida ſanguine Chriſtiano, ejus deploramus anguſtias, & per affectum compaſſionis intimæ ſecum ſui doloris tormenta patimur. Dolemus itaque & incolarum ipſius terræ cruciatu continuo, quibus vix defenſionis tutela relinquitur, ſeu quietis remedium indulgetur. Sed potiſſime circa opprobrium Redemptoris afficimur, cujus hæreditatem nationes perverſæ diripiunt, diris affligunt moleſtiis, & hoſtili feritate conculcant. Talibus quidem Romana Eccleſia mater diutius ibidem vexata moleſtiis, ſollicitudinibus anxia, & ſtudiis operoſa, pro juvanda prædicta terra labores ſubiit varios, & quantum ſibi extitit ex alto permiſſum, manus & mentem ab ejus auxilio non retraxit. Specialiter autem modernis temporibus fel. rec. Dominus Clemens Papa IV., qui proſequi negotium ipſum efficaciter intendebat, primo venerabili fratri noſtro Simoni tituli ſanctæ Ceciliæ Presbytero Cardinali, etiam in Regno Franciæ Apoſtolicæ Sedis Legato, nonnulla, quæ ipſi negotio erant opportuna, commiſit, & poſtmodum vos ad partes Galliæ, ob felicem promotionem ipſius negotii cum plenæ Legationis officio deſtinavit: committens vobis nihilominus (habita ſuper hoc deliberatione ſolemni cum Fratribus ſuis, eorumque intellectis in hac parte conſiliis) idem Legationis officium in partibus Tranſmarinis: voſque de ſuis manibus Crucis recepto ſignaculo, proſecuturi, commiſſum vobis officium in Franciam proceſſiſtis. Cum autem appropinquet tempus paſſagii generalis, & Legati præſentia ſit in eiſdem partibus multipliciter opportuna, maxime ut Chriſtianus exercitus, prout in tam arduo negotio convenit, & alias fieri conſuevit, ſpiritualibus præſidiis adjuvetur; expedit ut Legationis officium in dictis partibus Tranſmarinis, juxta datam vobis a Deo gratiam, exequi valeatis. Decentius enim & expeditius eſſe conſpicimus, quod per vos proſecutionem recipiat partium earumdem Legatio, cui ſicut præmittitur, ſemel extitit jam commiſſa, quam ſi de novo per nos alii committatur; & ne apud aliquos revocetur in dubium, an pro eo quod vivente memorato ſummo Pontifice, non fuiſtis terminos Legationis partium prædictarum ingreſſi, nec de commiſſione Legationis ipſius habuiſtis ab eadem ſede litteras ſpeciales, ſeu alia qualibet ratione dictum officium expirarit, vel quod apud vos non reſideat ipſum exercendi poteſtas: Nos in tantæ neceſſitatis articulo, ac populo Chriſtiano auxiliis, deſideriis, promptiſque conatibus intendentes ſubvenire ſalubriter quantum poſſumus, & debemus, non derogando in aliquo commiſſioni prædi-*

ctæ

Ex formul. Ebulen. lib. 1.

Terra ſancta ſub dura oppreſſione

Compatitur Romana Eccleſia.

Miſſi Legati a Clemente.

Confirmatur Rodulpho Cardin. Legatio.

ſtæ jam, ut ſupra exprimitur, per eumdem ſummum Pontificem vobis factæ ſed omnem in iis materiam dubitationis, & ſcrupulum a fidelium mentibus amputare, prout expedit, affectando ad plenam veſtræ poteſtatis evidentiam, præſertim cum ad præſens eadem ſede vacante, alius non ſuperſit, qui valeat in hujuſmodi articulo, prout ipſius exigit neceſſitas, providere; vobis in dictis partibus Tranſmarinis plenam Legationem, ut evellatis, & deſtruatis, diſſipetis, & diſperdatis, ædificetis, & plantetis, ſicut videbitis expedire, auctoritate præſentium duximus committendam: Fraternitatem veſtram rogantes, hortantes, & obſecrantes in Domino Jeſu Chriſto, quatenus onus prædictum fiducialiter humeris veſtris impoſitum ad laudem divini nominis, augmentum Catholicæ fidei, ſalutem veſtram, & prædictæ terræ, ac aliorum Chriſti fidelium, qui ſe illius terræ conſtituerunt, & conſtituunt defenſores, ſuſcipientes humiliter illud conſtanti animo, & benigna patientia, prout vobis ex Legationis officio competit, proſequi ſtudeatis. Speramus enim in illo, cujus auxiliatrix dextera clementer adeſt agentibus cauſam ejus, quod ipſe, qui perſonam veſtram providentiæ munere, ſcientiarum magnitudine, circumſpectionis & induſtriæ gratia, multiſque virtutibus conſignivit, prædictis humeris veſtris fortitudinis robur adjiciet, virtutem miſericorditer faciendo vobiſcum, ut præfotum negotium, quod ad ſuam proſequimini gloriam, felicitatis optatæ ſuſcipiat incrementa &c.

Comitia generalia Aſſiſii in ordine vigeſima.

Tom. 1. an. 1219. n. 10.

Statuta in eiſdē condita.

IV. Neque Bonaventura, noſter primicerius, ſuam omittebat operam inciendis per ſe, ſuoſque ad ſacrum bellum Principibus, & Dynaſtis, convocatiſque Generalibus Aſſiſii Comitiis Reipub. Chriſtianæ diſcrimen commendavit Conſodalium orationi, & in prædicanda cruce per deputatos Miniſtros ſollicitudini. Renovavit in hoc Capitulo conſtitutionem alias a ſuo ſancto Inſtitutore Franciſco editam de cantando ſolemniter ſingulis diebus Sabbatinis ſacro in honorem & reverentiam Virginis Deiparæ. Addidit etiam ut univerſi Fratres hortarentur privatim, & publice docerent ex roſtris fideles quoſque ad triplicem campanæ pulſum ſub imo veſpere ter eamdem Virginem ſalutare verbis angelicis, in ea enim erat cum aliis pleriſque Doctoribus ſententia, ſub illa hora a Gabriele Archangelo divinum nuncium de concipiendo Verbo æterno recepiſſe: a quo tempore percrebuit hic mos in Eccleſia ſancta, ut ubique terrarum in ſumma ſit obſervantia. Juſſit item quod alias præcepit, ut in menſis non uterentur utenſilibus ſtanneis, aut cyathis vitreis.

An. 1260.

Ordinavit inſuper, ut ſecundum præcipuas nationes Romanorum, Lombardorum, Hiſpanorum, & Germanorum, quatuor conſtituerentur aſſiſtentes, ſive regentes in Gymnaſio generali Pariſienſi, qui præeſſent ſuæ nationis hominibus, ut ſedulo proficerent, neque neceſſarium quidpiam eis deeſſet.

V. Dum ad hoc Capitulum pergeret Bonaventura, evenit, ut quidam frater Fulginas afflictus, dum illic in patria non poſſet eumdem Bonaventuram ſuum primicerium, pro relevanda calamitate propter plurimos circumdantes, & itineris comites alloqui, præceſſerit Hiſpellum, atque ad oppidi radices in via occurrerit Generali, non parvo Fratrum, ſociorumque comitatu ſtipato, elataque voce tranſeunti dixerit:

Humanitas Bonaventuræ erga Fratrem afflictū.

Venerande Pater, ego percuperem pro mea conſolatione te alloqui, & humiliter rogo, ne tuum contemnas ſubditum, quantumvis humilem fratereulum, tuæ tamen curæ commiſſum. Receſſit aliquantulum a comitatu Bonaventura, ſedenſque humi humaniter & placide cum miſello, candide audivit,

vit , patienter tulit prolixius dicentem , & miſericorditer conſolatus eſt
deprecantem . Commoti Fratres ob tantam moram , expectantes in via
ſubmurmurabant , dixeruntque , ſupremum Ordinis virum non ita ſe de-
primere debere , ut occurrenti in via fraterculo aſſideat in terra adeo
longo tempore , relictis gravioribus patribus Sodalitii , qui eum comita-
bantur . Quibus ille : *Non licuit Fratres aliter facere : Ego Miniſter ſum ,* Regul. c. 10.
& ſervus ; ille meus Dominus : frequenter etenim illa Regulæ commemoro
verba : Miniſtri benigne & caritative Fratres recipiant , & tantam fami-
liaritatem habeant circa ipſos , ut dicere poſsint eis & facere , ſicuti domini
ſervis ſuis . Nam ita debet eſſe , quod Miniſtri ſint ſervi omnium Fratrum .
Ego ſervus obtemperare debui domini voluntati , & compati laborantis in-
firmitati .

VI. Novus hoc tempore ortus eſt Sodalitii inimicus , qui tacito no-
mine edidit volumen , cui hoc initium : *Tantum ſibi præſumptionis aſ-* Inſurgit in Mendicantes Girardus de Abbatisvilla .
ſumpſerunt quidam homines , &c. in quo præcipue partes agebat Guillelmi
de ſancto Amore , & condemnatum a Sede Apoſtolica ejuſdem tractatum
improbe defendebat . Tribus diſtinguebatur opella libellis . In primo , Scopus cujuſdam ejus libelli .
fugam perſecutionis & mortis , tamquam actum maxime competentem
viris perfectis & ſanctis , magnis extollebat præconiis ; abſtinentiam ve-
ro , & jejunium , tamquam ſpiritualium medicamenta morborum , maxi-
me aſtruebat competere imperfectis . In ſecundo , ſtatum opes habentium
volebat omni laude digniſſimum , & ex adverſo ſtatum nihil habentium ,
periculoſum atque imperfectum . In tertio , Religioſorum mendicantium
pauperiem & abjectionem , quantis poterat cavillationum verſutiis im-
pugnare ſtudebat . Unde non immerito ſcribit Bonaventura in hoc occul- *Bonav. in Apol. pauper. reſponſ. 3. c. 1.*
to paupertatis hoſte ; iterum exſuſcitatum evigilaſſe Vigilantium hære-
ticum , qui ad confutationem acerrimi & doctiſſimi redargutoris Hiero-
nymi conſopitus , jam dudum dormierat . Ille nimirum contra pauperta-
tis perfectionem , & ſuſtentationem pauperum ſanctorum , ſui pectoris
virus evomuit : hic autem bonorum temporalium affluentiam in culmine
perfectionis Evangelicæ collocans , ipſorumque voluntariam carentiam ,
ut imperfectam , & ſuperſtitioſam calumnians , Guillelmi prædicti ſe pro-
babat diſcipulum , qui contra evangelizantium , & mendicantium pau- *An. 1256. n. 30.*
perum Ordines libellum compoſuit , quem Sedes Apoſtolica , uti dixi-
mus , condemnavit . Illum etiam non modica temeritate velut innocentem
excuſabat , ipſiuſque doctrinam commendabat , approbabatque non ſine
injuria multa Sedis jam dictæ , & ſummorum Pontificum , cum nihil aliud
ſit auctorem damnati libelli innocentem aſſerere , quam damnantis judi-
cium reprobare . Occaſionem ſcribendi arripuit , ut idem teſtatur Bona- Ejus ſcribendi occaſio .
ventura , ex libello a quodam conſcripto contra ſæpe dictum Guillelmum ,
cui initium : *Manus , quæ contra Omnipotentem erigitur* , in quo eximiæ *Idem reſponſ. c. 1.*
paupertatis perfectionem auctor aſtruebat : cui hic libellum ſuum oppo-
ſuit in titulo præmittens , quod hoc opus ſuum edebat contra adverſa-
rium perfectionis Chriſtianæ , & Prælatorum , & facultatum Eccleſiæ ,
quaſi non poſſit paupertatis celſitudo laudari , niſi in injuriam Chriſti ,
& Eccleſiaſticæ dignitatis : in quo ſe oſtendebat vel impium , vel igna-
rum , dum vel ſcienter innocenti falſum impingit crimen , vel ex conſi-
deratione propria non advertit , quod diverſi ſtatus in Eccleſia Chriſti
commendari poſſunt laudibus præcelſis & propriis , non tamen diſſonis ,
quamquam diverſis .

VII. Adverſus hunc diffuſam & doctiſſimam ſcripſit Apologiam ſan-

ctus Doctor Bonaventura, nomen adverſarii, vel ex modeſtia, vel ex ignorantia ubique reticeſcens; quod tamen poſteris ubique innotuit. Etenim vitæ Bonaventuræ ſcriptores, Chronica antiqua Minorum, & alii paſſim temerarium, & hæreticum hunc paupertatis calumniatorem, Giraldum de Abbatis-villa Pariſienſem Magiſtrum fuiſſe conſpirant; cujus impietatem ad aliorum exemplum adeo Deus ultus eſt, ut victus ac ſuperatus Bonaventuræ eloquentia, ſcribendi ſubtilitate, ac ratiocinandi ſoliditate, tandem paralyſi fœde affectus, & lepræ ſordibus totus inquinatus, miſerrime interierit. Sic Mariam, quod in Moyſen inſurrexiſſet, lepra corripuit; ſic Dathan, Core, & Abiron dehiſcens terra abſorbuit; ſic pueros, qui Eliſæo maledixerant, urſi cœleſtis iræ adminiſtri dilaniarunt. Sic Arius, qui impuram adverſus veritatem linguam ſtrinxerat, cum naturæ neceſſitati pariturus, pauliſper a via ſeceſſiſſet, una cum viſceribus & inteſtinis, inſtar Judæ impiam profudit animam; adeo ſevere Deus jus ſuum in Prophetis, ſacriſque Doctoribus male acceptis, violatum perſequitur.

Galeſ. cap. 9. Maurit. Breſſius orat. de S. Bonaventur. Chron. antiqua.

Divina ultio in Giraldum.

Num. 12. 10. Jud. 16. 31. 4. Reg. 2. 23. Ita refert Nicephorus Caliſt. l. 8 cap. 51. & Athanaſ. epiſt. ad Serapion.

Deus ulciſcitur injuriam, latam ſervis ſuis.

Hoc ipſo anno ſuſceptum hoc pium certamen a Bonaventura.

Idem reſponſ. 4. cap. 1.

VIII. Hoc vero anno, vel tempore, defenſionis hujuſce munus ſuſcepiſſe Bonaventuram mihi conſtat ex ipſa Apologia. Cum etenim calumniator objiceret, pauperes evangelicos omnibus renunciantes, vel inde condemnandos eſſe, quod diſcrimini ſe committerent, eſſentque conſequenter homicidæ ſui, vel tentatores Dei: reſpondet Bonaventura, Minores ex ſponte oblatis, vel mendicitate, aut laboritio acquiſitis per ſexaginta annos, & amplius in magna multitudine abunde vixiſſe. Annorum autem hic cenſus in hoc tempus incidit, in quo etiam tunc auctorem ipſum infamis libelli vixiſſe expreſſe narrat idem Bonaventura in prologo, graviter conquerens de tanta impietate: *Porro*, inquit, *diebus iſtis noviſſimis, quibus evidentiori claritate veritatis Evangelicæ fulgor illuxerat (quod abſque profluentium exaberantia lacrymarum nequaquam referre valemus) dogma quoddam pullulaſſe, jamque in ſcriptis redactum reperimus, quod tamquam fumus teter & horridus e puteo abyſſali prorumpens, ipſiuſque ſolis juſtitiæ ſplendentibus radiis ſe directe objiciens, Chriſtianarum mentium hemiſphærium obſcurare contendit. Ne igitur tam pernicioſa labes (non ſine Dei offenſa, & animarum diſcrimine diſſimulata) concreſcat, præcipue cum calliditate ſerpentina pietatem quamdam in ſuperficie præferat, revelanda eſt facies indumenti ejus, ut clare detecta fovea; caute poſſit evitari ruina: Sane quia hujuſmodi fabricator erroris, cum adhuc ſit viator, ut credimus, corrigi poteſt per Dei clementiam, ſollicite pro eo interpellandus eſt Chriſtus, ut ſuæ vocis virtute, ac ſapientiæ lumine ejus, quam Saulo quondam exhibuerat miſerationis non immemor, & protervientem deterreat, & ſuperbientem humiliet, & errantem requirat, corrigat, & reducat.* Placuit ita hæc diffuſius examinare & diſtinguere; communiter etenim Bonaventuræ tractatus Apologeticos duos de paupertate confundunt ſcriptores, inter quos Marcus Uliſsyponen. Alphonſus a Caſtro & alii, qui utrumque contra Guillelmum de ſancto Amore editum conſcribunt.

Act. 9. 3.

Marc. par. 2. lib. 1. cap. 43. Caſtro verbo Paupertas hæreſi 3.

Callidus hic Giraldus in ſua nequitia:

IX. Porro Giraldus hic in iſthac ſua hæreſi non ſibi ſemper conſtat. Aliquando etenim (quod proprium eſt hæreticorum, qui ne capiantur in ſermone, modo ajunt, modo negant) omnino condemnat voluntariam paupertatem; & omnimodam rerum omnium abjectionem tamquam periculoſam & imperfectam, ut teſtatur Bonaventura pluribus in locis; aliquando vero laudat & probat his verbis ab eodem Bonaventura ci-

ta-

tatis: *Sed dices*, inquit, *condemnaſne eos, qui loculos non habent, nec laborant?* & ſubdit: *Non condemno, ſed laudo, nec tamen habentibus præfero, quia non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum.* Et inferius: *Etſi enim homo ſolus abſque loculis poſſit vivere, tamen de congregatione, cui tanta competunt, credibile non eſt.* Dehinc ſubdit: *Reſpublica ſunt loculi Chriſti; ſi ergo Chriſti membrum es, cum Chriſto loculos habes.* Quod ego judicaverim de Vafro hoſte, eſt non omnino condemnaſſe paupertatem voluntariam utcumque, ſed eam quæ tam in communi, quam in peculiari rerum omnium abdicat dominium, in quo videtur aliquantum a Guillelmo de ſancto Amore, cujus defenſionem ſuſcepit, recedere, & propius ad Deſiderium Longobardum hæreſiarcham accedere, inter quos hoc diſcrimen Alphonſus a Caſtro conſtituit, ut ille omnem paupertatem actualem damnaverit; Deſiderius vero eam paupertatem ſe probare innuerit, quæ habetur in religionibus, poſſeſſiones habentibus, damnabat tamen illam paupertatem, cui annectebatur mendicitas. Horum duorum hæreticorum damnatam recenſent memoriam, qui de hæreticis ſcribunt. Giraldi non adeo meminerunt, ex Anonymo ſcripto ignoti. Deſiderium Guillelmo paulo priorem, ſeu ferme æqualem inſinuat Divus Thomas, qui in Opuſculo 19. quod edidit contra impugnantes religionem, ſeriem eorum, qui paupertatem condemnabant recenſens, ortam ait hæreſim hanc in Vigilantio, contra quem acriter egit Hieronymus, conſervatam per ſucceſſiones errantium uſque ad ſua tempora, & permanſiſſe in ſecta Catharorum, & adhue, inquit, permanet, ſicut patet in quodam tractatu cujuſdam Deſiderii hæreſiarchæ Longobardi noſtri temporis, quem edidit contra Catholicam veritatem, in quo inter cetera condemnat ſtatum eorum, qui relictis omnibus egere volunt cum Chriſto. De Guillelmo vero a ſancto Amore, & ceteris fautoribus Pariſien. addit: *Nuper autem, quod eſt horribilius, antiquus error renatus eſt, ab his qui fidem defendere videbantur, qui more errantium in pejus procedentes, non ſunt contenti divitias paupertati æquare, ut Jovinianus (qui omnium baptizatorum ſive divitum, ſive pauperum ſuum baptiſma ſervantium, unam in regno cælorum ajebat eſſe remunerationem) vel divitias paupertati præferre, ut Vigilantius, ſed paupertatem totaliter condemnant, dicentes non eſſe licitum ſua omnia pro Chriſto relinquere, niſi talem religionem intret, quæ poſſeſſiones habeat, vel niſi talis ſit, qui labore manuum vivere intendat. Aſſerunt etiam paupertatem laudari in Scriptura non actualem, qua aliquis ſe rebus temporalibus expoliat, ſed habitualem, qua rem temporalem aliquis contemnat corde, etſi re poſſideat.* His poſterioribus, contra quos divus Thomas ſcripſit, uti jam diximus, ex parte adnumerandus eſt Giraldus, ex parte vero Deſiderius Longobardus, ejuſque ſequaces, qui paupertatem dumtaxat poſſeſſiones non habentium, condemnabant. Scripſit ergo contra Pariſienſes calumniatores, & contra occultum hunc inimicum diverſis, quibus prodierunt annis, ſanctus Bonaventura, variiſque editis tractatibus ſuum, alioſque Ordines valide defendit, ita ut talem merito dicas, quales Antiſtites volebat Paulus: *potentes exhortari in doctrina ſana, & contradicentes arguere.*

In reſp. 1. cap. 1. & reſp. 3. cap. 2. & cap. 3.

Idem in reſp. 4. cap. 1.

Quinam impugnaverint paupertatem voluntariam.

Caſtro citat.

Thom. Opuſc. 19. cap. 6.

Ad Tit. 1. 9.

X. Obiit hoc anno beatus Lucas Patavinus, ſatus progenie Belluda nobiliſſima, arci Placiolæ olim munitiſſimæ dominante, quæ prius Nicolai Dentis fuiſſe perhibetur, ab Alexandro Belludo empta, & ad ejus poſtea hæredes una cum ſubjacentibus prædiis tranſmiſſa. Diſcipulus

Obiit B. Lucas Patavin.

Anno Christi 1269.	Sedis Vacantis anno 1.	Schismatis Imper. Occid. anno 14.	Religionis Minorum anno 62.

Scardeon. de reb. Patav. l. 2. claſ. 6. Portinar. lib. 9. cap. 9. Rodul. fol. 119. Laudatur. Ann. 1267. n.

fuit & ſocius ſancti Antonii, vir ſane doctiſſimus, & inter concionatores præcipuus, parumque tum doctrina, tum moribus Duci & Magiſtro diſſimilis. Vixit in paupertate & admirabili rerum contemptu, in ſumma humilitate uſque ad finem vitæ perſeverans. Ædes Fratrum Patavii extruxiſſe, iiſque præfuiſſe ſcripſimus ſuperius. Adiit is aliquando Anſidiſium Eccelini Tyranni Vicarium, reprehenditque quod multa injuſte, & impie contra Eccleſiæ libertatem tum aliis permitteret, tum & ipſemet faceret. Quapropter graviter accuſatus apud Eccelinum, ea occaſione ipſe, & tota ejus familia proſcripta: & univerſa ejus bona publicata. At beatus Lucas interim a prædicatione deſiſtere coactus, die noctuque orabat pro ſalute patriæ, quæ penitus ab immaniſſima Eccelini Tyrannide afflicta, ac pene extincta jacebat. Quare apparuit ei tamdem in quiete beatus Antonius, prædicens ei poſt paucos dies ſuis precibus Patavium ab immaniſſima Eccelini crudelitate liberandum, quod vere contigit uti ſupra narravimus. Ubi etiam diximus ſepultum in Eccleſia ſancti Antonii elato & honorifico ſepulcro, in quo pariter ejuſdem apparitionis, & viri orantis imago ſcite expreſſa conſpicitur.

Ann. 1263. n.

Conv. Lauden.

Gonza. in Prov. Franciæ con. 14.

XI. Hoc tempore completum in Gallia, beneficentia præcipue ſancti Regis Ludovici, Monaſterium Minorum intra muros Lauduni Clavati, vulgo Gallico *Laon*, Urbis Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo Remenſi, cujus Antiſtes eſt Dux & Par Franciæ. Reſtiterunt, quoad potuerunt ſtructuræ, & Fratrum translationi cives, & proceres, volentes ut ſemper manerent in ſuburbio verſus campos ſancti Martini, ubi ante annum MCCXXXIV. Canonici Laudunenſes eis exædificarant domicilium. Templum beatæ Mariæ Virgini & Sanctis Apoſtolorum Principibus Petro & Paulo dicatum, conſecratum eſt anno MCCLX. In cœmeterio jacent varii homines doctrina ſpectabiles, inter quos celebrior memoria Magiſtri Guillelmi de Harſeguy magni hujus ædis benefactoris, cujus ſepulcro artificioſe ſculpto inciſum Epitaphium, & in erecto marmore juxta ſuggeſtum prædicatorium, commemorantur plurima ab eo pie legata; quæ Gonzaga plene tranſcripſit.

Conv. Beneventi.

Idem in Prov. S. Jacobi con. 16.

XII. Intra ſepta Beneventi villæ apud Hiſpanos Comitatus Pimenteliorum titulo, opibus, & colonia inſignis, extructum circa hoc tempus Fratribus domicilium docent quædam vetuſta illius ætatis monumenta apud Clariſſas Beneventanas aſſervata. Circa annum MD. refectum eſt ſumptibus Illuſtriſſim. Comitum, præcipue Alphonſi Pimentelii, atque ad tantam amplitudinem redactum, ut majus ſacellum Templi nobiliſſimis ſepulcris Comitum, & contiguum Monaſterium celebrandis Comitiis numeroſiſſimæ Provinciæ ſancti Jacobi, apte deſerviat. Adventantes ſingulis trienniis Patres Capitulares honorifice & laute excipiunt Comites, nec ullis parcunt ſumptibus, ut comitia magnifice celebrentur; quod & ipſe præſens vidi, eamque docebant aliquando ſuos filios pietatem, ut primis diebus Patribus conſcriptis aſſidentibus in menſa inſervirent. Magna eſt totius hujus familiæ erga univerſos hujus Provinciæ alumnos benevolentia, quam ubique deprædicant & continuis rependunt orationibus. Onus hoc erogandi capitulares ſumptus aſſumpſiſſe ſæpius a majoribus excepi tum ex ſua pietate, tum ex quibuſdam redditibus annuis, in eoſdem translatis, qui ſolvebantur ædi Minorum Salamantinæ ante reſtitutam regularem obſervantiam. Sub altari beatæ Virginis Mariæ condita, ſumma veneratione coluntur oſſa cujuſdam Leonis, ſocii, ut fertur, beati Franciſci, alterius omnino ab

Pietas familiæ Pimenteliorum.

illo

illo nominatiſſimo, ejuſdem ſancti Viri confeſſario, quem inferius Aſſiſii docebimus ſepultum. Loculo inciſæ ſunt hæ litteræ: *Sanctus Leo, ſocius ſancti Franciſci hic jacet*. Caput argenteæ incluſum thecæ in ſacrario cuſtoditur.

Fr. Leo unus ex ſociis S. Franciſci.

Ann. 1271.

XIII. Introducti hoc anno Minores in urbem, tunc nobile oppidum, Clonmeliæ, Provinciæ Momoniæ diœceſis Waterfordenſis, & Liſmorenſis in Hibernia, quibus ædificarunt Cives (licet quidam id tribuant Comitibus Deſmoniæ) intra muros prope navale ad flumen Surium, egregium, amænumque domicilium; cujus adbuc aliqua hæreticorum furori ſuperſunt veſtigia. Templum altum & amplum pulchris laquearibus, feneſtris magnis, varicolore vitro depictis emblematibus ſpecioſum, ædeſque contiguæ, quarum pars ceſſit Comiti Ormoniæ, pars altera Civibus. In Eccleſia conſpiciuntur multa procerum ſepulcra nigro marmore contecta, Dominorum Prindergaſt, Mandavil, Wale, Albi ſive White, Bray, Morronii, aliorumque illuſtrium virorum. In chori medio elevato monumento marmoreo, iconibus & ſtatuis adornato jacet Illuſtriſſimus Baro de Cahir. Hujus proſapiæ Edmundus Butlerus Baro, dum in iſthac Eccleſia audiret pro ſolita pietate ſacrum, eique narraretur, Comitem Ormoniæ, & Baronem de Dunboin cum aliis dynaſtis adverſariis, ejus terras multo milite invaſiſſe, in nihilo exterius commotus, ad finem uſque ſacro intereſſe voluit, indignum putans propter res quaſcumque humanas divinum intermittere myſterium, in quo potius precibus apud Deum interpoſitis, quam conſerto militum agmine facilius vincendos iri hoſtes, neque magnam rerum ſuarum ſubire poſſe jacturam, qui ne incompleto ſacrificio, a divino propitiatorio recederet, univerſas negligebat, chriſtiane judicavit. Neque illum pia fefellit opinio; nam peracto jam divino myſterio, paucis conſanguineis & commilitonibus ſtipatus, hoſtes aggreſſus, ſpolia, prædaſque reportavit, conſilia diſſipavit, & potentes inimicos in turpem fugam conjecit. Uno vel altero miraculo ſancti Franciſci virtutem in hoc Monaſterio Deus commendavit; nam cum quidam diſſolutæ vitæ reprehenſus a Fratribus, eos floccipenderet, monitus ut a nodoſo cingulo, ſeu flagello ſancti Franciſci ſibi caveret; dixit ſe nihilo Franciſcum ipſum babere, neque funiculum timere. Nocte ſequenti tot flagris affectus eſt in lecto, ut inter flagella & familiarium manus expiraret clamans, ſe a Franciſco cædi, ſe a Franciſci funiculo torqueri. Ejus effigies a multis annis in ſacrario ſervata, coram pejerantes, detecto mendacio, ſæpius confundebat. Mulier quædam juramento interpoſito negavit furto ſe tuliſſe veſtem quamdam, cujus rea vocabatur in judicium: non prius falſo juravit, quam veſtis in remotiſſimo angulo abſconſa ad pedes pejerantis coram omnibus apparnit: miraculo conterritam, culpam confeſſam, delicti pœnituit. Jacent in Eccleſia, noto Fratribus loco, reliquiæ cujuſdam Mauritii Sacerdotis in dicta urbe martyrium paſſi anno MDLXXXIX. Hujus ædis incola fuit frater Dermitius Mulronius in Monaſterio Galibaly ob teſtimonium fidei capite plexus; in cujus martyrio illud fuit admirandum, quod exſecto a trunco corpore capite nulla ſanguinis guttula profluxerit; quaſi voluerit Dominus ſacrum ſanguinem intra ſancti corporis clauſtrum digne ſervare, ne indigne in pollutam cæde humum difflueret. Pertinebat ad hunc Conventum, dum Patrum Conventualium regimini ſubeſſet, molendinum & piſcaria portus vicini, quæ Comitis nunc cognominatur, ob cauſam ſuperius allatam, quod in Comitis Ormoniæ ceſſerit poteſtatem.

Conv. Clonmeliæ.

Divini ſacrificii occulta virtus.

Contemptorem ſuum Franciſcus flagellat.

Pejerantes a ſancto Franciſco cōfunduntur.

Fr. Dermitius Mulronius Hibernus martyr.

XIV. Eo-

Anno Christi 1269.	Sedis Vacantis anno 1.	Schismatis Imper. Occid. anno 14.	Religionis Minorum anno 62.

Conv. Aquilæ. *Redul. fol. 277.* B. Thomas Hibernicus. *Ann. 1270.* Fr. Petrus Scotellus.

XIV. Eodem anno conſtructum fuit Monaſterium Aquilæ, antiquæ urbis in Regni Neapolitani finibus inter Samnites Veſtinos corpore divi Bernardini celebris, concedente eivium Univerſitate Fratribus ædis fabricandæ ſundum. Hic conditus eſt beatus Thomas Hibernicus, de quo agemus inferius. Habetur ibidem in reverentia cubiculum ſancti Bernardini, & Caputium ſancti Franciſci, ad cujus contactum multi ægri convaleſcunt. Exornavit plurimum hunc locum Petrus, Scotellus dictus, Aquilanus, qui Scoti commentaria in epitomen redegit, atque alia opera poſteris reliquit. Spectat hæc ædes ad Provinciam ſancti Bernardini, & Cuſtodiam Aquilæ Patrum Conventualium. Fiet ſuo tempore ſermo de Obſervantum domicilio, in quo tumulatus ſanctus Bernardinus.

Idem fol. 265. Conven. Montis Politiani. Conventus Bundinenſis. Conv. Francfordienſis. *Gonza. in Prov. Saxon. S. Crucis.*

XV. Tunc item apud Montem Politianum, nobile frequenſque in Tuſcia tractuque Senenſi oppidum, amæno in colle ſitum, donata ædicula ſanctæ Margaritæ infra ſaxum dicta, ab Archipresbytero Ventura, intercedente Guillelmo Epiſcopo Aretino. Cuſtodiæ Cluſentinæ Præfectus tum erat frater Ubaldus Piſtorienſis, & acceptæ ædis primus conſtitutus eſt Guardianus Philippus de Caſtillione. Syndicus vero Apoſtolicus Angelus Daneſius Politianus locum conſtruxit, & multis beneficiis cumulavit, inſtitutis ædis tutelaribus beata Virgine Maria, & ſancto Franciſco. Locum poſſident Patres Conventuales Provinciæ Tuſciæ, & Cuſtodiæ Cluſinæ. Hujus etiam anni partus alii duo Conventus Bundinenſis, & Francfordienſis in Provincia Saxoniæ ſanctæ Crucis, quorum monumenta omnino deperierunt.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Italia bellis oppugnata. Capitulum generale Aſſiſii per S. Bonavent. Comit. Provinc. Olomutii. *Caſim. Bierz. art. 19. n. 4.* Henricus Guardianus occumbit a Tartaris. *Mart. Ba. Jarosl. in Cat. SS. fol. 104.*

,, I. VAcat Apoſtolica Sedes, & res Chriſtiana in ſummo diſcrimine
,, verſatur. Ægypti Soldanus, *Bendodar* nomine Soriam vaſtat:
,, Armeniam debellat, Antiochiam habitatoribus vacuam fere totam di-
,, ruit, ſanguine Chriſtiano madens, onuſtus ſpoliis cum viginti milli-
,, bus captivis redit in Ægyptum. Tartari Poloniam, Ruſſiam, & Un-
,, gariam incurſionibus fatigant, rapinis ſpoliant, & barbare depopu-
,, lantur. Per univerſam fere Italiam ferrum it in ferrum, ubique cædes,
,, & ubique luctus, dum electores in eligendo Paſtorem diſſident; at
,, ſanctus Bonaventura, coactis Comitiis generalibus Aſſiſii, Fratribus
,, Reipublicæ Chriſtianæ diſcrimen denunciat, eorumque precibus com-
,, mendat; in his autem Comitiis Deodatus fit Miniſter Prov. Boemiæ,
,, & Poloniæ: Cuſtodia tamen Cracovienſi juncta Provinciæ Ungariæ,
,, & Cuſtodia Budiſſinenſi Provinciæ Saxoniæ; hic Miniſter, habitis Co-
,, mitiis Provincialibus Olomucii in Nativitate B. M. V. hoc anno,
,, brevi poſt mortuus eſt: quo etiam tempore beatus Henricus Guar-
,, dianus Cracoviæ, & Secretarius ſanctæ Salomeæ, vir devotiſſimus,
,, exemplaris, & multæ Doctrinæ, a Tartaris Poloniam late depopulan-
,, tibus, pro nomine Chriſti occiſus eſt cum undecim aliis ejuſdem Ordi-
,, nis, Cracoviæ apud ſuos omnibus ſepultis die v. Junii.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Palæologus ſequeſtrum & arbitrum conſtituit Ludovicam Regem Gallorum in unione Eccleſiarum perficienda. Quid agendam? interrogat ille Cardinales; & reſpondent præſcripta Rodalpho Cardinali Tranſmarino legato regula ineundæ concordiæ. Ludovicus interim cum aliis Principibus transfretat ad bellum ſacrum, ſed infeliciter ſuccedit, moriente in Africa ſanctiſſimo Rege cum plerisque dynaſtis. Subjiciuntur denique plurima pietatis, & ſanctitatis ejus argumenta, miraculis comprobata. Mors & acta beati Raffini ſancti Franciſci ſocii referuntur; necnon cujuſdam pii prædonis, fratris Senſi laici, & multorum ſancti Franciſci diſcipulorum, per varias Orbis provincias diſtributorum. Florent item pleriqae viri docti, & conſtruuntur cœnobia.

I. MICHAEL Palæologus Græcorum Imperator per tot annos, quibus agebatur de uniendis Eccleſiis Græca & Latina, nihil conclusum dolens, ſuos Nuncios miſit ad ſanctum Ludovicum Galliæ Regem, eum graviſſimi negotii arbitrum conſtituens, inſuper promittens, quidquid ille in cauſa diceret, ſe plene ac inviolabiliter obſervaturum. Pius Rex prudenter conſiderans hujus rei conſummationem ab Apoſtolica Sede expectandam, neque ſibi licere in negotio ſumme arduo & ſacro arbitrum agere, ad Collegium Cardinalium ſuos Nuncios miſit Euſtachium Attrebatenſem & Lambertum de Cultura Minoritas, qui coram exponerent rei gravitatem & ſollicite laborarent pro deſiderata perficienda concordia. Quibus gratanter exceptis, hoc anno ſcripſerunt Cardinales ad Rodulphum Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, Apoſtolicæ Sedis Legatum in Gallia, atque in expeditione Africana & Syriaca pro ſubſidio Terræ ſanctæ, remittentes ei profeſſionem fidei a Clemente præmiſſam,& formam juramenti,quod præſtare deberet Imperator, & præcipui quique Græcorum pro concordia admittenda. Alias ſubmiſerunt litteras ad ipſum Regem Chriſtianiſſimum, quibus laudabile ſtudium, & pietatem ejuſdem circa pacem & unitatem Eccleſiarum digne commendabant. Utraſque excepi ex formulario Marini Ebulenſis, & ad hiſtoriæ pondus ſubjungo.

Paleologus arbitrum facit Ludovicum Regem Galloru in cauſa unionis.

Conſulit ille Cardinales. Illi plene reſpondent.

Miſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales: Venerabili fratri Epiſcopo Albanenſi, Apoſtolicæ Sedis Legato.

II. *INter cetera, quæ in excellenti & Chriſtianiſſimo Principe Domino L. Rege Francorum Illuſtri dignis in Domino laudibus attollenda recti judicii cenſura dijudicat, ſingularem ipſius zelum ad incrementa fidei orthodoxæ, conſiderationis oculis intuentes in vocem exultationis & confeſſionis erumpimus, & exultantes in Domino, ac ejus beneficia confitentes, ipſi ſuper hoc vitulum labiorum exoluimus, a quo dicto Regi credimus pia miſeratione conceſſum, ut & alias affluenter caritatis ubera in opera pietatis effundat, & pro defenſione ipſius fidei, quaſi abnegans ſemetipſum, ad id ſe, ſuos, & ſua promptitudine ſpontanea exponendo, ſic illius ſpecialem ſe exhibeat defenſorem, & in ejus dilatatione miniſtrum, quod laudabilium evidentia operum ſatagit eidem fidei non ſolum filios ab initio alienos venire,*

Ebulen. lib. tit. de offic. legat.

Laudatur Ludovicus Rex Galliorum.

Oſea 14. 3.

re, ſed & per erroris devium alienatos ab ipſa ſuæ ſollicitudinis ſtudio ad ejus reducere unitatem; ſicut Terræ ſanctæ negotium auſpiciis, Deo auctore, felicibus per eumdem tam potenter aſſumptum, & porrecta nobis ex ipſius parte ſuper Græcorum reconciliatione petitio liquido proteſtantur. Nuper ſiquidem nobis præfatus Rex, religioſis viris fratribus Euſtachio de Attrebato, & Lamberto de Cultura Ordinis Fratrum Minorum ſuis Nunciis & litteris ad noſtram præſentiam deſtinatis expoſuit, quod magnificus vir Palæologus eorumdem Græcorum Imperator Illuſtris, per Apocriſarios & litteras eidem Regi expoſuit, quod ipſe, Clerus, & Populus ſuæ ditioni ſubjecti deſiderantes ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ redire, ipſique in ejuſdem fidei profeſſione uniri, varios ſuper hoc nuncios & litteras ad Sedem Apoſtolicam deſtinarant; quorum etiam aliqui in via detenti non pervenerant ad eamdem, & frequenter ac humiliter ad hæc poſtularant admitti, nec adhuc eorum circa id fuerat deſideriis ſatisfactum: apud eumdem Regem ſuper hoc multiplicatis nunciis & litteris inſtitit, depoſcens inſtanter, ut ipſe Rex in tam pio & utili negotio arbitri partes aſſumens, ad ipſius conſummationem ſollicita intenderet pietate. Ipſe namque Imperator, ut ſuis verbis, prout nobis referuntur, utamur, ſe velle Regem eumdem arbitrum in hoc conſtituere aſſerens, promittebat quidquid idem Rex ſuper hoc diceret, ſe pleno ac inviolabiliter obſervaturum. Et ut circa hoc ſuum magis oſtenderet dictus Imperator affectum, prædictum Regem adjurabat per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, quod nequaquam aſſumere onus hujuſmodi recuſaret. Et ſi ſecus faceret, ad ſummum Judicem, ut ipſe Rex in extremo judicio coram eo de hoc rationem redderet, appellabat; propter quod memoratus Rex ſolitum proſequens ad ejuſdem fidei augmenta propoſitum, & ad præfatam Romanam Eccleſiam conſuetæ non omittens devotionis affectum, ſed prudenter attendens, ac humiliter cognoſcens, quod ſuum non erat tale in eodem negotio, quod ſpecialiter pertinere dignoſcitur ad ejuſdem Sedis examen, etiam ad ipſius Imperatoris inſtantiam, officium uſurpare, conſulto reſpondens, quod in eodem negotio hujus partes nequaquam aſſumeret, ſed pro ipſius ſalubri conſummatione apud eamdem Sedem, ad quam id pertinet, libenter inſtaret. Ne itaque negotium, cujus expeditio ſi eam concedat Altiſſimus, tot animarum diſcriminibus obviat, eiſque viam aperit ad ſalutem, in proſecatione defectum aliquem patiatur a nobis, quibus, eadem nunc Sede vacante, cum alius qui hoc poſſit tempore vacationis hujus non ſuperſit, ſpectat in talibus providere; humiliter per eoſdem Nuncios ſuos poſtulavit, ut negotii executionem ejuſdem ſollicitudini veſtræ committere curaremus. Nos autem quæ per Sedem ipſam de noſtro conſilio acta novimus in præmiſſis commemoratione ſolita recenſentes, attendimus quod tempore fel. rec. Domini Urbani Papæ IV. religioſi viri Fratres quondam Simon de Alvernia, Petrus de Moras, Petrus de Criſta, & Bonifacius de Yporegia de Ordine Minorum &c. (hic commemorant ſub compendio quid in hac re actum per Urbanum, mox per Clementem miſsis his & aliis Apocriſariis, deinde ſubnectunt.) *Quocirca debita meditatione penſantes tam ſalubre negotium, tam utiliter, tamque perpenſo conſilio, & exacta maturitate diſpoſitum, non immutatione, ſed proſecutione potius indigere, inſtantiæ memorati Regis Francorum in votiva admodum expeditione ipſius negotii noſtris deſideriis concurrenti conſenſu prompto concurrimus, & præmiſſa vobis ad plenioris inſtructionis auxilium ſerioſius exponentes, executionem prædicti negotii fraternitati veſtræ præſentium tenore committimus, ut in ipſo juxta præmiſſarum ejuſdem Domini Papæ Clementis litterarum tenorem, quem*

vobis

vobis ſub ſigillis noſtris de verbo ad verbum ſine immutatione aliqua deſtinamus, ſecundum datam vobis a Deo prudentiam procedentes, Imperatorem, Clerum, & Populum memoratos ad ejuſdem fidei orthodoxæ profeſſionem, & acceptandum & recipiendum ipſius Eccleſiæ Romanæ primatum, juxta ſubſcriptam formam, idoneis ſecuritatibus & cautelis adhibitis, admittatis. Volumus ſiquidem quod in Concilio de Græcis generaliter congregando, memoratus Imperator, Patriarcha Græcorum, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archimandritæ, Abbates & alii Eccleſiarum Prælati, Clerus, & populus ſupradicti eamdem fidei veritatem & Primatum Eccleſiæ Romanæ juxta ſeriem in præmiſſis litteris ejuſdem Domini Papæ Clementis expreſſam, plene ac ſerioſe lectam & expoſitam fideliter, explicite, ac aperte hoc modo recognoſcant, acceptent, & profiteantur præſtito juramento. Forma juramenti a Græcis reconciliari volentibus præſtandi.

Ego .... Græcorum Imperator ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita, veram, ſanctam, catholicam, & orthodoxam fidem eſſe cognoſco, eam accepto, & corde ac ore profiteor, ipſamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, quoquo modo deviaturum, vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens fateor, recognoſco, accepto, ac ſponte ſuſcipio: & omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem Eccleſiæ Romanæ Primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervationem, præſtito corporaliter juramento, promitto, & confirmo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. Quod ſi contra hæc aliquid ſentire, confiteri, aut alias agere præſumpſero, me ſchiſmaticum, & anathematizatum eo ipſo recognoſco, ac ſeveritati ſacrorum Canonum ſubjacere. Huic autem præſcripto de mea recognitione, acceptatione, profeſſione, ſuſceptione, promiſſione, ac juramenti præſtatione ſponte mea facto, lecto, & perlecto ſponte ſubſcripſi, & ſigillum meum apponi feci. *Porro a Prælatis erunt prædicta & alia exigenda, videlicet, ut & manualem obedientiam & reverentiam exhibeant, & ſe ab illa nullo unquam tempore receſſuros, præſtito juramento, promittant. Et nihilominus in eorum promiſſione veniat, quod nec contra ſuam profeſſionem aliquid publice prædicare, aut occulte ſuadere præſumant. Adjiciendis nihilominus veſtra ſollicitudine in omnibus profeſſionibus, quas fieri continget, aliis idoneis ſecuritatibus & cautelis, quas vobis facti circumſtantiæ ſuggerent exigendas. Ceterum ad faciliorem & pleniorem conſummationem prædictorum expedire putamus, ut per ſingula loca inſignia illarum partium perſonas idoneas deſtinetis, per quas profeſſiones ſimiles in locis eiſdem cum ſolemnitate ac obſervatione ſimili admittantur. De hujuſmodi autem profeſſionibus fient publica inſtrumenta multiplicanda in varia, omnino ſimilia, & ſigillanda ſigillis authenticarum perſonarum, quas contigerit eſſe præſentes, ut aliqua penes vos retinere, nonnulla poſſitis deponere, ſi, & prout videritis expedire, & alia per diverſos nuncios propter inopinatos caſuum fortuitorum eventus ad Sedem Apoſtolicam, ut in ejus conſerventur Archivo, cum cautela & diligentia omnimode remittatis. Et ut quanto ſolemnius & ſalubrius eſt negotium, tanto in eo ſtudioſius & diligentius procedatur, veſtris volumus cura & ſtudio provideri, ut in Cathedralibus, & aliis ſolemnibus Eccleſiis, & Monaſteriis locorum, profeſſiones eædem in libris authenticis re-*

digantur in ſcriptis, ut in futurum conſervent rei geſtæ memoriam, & ipſius recentem poſteris notitiam repræſentent diligentius conſervandæ. Datum Viterbii Idibus Maii, anno Domini MCCLXX. *Apoſtolica Sede vacante.*

Miſeratione Divina &c. Regi Franciæ Ill.

Alia epiſtola ad Regem Franciæ.

III. *INter cetera, quæ in vobis tamquam in Chriſtianiſſimo Principe dignis in Domino &c. (ut in præcedenti epiſtola uſque ad* vitulum labiorum exſolvimus) *ut & alias affluenter caritatis ubera in pietatis opera effundatis, & pro defenſione ipſius fidei, quaſi abnegantes totaliter voſmetipſos, ad id vos, veſtros, & veſtra promptitudine ſpontanea exponendo, ſic vos ſpecialem exbibeatis defenſionem ipſius, & in ejus dilatatione miniſtrum, quod laudabilium evidentia ſatagitis operum, eidem fidei non ſolum filios ab initio alienos unire; ſed & per erroris devium alienatos ab ipſa veſtræ ſollicitudinis ſtudio ad ejus reducere unitatem. Sicut Terræ ſanctæ negotium &c.* (ut in alia verbis competenter mutatis, excepta forma juramenti uſque in finem.) *Licet autem neceſſarium non credamus vos de ingenti utilitate tanti negotii admonere, vel excitare ad ejus promotionem Regiæ pietatis affectum, cum illum fervere noverimus circa iſta; quia tamen ad felicem ejuſdem negotii conſummationem, per quam inveterati ſchiſmatis ſemina omnino tollantur, & reintegretur corpus Eccleſiæ per illud tanto membro, eorumdem videlicet Græcorum Imperio, tam longis & deflendis temporibus mutilatum, præcordiis totis afficimur, & ad eam plenis deſideriis ſuſpiramus: Serenitatem Regiam monemus, rogamus, & bortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum ſuadentes, quatenus utilitates innumeras, & præcipue animarum ſalutem ex bujuſmodi negotio, Deo auſpice, proventuras pia meditatione penſantes, necnon attendentes ſollicite, quod circa illud quamquam frequenti repetitione tentatum pro eo, quod ſicut eventus indicat, dicti Græci non in veritatis ſimplicitate in illo procedere, ſed tempus deducere in cautelis, & ſimultatibus intendebant, fraſtrata longæ deductionis ambagibus ſæpefatæ Sedis intentio ad optatum exitum non pervenit; memorato Legato, ſicut per eaſdem noſtras litteras directas ad ipſum videre poteritis, dicti negotii executio ad veſtræ petitionis inſtantiam demandatur; ſi annuente Domino, forſan appareat dictos Græcos efficaciter velle procedere in præmiſſis, veſtræ cooperationis ſuffragium in directione & proſecutione ipſius negotii exhibentes ad evitandum conſuetæ ſimultatis Inſidias, & idem negotium ſecuritatibus, & cautelis accommodis roborandum, divinæ retributionis intuitu, & ob reverentiam Sedis ejuſdem ſic ſollicite intendatis, quod vitatis ſciſſuræ antiquatæ diſpendiis, & in fidei, caritatis, & obedientiæ unitate Latinis & Græcis memoratis unitis, eamdem Eccleſiam ſuis reintegratam partibus, & ſolida membrorum ſuorum reſtitutione firmatam, in iis veriſimiliter timere non oporteat ulterius recidivum, veſtraque devotio illi exinde reddatur acceptior, & cujus in veritate res geritur, quique labores veſtros, quos pro ſervitio ſibi tam grato & accepto ſubibitis, in retributione juſtorum inæſtimabili munificentia compenſabit. Datum Viterbii Idibus Maii, anno Domini* MCCLXX. *Apoſtolica Sede vacante.*

Æmil. in Ludov. IX. Jo. Marian. l. 13. cap. 19. Gaguin. in S. Ludovico. Gaufrid. in ejus vita.

IV. Ante datas has litteras ſanctus Rex excitus precibus Legati Apoſtolici, & fraudatus (inquit Gaufridus de bello loco ejus confeſſarius) ſpe intrandæ religionis, quod ſummopere, uti diximus, affectabat, hoc

anno

anno Kalendis Martiis Maſſilia ſolvit, Chriſtianis in Oriente ſub tantis malis ſuccumbentibus ſubſidium præſtiturus. Inſtar alterius Matathiæ zelatus legem Dei, mala gentis Chriſtianæ, & ſanctorum Palæſtinæ locorum audire diutius non ſuſtinens, omnibus domi compoſitis, nullo ſancti Regis munere non perfunctus, Duumviris gubernando inſtitutis, Simone Neella, & Matthæo Vindocinate, illo e proceribus, hoc templi ſancti Dionyſii antiſtite, cum tribus liberis Philippo in Regno ſucceſſuro, Petro Alenconii Comite, ac Joanne Comite Nivernenſi infelici cognomine Triſtenni, quod eum mater Ægyptiæ cladis anno pepererat, ſecunda hac vice in Orientem tranſfretare decrevit. Navem conſcenſurus coram Proceribus piam & Chriſtianam hanc habuit ad filium natu maximum orationem: *Conſidera fili, ut ego, quando potius labores declinare mea ſuadet ætas, matre Regina provectæ ætatis ſola relicta, contempto Regno opulento, pace, & neceſſariis quibuſque florentiſſimo, rebus Chriſtianis juvandis magnis ſumptibus, ſummo diſcrimine, magno meo incommodo, quæ ventura mihi ſunt ignorans, libentiſſime propter Chriſtum in remotiſſimas inviſaſque terras proficiſcor. Altius item velim tecum perpendas, ut te Regni hæredem, binos fratres, tenellam item ſororem in Dei cauſa conſortes voluerim, quartum filium Ludovicum etiam ducturus, ſi imbecillior ætas permitteret. Affectus mei, & compatientis animi erga rem Chriſtianam ubicumque languentem, teſtes vos omnes volo, & fidos hæredes, te præſertim Philippe, cui cum Regno omnem hanc pietatem legatam cupierim. Id in ultimis Regni noſtri oris obſecro, & per Deum ipſum obteſtor, ut nec ipſi Regno, a quo jam ſolventes recedimus, nec uxori, nec liberis, nec alii cuicumque quantumvis caræ rei familiari parcas, quin periclitanti Eccleſiæ & fidei Catholicæ ubique & prompte ſuccurras. Exemplum nunc ſecundo exhibeo, & alias dedi vobis*, ut quemadmodum ego facio, ita & vos faciatis.

Ludovicus navigat ad ſacrum bellum.

Oratio ejus ad filium hæredem.

Joan. 13. 15.

V. Socios armorum ſe præbuerunt Theobaldus Navarræ Rex, & Eduardus Henrici III. Angliæ Regis filius, inito prius novo fœdere cum Henrico his legibus, ut nullum jus poſt hac ei foret repetendi Normanniam, Cænomanos, Andes, Turones, Pictones, quæ majores Henrici poſſediſſent, victique a Francis omiſiſſent; Aquitania ulteriore potiretur, ſimul ex citeriore haberet Santonum fines ad Carantonum uſque amnem: ei Cadurci, Lemoviceſque parerent. Eduardus filius cum claſſe inſtructa, in Orientem contenderet, dum Ludovicus ipſe in Africa Tunetum expugnaret: ea urbe regia capta, junctis copiis Franci Anglique Syriam perdomarent. Ne vero Ludovicus recta in Orientem navigaret, ſed Africanas vires prius attenuaret, ſuaſor & cauſa fuit Carolus frater, Siciliæ Rex, res ſuas tutiores cupiens fractis adverſis Africanis hoſtibus ſibi moleſtis. Afros Italiæ ſemper dixit infeſtos, Siciliam bello proximo concuſſiſſe, huic proinde regno & Provinciæ Phocenſi formidabiles eſſe; neque ſibi licere in Syriam navigare, regnumque ſacrum repetere, relicto e regione Siciliæ, Italiæ, Provinciæ, illo Barbariæ Africanæ incolumi regno. Cetera prona virtuti Francorum fore illo in poteſtatem redacto, aut viribus ne obeſſe deinceps poſſit, debilitatis; quod facillimum factu dixit, cum in conſpectu prope ſit, & brevi navigationis curſu interjecto. Sanctus Rex totum nomen Chriſtianum defendendum ſuſcipiebat, ut dum ipſe Africam adoriretur, Syriaci Latini adverſus ſuos deſtinatos hoſtes juvari ope poſſent, diſtinerenturque Saracenorum vires, ne alii aliis auxilio forent.

Socii armorum.

In Africam contendit Ludov. & quare.

Digitized by Google

Diſcrimen Angli Principis.

VI. Eduardus, ut convenerant, in Aſiam contendit, Ptolemaide copias expoſuerat, cum prope fuit, ut in ipſis rerum initiis interficeretur. In cubiculo erat, cum percuſſor eum adortus, uno atque altero vulnere afficit: ne confoderetur, accurſu Cubicularii effectum eſt. Inſidiator trucidatus, ſceleris præcipuus auctor ignotus, niſi quod Aſſaſinis, genti in pericula & facinora promptæ, auctores totum adſcribunt. Sunt vero, qui illud refundant in poſteros Simonis a Monteforti, ab Eduardo ſuperiori anno in prælio trucidati, ab eiſque paratum hunc inſidiatorem domeſticum, per quem dum Eduardum e medio tollere non potuerunt, tandem Henricum ejus conſanguineum, patrui Richardi, Cæſaris electi filium, ad ipſas aras, ut ſuo loco dicemus, ſuſtulerunt.

Anno 1271. & an. 1274.

Interea Ludovicus Rex ſæva tempeſtate jactatus, Sardiniam cum Rodulpho Cardinale Legato, & multis proceribus ægre appulit, exin Carthaginem tenuit, & devicit, ſed non ſine ſanguine. Hinc ad Tunetum

Ludov. expugnata Carthagine, Tunetum obſidet.

urbem regiam, tunc vel ipſa Carthagine nobiliorem, caſtra movit: in itinere occurrit Rex Afer, diu pugnatum, cæſa decem millia Pœnorum. Urbs terra marique obſeſſa, ac excluſa omni ſpe invehendi frumenti, jam in ſextum menſem continenti obſidione clauſa, de deditione agendi per Oratores initium fecit. Dum de conditionibus diſceptatur, in caſtris

Moritur Joan. filius Regis.

Francorum exorta peſtilentia depopulari exercitum cœpit. Deceſſit infauſtus filius Regis Joannes Triſtennis, natus patre a Barbaris circumvento, moriens patre protinus morituro. Ad octavum Kalendas Se-

Et ipſe Rex.

ptembris ſanctus Rex profluvio, vel ut alii volunt, communi exercitus lue rebus humanis valedixit, præmiſſis omnibus Chriſtianis officiis. Lar-

Gaufrid. in vita c.44.

gius omnia refert ejus Confeſſarius Gaufridus, quæ præſens vidit. Pſalmos & Letanias Eccleſiaſtico more dum ungeretur alternis vicibus cum ſacris recitabat miniſtris; illam ſæpius repetebat orationem: *Fac nos*

Pietas ejus ſub obitum.

Domine proſpera mundi deſpicere, & nulla ejus adverſa formidare; pro illis quos ſecum abduxerat illa verba ſubjungens: *Eſto Domine plebi tuæ ſanctificator & cuſtos*. Nihil tam ſe curare moriens probabat, quam ut urbs illa ad finem converteretur, ſubmiſſa, & deficiente jam voce inter ultima ſuſpiria dicens: Quid agendum huic urbi, ut Deo conquiratur? quomodo ad fidem veram poſsit reduci? quem idoneum & gratum mittere liceret Regi concionatorem, appellabatque ex nomine Prædicatorem quemdam, alias illuc miſſum, & regi notum. Plurimos ex ſanctis auxiliares advocabat, præcipue ſanctum Dionyſium ſui Regni tutelarem.

Firma erga Euchariſtiam fides.

Dum ſacroſanctam Synaxim pro viatico reciperet, interrogaretque ſacerdos, num firmiter crederet ſub conſecratis illis ſpeciebus Dei filium latere? reſpondit; minus id apud ſe habere dubii, quam ſi videret Chriſtum in ea forma, qua in cœlos aſcendit. In extrema hora jacere voluit ſuper ſtratum cinere conſperſum, in quo felicem ſpiritum, ipſa hora qua Dei filius pro ſalute generis humani in ara crucis expiravit, Deo reddidit, ſuſpiciens in cœlum, & magna dicens fiducia:

Pſal. 5. 8.

Introibo in domum tuam Domine: adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Æmil. citat. Belloforez. lib. 4. c. 23.

Tunetum adveniunt alii Principes Chriſtiani.

VII. Ejus morte non mediocriter conſternato exercitu Chriſtiano, ſupervenit ipſo mortis die Carolus Siciliæ Rex cum delecta manu, animoſque Francorum confirmavit; ſimul hoſtes feroces & ſublatis ſpiritibus, crebris eruptionibus, levibuſque præliis ſuperbam fiduciam oſtentantes, in juſtam obſidionem rurſus coercuit. Continuo & Anglica claſsis appulſa copias piorum ſpemque auxit, ac Barbaris novum terrorem

rem injecit. Deceſſerat Richardus Cæſar, frater Angli Regis. Henricua ejus filius Cornubiæ Comes ignarus, ſanctum Regem diem ſuum obiviſſe, claſſe adveniens, in Africam deſcenſionem fecit, ut quod futurum propediem ſpes erat, Tunete Regia urbe in poteſtatem noſtrorum redacta, quæ piis ad eam diem mare infeſtum feciſſet, conjunctis claſsibus in Syriam ad Eduardum patruelem curſum dirigeret; nec inde decederetur, niſi ea provincia confecta. Barbari ab Anglis, Francis, Italis, terra, marique oppugnati, circumventi, ac fame gravius quam ultra ferre poſſent laborantes, rurſus mentionem pacis facere cœpere, nec illam noſtri aſpernati, peſtilentia eos populante. Leges Barbaro Regi dictæ, ut ſanctos & religioſos viros a noſtris datos urbibus reciperent: his de Chriſto publice verba faciendi jus eſſet: ac ſi quis Afrorum noſtram profiteri religionem ſacris concionibns permotus vellet, ſacra lavatione initiandi, luſtrandique poteſtas fieret. Quadragena millia aureorum Siciliæ Regi Rex Barbarus quotannis numeraret: quantam ſummam Siculus Romano Pontifici ex formula debebat. Inde in Siciliam decurrebatur, magna ſpe, mutatione cœli, leniri luem graſſantis peſtilentiæ poſſe. In conſpectu Siciliam habebant, cum tempeſtas atrox naves disjecit; nec paucas ſubmerſit: reliquas quaſſavit. Hæc non modica clades, ex Africana elapſos, mari afflixit. Mari vexatos terreſtris rurſus calamitas excepit. Drepani vi morbi iterum gliſcente, obiit Theobaldus Rex, gener, ac uxor Iſabella filia ſancti Regis: obiit & nova Regina Eliſabetha. Per nobilia, ignobiliaque capita vagatum malum: viſaque neceſsitas imponi ſacri belli omittendi, & patriæ repetendæ.

Expugnant urbem.

Rex Navarræ, & Reginæ duæ moriuntur.

VIII. Miſerrimus ſane exitus tanti apparatus bellici, & infelix finis ſacræ expeditionis contra Dei inimicos, mortuis ſæva lue proceribus prænominatis, necnon Rodulpho Cardinale Epiſcopo Albanenſi Legato, & præcipuis ſacri Ordinis viris: *Terribilis* profecto Deus *in conſiliis ſuper filios hominum*; *aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum*, non adverſus Dominum, neque adverſus Chriſtum ejus, ſed ut opponerent ſe murum pro domo Domini, & prælia ejus præliarentur; & tamen non pepercit a morte animabus eorum, neque averſus eſt furor ejus, quin proſterneret eos in deſerto, & dejiceret eos in nationibus. Effuſa eſt contemptio ſuper Principes; pavor & mœror & confuſio in penetralibus Regum ipſorum; qui penetralia ſua & regna reliquerunt Domino militaturi: ſed judicia Dei abyſſus multa; quis ſenſum ejus cognovit, aut profunda conſiliorum penetravit? *Provocatus noſtris peccatis ante tempus quodammodo viſus eſt judicaſſe orbem terræ, in æquitate quidem, ſed miſericordiæ ſuæ oblitus. Non pepercit populo ſuo, non ſuo nomini. Nonne tunc dicebatur in gentibus: ubi eſt Deus eorum? Nec mirum, Eccleſiæ filii delecti, & qui Chriſtianiſsimo cenſebantur nomine perierunt in campis, aut interfecti gladio, aut peſte conſumpti.* Sed noſtrum hæc ſuperant captum: ſecurius recurret ſtylus ad ſuam materiam, & in ea, quæ propoſueramus de ſancto Ludovico dicenda, ſuo tramite gradietur oratio.

Sacri exercitus infelix finis.

Pſal. 65. 5.

Pſal. 2. 2.

Ezech. 13. 5.

Pſal. 77. 50.

Pſal. 106. 40.

Pſal. 35. 7.

1. *Cor.* 2. 16.

Bernard. lib. 2. *de conſid. cap.* 1.

IX. Sancti Regis (in quem jus noſtrum repetimus & latius alias probavimus) pietatem proſequi libet ex pie ſtatutis ſub mortem, & mire factis poſt tranſitum. Chriſtianam & piam reliquit Eliſabethæ filiæ Reginæ Navarræ inſtructionem, ſua manu ſcriptam, quam Gallico idiomate videre licet in obſervationibus Claudii Menardi ad vitam ejuſdem Divi per Joannem Sire de Jonville, Seneſchallum Campaniæ conſcriptam. Aliam ſimilem proprio etiam calamo exaratam dedit Philippo hæredi, quam

Inſtructio S. Ludovici ad filium.

Guaguin. lib. 7. de geſtis Francorum.
Bzov. an. 1270. n. 3.
Surius 25. Auguſt.

quam Robertus Guaguinus, in archivis Caroli V. Regis Gallorum, non Hiſpani Caroli V. Imperatoris, ut perperam tranſcripſit Bzovius, ſcribit fuiſſe repertam. Eam a prædicto Guaguino, ut ipſe ſcribit, latinam factam Laurentius Surius ex MSS. codicibus, ſtylo aliquantulum mutato, in hanc formam tranſcripſit.

1. *Fili mi; ante omnia diligenter in eam curam incumbe, ut diligat Deum. Nemo enim poteſt eſſe ſalvus, niſi Deum amet.*

2. *Cave, ne unquam admittas peccatum mortiferum; ſed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quam aliquam talem perpetrare culpam.*

3. *Cum adverſa accidunt; feras æquo animo, & cogites te commeruiſſe atque ita lucrum tibi inde accedet.*

4. *Cum rebus proſperis frueris; humiliter agas gratias Deo: ne inde animo elatus, efficiaris deterior; unde te oportuit fieri meliorem.*

5. *Crebro confitearis peccata tua, deligaſque tibi ſapientes Confeſſarios, qui te poſſint inſtituere & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ita te compares, ut audeant ſyncere te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.*

6. *Officium divinum devote auſcultes. Faceſſant ibi fabulæ & nugæ, nec oculi huc atque illuc circumferantur: ſed ores Deum ore, & etiam meditando corde, idque præcipue ſub ſacrificio poſt peractam conſecrationem.*

7. *Animo ſis pio & humano erga pauperes, & calamitoſos homines, illiſque pro viribus opituleris.*

8. *Si quid angat animum, id mox explices Confeſſario tuo, aut alicui viro bono: ita fiet, ut facilius id feras.*

9. *Da operam, ut quorum uteris conſuetudine & familiaritate, ii ſint homines probi & integri, ſive religioſi illi ſint, ſive ſeculares, & cum illis libenter miſce colloquia: porrò nequam, & improborum virorum commercia devita.*

10. *Sermones, qui fiunt de Deo, publice & privatim lubens audias: preces quoque & condonationes, ſive indulgentias ſtudioſe expecta.*

11. *Amato bonum, odito omne malum.*

12. *Ubicumque fueris, nemo auſus ſit quidquam ejuſmodi te præſente eloqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ deroget, nec tu unquam de illo male loquaris obtrectandi animo.*

13. *Non patiaris quemquam, te audiente, perverſe de Deo, aut Sanctis ejus loqui; nec id ſinas impune abire.*

14. *Crebro agas gratias Deo pro bonis omnibus ab illo tibi collatis, ut dignus fias potioribus ejus beneficiis affici & augeri.*

15. *In adminiſtranda juſtitia ſis rectus & ſeverus, & ita, ut leges præſcribunt, eam exerceas erga ſubditos, neque ad dexteram neque ad ſiniſtram deflectens; pauperumque querimonias non rejicias, donec veritas innoteſcat.*

16. *Si quis habeat adverſum te querelam, aut controverſiam, ſemper ab illo ſtes contra teipſum, donec rem certam comperias. Ita enim fiet ut conſiliarii tui fidentius juſtam ferant ſententiam.*

17. *Si quid poſſideas rei alienæ, etiamſi acceperis id a majoribus tuis, incunctanter reſtituas juſto poſſeſſori, ubi certo id tibi conſtiterit. Sin autem dubia res eſt, cura ut viri ſapientes accurate, & ſine mora inquirant. Id enim vel maxime ſtudere debes, ut qui ſunt in ditione tua, pace & juſtitia fruantur, imprimis homines religioſi, & qui in Clero ſunt.*

18. *Parentibus tuis debes amorem, reverentiam & obedientiam. Beneficia*

neficia Eccleſiaſtica non conferas niſi bene dignis , & qui nulla ejuſmodi beneficia habeant , idque ex conſilio bonorum virorum .

19. *Bellum , præſertim adverſus quemlibet Chriſtianum , ſine multo conſilio vide ne ſuſcipias . Si neceſſitas cogat ſuſcipere , Eccleſias & inſontes nullo patiaris damno affici .*

20. *Si quæ exiſtat vel tibi , vel ſubditis tuis , contentio , vel bellum quoad poteris , componere , vel ſedare coneris .*

21. *Vide ut bonos habeas Prætores & Magiſtratus , & de illis ſolerter inquiras ut ſe gerant .*

22. *Semper ſis addictus & devotus Romanæ Eccleſiæ ; & ejus Pontifici haud ſecus atque ſpirituali patri te morigerum præbeas .*

23. *Da operam ut impenſæ tuæ moderatæ ſint , & rationi conſentaneæ .*

24. *Sub finem hortor , & adjuro te , fili mi , ſi me contigerit ante te migrare ex hac vita , ut in toto regno Franciæ pro anima mea cures offerri Deo preces , & miſſæ ſacrificia .*

25. *Ad extremum , fili cariſſime , quidquid boni poteſt bonus & pius parens precari filio ſuo , id ego precor tibi . Sacroſancta Trinitas , & ſancti omnes ſervent te ab omni malo ; præſtetque tibi Deus gratiam recte ſemper agendi , & ipſius faciendi voluntatem : ita ut ille per te honoretur , & nos poſſimus poſt hanc vitam pariter eſſe cum illo , eumque contemplari , & laudare per infinita ſecula ſeculorum . Amen .*

X. Miræ fuit obſervantiæ & pietatis erga religioſa ſodalitia , Franciſcanorum præſertim & Dominicanorum . Eccleſiam ad miraculum magnam , quam alias plene deſcripſimus , Minoribus Pariſiis magnis ſumptibus , adjunctis aliis ædificiis extruxit . Prædicatoribus item Pariſienſibus dormitorium & refectorium , & Compendii domum univerſam ædificavit . Condito teſtamento cum ex peregrinatione Terræ ſanctæ in Galliam redierat , ſtatuerat , ut filii duo Joannes & Petrus in Ultramarinis nati , cum ad annos diſcretionis veniſſent intra ſepta religionis educarentur , unus in domo Prædicatorum Pariſiis , alter apud Minores , ut a juventute ad amorem horum Ordinum allicerentur , atque utrumque Inſtitutum capeſſerent . Ab eadem peregrinatione reverſus ſemper duos habuit confeſſarios , ex Minoribus unum , ex Prædicatoribus alterum , ut deficiente uno alter adeſſet , & utrique Inſtituto ſuum affectum oſtenderet . Singulis annis hyeme initiante , Conventibus Prædicatorum , & Minorum Pariſienſium pecuniam multam mittebat . Pro conferendis beneficiis Eccleſiaſticis , quæ jure patronatus ad eum ſpectabant , probatas & electas perſonas diligenter inquirebat per Cancellarium Pariſienſem , per Prædicatores , & Minores , alioſque viros commendabiles . Ultimis tabulis , quas ſupradictus Menardus exſcripſit , plura etiam utrique legavit Religioni . Librorum ſuorum partem unam legavit Prædicatoribus , alteram Minoribus , & Abbatiæ Montis-Regalis ; Minoribus Pariſienſibus quadringentas libras ; aliis autem domibus eorumdem Minorum in regno Franciæ conſtitutis , per conſilium , & ordinationem Miniſtri Provincialis Franciæ , necnon Guardiani & Lectoris Pariſien. qui pro tempore forent , vel duorum ex ipſis , diſtribuendas ſexcentas libras ; ſimiliter etiam legavit Prædicatorum Monaſteriis . Clariſſis Monialibus Rhemenſis Parthenonis quindecim libras , & totidem Pruvinenſibus . Omnibus etiam ferme totius ſui Regni Monaſteriis , & Collegiis , pauperibus , viduis , orphanis , egenis ſcholaribus ſubſidia caritatis diſtribuenda præſcripſit , juxta numerum & qualitatem locorum , con-

Minores & Prædicatores valde dilexit .

Tom. 2. an. 1234. num. 19.

Gaufrid. cap. 14.

Idem cap. 16.

Idem cap. 18.

Idem cap. 20.

Multa pie legavit .

conſtitutis teſtamenti executoribus Stephano Epiſcopo Pariſienſi, Philippo Ebroicenſi Electo, ſancti Dionyſii Abbate, & Magiſtris Joanne Trecenſi, Henrico Verzellenſi clericis ſuis, Archidiaconis in Eccleſia Bajocenſi, & diſtributoribus in egenos ſcholares, & quos bonos pueros vocant Pariſienſes, nominatis Priore Prædicatorum, & Guardiano Minorum Pariſienſibus.

XI. Tantam optimi Regis pietatem & ſanctimoniam noluit Deus occultam, ſed omnibus notam; quare ſtatim, ut ſanctiſſima anima in cœlum avolavit, multis cœpit coruſcare miraculis, ex quibus potiora hic damus ex Guillelmo Carnotenſi ſancti Regis Sacellano, Ordinis Prædicatorum, cui cum beneficium Eccleſiaſticum conferret, prædixit poſt quinquennium eum huic Ordini nomen daturum. Refert hic ſe audiviſſe a pia, & nobili matrona Pariſienſi, quod paulo poſt ſancti Regis obitum, antequam in Gallia ſciri poſſet, eum vita defunctum, ipſa viderit Regem pluviali indutum purpureo, ſacellum ſuum ingredi ante altaris medium junctis manibus, ad ſacrificantis modum inclinatum, non procul poſitum alium in conſimili habitu junctis manibus orantem, utrumque vero vultu mirifico decore ſplendentem. Ut triſte nuncium cladis ſupervenit, viſionem pluribus, deinde huic auctori matrona narravit; cujus hanc ſubdit interpretationem. Sacrificium illud acceptabile divinitus fuiſſe fœminæ monſtratum, quod pius Rex addens ſuper illud memorabile holocauſtum Abrahæ, non ſolum de proprio filio ſumme dilecto, ſed etiam de ſemetipſo laudabiliter obtulit in odorem ſuavitatis; ſummum ſacerdotem Chriſtum imitatus, qui ſemetipſum immaculatum & inſontem pro peccatoribus obtulit in holocauſtum.

Carnoten. in S. Regis vita.

Mirabiliter ejus mors præfiguratur.

Gen. 22. 10.

XII. Cum oſſa ſancti Viri (detracta carne, quæ ſimul cum inteſtinis data eſt Carolo Regi Siciliæ, & Panormi honorifice depoſita) Pariſiis apud ſanctum Dionyſium anno ſequenti die veneris ante feſtum Pentecoſtes digno conderentur mauſolæo, mulierem quamdam Sagienſis diœceſis, lumen oculorum, quo dudum deficiebat, recuperaſſe narrarunt auctori teſtes oculati. Adoleſcens xxv. annorum Burgundus, qui tamquam lixa per ſexdecim annos humilioribus culinæ deputatus officiis ſerviebat in Caſtro Orgeleſti nobilis viri D. Joannis Cabilonenſis, a nativitate ſurdus & mutus venit ad ſancti Regis ſepulcrum, ubi apertæ ſunt aures ejus, necnon ſolutum vinculum linguæ, & loquebatur recte lingua Gallicana, ac ſi fuiſſet ab infantia in hoc idiomate enutritus. Magiſter Dudo Medicus, & clericus Regis, qui morienti aſtitit, reverſus in Galliam cum Rege Philippo, apud ſanctum Germanum in Laya die Pentecoſtes correptus acuta febre venit Pariſios, ubi deſperatus a medicis invocavit ſanctum Ludovicum, pie cauſatus ſibi auxiliari debere cui tot annis inſervivit: Apparuit ei Rex ſanctus, & largius collocutus repente ſanum effecit. Rei ſeriem uberius exſcribit noſter auctor ab ipſo infirmo ſub juramento aſſertam. Clericus alius Britannus per urbem Carnotenſem iter faciens, gravi oppreſſus infirmitate, morti propinquus ad quorumdam ſuggeſtionem votum emiſit de viſitando Sancti ſepulcro, ſtatimque divinam ſibi ſenſit adeſſe virtutem, ita ut in craſtino omnino bene habitus propoſitum iter ſit proſequutus. Apud Caſtrum Lupare Dominus Petrus de Landuno, magiſter puerorum regiorum intolerabilem paſſus dolorem in brachio dextro, appoſitis capillis Ludovici, quos reverenter ſervabat, ſtatim dolor omnis abſceſſit. Amelina Cambliacenſis tres annos curva anno MCCLXXI. feria III. poſt feſtum ſancti Urbani;

Cæcam illuminat.

Surdum & mutum ſanat.

Moribundum curat.

Item alium.

Alii plurimi miraculoſe curati.

ni; triduo poſt Petronilla de Aube a nativitate reptans ſuper terram, ad ſepulcrum ſancti Regis erectæ ſunt; alia viſum recepit; Agnes la Maque a paralyſi ſanata; altera Hodierna nomine de villa Tignoſa, undecim annos in lecto graviſſima infirmitate detenta convaluit. Michael de Hamiage, Joannetta de porta, Joannes Canus, Emelina la Biche, Gila de Silvanecto Pariſienſes claudi ad tumulum Sancti conſolidati ſunt. Puella Ælipidis nomine, curvam manum non valens ad pectus uſque levare, nec inclinare ſuper genua abſque alterius adjutorio, ad eumdem locum integrum brachii uſum recepit. Alia ſacro igne vexata cum fontem baptiſmalem, in quo Rex ſanctus intinctus, attigiſſet, a dolore liberata eſt. Homines decem lapicidina oppreſſi, dum per integrum diem & noctem ſub terræ & lapidum mole ſepulti jacerent, invocatum ſanctum Regem ita ſenſerunt propitium, ut nullus interierit. Ipſo anno, quo canonizatus eſt, puerum ſubmerſum mirabiliter coram pluribus eircumſtantibus vitæ reſtituit.

Marian. lib. 2. cap. 28.

XIII. Alia refert ejuſdem ſancti Regis prodigia Bonifacius VIII. in bulla eanonizationis, quam ſub anno tertio ejus Pontificatus exſcribemus, & plura enarrat prædictus Carnoten. facta in domo Prædicatorum Ebroicenſium, prima omnium dedicata eidem Regi anno MCCXCIX. ſub quo dabuntur in compendio. Alia item refert Guillelmus Pepinus concione 11. de ſancto Ludovico: ſed & miraculi loco habendum mihi videtur, quod Thomas Bozius ſcribit de nummis beatæ Helenæ Imperatricis & ſancti Ludovici Regis, adverſus morbos efficacibus: *Monetæ*, inquit, *aliquot extant, quæ in honorem Helenæ Auguſtæ, & inventæ Crucis, cum hujuſmodi imaginibus exeuſæ antiquitus fuere: multis eſt præſens remedium adverſus morbum comitialem, & qui hodie vivit Turcarum Rex Amurathes, quamvis a nobis alienus, vim illarum expertus, ſolet eas geſtare; morbo namque hujuſmodi interdum laborat. Nummi quoque ſancti Ludovici Francorum Regis mirifice valent adverſus nonnullos morbos.*

Bozius de ſignis Eccleſ. ſigno 68. cap. 12.

Nummi miraculoſi S. Ludovici.

XIV. Inter miracula quoque cenſenda eſt curatio ſtrumarum, quæ dicuntur & ſcrophulæ, de qua ita ſcribit Aubertus Myræus. Nangiacus in vita ſancti Ludovici narrat, eum prædeceſſores Reges in tangendis ſtrumoſis ſigno Crucis uſi non eſſent, illum primo uti cepiſſe, ſtrumæ autem, Græcis chœrades, ſunt glandulæ induratæ. Hanc vim Regibus Galliæ a Deo datam, ut tactu ſtrumas curent, longo uſu compertum eſt; ad eoſque ex ultimis Hiſpaniæ, Italiæ, Germaniæ, Belgiique finibus ſtrumoſi, hodieque adcurrunt. Sancti Marculfi Abbatis precibus ac meritis tantum eos poſſe, conſtans eſt opinio. Itaque ad ejus Templum in agro Lauduneſi ſitum, Reges quam primum uncti ſunt, proficiſci ſolent. Vixit autem ſanctus Marculfus apud Barocaſſes in Normannia, Clotarii II. & Sigeberti temporibus, ut ex ejus vita gallice edita conſtat.

Myræus ad annum. 1270.
Maſſon. lib. 3. Annal. de S. Ludov. in fine.

Miraculum ſtrumarum.

XV. De imagine ſancti Regis illud pro noſtro more adjunxerim, eum a Franciſco Belleſoreſto, a Paulo Æmilio, & alibi, frequenter depingi dextra tenentem ſceptrum, in ſummo habens manum ad formam jurantis compoſitam. Cujus eſſe cauſam opinor, quod ſcelerate jurantes, una etiam blaſphemantes deteſtans & abominans, inuſtis labris & fronti puniret ſtigmatibus, uti communiter referunt auctores. Orbem ſiniſtra fert, quia Reges ſcribuntur *Portare orbem*. Fune communiter eingitur, quem geſtare ſolerent more Fratrum Minorum, quotquot Ordini Tertio ſancti Franciſci nomen dediſſent. Ejus vitam & geſta plures ſcripſerunt, Gaufridus de bello loco ejus Confeſſarius, ex præcepto

Belleſor. lib. 4. c. 1. Annal. Galliæ.
Æmil. lib. 7. de geſtis Francorũ.

De ejus imagine.

Job. 9. 13.

Quinam ejus vitam ſcripſerunt.

Gregotii X. Pontificis, Guillemus Carnotenſis ejus Sacellanus, Franciſcus Belleforeſtus, Guillelmus Nangiacus, Paulus Æmilius, Joannes Villanus, Papyrius Maſſonns, Jodocus Clichtovæus, Vincentius Belluacenſis, ſanctus Antoninus, Laurentius Surius. Guillelmus Pepin duas de eo ſcripſit copioſas conciones, quibus propemodum totam ejus deprædicat vitam. Duabus item a ſe recitatis præcipua ejus geſta complexus eſt Bonifacius VIII. primam habuit in Palatio Apoſtolico apud urbem veterem die Martis ante feſtum beati Laurentii, ſecundam in Eccleſia Fratrum Minorum in eadem Civitate anno MCCXCVII. in craſtino ſancti Laurentii. Quæ geſſerit in Oriente, ipſe omnium fideliſſimus teſtis & auctor, enarrat diffuſe in epiſtola miſſa ex civitate Acconitana anno MCCL. ad Optimates ſui Regni, quam repoſuit Claudius Menardus in obſervationibus a nobis ſupra citatis.

Hoc anno n. 10.

Viſio facta beato Leoni de Ruffini morte mox ſequutura.

XVI. Ægrotabant hoc tempore Aſſiſii apud Portiunculam Ruffinus & Leo, ſancti Franciſci cari diſcipuli; illo valde ſub infirmitate laborante, huic viſio facta multorum religioſe ex ordine procedentium, & inter egregie ſplendentes unum conſpexit præ omnibus effulſiſſe, cujus oculi micantes, radiis ſolaribus perſimiles. Interrogavit, quo ſpecioſa & compoſita tenderet multitudo? cui reſponſum, brevi in illa domo deceſſurum unum ex Fratribus, cui obviam veniebant. *Et quis*, inquit, *ille cujus oculi tanta claritate reſplendent? Bernardus de Quintavalle*, ait, *confabulator, tibi olim ſatis familiaris; atque inde irradiant oculi, quod numquam non bene judicaverit de omnibus, nec quidquam fuerit adeo abſonum, quod in meliorem non traheret partem. De ſe humiliter & abjectim ſentiebat; mundis oculis, quæ immunda erant, conſpiciebat; ex ſpecioſis Dei laudandi occaſionem ſumebat: & quidquid demum per oculos, in aliis affatim periculoſos, hauriebat, ornatam virtutibus animam nequaquam inficiebat*. Diſparente viſione, quam de ſemetipſo intellexit, abiit, ſocio ferente, ad lectum fratris Ruffini, quem ſe melius habere, neque ei præ foribus mortem adfuiſſe putabat, cui in lætitia cordis exultans dixit: *Accedo, ut tibi valedicam frater cariſſime, quantocyus namque ſpero ad Deum proficiſci*. Ex tempore antequam abſolveret ſermonem, reſpondit frater Ruffinus: *Non de te frater Leo, ſed de me intelligenda illa, quæ vidiſti*. Interjectiſque quibuſdam de viſione illa, & Dei dignatione erga ſervos ſuos, adjunxit frater Ruffinus: *Corporalibus oculis confrater amantiſſime, vidi omnem illam proceſſionem, & acceſſit ad me beatiſſimus Pater noſter Franciſcus admonens, me in craſtino deceſſurum: in cujus rei confirmationem dulciſſimum oſculum infixit, a quo liquefacta eſt anima mea, adhæſitque redolentia incomparabilis ori meo, quam ut ipſe experiaris accede*. Propius factus Leo & fragrantiam admirabilem ſenſit, & facile credidit omnibus, quæ Ruffinus aſſeruit, dolens tamen non etiam ſe ad Chriſtum vocari. Porro moriturus Ruffinus Fratres omnes ad ſe vocavit, quos exhortatus ad Inſtitutoris ſectanda veſtigia, & mutuam caritatem ſervandam, perceptis omnibus Eccleſiæ Sacramentis, riteque perfunctus Catholici & Religioſi viri muneribus, obdormivit in Domino XVIII. Kal. Decembris, ſepultuſque eſt cum magno honore, plurimo accurrente populo, in Baſilica ſancti Franciſci. At frater Leo tunc de ſua infirmitate convaluit.

Moritur Ruffinus.

Tom. 1 an. 1210. n. 32. Marian. l. 1. c. 5.

XVII. De ſancto hoc viro Ruffino aliqua præmiſimus ſub tempore, quo initiatus eſt: hic adjungimus cetera ejus acta in compendium redacta ex Chronicis antiquis. Ad obſequia domeſtica, & quæcumque humilita-

Marc. p. 1. l. 6. c. 10. & ſeqq. Rodulph. fol. 129.

Jubetur prædicare.

litatis miniſteria promptus, non prædicabat ut ſocii, tum quia balbutientis erat linguæ, tum quia majori ferebatur ſtudio contemplandi. Sanctus præceptor Franciſcus experientiam aliquando facturus ejus obedientiæ & prudentiæ, licet infacundæ in dicendo, juſſit ut iret prædicatum Aſſiſium. Cui humiliter Ruffinus: *Probe noſti, pater, me omnino ineptum tanto muneri, namque ultra inſcitiam, impeditioris ſum linguæ; orem itaque ut alium mittas.* *Frater cariſſime*, inquit ſanctus Magiſter, *promptiorem a te velim obedientiam; non eſt quidquam cauſandum contra prælati præceptum: ſed cæco obſequendum affectu, ut obedientia ipſa ad quæque quantumvis ardua vires adminiſtret. Quia ergo non ſtatim te paraſti ad perficiendum, quod jubebaris, ſolis relictis femoralibus, nudus ibis Aſſiſium, & prædicabis in æde majori quidquid Dominus ſuggeret tibi.* Obedivit ex tempore humilis diſcipulus, & cogitabat, quomodo prædicandi adimpleret mandatum: *Balbus ſum*, inquit, *& neſcio loqui: pauca, ſed utilia verba proferam; illa præcipua proponam: Dimittite malum, & facite bonum.* Atque ut hæc ipſa verba expeditius diceret, ea ſæpius ſecum repetebat, ne linguæ vitium eſſet impedimento. Perpendens vero Franciſcus, quam graviter levem excuſationis culpam moleſta pœna punierit, ſemetipſum corripiens dixit: *Unde tibi Franciſce homuncio, Petri Bernardonis fili, ut tantam ſumas licentiam in fratrem Ruffinum, virum probum, pacificum, generoſa ſtirpe prognatum? Itane facile aliis imperas? ita dura imponis onera, quæ ipſe non vales, certe nolis, ſuſtinere? Ut ſcias impoſterum, quid aliis præcipias, fac ipſe, quod illum juſſiſti: experire in temetipſo, quid aliis mandas, fortaſſis ita probabis quanti conſtet obedire.* Deinde protinus, exuta veſte, advocato Leone, qui utriuſque nudi lacernas adferret, abiit velociter poſt Ruffinum, quem jam prædicantem invenit, & populum partim admirantem ad tantum exceſſum, partim dicentem, præ nimia pœnitentia pauperculos inſanire. Serio auſcultavit Concionatorem, ſed ille ſemel & iterum, ex linguæ lapſu piam ſuam hortatiunculam contrario protulit modo dicens: *Cariſſimi Fratres, fugite mundum, reddite aliena, nolite peccare, ſi inferni pœnas vultis evadere. Servate mandata diligendo Deum ſuper omnia, & proximum ſicut voſmetipſos: ita enim obtinetur regnum cœlorum. Uno hoc verbo claudo ſermonem. Dimittite bonum, & facite malum, quoniam appropinquat regnum Dei.* Ad inculte tranſpoſita verba circumſtantes ex nudi hominis geſtibus ad riſum faciles, effuſe riſerunt, vere fatuum judicantes. Sed Franciſcus ſuggeſtum aſcendens, ita egregiæ diſcipuli errorem correxit, ut conſultius dixiſſe videretur. *Viri Fratres*, inquit, *Ruffini veſtri, viri probi, & candidi verba ſubſannatis? ejus ſinceritatem irridetis? Recte ſuaſit, ut dimitteretis bonum, & faceretis malum; bona veſtra, quæ optima reputatis, ſunt conſolationes humanæ, & corporis deliciæ, hæc vobis dimittenda: malum autem, quod ſummum inter mundanos eſt, vim corpori inferre, pœnitentiam agere de peccatis, aut carnem contriſtare; hoc illud malum, quod faciendum prædicavit veſter concivis: delicias voluit procul faciendas, & corpus de commiſſis reatibus caſtigandum, quia appropinquat regnum Dei.* Atque ad hæc, plura tanto Viro digna, ſubjunxit, de contemptu mundi, de neceſſitate pœnitentiæ, de paupertate voluntaria, de deſiderio cœleſtis patriæ, de nuditate & opprobriis, & de ſanctiſſima Chriſti Domini paſſione, ut riſum in planctum mutarit, nec fuerit in toto cœtu, qui ad Viri Dei verba non ſtuperet, & fleret abunde. Ædificatis itaque populis, & converſis quibuſdam ex circumſtantibus ad

Quia ſe excuſat mittitur nudus.

Nudus eum ſequitur S. Franciſcus.

Prædicat Ruffinus, ſed errat linguæ lapſu.

Corrigitur a Franciſco.

ſuum Sodalitium, reaſſumptis veſtibus, læti domum remearunt.

Tom.1. an.1210. n.32.

Ad Ruffini conſpectû fugit diabolus.

XVIII. Magnam hujus S. viri Ruffini in dæmones poteſtatem prælibavimus ſuperius, hic ſubjicimus aliquot ejuſdem rei argumenta. Dum oſtiatim mendicaret panem Aſſiſii, ducebatur energumenus ad ſanctum Franciſcum fortiter vinctus, pluribus circumdatus conductoribus. Ut Ruffinum conſpexit, ultra modum infremuit, cuſtodes potentiſſime excuſſit, vincula diſrupit, atque ejulans, & ſtridens concitato greſſu ab ejus fugit conſpectu. Apprebenſus & exorciſmis conſtrictus, ut veritatem diceret, unde tam vebemens provenerit commotio? reſpondit: *a Fraterculi Ruffini præſentia. Ita enim illius homuncionis apud Deum merita me torquent, ut in ejus conſpectu nequeam conſiſtere; & nunc ad ejus imperium, etſi ſolo ipſius pectore reconditum, dum fugerem, hinc me oportet diſcedere.* Malo hoſpite liberatus miſellus, cum circumſtantibus abiit ad Ruffinum, gratias redditurus; quibus laudem omnem in Deum refundendam prædicavit.

Fugat alios decem.

Ad vocem ejus timent alii.

XIX. Dæmoniaci decem videntes a longe venientem Ruffinum, hinc inde fugientes clamabant: *noſter adeſt inimicus, noſter venit perſecutor*: & adſtanti Equiti fugæ clamoriſque cauſam ſciſcitanti reſponderunt: *Quem a longe vides venire pauperculum, nos miſere cruciat, aſſerimus enim tibi ejus orationes nos torquere in inferno non aliter, quam in torculari exprimuntur racemi.* Dum alias in monte Alvernæ ſanctus Franciſcus oraret, dæmones ex præruptis rupibus ingentes rotabant lapides in locum, quo Vir ſanctus hærebat, ut eum ab oratione deturbarent. Quos non efficacius repellendos judicabat Vir ſanctus, quam ſi Ruffinum ſe vocaturum minaretur: *Expectate*, inquit, *ſuperbi dæmones, ego veſtram conteram ſuperbiam; fratrem Ruffinum advocabo.* Et protinus clamans, Ruffinum in alio antro orantem, ut adeſſet admonuit. Reſpondit ille conſuetis verbis: *Laus & benedictio ſit Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Ad vocem ipſam conterriti dæmones confeſtim fugerunt.

In tirocinio moleſti ei dæmones.

Suadent ut à ſuſcepto inſtituto teſiſtet.

XX. Perpetuas has inimicitias ſevit in tirocinio multa, quam ei intulerunt, moleſtia, ne Franciſco adhæreret, ſed a cœpto vitæ inſtituto declinaret. Id ei apparentibus quibuſdam rationibus perſuadebant, videlicet, Franciſcum ſimplicem & idiotam eſſe, neque ſibi aut aliis poſſe conſulere, ſecuriorem eſſe Anachoretarum vitam, & veteres potius patres imitandos, quam novatorem hunc mendicitatis & omnis calamitatis perpetrandæ prædicatorculum. Atque hæc hiſque ſimilia in ſpecie angelica ſæpius inculcabant. Credidit Vir ſimplex tot rationibus, neque per integram Quadrageſimam, qua Franciſcus cum quibuſdam ex diſcipulis in monte Subaſio per varias cellulas, vel umbracula, ex arboribus texta ſerius orabat, ad magiſtrum acceſſit, neque cum ſociis voluit inire conſortium. Sanctitati hominis & ſolitudinis ſtudio latibulum quoddam adſcripſerunt Fratres, donec feria quinta in Cœna Domini ad communem ſynaxim accedendum eſſet, uti Franciſcus præcepit. Eo die vocatus ille, reſpondit: *Nolo amplius veſtro Franciſco obtemperare, ſolitariam vitam anachoreticam elegi, in hac ſecurius mihi repoſita eſt ſalus, quam ſi ſimplicitates, & nova ſequar Franciſci præcepta.* Bis & ter vocatus, ſimiliter reſpondebat; donec ipſe Magiſter errantem ovem inviſit; neque tamen ſtatim reduxit, dum fraudulenti hoſtis inſidias non detexit. Cauſatus Ruffinus angelos Dei veritatem ſibi revelaſſe, coram videt poſitum ſplendidiſſimum, & magni decoris ex eiſdem unum, per quem firmius conſolidatus eſt in errore, & temerarium dicebat Franciſcum, qui ma-

manifeſtæ Dei voluntati per ſuum miniſtrum expreſſæ reſiſtendum contendebat. Cum deceptore itaque ſibi potius agendum judicavit Vir Dei, præcepitque ut confeſtim, qualis eſſet, in propria ſpecie demonſtraret. Ex angelo lucis verſus eſt in fœdiſſimum monſtrum tanti horroris & fœtoris, ut ſuſtinere nequiret; per quod Ruffinus ejus operibus & doctrinis abrenunciavit, neque aliquando abſque horrore tam fœdæ viſionis poterat meminiſſe.

XXI. Alia immiſſa gravior tentatio circa prædeſtinationem, ſuggerente diabolo, eum de numero eſſe damnandorum, & inaniter Franciſci præceptis aut pœnitentiæ operibus inſiſtere. Totus mæſtus Vir bonus a Franciſci abſtinet conſortio, a pietatis tamen operibus non deſiſtebat, donec apparuit ei vafer inimicus in Chriſti crucifixi ſpecie dicens: *Cur miſer te amplius affligis? ego novi quos elegerim ad vitam, & quos reprobaverim ad mortem; nec mea tibi proderit paſſio, nec tuæ te ſalvabunt pœnitentiæ: ita ab æterno decretum eſt: mihi licet mortificare & vivificare, poſſum ad vitam prædeſtinare, & ad mortem deſtinare quos velim: abſtine a tot vigiliis, & carnis maceratione; neque amplius ſecteris rigida homuncionis Franciſci veſtigia, aut ejus admittas conſilia. Atque hæc ipſa inaniter cum eo conferes, ignorat etenim Dei cogitationes æternas, & ſecreta judicia.* Credidit miſellus inimici mendaciis, vivens deinceps in lacrymis & gemitibus perpetuis per ſolitaria antra montis Subaſii. Revelatis his omnibus per bonum Angelum ſancto Inſtitutori, ſtatim miſit Maſſæum ut ad ſe duceret Ruffinum, ne periret. Repulit ille vocantem dicens, nihil ſe cum Franciſco Bernardonis amplius velle. Inſtitit tamen Maſſæus, ſecum duxit vel invitum. Accedenti inquit Vir ſanctus: *Frater Ruffine miſelle cui credidiſtis? dæmoni in præcipitium ducenti?* & ex ordine omnem ei tentationem expandit: deinde tribus præſcriptis regulis, probavit omnia hæc non a Deo, ſed a Diabolo proveniſſe. Prima, quod dæmonis revelationes ſeu ſpectra cor indurant. Secunda, quod mæſtum reddunt videntem. Tertia, per quam ipſe diabolus facilius poſſit dignoſci, quod ex innata ſuperbia nihil audire poſſit opprobrii, quin ſtatim indignabundus recedat: *Si ergo tibi amplius apparuerit*, inquit Vir ſanctus, *dic illi, ut os tibi aperiat maleficus nebulo, & implebis illud immundis ſtercoribus; videbiſque quatenus protinus aufugiet*. Videns omnia ſibi a ſancto Viro, ut evenerunt referri, credidit a Deo revelata, eique potius credendum, quam diabolicis inſidiis, dæmoni vero prorſus apparenti, quæ voluit, intulit opprobria juxta Viri ſancti inſtructionem, ad quæ cum tanta furia, & indignatione receſſit, ut univerſum montis cacumen concuſſerit, ingenteſque lapides cum magno fragore inter ſe colliſerit. Ad hæc apparuit mox Chriſtus in via virtutis jam victorem confirmans, & gratias multas ſuperaddens, per quas numquam deinceps triſtitiam aliquam ſenſit, nec dæmones auſi ſunt ulterius inferre moleſtias. Ad tantam autem mentis elevationem, & orationis perſeverantiam pervenit, ut etiam dormiens oraret, & intra mediocrem circulum per diem integrum & noctem quaſi immobilis hæreret frequenter. Familiaris ſatis fuit ſuo Inſtitutori, hinc ei demandata cura cum Fratribus Leone & Angelo ejus vitam, ut alias dixi, conſcribendi.

Perſuadet dæmõ eum de numero eſſe reproborum

Tom. 3. an. 1244. n. 11.

XXII. Circa hunc annum mortuus ille prædo, quem cum duobus ſociis ad ſancti Franciſci preces converſum alias narravimus. Ante obitum ductus eſt in viſione ad horribiles inferni cavernas, ubi vidit miſerorum varia tormenta, multaque paſſus eſt in ſpiritu pericula. Tamdem

Tom. 1. an. 1211. n. 16.
Marian. l. 2. c. 39.
An. 1213. n. 16.

ab

Moritur pius prædo, S. Franciſci diſcipulus.

ab Angelo ductore introductus eſt ad videndas lucidiſſimas beatorum ſedes, inter quos ſanctum Franciſcum egregie coruſcantem, clamyde ſtellis undique decorata circumamictum, quino ſtigmate veluti lucidiſſimis quinque aſtris fulgentem conſpexit: Bernardum a Quintavalle coronam pulcherrimam ſtellarum in capite geſtantem: Ægidium vero miro lumine radiantem: alioſque Franciſci ſectatores ſibi notos, alioſque ignotos ſumma varietate decoratos contemplatus eſt. Prædixit ei ſanctus Franciſcus ante ſeptem dies ex hac vita receſſum, & liberum in cœlos aditum poſt vitam feliciter in ſumma pœnitentia tranſactam. Hæſit in hac viſione ab hora Matutini uſque ad Primam penſi divini; judicavit tamen, eamdem per plurimos annos duraſſe. Superiori retulit, quæ vidit, & audivit, deinde febricitare cœpit; ſeptimo demum die vitæ terminum poſuit juxta præmonitionem in viſu factam. Cum veneratione ſervantur ejuſdem, & ſociorum reliquiæ apud Montem Caſalem prope Burgum ſancti Sepulcri in provincia ſancti Franciſci, & Cuſtodia Caſtellana.

Maria. l. 2. c. 29. Chro. antiq. Piſa. Conſ. 8.

Floret B. Senſus.

XXIII. Circa idem tempus floruit frater Senſus laicus, ſeu, ut vocant, converſus, ſingularis pietatis & admirandæ recollectionis homo, qui raro extra cellam videbatur. Tot recipiebat a Deo ſolitarius in cubiculo conſolationes, ut nulla ei major inferri poſſet moleſtia, quam extra illud fieri. Neque calores æſtivi, nec frigus brumale, nec occupationes externæ, quas procul faciebat, ſufficiebant, ut in apertum prodiret. Dum ſemel interrogaretur, ut quid ſemper in cellula hæreret? reſpondit ita ei ſuum antrulum placere, totque ei a Deo in eodem præſtari beneficia, ut ſi univerſus mundus, omneſque in eo contentæ divitiæ, cunctæ hominum & mulierum delitiæ offerrentur, ea lege ne perſeveraret in cella, omnia ſe rejecturum, potiuſque optaturum abſciſſis manibus, & pedibus in eadem commorari, & humiliter a Deo recipere, quod frequenter præſtabat, quam admittere quidquid ſub cœlo poſſit offerri. Pauperrima indutus lacerna, viliſſima quæque, & in ſterquilinium projecta, caules marcidos, & ſole deſiccatos ſæpiſſime manducabat. Frequenter habebat raptus & extaſes, in quibus omnino immobilis, & inſenſibilis totus rigebat, neque ſenſit incredulum quemdam ſodalem manum acu non admodum ſubtili transfigentem. Alias dixit fratri Ægidio illam eſſe ſuam, & fratris Bernardi opinionem, quod ſi univerſa circumſtans regio plena eſſet omni genere muſicorum, & inſtrumentorum, in Deum raptus nihil perciperet; quippe divinæ immerſus bonitati ſumma fruitur voluptate, neque animam Deo conjunctiſſimam a tanta dulcedine abſtrahere poſſunt conſolationes externæ. Ante raptum erumpebant multoties abundantes lacrymæ, ita ut madefieret tota veſtis anterior. Prævias dicebat eſſe has ad raptum diſpoſitiones, quarum tria diſtinguebat genera. Primum effuſarum propter peccata in Deum ſumme bonum commiſſa; has vero dicebat non adeo abundanter effluere, atque eſſe amaras, & oculos excoquentes. Secundum propter paſſionem Chriſti impenſius cordi infixam; ſed has dulces eſſe, atque in magna copia haberi. Tertiam quando quis de peccatis ſufficienter contritus cogitat gaudia cœleſtis patriæ, & dulciter ad illa anhelat. Has autem dicebat ceteris uberiores, dulcioreſque, & ſæpius raptum præire.

Vis divinæ extaſis.

Tria lacrymarũ genera.

Humilitatis gradus quatuor.

XXIV. Humilitatis etiam gradus quatuor deſcribebat, & ex ſacra probabat Scriptura, in qua licet inferioris ordinis in Sodalitio, & rudis videretur, erudite verſabatur. Primum vocabat deſcenſum; ſecundum

dum aſcenſum; tertium volatum; quartum purgati animi. Gradum deſcenſus illum eſſe dicebat, quando homo profunde ſe humiliat, viliſſimumque reputat, conſiderans Chriſti humilitatem, & in perfectiſſimis quibuſque operibus ſervum ſe inutilem juxta Chriſti judicat conſilium. *Luc. 17. 10.* Atque ita de ſe cogitare viros perfectos aſſerebat, quibus exemplum miniſtravit David, quando eum perſequebatur Saul dicens: *quem perſequeris. Canem mortuum, & pulicem unum?* *1. Reg. 24. 15.* Canis enim mortuus nullius eſt utilitatis, & pulex cujus cenſetur emolumenti? Secundum gradum aſcenſus ita explicabat, quod homo non ſolum ſe humiliat, verum etiam ſummam in eo ponit operam, ut ab aliis vilipendatur, & nihilo æſtimetur, gaudetque in opprobriis ſibi illatis. Non aliter David faciebat, quando Semei projiciebat in eum lapides, & conviciis laceſſebat; prohibuitque Joab ne malum retribueret, dicens: *Quid mihi & tibi fili Sarviæ?* *2. Reg. 16. 10.* quaſi diceret: dimitte ut mihi maledicat, ne tanti occaſionem meriti mihi præripias; Dominus enim benedicet mihi. In hoc ſtatu incipit homo cognoſci, & a Deo, hominibuſque honorari, aſcenditque ipſe in ſuis opprobriis, plura adjiciens iis, quæ alii extrinſecus objiciunt. Ita ſæpius ſancto Franciſco, & beato Ægidio evenit, qni cnm maledicerentur, ipſi plura in ſe dicebant; ita ut conviciatores admirati dicerent, Quid hoc? ſi malum eis dicimus, ipſi adjuvant nos: ſi vilipendimus, viliores ſe faciunt; ſi injuriis afficimus, plures deſiderant. Vere ſuperiorem, quam mundus doceat, injerunt hi vivendi rationem, atque ita apud homines, & apud Deum excellentiores evadunt, & recte aſcendunt in meritis, & æſtimatione. Tertium gradum volatus explicabat per Davidem ante arcam Dei ſaltantem, & veluti e terra volantem, deriſum tamen propterea ab uxore Michol, cui dixit David. Tu es filia Saul patris tui ſuperbi, propterea me derides, qni hoc facio, ut vilior ſiam. *2. Reg. 6. 22.* Neque diſſimiliter faciebat beatus Juniperus, qui per publicas amentias evadebat populares honores. Et de iſto gradu dicebat facile eſſe aſcenſum ad quartum, quando æquali & ſedato animo quis audit laudes & opprobria; purgatum enim & defæcatum animum nihil penitus perturbat.

XXV. Acceſſit ad eum aliquando vir pius, & eleemoſynarius, interrogavitque an dum elemoſynas erogabat, complacebat tamen in laudibus humanis, meritum boni operis perdebat; & qualiter huic damno deberet obviare? Appoſuit frater Senſus ſimilitudiuem hanc. Agricola electum & mundum ſeminat triticum, oritur tamen cum ſtipula, cnlmo, *Opus caritatis ut vitiatur ex circumſtantiis.* ariſta & glumo, præter zizania, & alia externa purgamenta. Quod pnrum & purgatum ſevit, non poterit pure manducare, niſi triturare, & ventilare curaverit. Similiter viri boni, Agricolæ cœleſtes, bonnm ſeminant ſemen eleemoſynæ, tamen impurum aliquando redditur ob circumſtantias, finem vel gloriolam inanem. Debet itaque ne perdatur opus bonum, antequam abeat cubitum, ventilare & examinare, quid mali bono acceſſerit operi, *Quod adhibendum remedium.* & illud purgare pœnitentiæ flabello: qua ratione fiet, ut triticum mundum reponat in horreum, & boni operis fructum ſperare poſſit æternum. Plura his ſimilia de ſancto hoc Viro referuntur. Jacet in Conventu Montis Lucis, aliis Montis Jovis in Cuſtodia Peruſina.

XXVI. Objerunt & floruerunt ſub hoc tempore plurimi Viri ſancti *Obeunt plures viri pii. Ægidius de Capociis.* quorum mortis tempus incertum. Frater Ægidius de Capociis Aſſiſias, vir magnæ ſanctitatis; caritate in Deum & proximos floruit eminenter & mi-

miraculis coruſcavit. Meruit in vita Dominum Jeſum Chriſtum videre, & familiariter cum eo confabulari. Sepultus eſt cum ſuo Inſtitntore

Ægid. Regnicola.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Franciſco. Ægidius alius, de Regno cognominatus „ a Mariano Floren-„ tino, ab aliis dictus de Reggio, ſive Regenſis „ jacet Tuderti, vir perfectus & ſingularis abſtinentiæ. Venientem a longe, per viginti quinque milliaria præſenſit Vir ſanctus Joannes de vallibus, prædixitque Fratribus ejus adventum: quod cum illi interrogarent, quomodo ei innoteſceret? dixit tantum Dei ſervum ſanctitatis ſpiraſſe odorem, ut per

Frater Joannes de Vallibus.

univerſum illud ſpatium ad eumdem tranſierit. Dictus Joannes de Vallibus magnus paupertatis amator, vitæ & ſanctitatis aduiirabilis, jacet in loco Piſquiæ, aliis Piſtiæ, Cuſtodiæ Spoletanæ, aſſiduis miraculis clarus. Simon de Torciano Comitatus Ameliæ, prædicator eruditus, patra-

Simon de Torciano.

vit multa miracula in vita & poſt mortem: requieſcit Ameliæ in Cuſtodia Tudertina. In eadem Cuſtodia & Conventu ſanctæ Illuminatæ Joan-

Joan. de Avellino.
Thom. Eugubinus.
Petrus de Podio.
Simon Camporealis.
Anton. Nurcianus.
Frater Theobaldus.
Pax Reatinus.
Paulus Arquatæ.
Tobias Procæni.
Guido ſocius B. Ægidii.

nes de Avellino miraculis coruſcat. Eugubii frater Thomas vir prodigioſus. Interamnæ in Cuſtodia Narnienſi Petrus de Podio ex nobili familia Cæſia, & Simon ſive Simoncellus ex illuſtri familia Camporealis. Spoleti frater Theobaldus, Nurciæ in Cuſtodia Montanorum frater Antonius; hi omnes vitæ probatiſſimæ, Provinciæ ſancti Franciſci, miracula ediderunt. Provinciam Romanam illuſtrarunt ſequentes, frater Pax Reatinus, ſepultus tamen eſt in loco Caſſiæ in cuſtodia Montanorum; frater Paulus Arquatæ in Cuſtodia Regni; frater Tobias ſpiritu prophetico plene irradiatur Procæni in Cuſtodia Urbevetana. In provincia Tuſciæ floruerunt frater Guido ſocius beati Ægidii, qui habuit a Deo mirabiles conſolationes; ſpiritu prophetico plenum, & miraculis famoſum viderunt Fratres ſemel orantem altiſſime a terra elevatum. Sepulti Cetonii in Cuſtodia Cluſina oſſa inventa ſunt panno ſerico involuta, mirum emittentia odorem, anno MOVI. repoſitaque ſunt ſimul cum reli-

An. 1262.

quiis Petri de Travanda in quadam capſa cupreſſina in altari ſancti Bernardini. De alio Ægidii ſocio fratre Andrea egimus ſuperius, nbi jaceat ignoratur, neque etiam ſciri potuit, ubi ſepultus ſit ejuſdem ſocius

Gratianus alter ejuſdem ſocius.

frater Gratianus, quem in ſanctis moribus ſerius erudivit, qui præcipua Ægidii facta & dicta quæ circumferuntur obſervavit. Eumdem eſſe pu-

Piſan. conf. 8.

tat Piſanus cum eo, qui jacet in loco pennæ ſancti Marini in provincia Marchiæ, & Cuſtodia Montis-feltri. Quartum adhuc habuit ſocium ex ſanctitate notum Joannem appellatum, cui etiam familiaria facta ſunt ſecreta Ægidii cum Deo commercia: neque ubi hic jaceat ulli compertum. Alius Anonymus vir Dei jacet Cetonii, qui prius erat Canonicus ſanctæ Meſtiolæ de Cluſio, qui in die Purificationis Virgineæ meruit recipere in ulnas ſuas puerum Jeſum ad modum ſancti ſenis Simeonis. Ejus corpus inventum fuit juxta oſſa fratris Guidonis ſuperius nominati.

Guillelmus de Radicofano.

In monte Alvernæ requieſcit Guillelmus de Radicofano laicus, ſuper cujus caput orantis viſus eſt ingens globus ignitus. Pupii in Cuſtodia

Jacobus Barletanus.

Aretina Jacobus Barletanus laicus, cui Dominus apparens in ſilva tribuit omnium peccatorum remiſſionem, porrexitque manum in ſignum, ad cujus attactum per diuturnum tempus mirabilis ei odor adhæſit. Floren-

Accurſius laicus.

tiæ in Conventu ſanctæ Crucis Accurſius laicus, ſingularis erga afflictos pietatis, cujus argumentum eſt, quod dum in Valetudinarii Oratorio apparerent ei beata Virgo Maria, Antonius Patavinus, & alius Minorita ſanctus, nomine Placidus, vocareturque gemebunde a quodam languido, ut remedium aliquod depaſcenti adhiberet dolori, omiſſo tantorum colloquio,

loquio, ſtatim accurrit, & ad votum infirmo miniſtravit. Redeuntem laudavit ſacratiſſima Virgo, quod ſe ob proximi caritatem dimiſerit, quam ſi tunc negligeret, ſuo aſpectu non eum amplius conſolaretur. Ibidem requieſcit miraculis clarus Benedictus de Mugello ejuſdem cum præcedentibus conditionis. In Monaſterio Caſtri Florentini, & Cuſtodia Florentina requieſcit Donatus Ferrarienſis, qui prophetico dono reſplendens in remotiſſima regione poſitum vidit Fratrem apoſtatantem, & malo exitu protinus vitam terminantem. Retulit continuo, nec ſine dolore, Fratribus adſtantibus, quod poſt aliquot dies per tabellarios verum eſſe compererunt. Alterius ſecretam perſpexit tentationem, & ſeſſorem habuiſſe diabolum; cui cum cuncta referret, fecit ut in ſe reverteretur, & cautius ſe deinceps haberet.

Benedictus de Mugello.

Donatus Ferrarienſis.

XXVII. Suos etiam habuit viros illuſtres Provincia Pennenſis, quæ hodie ſancti Bernardini appellatur, Thomam Hibernicum tam profundæ humilitatis virum, ut cum ſuperiores eum ad ſuſcipiendum ſacrum presbyteratus ordinem cogerent, amputaſſe ſibi, ferunt, pollicem ſiniſtrum. Multas perpeſſus eſt a Diabolo inſidias, quem ob eminentem ſanctitatem, & vitæ candorem infenſiſſimum ſentiebat hoſtem. Hunc alias probabiliter diximus auctorem fuiſſe Promptuarii moralis, quod ſimul cum Concordantiis ſancti Antonii hic in Urbe edidimus; neque alii tunc deerant in Regno Neapolitano, ubi hic requieſcit in Conventu Aquilano, viri celebres Hiberni, qui Neapoli audiverunt ſub ſuo conterraneo Petro de Hibernia, ſancti Thomæ in artibus liberalibus Magiſtro, ut teſtatur Surius, & exſcripſit Antonius Senenſis in vitis Sanctorum Ordinis Prædicatorum a ſe editis, ſeu collectis in ejus vita, & quem Fridericus ſecundus Auguſtus ad Academiam Neapolitanam a ſe reſtitutam invitavit, datis ad eum litteris, quas inter epiſtolas Petri de Vineis ejuſdem Imperatoris Cancellarii, & Secretarii legere licebit, in quarum prima, præter alia hæc ejus habentur encomia. *Te igitur, quem antiquæ fidei præſcripta ſinceritas, & præſtita dudum fel. rec. Domino patri noſtro grata ſervitia nobis efficaciter recommendant; de cujus etiam experta ſcientia, probitate cognita, & doctrina probata in conſpectu noſtro jam pluries multorum teſtimonia claruerunt: ad celebranda communis ſtudii ejuſdem feſtiva ſolemnia hilariter providimus invitandum: fidelitati tuæ præcipiendo mandantes, quatenus de favore & gratia noſtra ſecurus ad Civitatem ipſam, ob reverentiam Majeſtatis noſtræ perſonaliter recturus accedas.* Neſcio an hunc corrupta aut mutata littera Alphabetica, vel alium Hibernicum Magiſtrum deſignet idem Fridericus in ſequenti Epiſtola data ad ſcholares Neapolitanos ſub his verbis: *De numero autem prælatorum, quos ibi duximus deſtinandos, mittimus Magiſtrum R. de Verano Judicem, & Magiſtrum P. de Hibernia fideles noſtros, civilis ſcientiæ profeſſores, viros magnæ ſcientiæ, notæ virtutis, & fidelis experientiæ, quam noſtræ ſemper exhibuerunt & exhibent Majeſtati, quibus ſicuti de aliquibus regni noſtri fidelibus fiduciam gerimus pleniorem. Mittimus quoque in ſcientia, &c.* Floruit item ſub hoc tempore in illis partibus frater Malachias Hibernicus, de quo commodius alias.

Thomas Hibernicus.

In epiſt. ad Lectorem.

Petrus de Hibernia floret Neapoli.

Surius ad 7. Martii. Anton. Senen.

Petr. de Vin. l. 1. epiſtolarum c. 10.

Idem. c. 11.

Malachias Hibernicus.

XXVIII. Sed ut ad Provinciam Pennenſem regrediatur narratio, præter Thomam prædictum, meritis & miraculis tunc emicuerunt in ea frater Benedictus cognomento Hydropicus, qui in adoleſcentia dum litteris operam daret, invidia, quæ etiam *ipſos Sanctos aduſſit*, in quemdam ex conſodalibus exardens, mirabili viſione vocatus in judicium, ob li-

Benedictus Hydropicus.

Ambroſ. lib. de S. Joſeph. c. 1.

livoris ignes, æternis cruciandus eſt adjudicatus. Sanctorum Franciſci & Antonii, qui judicio adſtabant, precibus liberatus, ex viſione rediens, ſanctiſſimam & mirabilem propoſuit ſibi vitæ rationem. Scientiis humanis valedicens divinam accepit cœlitus infuſam, ſepultuſque eſt in loco Ludani, aliis Bludani Cuſtodiæ Theatinæ, in quo reverenter ſervantur hoſtia conſecrata miraculoſe in carnem converſa, & reliquiæ ſanguinis miraculoſi. In eadem jacent Provincia, ſed quo certo loco neſcitur, frater Gregorius de Beldico, frater Melioratus, frater Manſuetus miraculis clari.

Gregorius. Melioratus. Manſuetus.

XXIX. Hiſpaniam ornarunt alii. In Provincia ſancti Jacobi, Cuſtodia Zamorenſi, & Cœnobio Taurinæ urbis jacet frater Stephanus cognomento Corvus, qui cum juxta ſuam qualitatem, & equeſtris ordinis conditionem ſericis veſtiretur, & in feria ſexta Paraſceves, quando pullis & atris veſtibus alii lugubre diei myſterium repreſentant, ille ornate nimis, non ſine ſpectantium murmure & ſcandalo, ad ſacra Chriſti funeralia in æde Minorum celebrata, procederet: concionatorem ex alto audivit ita tenere, & efficaciter Chriſti dolores, opprobrium, & nuditatem exprimentem, ut firmiter ſecum conſtituerit omnes mundi pompas & delicias procul facere, & egenum Chriſtum in paupertate ſectari. Neque longas paſſus moras, ſtatim cum ædis Præfecto egit ut admitteretur in Sodalitium. Voluit hic receptionem differre, neque tamen potuit, durius inſtante viro, ut protinus Fratribus adſcriberetur. Ita factum obſtupentibus ad ſubitaneam viri mutationem, qui prius ſcandalizabantur ad importunum veſtium ornatum. Vixit deinceps ſanctiſſime, brevi tempore optimas quaſque virtutes aſſequutus. In Monaſterio Civitatenſi ſeu urbis Roderici, ad apparitionem beatæ Virginis ſumma repletus conſolatione Fratrem alta voce clamantem, ad cubiculi fores pulſantem, prope accedentem non ſenſit, neque qui vocabat, in deliciis cœleſtibus abſorptum vidit, excubias agentibus angelis ne *Filiæ Hieruſalem exſuſcitarent, nec evigilare facerent dilectum, donec ipſe vellet.*

Chron. antiq. Marc. li. 4. c. 30.
Stephanus Corvus.
Quomodo ad Ordinem vocatus?
In extaſi immobilis hæret.
Cant. 2. 7.

XXX. Dæmonibus ſemper infenſus, ab eiſdem ſemel interrogatus cur ita eos perſequeretur? reſpondit, quia Deo & hominibus inimici: *Cave tibi*, inquit unus ceteris audacior, *ne dum hoſtes acrius inſequeris, malum inducas ſuper caput tuum, & qui aliquando cedunt & fugiunt, exaſperati & deſperati duriorem pugnam inſtaurent; brevi fortaſſis videbis nobis quandoque licere non ſolum in animas, ſed & in corpora ſævire.* Suo id malo expertus eſt vir pius, nam poſt paucos dies in Eccleſia Taurina ſcalas geſtatorias aſcendens, colliſus eſt in terram ſcalia, a dæmonibus everſis. Ex caſu confracto crure, deinceps ſemper baculo innitebatur, niſi eo dumtaxat tempore, quo ſacrum faciebat, quo expleto, redeunte dolore & infirmitate, ad baculi auxilium oportebat confugere. Frater quidam Anſelmus, qui e longinqua regione illuc venit moraturus, petiit ab eo, ut ſibi impetraret a Domino donum lacrymarum; oravit, obtinuit, atque ingenti ſtatim profluvio lacrymarum, aridæ devotionis vir totus eſt liquefactus. Alteri Fratri ſibi in choro nocte apparenti, & pœnas quas patiebatur ob negligenter ſolutum officium divinum enarranti, tormentorum impetravit remiſſionem. Alias magna ei multitudo utriuſque ſexus vita functorum apparuit, profundam reverentiam & gratias agentes, quod ejus precibus liberati ſint a penis purgatorii; id enim habuit in uſu, ut per clauſtrum & cœmeterium ad cellam ſemper incederet, pro omnibus ibidem ſepultis ad Dominum preces oblaturus.

Moleſti & injurioſi ei dæmones
Alia ejus miracula.

XXXI.

XXXI. Summo mane ſacra peragens myſteria obdormivit juvenculus acolythus, & videntibus duabus heroinis Maria & Eluira eidem Viro Dei familiaribus, adſtiterunt duo angeli in veſtibus albis, cereos accenſos in manibus geſtantes, ſacrificanti miniſtrantes, donec facta elevatione Corporis Chriſti, diſparuerunt. Animam acturus devote omnia recepit ſacramenta, & circa mediam noctis horam ex jubilo exiliens e lecto in terram cecidit, ſuaviterque obdormivit in Domino, nullo Fratrum præſente, nec judicante ita brevi diſceſſurum, dum ſub prima noctis vigilia robuſtioris videretur complexionis, quam ut corporis immineret diſſolutio. Eadem ipſa hora apparuit Dominæ Mariæ, & dixit, animam bene habere tunc in cœlis Domino fruituram, corpus vero in valetudinario humi jacere ob Fratrum incuriam, qui morienti non adfuerunt. Sub aurora monuit illa Prælatum, & dicentem nequaquam ſibi credibile videri obiiſſe hominem, qui ſub illius noctis crepuſculo, ſe teſte, robuſtius habebat, rogavit ut ipſe ſuis oculis videret, quod illa, mortuo referente, cognovit. Abiit, & vidit ita eveniſſe, nudatumque invenerunt cilicio coopertum, & convocato populo, funus ſolemne curarunt diſcipulæ. Sepultum in cœmeterio Fratrum, poſt aliquot annos miraculis celebrem exhumari fecerunt prædictæ heroinæ, inventumque eſt brachium dextrum elevatum, diſpoſitique digiti index & medius ad modum populo benedicentis. Sumpſerunt plures reverenter ex ejus reliquiis plurimas particulas, ſed præ ceteris unus ex Fratribus, arrepto in contemptum officulo, dixit deriſorie Fratribus in ſacrario: *Etiam & ego affero reliquias hujus novi Sancti*; apertaque manu vidit officulum recenti ſanguine rubicundum: quo miraculo dubium omne circa ejus ſanctitatem abjecit. Ad ejus ſepulcrum ſublimi & honorifico loco a ſe extructum duxit miſellum quemdam membris contractum prædicta Domina Maria, pro quo dum oravit, per merita beati Viri ſtatim ſanus evaſit.

Miniſtrant duo Angeli ſacrificāti.

Cõfirmatur ejus ſãctitas poſt mortem.

XXXII. In Monaſterio Salamantino noctu ferventer orantibus duobus Fratribus laicis a pietate commendatis, apparuerunt ſuper Eccleſiam, & Sacellum majua ingentes flammæ igneæ. Accurrerunt quidam Fratribus auxiliaturi, ut ignem extinguerent, quos dum magno ſtrepitu & feſtinatione expergefacerent, in Eccleſiam admiſſi, invenerunt medio in aere hærentes viros ſanctiſſimos, atque ex eorumdem pectoribus flammas illas tectum penetrantes prorupiſſe. In hujus rei memoriam ſæpius mihi dixerunt ſeniores, appoſitam ſuper Sacelli tectum Minoritæ ſtatuam lapideam, quæ in hunc diem perdurat.

Maria. c. 29.

Ex orantium pectoribus prodeũt flammæ igneæ.

XXXIII. In eadem Provincia ſancti Jacobi, ſed in regno Portugalliæ, obiit frater Petrus de Stella, & ſimul cum eodem alius conſodalis dictus Alphonſus. Apparuit hic poſt dies quindecim cuidam Fratri amico, dixitque, multas ſe paſſum in purgatorio pœnas, quia elevati erat animi, & ceteros deſpiciebat, quantumvis in ceteris ſui ſtatus obſervantiſſimus fuerit, & virgo deceſſerit; mitigatas vero aliquantulum pœnas ob merita ſuæ genitricis, Deo valde dilectæ; ſublataſque tamdem ad preces fratris Petri de Stella, cujus animam e corpore exeuntem deduxerunt citiſſime angeli in paradiſum, occurrentibus ſibi ſanctis Patribus Franciſco, & Antonio Patavino, propter cujus merita condonata fuit tertia pars pœnæ confratribus in purgatorio exiſtentibus. Interrogatus an multi ibidem eſſent? reſpondit eſſe quinquaginta duos, & quotidie ex illis aliquos illinc in cœlum evolare. Interrogavit ulterius Frater, an ei profuerint miſſæ, quas pro relevandis ejuſdem pœnis celebravit? cui

Ibidem.
Marc. cit. c. 34.

Florent Petrus de Stella, & frater Alphonſus.

Miſſa indigne celebrantis parum prodeſt.

cui dixit, minus profuiſſe propter indiſpoſitionem, & frigidam devotionem celebrantis.

Chron. antiq. Marc. citat. cap. 17.

Antonius Santaranenſis.

XXXIV. In eodem Regno cum magna opinione ſanctitatis deceſſit frater Antonius Santaranenſis, habitu donatus in Provincia Caſtellæ, translatus deinde ad Provinciam ſancti Jacobi, & Cuſtodiam Eborenſem. Adamavit hic valde in adoleſcentia ſpecioſam puellam, cujus connubium dum intentaret, illa contemptibiliter reſpondit; prius eum lavandum iri in flumine Jordanis, quam ejus frueretur conſortio. Amoris actus ardore protinus in Syriam perrexit, aquis Jordanis ſe intinxit, phialam inde eduxit, plenamque fidem fecit puellæ tot ſe ſubiiſſe ob ejus amorem prolixi labores itineris. Tanto amori cedendum duxit ingenua puella, & matrimonio ſibi junxit, quem antea deſpexit; ſed paulo poſt moriens, in cauſa fuit, ut mundo penitus Antonius valediceret. Ut liberius faceret, in Caſtellam abiit, & Minorum habitum aſſumpſit, ſub quo tantus evaſit, ut inſignes ſæpius reportaverit de hoſtibus inviſibilibus victorias. Uni ex eiſdem ſibi valde infeſto, & manus viſibiliter in forma humana conſerenti oculum eruit dextrum, qui proinde inter ſuos veluti deriſorie monoculus audiebat, neque enim in illa ſpecie humana, quam effingebat, erutum oculum, Dei judicio licebat reaſſumere. Vafer hic diabolus in Regno Luſitaniæ in ſuas partes traxit opilionem quemdam, Dominicum a ſancto Magnete, promiſſis ei honoribus & opibus, quem falſis machinationibus in tantam efferri fecit ſanctitatis opinionem, ut undique ad eum populi confluerent, & tamquam hominem e cœlo miſſum venerarentur. Præfectum ædis Eborenſis agebat hic Antonius, venitque Dei verbum diſſeminaturus ad nobile caſtrum, nunc urbem Eluas, ubi auditis quæ de pecuario narrabantur, voluit Giuremenam oppidum, ubi tunc verſabatur, pergere, exploraturus vel Dei virtutem, vel technas diaboli. Ex rerum circumſtantiis ſtatim fraudem detexit, voluitque populum ab errore revocare, nec potuit donec Dominicum in omnium conſpectum, vel invitum per milites adduxit, quem a præſentia ſancti Viri retrahere quantopere laboravit monoculus, aperte clamans infeſtum ſibi hoſtem Fratrem hunc, qui ante aliquot annos ſibi oculum extraxit. Non prævaluit fraus inimici, quin in omnium oculis appareret, & Dominicus mali domini, cui ſe totum antea devoverat, jugum excuſſit, ſacramentali confeſſione ſua peccata revelans, & ſalutari crucis ſigno contra ejuſdem minas ſe potenter defendens; licet poſtea inimici fraudulenti ſenſerit ultionem, qui per mendacia & impoſturas in furcas egit, quem tot annis tenuit captivum: ſic enim ſuos ſervos remunerat Diabolus, pro quibuſcumque obſequiis opprobria reddens & tormenta. Idem Vir ſanctus reconciliare volens fœminam quamdam cum proxima, inter quas diuturnum erat diſſidium, videnſque omnem ſuam operam inanem, ut petenti veniam altera ignoſceret: tradidit hanc *Sathanæ in interitum carnis*, qui ſubito in eamdem inſiluit, & tamquam proprium domicilium poſſedit. Alias in carcere illo inviſente quemdam in vincula abſque cauſa conjectum, divina virtute factum eſt, ut repente diſſolutis compedibus, uterque transferretur in plateam: quo prodigio attoniti Juſtitiarii, & carceris Cuſtodes, liberum abire permiſerunt, quem ſub arcta cuſtodia antea tenuerunt.

Converſionis cauſa.

Diabolo inviſus.

Detegit fraudes Dominici a ſancto Magnete fingentis ſe ſanctũ.

Tradit improbam fœminam poteſtati Sathanæ.

1. Cor. 5. 5.

Vinctum mirabiliter liberat e carcere.

Plures viri docti in Ordine.

Gonza. in Conv. Parif.

Rodulph. Coleburgus.

XXXV. Non ſolum pietate, ſed & litteris tunc floruerunt plures in Ordine, præſertim Angli. Circa hunc annum Pariſiis legiſſe Rodulphum Coleburgum ſcribit Gonzaga, quem Adamo de Mariſco (de quo ſæpe

ſæpe egimus ſuperius) ad annum MCCLVII. ut placet Thomæ Eccleſtono, illius temporis auctori; vel ad annum MCCLX. uti habent Sixtus Senenſis, & Henricus Willot, ſubſtitutum in Cathedra Oxonienſi apud ſuos, tradit Joannes Pitſeus; hinc vero Pariſios translatum, ubi in interpretandis ſacris ſcripturis ſummam laudem eſt aſſecutus. Joannes Guallenſis, alias Walleis, Wigornienſis propter uberes, quos protulit ſuæ eruditionis fructus ad vitæ ſpiritalis alimoniam idoneos, jure quodam *arbor vitæ* communiter indigitari ſolebat. Oxonii primum, deinde Pariſiis mire floruit, ac utrobique maximo cum applauſu, teſte Trithemio, docuit. Mirum eſt, quot & quanta variæ eruditionis ediderit Opuſcula. Præ ceteris teſtes ſunt Bartholomæus Piſanus, & Jacobus Bergomenſis ſuarum lucubrationum viginti plus minuſve volumina in lucem emiſiſſe. Sed in eo videtur errare Bergomenſis, quod duos ponat hujus nominis viros coævos. Plura mihi ſuppetunt hujus Viri docta æque, & pia Opuſcula, quorum indiculum dabimus alias; quædam morte præventus non abſolvit, quibus ultimam manum appoſuit Thomas Hibernicus. Eum inter beatos recenſet Rodulphus, refertque quod cum in ultimo vitæ articulo jam amiſſam loquelam reaſſumeret, lætus dixerit clara voce: *Ad patriam pergo*, & in his verbis ſpiritum Domino reddiderit. Sepultus Pariſiis apud Minores habet in tumulo inſculptam arborem ad memoriam cognominis in vita affixi, videlicet *arbor vitæ*. Huic ſuffectus eſt in ſtudio Oxonienſi frater Thomas Dockingus patria Norfolcenſis Guallenſi, etſi tempore, non tamen doctrina inferior, quorum utrumque primis illius ætatis in Europa Theologis non immerito conferendum aſſerit Pitſeus, qui magnum catalogum hujus operum ſubtexit. Huic coævus fuit frater Richardus Rufus Cornubienſis Pariſienſis Profeſſor, quem Lutetiæ legiſſe ſub Elia Generali ſcribit Thomas Eccleſtonus. Alium incerti temporis Richardum Cornubienſem (aliis Corinianum) commemorat Pitſeus in appendice. Ejuſdem temporis fuit Guillelmus Guaronis, aliis Varro, aliis item de Waria, ita cognominatus ab oppido nativo, quod diſtare ferunt Londino plus minuſve milliaribus viginti; Oxonienſis primum, deinde Pariſienſis Doctor evaſit, præclaroſque educavit diſcipulos, ſed omnium nominatiſſimum Joannem Duns Scotum. Unde & in circuitu ſepulcri ejuſdem Scoti inter quindecim illos Doctores, quorum nomina & cognomina in ære inciſa ſunt Coloniæ Agrippinæ apud Minores Conventuales ita legitur: *Magiſter Guillelmus Varro Præceptor Scoti*. Propter eruditionis ſoliditatem, *Doctor fundatus* cognominabatur. Hunc Joannes Picus Mirandulanus mirifice commendat, vocatque excellentem Doctorem, Eccleſiæ lumen, fidei propugnaculum, licet perperam Joannem appellet.

Eccleſt. de exord. Min. in Anglia MS.
Sixt. Sen. in biblioth.
Willot in authe.
Pitſ. de ſcriptor. Ang. in appendic. & verbo Adamus de Mariſco.
Joan. Guallenſis.
Piſan. conf. 8. in catal. ſcriptor.
Bergom. in ſupplem. ad annum 1276.
Rodulph. fol. 218
Thom. Dockingus.
Rich. Rufus.
Richar. Cornubienſis.
Guillelmus Varro.
Scoti Magiſter.
Mirand. in Apologia c. de adorat. crucis.

XXXVI. Plura hoc anno Minoribus extructa domicilia: in Provincia Saxoniæ ſanctæ Crucis Monaſterium Augremontenſe, & Prænſtoquenſe ex diverſis fidelium tum heroum, tum popularium eleemoſynis: in Provincia Hungariæ ſanctæ Mariæ, Budenſe ſancto Joanni Evangeliſtæ ſacrum, a Rege Bela hujus nominis IV. ſanctæ Eliſabethæ fratre, regio ædificio conſtructum, in cujus Eccleſiæ loco quodam eminentiori ſepulti jacent V. P. F. Petrus, iſtius aliquando Provinciæ Miniſter, qui poſt mortem in ſuæ inculpatæ vitæ teſtimonium, cœcum illuminavit: & V. P. F. Joannes iſtiuſmet Provinciæ Miniſter etiam, qui præfatum patrem Petrum, gravi morbo laborantem, ſibique devotum, ſanitati ex tempore reſtituit. In propinqua Inſula, Leporum dicta, circa hoc tempus

Con. Augremonten. & Prænſtoquen.
Gonza. in Prov. Saxon. S. Crucis.
Idem in Provin. Hungar.
Conv. Budenſis.
P. Petrus Provinciæ Miniſter.
P. Joannes ejuſdem Provinciæ Miniſter.

pus

Ibidem. Conv. Lepoten. *Rodulp. fol. 257.* Donatur Minoribus Eccleſia Montis S. Petri.

pus idem Rex Bela aliud inchoavit Cœnobium, ſed Stephanus V. ejuſdem Regis filius abſolvit. In Cuſtodia Firmana in Piceno ad inſtantiam Cardinalis Protectoris Joannis Caetani hoc anno conceſſa fuit Minoribus Eccleſia Montis ſancti Petri de Angelis derelicta, & ſacris deſtituta obſequiis. Donationem fecit nomine prædicti Cardinalis Dominus Ventura Spoletanus actor & procurator Monaſterii ſancti Petri de Ferentillo, diœceſis Spoletanæ in Eccleſia ſancti Simonis in ipſa urbe Spoleti, ſicut ex ipſis actis MSS. habetur.

Gonzag. in Prov. Francor. Pariſ. Con. 5. Convent. Novi-Caſtri in Lotharingia.

XXXVII. Conſummationem accepit hoc anno Conventus oppidi Novi Caſtri in Lotharingia ſanctæ Mariæ Virgini, & beato Antonio Patavino ſacer, auctoribus Matthæo & Friderico Lotharingiæ Principibus & Bari Ducibus, annuentibus Tullenſi & Catalaunenſi, quorum intererat, Epiſcopis. Inceptum opus anno MCCLXI. Eccleſia hoc ipſo anno conſecrata. Joannes & Carolus prædictorum Principum filii in ſuam protectionem locum ſuſceperunt, & ſibi ſubditis imperaverunt, ut ejus incolas omni benevolentia proſequerentur. Tranſiit domus ad Obſervantes anno MD. & ex præcepto Julii II. annexa eſt Provinciæ Franciæ Pariſienſis. In Gallia Lugdunenſi, & urbe Montis Briſonis, vulgo *Montbriſon*, aliam hoc anno ædificavit ædem nobiliſſimus heros Joannes Barbonius, cujus Eccleſia quinquennio poſt ſolemni ritu fuit conſecrata. Irruerunt in locum & diripuerunt Calviniſtæ anno MDLXII. die XIV. menſis Julii, interemptis fœde quatuor ex Fratribus; quorum nomina ſub illo dabimus anno. Aliqualiter reſtitutum nunc incolunt Fratres.

Idem in Prov. S. Bonav. Con. 4. Conven. Montis Briſonis.

Idem in Prov. S. And. Con. 7. Conven. Tornacens. Conven. Santander. *Idem in Provin. Cantab: Con. 11. Idem in Provin. Franc. Con. 36.* Conv. S. Quintini.

XXXVIII. Incerti temporis & conditoris alia domicilia circa hunc annum ædificata ſcribit Gonzaga, Tornacenſe in Flandria, SS. Joanni Baptiſtæ, & Mariæ Magdalenæ ſacrum; cujus dedicationis dies celebratur dominica proxima poſt feſtum beati Laurentii: Santanderenſe in Cantabria ſancto Franciſco dicatum, ad Obſervantes a Conventualibus ſub Julio II. devolutum: aliud eidem Divo ſacrum apud ſanctum Quintinum, olim Auguſtam dictum, Novionenſis diœceſis in Gallia, in cujus Eccleſia jacet præclara fœmina Maria Sarto, domina optima, Fratrum benefactrix, cujus tumulo inciſi hi verſus.

Laude micans varia dominarum gemma Maria
Prædominans Sarto, loculo nunc conditur arcto.
Forma, genus, mores cujus comitantur honores.
Vos ejus memores Fratres eſtote Minores.
Littus egenorum, nutrix, & mater eorum:
Propria ſubjecit, & eis communia fecit.

Invida mors ſuo illam telo percuſſit, & ſeculum hoc in maligno poſitum cum gaudio deſervit, anno Incarnationis Dominicæ MCCLXXI. *in craſtino ſancti Matthæi.*

Additio Patris Lucæ Waddingi.

,, XXXIX. Alia conſpiciuntur nobilium virorum ſepulcra partim
,, trita, partim confracta, & in Fratrum cœmeterio vetuſta hæc & ferme
,, obliterata leguntur carmina.

,, *Hoc frater Joannes Corian ſub marmore dormit;*
,, *Aurea cui Luteæ ſerta Camœna dedit.*
,, *Et ſacra præclaram diffudit concio laudem,*
,, *Belgica per populos Gallica jure tuos;*
,, *Hæreſeos nebulas, qui verbo diſſipat omnes.*
,, *Paſſus pro vera non mala parva fide.*

Sa-

„ *Sæpius hicque diu Fratrum direxit habenas,*
„ *Et fera divinum colla repreſſit opus.*
„ *Proh dolor! Occubuit lumen, fideique columna,*
„ *Et Franciſcana in Religione decus.*
„ *Quindecies ſupra centum numerare memento.*
„ *Quinque & triginta, tunc necis annus erat.*
„ Floruerunt hic multi viri inſignes; præſertim Antonius Leger, quon-
„ dam Provinciæ Vicarius, ac Miniſter, ſacræ Theologiæ Magiſter in
„ Conventu magno Pariſienſi, & alibi Commiſſarius generalis, qui do-
„ mum bellis deſtructam cœpit reſtaurare. Et Franciſcus le Roy olim
„ Definitor generalis Ordinis, qui opus incboatum complevit, & Opu-
„ ſcula quædam in Ariſtotelem dum Pariſiis regeret, compoſuit. „ *Indidem Con. 22.*
Ebroicenſe in Gallia Lugdunenſi, ſancto Joanni Baptiſtæ dedicatum ingenuas habuit benefactrices Joannam de Allis, & ejus filiam a ſuo nomine vocatam; cujus Eccleſia tumultibus bellicis Anglorum in cineres redacta anno MCCCLXXXI. protinus fuit reſtaurata ſollicitudine fratris Roberti Contani Doctoris Theologi, Conventus Rothomagenſis alumni ſed Ebroicenſis tunc Guardiani. Sub perſecutione Hugnoſtica anno MDLXIII. ibi paſſi ſunt glorioſum martyrium duo Fratres, quorum ſub illo tempore recurret memoria. **Conven. Ebroicenſis.**

XL. Monialibus ſanctæ Claræ alia tria conſtructa Cœnobia. Gaſto Fuxenſis Biernenſium Vice-comes in loco, qui *Veiries* vulgo Gallico dicitur ad VI. M. P. a Monte Marſano, Aquitaniæ urbe munitiſſima, unum amplum, atque ornatiſſimum hoc anno conſtruxit: ſed cum Sororum quieti non ſatis ibi proviſum videretur, poſt ſeptennium illud ad ſuburbia Montis Marſani curavit transferri. Neque tamen ita omnino, eis conſultum cum anno MDLXIX. Monaſterium direptum, & Moniales fuerint hinc inde diſperſæ: ſed Gallia in pace conſtituta, ad priſtinum redeuntes locum, diruta refecerunt anno MDLXXIV. Sed ante elapſum triennium, Monaſterio ſolo ab hæreticis æquato, ita ut vix fundamentorum veſtigia appareant, illinc recedere coguntur. Tamdem ſub felicioribus pacis auſpiciis Henrico IV. cognomine Magno, id ſuis litteris præcipiente, ab exilio revocatæ, intra urbis mœnia domos a quodam honorando urbis cive, Domino *de Lartigau* ſuis pecuniis emerunt, & in commodum habitaculum adaptarunt. Floruerunt in hoc Monaſterio tum pietate, tum ſanguinis nobilitate præſtantes Sorores Maria Dalbret, Magdalena, Joanna, & Anna de Bearn, quarum primam tunc Abbatiſſam Franciſcus I. Galliarum Rex, dum ex Hiſpania rediret, & illac tranſiret, hortatus eſt, ut cum ceteris incolis ad obedientiam Patrum Obſervantium tranſiret, quod protinus fecerunt, cum ad illud uſque tempus a Patribus Conventualibus regerentur. Multa habemus plurimorum Pontificum Nicolai IV. Clementis V. Joannis XXII. Urbani VI. & aliorum ad has Moniales data diplomata, quæ ſuis quæque annis dabimus opportunius.

Idem in Provin. Aquit. antiq. Monaſt. 4. Monumen. MSS. ejuſdem Prov.

Monaſter. Montis Marſani.

XLI. Alterum ſub eodem anno exædificatum in pago *Rapariegos* Hiſpanice nuncupato ad tertium ab oppido Arevalos lapidem, ſumptibus Dominici Ægidii, & Mariæ Verdugo conjugum, a quibuſdam ſanctæ Claræ diſcipulis prius regulari pietate excultum, deinde tanto auctum incremento, ut ultra ſexaginta habeat Moniales ſub Regula ab Urbano IV. tradita magna pietate Deo famulantes.

Monaſter. Rapariegos.

Idem in Provin. Concept. Monaſt. 7.

XLII. Sancti Regis Ludovici uxor Margareta, filia Raymundi Comi-

Monaſt. S. Marcelli Pariſiis. Quatuor filiæ Raymundi Comitis Reginæ.

mitis Provinciæ, (qui ſingulari quadam felicitate, quatuor filias quatuor regibus in matrimonio locavit, Margaretam banc Ludovico ſancto Regi Gallorum, Leonoram Henrico III. Anglorum Regi, Sanciam, vel Cynthiam Richardo Henrici fratri, in Romanorum Regem electo, & Beatricem Carolo Andegavenſi utriuſque Siciliæ Regi) ſancti mariti defuncti pietatis æmula in ſuburbio Pariſiorum Monaſterium Clariſſarum, quod Cordigerarum vocant Pariſini, extruxit, ubi ſe totam Deo vovit, & religioſiſſime deinceps vixit. Ita ſcribunt Guaguinus & Genebrardus, quibus utpote ſcriptoribus Gallicanis, potius credendum putarim, quam Franciſco Gonzagæ, etſi alias ſincero & candido auctori, originem hujus Monaſterii referenti in Iſabellam Principem Clariſſam, & ejuſdem fratrem ſanctum Ludovicum. Monaſterium licet ſancti Marcelli dicatur, Eccleſiam ſanctis Stephano & Agneti ſacram ſcribit Gonzaga.

Guaguin. in D. Ludov. Genebr. in Chronol. Gonzag. in Prov. Franc. Mon. 9.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litteræ Cardinal. pro Terra ſancta & Fratribus Minoribus.

Indicul. ex Oderinum. 3.

„ I. HOc anno, licet adhuc diſcordarent in eligendo ſucceſſore „ Petri in Apoſtolico ſolio, & conſequenter vacaret Sedes, „ nihilominus zelo acti Electores Cardinales decreverunt pro Terra „ ſancta, & pro Fratribus Minoribus Euſtachio de Atrebato, & Lamberto de Cultura ſcribere: *Inter cetera &c.*...... Ad Rodulphum „ Albanenſem Orientis Legatum, qui tunc erat in Gallia: indeque ſequuta, legenda ſunt apud Annaliſtam, qui luctus affert.

Celebratur Congreg. cap.

Caſim. Biern. citat. art. 19. n. 5.

Conven. Gneſnę & Sremæ acceptant.

Joan. Furſten. in ſuis MSS.

Boleslaus coronatur.

P. Bertius in deſcrip. Poloniæ fol. 441.

Sanct. Adalbert. quieſcit Gneſnæ.

„ II. In Religione autem fratri Deodato ex Comitiis generalibus „ Aſſiſii Provinciæ Poloniæ, & Boemiæ Miniſtro aſſignato, eo in Miniſterio fatis functo, frater Matthæus ſubſtitutus eſt, qui, congregatis „ capitulariter Provinciæ Fratribus, pro feſto Pentecoſtes hoc anno „ in Aureo Monte, iis in Comitiis domus Gneſnæ, & Sremæ acceptavit, ut Joannes Furſtennius in ſuis manuſcriptis adnotatum reliquit. „ Eſt autem Gneſna Civitas Archiepiſcopalis in majori Polonia, cui „ Saxones & Pruteni ſunt vicini. Lechus primus gentis auctor eam „ civitatem condidit, Regnique ſedem ſtatuit: in ea Princeps Poloniæ „ Boleslaus Chabri ab Ottone III. Romanorum Imperatore regium „ diadema accepit, quo ad hoc uſque tempus Reges Poloniæ utuntur. „ In hujus Eccleſia corpus ſancti Adalberti Epiſcopi Pragenſis quieſcit, „ maxime laudatus ob vitæ, & morum probitatem, Religionemque diligenter adſertam, & propagatam; eſt autem hæc urbs in longitudine „ grad. XL. & lat. ſeptentrionali grad. LII. XL. Srema autem Indigenis...... Oppidum eſt non vulgare in diœceſi *Ploozkenſi, & Ploszko* „ quidem amæna Civitas Epiſcopalis in colle ſedet ad Viſtulam amnem, „ & a Gneſna Archiepiſcopali in ortum æſtivum XXX. M. P. German. „ elongatur.

Decedit S. Rex Ludovicus.

Vide Art. in Martyr. 25. Auguſt.

„ III. Dum autem hæc ita fierent apud Noſtros in partibus ſeptentrionalibus Boemorum, Francorum caſtra licet ſub ſancto Rege, ſi „ minus hoſtium furorem, magis aſtrorum læthiferos defluxus, a quibus non fuit immunis Regia Majeſtas, apud Tunetum paſſa, rem chriſtianæ Reipublicæ, ſi non dimittere, retardare coacta fuere: nam „ ſanctus Rex ſupremo correptus morbo, perceptis ſingulari cum devotione omnibus Eccleſiaſticis Sacramentis, in cilicio terræ ſuperſtrato, & cinere reſperſo, in modum Crucis expanſus decumbens, fæ-

„ fælicem ſpiritum reddidit Creatori, circa horam nonam diei xxv.
„ Auguſti, feria ſexta, ætatis ſuæ ann. lv. & Regni xliv. Chriſti vero
„ mcclxx. Hæc autem cum late pateant in Annalibus, non eſt opus,
„ quod hic ea refricemus; ſufficiet quidem pacta, & conditiones treu-
„ garum initarum cum Saracenis ex Guaguino repetere, quod non in
„ omnibus cohæreant ab Annaliſta relatis.

Conſ. annales ad hunc ann. wad.

„ IV. Itaque fatis functo Ludovico, Regni Heres ejus filius Phi-
„ lippus, moderator pacis & belli, ſucceſſit, qui poſt reportatam vi-
„ ctoriam de inimicis, Tunetanum Caduceatorem de pace ſecum actu-
„ rum excepit: eoque medio induciæ firmatæ fuere ſub his legibus;
„ Impenſam omnem præſentis expeditionis Saracenus auro compenſa-
„ ret: annuum tributum, quod Sic...... Regibus ſolvere tenebatur,
„ Carolo quotannis penderet: Chriſtianos captivos liberos dimitte-
„ ret, patereturque Chriſti fidem in ſua gente per Fratres Ordinum
„ divi Dominici, atque Franciſci libere annunciari, atque doceri: ne-
„ que ſuos prohiberet ſacris initiari Chriſtianis: auri parte diſſoluta,
„ decennes induciæ juramento pactæ ſunt. Ita Guaguinus.

Treugæ firmantur a Philippo cum Rege Tunetano.

ARGUMENTUM.

Ad hujus anni finem, ſuadente maxime ſancto Bonaventura, eligitur Pontifex Gregorius X. miſſiſque nuntiis evocatur e Syria. Moriuntur beatus Leo ſancti Franciſci diſcipulus, Joannes a Penna, & Joannes Rapella. Naſcitur ſancta Iſabella Luſitaniæ Regina tertii Inſtituti Franciſcani. Dividitur Provincia Franciæ, & extruuntur Cœnobia.

I. Tertio adhuc anno hoc duravit diſcordia Cardinalium circa Pontificem Romanum eligendum: neque orantibus, & inſtigantibus Philippo Francorum, & Carolo Siciliæ Regibus, ab expeditione Syriaca, ſive potius Africana Tuneti redeuntibus, neque ex ipſo feretro coram poſito, & ſuo modo hortante cadavere ſancti Regis Ludovici, pro Eccleſia tot laboribus & vita functi, induci potuerunt, ut jam tamdem rebus humanis conſulerent, & ſuæ famæ proſpicerent: ne qui a ſe ſanctitatis exemplum peti debere contendebant, ii duces perdendæ deplorandæque reliquiæ ſpei nominis Chriſtiani viderentur. Poſtremo poſt diuturnam & exitialem diſſenſionem, jam nunc ad triennii finem a Viterbienſibus propemodum coacti, cum diſcordantibus animis, ut unum ex ſe eligerent, fieri non poſſet, tamdem per viam compromiſſi in ſex Cardinales facti, ſuadente maxime ſancto Bonaventura, Kalendis Septembris in Pontificem maximum renunciarunt Thealdum, aliis corrupte Theobaldum, Vicecomitem Placentinum, Archidiaconum Leodienſem abſentem in Syria & extra Collegium Cardinalium, licet contra omnium hiſtoricorum fidem Cardinalem legatum fuiſſe dicat Joannes Villanus, & Antoninus Epiſcopum Placentinum.

Panvin. Platina. Ciacon. Ptolem. Lucen. Æmil. in Phil. III.

Creatur Pontifex Gregor. X.

Villan. l.7.c.40. Antonin. tit. 20. c.2.

II. Ut hic præ aliis eligeretur plurimum obtinuiſſe & perſuaſiſſe Bonaventuram, ſcribunt Honuphrius Panvinus, Alphonſus Ciaconus: & Severinus Binius, cui tamen noſtri auctores rem totam attribuunt, neque ab alio electum ferunt Gregorium, quam a Bonaventura ſolo Pontificem acclamatum. Id etiam attexunt quod cum ſeipſum, ſi vellet, Papam renunciare poſſet, ſupremum hunc honorem a ſe procul fecerit,

Panvin. in addit. ad Platin. Ciacon. in Gregor. X. Severin. in vita Greg.

Quid in hac creatione præſtiterit S. Bonaventura. *Marian. lib. 3. c. 31. Marc. p. 2. lib. 2. cap. 7. Rodulph. fol. 91. Galeſin. c. 13.*

& in alium utique dignum contulerit. Ita Marianus, Marcus, Rodulphus, & alii, hoſque, ut reor, ſequutus Petrus Galeſinus in vita ſancti Doctoris, cujus verba tranſcribo: *Clemente IV. Pontifice Viterbii mortuo, cum eſſet Interpontificium, diſſentientes inter ſe Cardinales de Pontifice creando, convenerunt in eo; tam vitæ integritate, quam ſapientia, doctrinaque ſancti Bonaventuræ adducti, ut is unus diſſenſionem annorum circiter trium dirimeret, ac verus ſine controverſia Pontifex eſſet, quem ille pronunciaſſet, etiam ſi ſe ipſe elegiſſet. Elegit autem non eorum quemquam, qui præſentes ſeptem, & decem Cardinales aderant, ſed qui in disjunctiſſima provincia, Hieroſolymæ jamdiu ſanctæ peregrinationis cauſa aberat, Theobaldum Vicecomitem Placentinum, Archidiaconum Leodienſem, virum religionis & pietatis nomine, maxime illis temporibus illuſtrem. Qua in actione ſpectare licet integritatem, æquitatem, ſapientiam, & præclaram ejus voluntatem, animumque boni publici deſiderio inflammatum, nec ullis ambitionis fallaciis fucatum.*

III. Exceſſiſſe in iſta narratione auctores hos, alias candidos, & ſinceros, atque plus æquo ſancto Viro tribuiſſe, fidem faciunt acta ipſius electionis, quæ ad rei ſingularis majeſtatem, dignamque memoriam ex MS. formulario Marini Ebulenſis illius temporis, & ab intimis Cameræ Apoſtolicæ negotiis viri peritiſſimi, duximus hic tranſcribenda. Neque enim tam noſtrorum venamur gloriam, quam rei veritatem, neque res proprias magnificare, ſed quales vere fuerint propalare, noſtræ ſcriptionis eſt ſcopus. Noſtris non egent mendaciis Viri aliunde laudatiſſimi, atque illa laus præclaro homine digna, quæ vera. Bonaventuræ optima perſuadenti non detrahunt hæc monumenta, ſed digniorem tantæ rei auctoritatem conciliant.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Ebulen. in formul. l. 1. Compromiſſio Cardinalium.

IV. *ANno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, menſe Septembris, die prima menſis ejuſdem. Nos miſeratione Divina O. Tuſculanus Epiſcopus, Simon tituli ſancti Martini, Ancherus tituli ſancti Martini, Ancherus tituli ſanctæ Praxedis, Guido tituli ſancti Laurentii in Lucina, Guillelmus tituli ſancti Marci, Simon tituli ſanctæ Ceciliæ, & Anibaldus Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyteri, Ricardus ſancti Angeli, Octavianus ſanctæ Mariæ in via lata, Joannes ſancti Nicolai in carcere Tulliano, Ottobonus ſancti Adriani, Jacobus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, Gottifredus ſancti Georgii ad velum aureum, Ubertus ſancti Euſtachii, & Matthæus ſanctæ Mariæ in porticu Diaconi Cardinales: Apoſtolica Sede per obitum fel. rec. Domini Clementis Papæ IV. vacante, in communi Conſiſtorio ſolito more convenimus de electione ſummi Pontificis tractaturi. Cumque omnes & ſinguli per viam procedere compromiſſi voluiſſemus: nos prædicti O. Tuſculanus Epiſcopus, Ancherus tituli ſanctæ Praxedis, Guido tituli ſancti Laurentii in Lucina, Guillelmus tituli ſancti Marci, Simon tituli ſanctæ Ceciliæ, Anibaldus Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyteri, Ottobonus ſancti Adriani, Gottifredus ſancti Georgii ad velum aureum, Ubertus ſancti Euſtachii, & Matthæus ſanctæ Mariæ in porticu Diaconi Cardinales, Venerabili Patre noſtro Domino Joanne Portuenſe Epiſcopo, tunc abſente a dicto Conſiſtorio, & infra Papale Palatium in ſua camera conſtituto requiſito; & expreſſe conſentiente, in Venerabiles Pa-*

Patres præfatos dominos Simonem tituli ſancti Martini, Guidonem tituli ſancti Laurentii in Lucina Presbyteros, Riebardum ſancti Angeli, Octavianum ſanctæ Mariæ in via lata, Joannem ſancti Nicolai in carcere Tulliano, & Jacobum ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconos Cardinales, conſenſimus, & eos compromiſſarios eligentes ipſis volentibus, & expreſſe conſentientibus ac compromiſſum, ac formam acceptantibus infraſcripta, contulimus concordi voto & unanimi conſenſu omnes & ſinguli poteſtatem providendi ſacroſanctæ Romanæ ac univerſali Eccleſiæ de paſtore in forma ſubſcripta: videlicet ut quinque ex eiſdem ſex compromiſſariis de ſexto ex ipſis ſex, vel omnes ipſi ſex de aliquo alio de Collegio dominorum Cardinalium, ſeu etiam extra ipſum Collegium in Pontificem & paſtorem ipſius Eccleſiæ concorditer providerent; ad hoc faciendam præſentis præfata die Septembris, & ſequenti conceſſis. Dicti vero ſex Compromiſſarii ſinguli ſingulariter, & omnes communiter conſentientes, ut præmittitur, hujuſmodi compromiſſo, ipſum & poteſtatem in præſcripta forma conceſſam eiſdem benigne ac humaniter ſuſceperunt. Porro nos præfati Compromiſſarii hujuſmodi compromiſſo & poteſtate ſuſceptis habito in Conclavi diligenti (prout negotii exigebat arduitas) & perpenſo tractatu, & conſideratis circumſtantiis univerſis, quæ neceſſitate ipſius Eccleſiæ, ac totius Orbis inſpecta, nos ſecundum Deum movere poterant, & debebant; ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ matris ſuæ, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omnium Sanctorum, ac ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ dicta prima die Septembris ex collata nobis poteſtate, juxta formam nobis traditam procedentes, convenimus & concorditer conſenſimus vice noſtra, & ejuſdem Collegii in Venerabilem Patrem & Dominum Thealdum Placentinum Archidiaconum Leodienſem, ſeu in Eccleſia Leodienſi, ipſum in Romanum Pontificem nominantes, ac etiam aſſumentes, & præfato Domino Simoni, nos reliqui quinque compromiſſarii dedimus poteſtatem, ut eumdem Dominum Thealdum vice ſua & noſtra, & totius præfati Collegii eligeret in ipſius Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ Pontificem & paſtorem. Et nos præfatus Simon ipſum e veſtigio elegimus per hæc verba: Ego Simon tituli ſancti Martini Presbyter Cardinalis, ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, beatiſſimæ matris ejus, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac omnium Sanctorum, necnon & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ memoratæ eligo venerabilem Patrem Dominum Thealdum Placentinum, Archidiaconum Leodienſem ſeu in Eccleſia Leodienſi, in Romanum Pontificem & paſtorem. Sane iis peractis in continenti prædictis omnibus Cardinalibus convocatis, & convenientibus in Conſiſtorio memorato, nos prædicti compromiſſarii conſenſus noſtros & electionem prædictam publicavimus, & publicando ipſos conſenſus & electionem iteravimus in communi. Nos autem prædicti omnes & ſinguli Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi Cardinales in eodem Conſiſtorio congregati, proceſſum & electionem hujuſmodi ratificantes & acceptantes, ac in ipſum venerabilem Patrem dictum Dominum Thealdum conſentientes expreſſe, ipſum licet abſentem recepimus & recipimus in Romanum Pontificem & paſtorem. Ceterum venerabilem Patrem Dominum Henricum Oſtienſem Epiſcopum poſt hæc ad idem Conſiſtorium evocantes, communicavimus ei omnia ſupradicta, qui ea omnia & ſingula gratanter acceptans, memoratum Dominum Thealdum in Romanum Pontificem & paſtorem bamiliter & devote recepit. Actum Viterbii in dicto Conſiſtorio anno, menſe, & die prædictis.

V. Septemdecim erant Cardinales, atque ex his duo aberant Henricus Gallus Epiſcopus Oſtienſis & Veliternus, ac Joannes Portuenſis, qui noluit ad Conclave accedere, quamvis in compromiſſum conſenſerit, judicans inanes futuros quoſcumque tractatus hominum tot annis pertinacium: de quo lepidum illud pronunciatum refert Panvin. ſociis in comitio exiſtentibus, & Spiritum ſanctum invocantibus: *Domini*, inquit, *diſcooperiamus tectum cameræ hujus, quia Spiritus ſanctus nequit ad nos per tot tecta ingredi*. Qui etiam cum Papam Gregorium renunciatum animadvertiſſet, hos verſus fertur edidiſſe:

Panvin. cit.

Lepida dicta Epiſcopi Portuenſis.

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem patrem patrum fecit diſcordia fratrum.

Rodulpho cit.

Porro Viterbii peracta hæc, præter ceteros ſcriptores, aperte comprobant acta relata: unde neſcio a quo errorem hauſerit Petrus Rodulphus, ut Peruſiæ contigiſſe narraverit. Atque ex ipſa illa Civitate miſſæ a Cardinalibus in Syriam electionis tabellæ, quibus nunciatum voluerunt Thealdo delatum ſibi Pontificatum, & rogatum ut quantocyus Viterbium accederet. Lectu digniſſimas ex eadem penu litteras tranſcribo.

Sanctiſſimo Patri & Domino, Reverendiſſimo Domino Thealdo Archidiacono in Eccleſia Leodienſi, Divina providentia in Romanum & ſummum electo Pontificem, miſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, pedum oſcula beatorum.

Dei continua providentia circa regimen Eccleſiæ.

VI. *Sempiterno ſplendens lumine, ac ineffabili præditus majeſtate Patris æterni filius Dominus Jeſus Chriſtus, qui cuncta diſponit virtute mirabili, prout ſuæ placet potentiſſimæ pietati, circa ſanctam Romanam & univerſalem Eccleſiam, ita ſuæ continuat benignitatis affectum, & roborat protectionis auxilium, quod nullo unquam turbine vexationis evertitur, nec propter alicujus perſecutionis vel adverſitatis inſtantiam naufragatur; quinimo glorioſa incrementa ſuſcipit, & tamquam ſtella matutina per mundi climata refulgeſcit, prout multis liquet inditiis, & patet clariſſimis argumentis. Nam licet jam dicta Eccleſia poſt habitum a ſuperno Rege de morte triumphum, & ipſius regreſſum ad gloriam cæleſtis patriæ ſui fulgore luminis perenniter illuſtratæ, fuerit pro diverſitate temporum perſonarum illarum deſtituta præſidiis, quas ad ejus regimen Celſitudo providerat omnium conditoris: ipſa tamen Eccleſia per ſucceſſivam ſubſtitutionem Romanorum Pontificum, favente ſupernæ virtutis auxilio, felicis habuit perſeverantiæ firmamentum. Et quidem diebus iſtis circa dictam Eccleſiam hoc ipſum virtuti Altiſſimi dignanter placuit operari; quia plæ recordationis Domino Clemente Papa IV. dudum de hac luce finibili ad infinibilem evocato (ſicut de Redemptoris noſtri confidimus pietate) ac ipſius corpore tumulato: nos miſſarum ſolemniis, ſicut moris eſt, ad honorem ſancti Spiritus devotiſſime celebratis, in unum convenimus ad habendum de Pontificis ſubſtitutione tractatum, quo frequenter habito, & circa tanti profunditatem negotii, cui ſimile in humanis actibus non cernitur inveniri, diffuſi, temporis ſpatio interjecto, ac deſideriis eligentium, permittente Domino, in diverſa diviſis; tamdem divina propitiante clementia, vota noſtra in venerabilem perſonam veſtram unanimiter & concorditer dirigentes, vos per compromiſſi viam elegimus in Romanum Pontificem, conſueto laudis divinæ cantico, fidelium adſtante multitudine, decantato. Ducti credulitate firmiſſima, quod tum in vobis ab annis teneris laudabilis converſationis & vitæ reful-*

reſulſerint ornamenta, & odor famæ veſtræ gratiſſimus, hinc inde per loca plurima ſit diffuſus, ille benedictus in ſecula, qui vos dignanter in ſuum aſſumpſit Vicarium, & in Chriſtiani populi patrem, & dominum gratioſum, de veſtris ſanctis dabit provenire meritis, quod in ſtatum proſperum, & jucundum reſurgat Eccleſia generalis, & etiam quod fidei Catholicæ gloria ubique votiva ſuſcipiet incrementa; necnon quod Terræ ſanctæ negotium facilem & felicem ſortietur effectum, maxime cum ſit veriſimile, quod Redemptoris noſtri benignitas vos ad terram illam, illa de cauſa voluit perſonaliter pervenire, ut oculata fide viſis ejus anguſtiis, & tribulationibus intellectis, de illo ſibi procuretis provideri ſubſidio, ex qao proveniat acquiſitionis perfectæ gaudium a longis retroactis temporibus laudabiliter expectatum. Quid ad iſta vir virtutis eximiæ? vir in oculis Dei & hominumglorioſe? Venerabiles ac providos, & diſeretos viros ... latores præſentium noſtros quidem ſpeciales nuncios, cam decreto electionis canonicæ de vobis concorditer celebratæ, ad præſentiam veſtram duximus deſtinandos; ſupplici precum petentes inſtantia, & per Dei miſericordiam obſecrantes, quatenus in virtute illius, qui ſuper pennas ventorum ambulat, *& in momento* Pſal. 103. 3. *cuncta perficit, prout ſuæ ſanctiſſimæ voluntatis exiſtit, ceſſantibus quibuſcumque diffugiis, vos accingatis ad iter adeundi Sedem Apoſtolicam ſub anxietate multa ſpiritus conſtitutam, quouſque de clementiſſima virtute Altiſsimi proveniat veſtram deſiderabilem faciem intueri: qua viſa* ſtillabunt Joel. 3. 18. montes dulcedinem, & colles fluent *lactis inceſſabilem ubertatem; quinimo quod ad pedum veſtrorum oſcala non ſolum concurret multitudo fidelium numeroſa, ſed ante vos etiam curvabitur altitudo Principum, & perſonarum ſublimitas inclytarum. Nec mirum, quia ſicut pie confidimus, & devote ſperamus, vobis habentibus Deum ſolum præ oculis, & amplectentibus jugiter vitæ ſtudium innocentis, vitiorum in malevolis extirpatione præmiſſa, & plantatione virtutum in benevolis ſubſecuta, benignitas veſtra lætificabit Dei populum in exhibitione juſtitiæ, ac etiam in condignis gratiis opportuno tempore liberaliter inferendis, miſeranda multitudine pauperum ob illam cauſam habitura de vobis affluentiam gaudiorum, quia ipſorum nomen erit coram vobis amabile, ac eorum animas conſolari in veſtris exiſtet affectibus ſpiritualiter. Vobis autem Pater orphanorum, & Judex clementiſsime viduarum ſufficiat iſtam brevem audiviſſe particulam de profectibus innumeris, qui proventuri ſunt univerſitati fidelium per veſtræ miniſterium ſanctitatis, illius favente clementia, qui mannæ cœleſtis edulio ſuum ſatia-* Exodi 16. *vit miraculoſe populum, & de quinque panibus ac duobus piſcibus pavit* Luca 9. *quinque millia perſonarum, duodecim cophinis in augmentum ſuæ gloriæ ſuperantibus de fragmentis. Iſtis etenim noſtræ devotionis eloquiis cum affectu paterno clementer auditis, virtute præteriti feſtinate nos veſtros videre fratres & filios, & conſolari corda gementium, quibus in viſione veſtri vultus angelici vidiſſe quaſi dabitur delicias paradiſi. Reliqua ſuper iis votiva nobis & Chriſtiano populo veſtris infundat præcordiis ſpiritus ille Paraclitus, qui diſcipulorum corda lugentium fuit pleniſsime conſolatus.*

VII. Litteras has accepit Ptolemaide Thealdus, ubi cum Eduardo primogenito Regis Anglorum commorabatur, opportunum tempus expectans ut Hieroſolymam cum ceteris peregrinis proficiſceretur. Qui decreto electionis admiſſo, menſe Decembri ex Syria navigio receſſit, pecuniis & egregio comitatu ab Eduardo donatus, Brunduſiumque 1. Kal. Januarii Carolo Rege ſumma cum veneratione obviam procedente,

te, & Ceperanum uſque comitante. Demum per Capuam, Marſos, & Sabinos iter faciens, Viterbium, ubi Cardinales erant, IV. Idus Februarii pervenit, ubi reiteratæ, ac ſi nova fieret a Collegio Cardinalium, electioni interfuit. Hic in præſentia Pontificis & Regum Philippi, ac Caroli, filii Simonis de Monteforti Comitis Leuceſtriæ ab Eduardo Angliæ Principi occiſi, trucidarunt ad ipſas aras Henricum Richardi Imperatoris electi filium, evaſeruntque in manu potenti præparatis copiis auxiliaribus. Quid vero de illis actum, dicemus ſub anno MCCLXXIV.

Romæ coronatur Pontifex.

Pontifex demum Viterbio Romam profectus VI. Kalend. Aprilis in Baſilica Principis Apoſtolorum in Presbyterum & Epiſcopum conſecratus, ſuæ coronationis inſignia per manus Joannis Caetani Urſini S. R. E. Archidiaconi ſuſcepit. A ſequenti itaque anno, non ab iſto, in quo abſens electus eſt, ſui Pontificatus annos auſpicatur, ut proximi anni comprobabunt diplomata, quod fortaſſis errandi anſam tribuit Jacobo Meyero,

Meyer. in annal.

& aliis, qui ſequenti anno ſcribunt electum. Nos hunc annum interpontificio adſcribimus; a ſequenti Pontificatus annos enumerabimus.

Marian. l. 2. c. 20. & l. 1. c. 5.

Mortuus B. Leo.

Pius miracula.

VIII. Superiori anno mortem enarravimus beati Ruffini, a cujus obitu ad deceſſum beati Leonis integrum interceſſiſſe annum monet Marianus, dum ille XIV. hic XV. Novembris inter vivos eſſe deſierit, tumulatus Aſſiſii in baſilica ſancti Franciſci. Vivens & mortuus miracula patravit: mulierem quamdam Comitatus Spoleti magno apoſtemate ſub mammilla laborantem integræ ſanitati reſtituit, ita ut ne veſtigium mali remaneret. Puerulus morbo infectus caduco, appenſa particula tunicæ beati Leonis ad collum, incolumis evaſit. Conjectus quidam in Caſtro Trevii in vincula ex præcepto Ducis Spoletani, commendavit ſe meritis & precibus beati Leonis, tunc apud ſanctam Mariam de Portiuncula exiſtentis; qui confeſtim in ipſa meridie apparens ei in carcere, ad modum Angeli Petrum e vinculis educentis, in medium coram omnibus produxit obſerata janua, & compedibus ſolutis, nec dimiſit donec ad dictam ſanctæ Mariæ ædem perduxit, juſſitque ut ſacratiſſimæ Virgini non ſibi gratias haberet. In rure ſuburbano Aſſiſiate redarguit molitores, quod ab opere die dominico non ceſſarent; nihil curantibus ſancti Viri verba, ipſæ hydromylæ ſeu molæ flumineæ ſteterunt rebus immutatis, & aqua non aliter quam antea ſubterlabente. Comitiſſa Anguillariæ in ultimo vitæ diſcrimine jam omiſſa loquela, a circumſtantibus monita, ut corde ſaltim fratrem Leonem, cui valde erat addicta, invocaret: fecit ferventer, & exaudita eſt, a malo protinus liberata. Alterius Leonis mentionem fecimus ſuperius in Hiſpania apud Beneventanos ſepulti. Hujus

Anno 1269.

B. Guido Senenſis.

Idem l. 2. c. 29. Chron. antiq. Marian. lib. 2. cap. 30.

Leonis Aſſiſiatis ſocius fuit beatus Guido Senenſis ſanctitate illuſtris, cui poſt mortem Leo glorioſus apparuit. Fratribus ſuam mortem prædixit, ſepultuſque eſt in eadem Baſilica cum cariſsimo ſocio, ut quemadmodum in vita dilexerunt ſe, ita & in morte non ſint ſeparati.

Rodul. fol. 117. & 257. Marc. p. 2. lib. 2. c. 24.

Moritur B. Joan. a Penna.

Qualiter converſus.

IX. In Piceno in oppido Pennæ in agro Firmianorum, tertio lapide a Tenna flumine ex Apennino in mare tendente, obiit vel hoc anno, vel circa hunc annum beatus Joannes, ab ipſo oppido Pennenſis cognominatus. Huic in ipſis initiis exorientis Sodalitii dum adhuc juvenculus in domo ageret paterna, apparuit pulcher nimis adoleſcens, monens ut ad ſancti Stephani ædem pergeret, & quidquid a concionatore audiret, mente reponeret, & opere compleret: *Longa tibi deinde*, ſubjunxit, *reſtat via, qua decurſa ad patriam paradiſi tranſibis*. Acquievit monitis, & invenit fratrem Philippum, unum ex primis Fratribus a ſancto Fran-

ciſco

eiſco in Marchiam amandatis, non *in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in virtute Spiritus ſancti* optima quæque auditoribus ſuadentem. A quo dum peteret Fratribus connumerari, miſſus eſt Recinetum, ubi comitia illius Provinciæ celebrabantur. Alacriter abiit, judicans hanc illam viam, qua decurſa deberet in patriam abire. Admiſſus communi Fratrum ſuffragio, mox miſſus eſt in Provinciam Provinciæ, uti alias diximus, ad quam regionem, erga Fratres devotiſsimam, aliquot poſt annis generalis cujuſdam Capituli ſtatuto decretum eſt, ut ex obedientiæ merito mitterentur, qui vellent ire: deerant enim Fratres, qui incolerent tot ædes, quæ offerebantur, & tantæ illius gentis ſatisfacerent pietati. Atque illuc abiit eo lubentius Joannes, quo certius judicabat longum illud eſſe iter, ſibi peragendum. Hæſit autem in prædicta Provincia per annos xxv. in omni longanimitate, manſuetudine & vitæ puritate, ſperans divinum ſibi adimpletum iri promiſſum. Tamdem tædio hujus vitæ affectus, & dolens hujus mundi incolatum prolongari, ſub arbore quadam ſedens, velut alter Elias petivit animæ ſuæ, ut ab hoc liberaretur ergaſtulo. Et vox ſtatim de cœlo ad eum facta eſt dicens: *Surge, quia longa tibi adhuc reſtat via*. At ille: *Domine ſaltim me ſecurum redde ſalutis æternæ*. Cui reſponſum: *Confide in Domino, quia ſalvaberis*. Et ille ſubjunxit: *Domine illam etiam ſuperadde gratiam, ut peccatorum pœnas luam in hoc ſeculo, neque offenſas meas multas & magnas purgandas in aliam vitam reſerves*. *Et hoc*, inquit ex alto loquens, *tibi benigne conceſſum*.

1. Cor. 2. 4.

Tom. 1. an. 1216. n. 2.

Mittitur in Galliam.

3. Reg. 19. 4.

Redditur certus de vita æterna.

X. Alias ei apparuit Chriſtus Dominus, ad cujus conſpectum anima tota liquefacta eſt, dixitque ei: *Fili mi, pete quod vis, & dabitur tibi*. Cui Joannes: *Domine nihil aliud volo præter te: quid enim mihi eſt in cœlo, & a te quid volui ſuper terram? Quare id oraverim humiliter ut te iterum liceat videre, ſi quæ me vexaverit urgens tribulatio, atque illud addas beneficii, ut ignoſcas in te commiſſas offenſas*. Et Dominus ad eum: *Exaudita eſt oratio tua*. Poſt hæc Fratres Piceni cupientes tantæ virtutis virum ſibi reddi, egerunt cum Generali Miniſtro Haymone, ut in ſuam reſtitueretur Provinciam, in quam dum regrederetur, etiam hanc illam putabat viam, qua terminata ſpiritum Deo redderet, expectabatque de die in diem diſſolutionem corporis futuram. Sed triginta annis ſupervixit, conſtitutuſque eſt quarumdam ædium præfectus, quas ſumma rexit pietate & prudentia, Domino ejus opera commendante multis miraculis, & dono prophetiæ. Aliquando domum reverſus præſenſit divinitus tironem a diabolo perſuaſum, ut ab Ordine recederet, quem ad ſe vocatum hortatus eſt ut ſacramentali confeſsione periculoſas ſibi immiſſas cogitationes aperiret; quas ut facilius detegeret, retulit cunctas ſuo ordine Guardianus; mox dixit: *Quia decreviſti expectare adventum meum, neque voluiſti me abſente recedere, Dominus confirmabit te in bono, & in Sodalitio iſto feliciter morieris*. Ita eveniſſe ſcribit Hugolinus de Monte ſanctæ Mariæ viro Dei familiaris.

Pſ. 72. 25.

Regreditur in Picenum.

Habuit ſpiritum propheticum.

XI. Erat Joannes pacati & tranquilli animi, neque aliquando abſque urgenti cauſa ſermonem effundebat. Tantæ etiam erat honeſtatis & modeſtiæ, ut ad ſecreta opera naturæ, nonniſi eo iret tempore, quo a nullo videretur. A matutino numquam lectum repetebat, aſsidue pernoctans in oratione Dei uſque ad auroram. Dum autem ſic oraret, apparuit ei Angelus Dei annuncians jam longum iter eſſe confectum, nec quidquam ſupereſſe, ut in patriam tenderet, præter illud unum, ut a præteritis

Fuit ſumme modeſtus.

reati-

reatibus purgaretur; datum vero a Domino, ut eligeret, vel in purgatorio per unum, aut in boc mundo per ſeptem dies cruciatus ſubire. Qui cum elegiſſet ſecundum, ſubitis arreptus eſt doloribus febris, podagræ, chiragræ, ilium, torturæ, & multorum languorum: & ſuper hæc omnia in conſpectu poſitus diabolus minabatur ei pœnas æternas ob commiſſa crimina, quæ in expanſa membrana ob oculos ponebat. Stupuit omnino bonus Vir, & oblitus eſt qualis fuerit, neque recordabatur ſe aliquando Deo inſerviiſſe, nec Minoritam egiſſe, aut boni quidpiam feciſſe. Quare tentationibus graviſſimis actus, ſingulis eum viſitantibus miſere clamabat: *Heu me miſerum, quantus mihi tremor damnationis æternæ!* donec ſupervenit Vir ſanctus ei valde familiaris a Fratribus advocatus, frater Matthæus Antiquns de Monte Rubiano, qui in mentem ei reduxit præcipuas religioſi viri actiones, quas fecerat, quoties ſibi plene ſuos reatus expandit in confeſſione ſacramentali, quoties abſolutionem reportavit, quoties ipſe Dei miſericordiam commendarit, atque hanc ejuſdem ſuperexaltare juſtitiam; hiſque addenda Chriſti merita interminabilis valoris. Paululum in ſe reverſus, dæmonem valde moleſtum fortiter abigebat, donec Chriſto superveniente, *ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus*, & completa addita languenti in Domino fiducia: *Adjutor in tribulationibus*, inquit optimus conſolator, *quæ invenerunt te nimis*, opportune adveni, juxta factam tibi alias fidem: nunc completi univerſi tui labores, longam in converſionis initio propoſitam terminaſti viam, jam nunc requieſce. Quibus dictis, cum magno gaudio felicem exhalavit animam in cœlum mox evolaturam.

Reatus ejus in hac vita puniuntur.

Fr. Matthæus Antiquus.

Pſal. 14. 4.

Pſal. 45. 2.

De hoc eodem Servo Dei eodem ſenſu, eſto non iiſdem verbis loquitur Meliſſanus ad ann. 1264.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

B. Joannes Prutenus. *Monum. MSS. Prov. Polon.*

Videt puerum Jeſum, & Genitricem.

Cum eis colloquitur.

,, XII. Circa hunc annum deceſſit beatus Joannes Prutenus, natus
,, Toruniæ quæ eſt civitas Pruſſiæ, ſuperba muris, & emporio celebris,
,, cognomen a patre Loberdancus, vel ut alii volunt, Lobedanus ſortitus
,, eſt. Amore divino inflammatus ſprevit mundana, ordinemque
,, ſancti Franciſci profeſſus eſt. Adſtrictus ſervitio divino, inter alia pia
,, exercitia orationis ſtudium, mirum in modum coluit. Porro majori
,, devotione occupabatur in myſterio contemplando Incarnationis Do-
,, minicæ, quod infans pro ſalute humani generis naſci dignatus ſit, &
,, uberibus caſtiſſimæ Matris Virginis lactari more infantium, ille qui
,, dat eſcam omni carni. Quam devotionem gratam, & manifeſtam fecit
,, Dominus, dum illi ſeſe in forma pueri ab uberibus dilectæ matris
,, pendentis monſtravit. Durante hac viſione, auſcultabantur Fratres per
,, fores cellæ ſermones benedictæ Deiparæ Virginis, & fœmineam vo-
,, cem recognoſcentes, mirabantur rei eventum. Nihilominus adeſſe
,, ibi mulierem, nequaquam ſibi perſuadere poterant. Interim quadam
,, vice non ſolum fœminea vox, ſed etiam ejulatus pueri auditus eſt
,, manifeſte, quod multi Fratres demirantes, primum fores pulſare,
,, demum non apertas frangere aggreſſi ſunt. Intro ingreſſi, nihil aliud
,, præter Crucifixi ſculptam imaginem raræ magnitudinis ante Joannem
,, poſitam invenerunt. Cujus imaginis caro, ad inſtar vividæ carnis erat
,, tenera. Aderat tunc ſuperior, & ſub fide integerrima quærere cœpit
,, a Joanne, quidnam eſſet? qui vere faſſus eſt, vidiſſe ſe Dominum in
,, pueri forma, uti quondam ſanctis Franciſco & Antonio; ſed & Mariæ
,, Magdalenæ in ſpecie hortulani viſus eſt, ac diſcipulis in Emaus eun-
,, tibus per modum peregrini. Alii addunt, Joannem dixiſſe eam fletus
,, cauſam dilectum puerum Jeſum cum Matre ſua dulciſſima edocuiſſe,
,, ſcilicet fidem & devotionem Catholicam in Pruſſia conculcandam fo-
,, re cum magno animarum detrimento. XIII. Ho-

Anno Christi 1271.	Sedis Vacantis anno 3.	Schismatis Imper. Occid. anno 16.	Religionis Minorum anno 64.

,, XIII. Homo autem Dei Joannes in eadem devotione perſeverans,
,, aliorum ſaluti incunibebat, in ſacris confeſsionibus ſerviendo, præ-
,, ſertim beatæ Jutiæ viduæ, de qua ſupra diximus, cujus ductor fuit,
,, & vitæ ſpiritualis magiſter. Qui tamdem beato fine quievit, & in Mo- *Obit miraculis*
,, naſterio ſui Ordinis ad ſanctum Jacobum in civitate Culmiæ ſepultus *clarus.*
,, eſt, miraculis clarus. Viſus eſt non raro, in profundo mari cum lu-
,, mine navigantibus, ipſumque invocantibus nocte viam ad portum
,, monſtrare, & aliquoties ex fluctibus ſalvare. Ea propter imago ipſius *Patrocinatur na-*
,, adoranda Culmiæ in Eccleſia dextra manu facem ardentem, ſiniſtra *vigantibus.*
,, ſacculum cum libro portare depingitur, una cum patronis Pruſsiæ
,, beatis Dorothea & Jutta, adornata epitaphio, quod ſequitur:
,, *Religioſus Fr. Johannes Loberdank ex Thorun oriundus,*
,, *qui vita, miraculis, & doctrina refulſit.*
,, Sepulcrum ejus una cum deleta fide Catbolica in principio invaleſcen- *Violatum ejus*
,, tis hæreſis Lutheranæ in Pruſsia violatum eſt. Oſſa ubinam locorum *ſepulcrum.*
,, ſint neſcitur. Imago religioſe ſervatur in Eccleſia Cathedrali, & quo-
,, rumdam opinio, eſt Clerum Culmenſem oſſa ejus collegiſſe, & in Ca-
,, thedralem Eccleſiam intuliſſe. Simulque cum beatis Patronis Jutta
,, & Dorothea ſecreto loco condidiſſe, cuſtodiente Domino oſſa San-
,, ctorum ſuorum in illa magna perſecutione hæreticorum, ſub Alberto
,, Duce Pruſsiæ.

XIV. Hoc anno deſiit eſſe in humanis vir doctus & pius Joannes de Rupella Aquitanus, Magiſter Pariſienſis, inter doctiſſimos quoſque ſui temporis celebris. Ejus ſcripta referunt, & laudes commemorant Guillelmus Eyſengrenius, Henricus Willot, Antonius Poſſevinus, & qui Eccleſiaſticorum ſcriptorum catalogos contexunt. Nos ſæpius ejus commendationem præmiſimus ex præclaris geſtis, ſub variis annis recenſitis.

Moritur Joannes de Rupella.

Vide anno 1253. num.21. Tom.3.

XV. Deficientibus tot Franciſcani nominis ſplendoribus, novum idque fulgentiſſimum hoc anno jubar eluxit, Eliſabetha videlicet Arigonia, Luſitaniæ Regina, fœmina præclariſſima & ſanctiſſima, nata Petro Arigonio Infante Jacobi Regis, ob creberrimas & glorioſiſſimas partas de Mauris victorias *Victoris* cognomen adepti, filio, mox patris in regno ſucceſſore, & Conſtantia Sicula Manfredi Siciliæ Regis filia, & Friderici Imperatoris nepte. Præter communem aliorum ortum, in lucem edita eſt obvoluta, & undique ſepta membranarum, quas ſecundinas vocant, integumento, non ſine admiratione, lætoque præſagio vitæ honeſtiſſimæ, cui pellicea tunica ſuccincta, claris rudimentis præludebat, ad paradiſum quaſi poſtliminio reditura. Exuvias igitur mater argentea capſella incluſas in ſuo theſauro cuſtodiri juſſit. Indictum illi, dum luſtralibus aquis ablueretur, Eliſabethæ nomen, ob recentem alterius Eliſabethæ ſororis aviæ paternæ Violantiæ, Andreæ Pannoniæ Regis filiæ memoriam; quæ non ita pridem illuſtri ſanctimoniæ præconio floruerat; quam tamen, ut alias contra alios monui, Antonius Vaſconcellus, ex quo primordia hæc exſcripſimus, perperam ait, votum caſtitatis emiſiſſe viventis adhuc mariti facultate, cum pulchra prole eumdem fecerit felicem.

Zurita 1.p. l. 3. cap.19. & 43. & lib. 4. cap.12. Legend.ejus MS. & Marc. 2. par. lib.8. cap.26.

Naſcitur S. Eliſabetha Luſitaniæ Regina.

Tom.2. an.1229. n.9. Vaſconc. in Anaceph. Reg. Luſit.

XVI. Hiſce parentibus, & quas attigimus circumſtantiis orta, avum Jacobum tanto perfudit gaudio, ut poſita ſimultate cum Petro filio, optimus ſenex gratiam ſtatim redintegraret; neptemque pacis domeſticæ arbitram & ſequeſtrem in ſuam Regiam ducendam curaret ſtudioſiſſi-

Pacis ſequeſtra ducitur in domum avitam.

me alendam, omnique virtutum exemplo diligentiſſime imbuendam. Et facto præſtitit, ne honorificum illius Vaticinium vanum redderetur quo ſolitus erat prædicere ſuam neptem clariſſimum Aragonenſis Regiæ ſplendorem haud dubie futuram. Illam Jacobus naturæ concedens, ſextum agentem annum reliquit. Mox domum patris reducitur, ubi tenera in ætate ſe ipſa major, quid in robuſta factura eſſet, non obſcure indicabat, eumdem vivendi morem ſervans, tota ad modeſtiam compoſita, præceptorum, quæ in avita aula didicerat, non oblita. Octavum annum attingens, diurnum ac nocturnum horarum canonicarum penſum ſtudioſe reddebat: ita in egenos, quorum miſeriis compatiebatur, liberalis; ut quidquid per ætatem liceret, illis ſuppeditaret, mirante patre, proſperoſque ſuarum rerum ſucceſſus filiæ meritis acceptos referente. Hæc de ſanctiſſimæ heroinæ infantia nunc prælibaſſe ſufficiat, in quam noſtrum repetemus jus ſub ipſo illo anno, quo veſtem induit Franciſcanam; celebrataſque cum Dionyſio Luſitanorum Rege nuptias ſub anno MCCLXXXII. commodius referemus.

Mortuo avo reducitur in domum paternam. Sanctitatis prælndia.

Ann. 1325.

XVII. Diviſiſſe hoc anno ſanctum Bonaventuram tunc Miniſtrum Generalem, unam, quæ totius Franciæ erat Provinciam, in tres, videlicet Franciæ, Turoniæ, & Burgundiæ, teſtis eſt Franciſcus Gonzaga: *Adeo enim*, inquit, *Monaſteriorum numero, Fratrum multitudine, & bona apud omnes opinione augebatur primæva illa Provincia, ut ab uno ſolo difficile poſſet gubernari*. Sed hæc diviſio facta eſt in Comitiis generalibus Narbonenſibus ad annum MCCLX. præſidente eodem Generali Miniſtro, uti ad illum annum retulimus, & provinciarum diſtributionem recenſuimus. Quos vero qualeſve acceperit unaquæque ex his Provinciis limites, idem auctor in exordio uniuſcujuſque deſcribit. Celebrem autem ſub hoc anno fuiſſe Conventum Aureliæ civitatis in Ligeris fluvii margine ad latus Aquilonare ædificatæ, Cuſtodiæ Aurelianenſis, ſub Provincia Turoniæ caput, narrat Joannes Sauſeyus in Annalibus Aurelianenſibus. Primam ejus originem omnes prætereunt. Extra urbis muros extructum auctorem habuiſſe judicaverim quempiam ex primis illis Patribus a ſancto Franciſco miſſis in Galliam. Circa annum MCCCCXXIX. Anglis ex ea parte Civitatem obſidentibus, omnino deſtructus, funditusque eſt everſus, quibus expulſis circa annum MCCCCLVI. in eodem loco cœpit reædificari. Laxatis demum urbis ſpatiis, illa præſertim ex parte, intra ejus mœnia recluſus eſt, integerque permanſit uſque ad annum MDLXIII. quo Calviniſtæ illum cum ceteris locis ſacris incenderunt, & paulo ante ſex Fratres multis diebus fame afflictos, intoxicato pane extinxerunt. Partim reſtitutus eſt, non ad primum ſplendorem, utique magnum, ut ex ipſis apparet veſtigiis, ſed ad aliquale Fratrum paucorum habitaculum. Eccleſiam item mediocrem ædificari curavit Philippus Picardus Provinciæ Turoniæ Pictavienſis alumnus, tunc Aurelian. prædicator egregius, & catholicæ veritatis propugnator acerrimus, ubi poſtmodum jugiter prædicans XII. circiter annis, tamdem anno MDLXXI. dum actu concionaretur apoplexia correptus, ex hac vita deceſſit in feſto ſancti Joannis Evangeliſtæ. Sepultus eſt prope ſuggeſtum, cujus tumulum ænea ſtatua, ejus effigiem repræſentante ad modum jacentis Minoritæ cives honorarunt. Circa hunc annum, vel hoc ipſo anno Neritoni in regno Neapolitano Carolus Andegavenſis hujus nominis I. utriuſque Siciliæ Rex conceſſit in habitaculum Fratribus extruendum, regium caſtrum temporum & bellorum injuria deſtructum. Do-

Dividitur Franciæ Provincia.

Gonz. in proœm. Provin. Turoniæ.

Ann. 1260.

Conve. Aurelianen.

Annal. Aurelian. lib. 11. ann. 1271.

Philippus Picardus.

Rodul. fol. 178.

Convent. Neritoni.

Donationis inſtrumentum ipſo Rege præſente factum, apparet in vetuſta membrana. Recenſetur hic Conventus ſub Provincia ſancti Nicolai, & Cuſtodia Brunduſina Patrum Conventualium.

XVIII. In excerptis etiam Provinciæ Hiberniæ mentio occurrit hoc anno Conventuum Dublinienſis, & Pontanenſis, quos ante decennium extructos eadem probat diſtributio Provinciarum in Capitulo Narbonenſi facta, in qua dividitur Provincia prædicta Hiberniæ in quinque Cuſtodias, inter quas Dublinienſis, & Pontanenſis ab extructis in his Civitatibus Monaſteriis, ita nuncupatæ, numerantur. Dublinium emporium eſt florentiſſimum, totius Regni primæ juſtitiæ forum, mœnibus validum, ædificiis ſplendidum, civibus frequens, ad præterfluentem amnem Liſnii extructum in Provincia Lageniæ, cujus caput eſt & Metropolis. Extra muros conſtructum eſt Cœnobium, cujus ambitus protendebatur a rivulo Stream uſque ad plateam parvam, qua itur ex illa, quæ dicitur ſancti Franciſci, ad alteram, que cognominatur ſancti Patritii; & ex alia parte a platea ſancti Franciſci uſque ad mœnia civitatis. Ædificavit in Eccleſia, quæ ſanctum Franciſcum habuit tutelarem, Dominus Joannes Decer, prætor Urbis, ſacellum ſanctæ Mariæ, in qua ſepultus eſt. Ex magno erga Fratres affectu ſingulis diebus Veneris eos alebat ſuis ſumptibus. Duo ibi reperio celebrata comitia provincialia; primum anno MCCLXXXIV. ſecundum anno MCCCIX. Omnium ferme primum Monaſterium hoc ſenſit hæreticorum rabiem, qui univerſum demoliti ſunt. Remanſit ex una parte feneſtra magna eleganter elaborata; banc Anglus hæreticus emit, navemque conduxit, ut perite compoſitos lapides in Angliam transferret. Miſſi cæmentarii, qui colligationes diſſolverent, & lapides remitterent: qui primus dedit ictum, ſtatim ſenſit ultionem divinam, nam cœlo ſereno & pacato, repente exorta procella hominem deturbavit, qui ex caſu cervicibus fractis, protinus interiit; & protinus tempeſtas ceſſavit, quaſi ad hoc dumtaxat immiſſa, ut a prophanandis lapidibus ſanctuarii nebulones ceſſarent; & commotum propterea cœlum, quia in ultimas ſacri Templi reliquias ſæviebant, veluti cum filiis Edom dicentes: *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in eo*. Habuit hoc Monaſterium ruri aliquot prata juxta oppida Clunidalcain, & Bohar Brioine juxta Glaſmoic, ut conſtat ex diplomate Henrici VIII. dato Dublinii anno regni ejuſdem XXXIV. cujus apud me exemplar, quo pro triginta ſex libris, & ſex ſolidis regalis monetæ Hibernicæ vendidit Cœnobium, cum omnibus ſuis pertinentiis Thomæ Stivens, ſeu Stephani mercatori Dublinienſi, cujus nepos, etſi Catholicus, adhuc eumdem locum poſſidet in viridaria & hortos redactum. Glorioſum curſum conſummarunt in hac civitate fortes fidei athletæ frater Cornelius Epiſcopus Dunenſis & Conerenſis ex Minoribus aſſumptus cum ſuo ſacellano ſacerdote ſeculari Patritio Lurchrano in patibulo ſuſpenſi, mox in partes diſſecti. Poſt longum carceris pædorem & moleſtias obierunt ibidem Dominus Dermitius O Hurly Archiepiſcopus Caſſellenſis, Dominus Moriartus Decanus Ardachadenſis, Archidiaconus Clonenſis, demum Vicarius generalis Dublinienſis per fratrem Matthæum de Oviedo, cujus egimus mentionem; & frater Thomas Geraldinus Minorita, indefeſſus per totum regnum prædicator; cujus cadaveri obtento, & ex carcere extracto Catholici per tres dies ſolenniter parentarunt, tanta devotione, & populi concurſu, ut nequiverint hæretici eiſdem obſiſtere. Hoc irriguo revireſcit in his partibus religio,

Conven. Dublinii.

Pſal. 136. 7.

Cornelius Dunenſis Epiſcopus martyr.

Patritius Lurchranus martyr.

Tom. 3. an. 1254. n. 46.

Fr. Thomas Geraldinus.

Tertull. Apolog. a lugen. c. ult. Leo ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo cap. 6. Tertul. cit.

& ſacro hoc ſemine (*ſanguis enim eſt ſemen Chriſtianorum*) fœcundabitur Eccleſiæ campus, *& ſegete ditiore veſtietur, dum grana quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcentur*. Agite, agite fidei noſtræ hoſtes, perſequimini, comprehendite, & mactate: veſtra nobis ſamulatur immanitas, & fidei noſtræ veſtra deſeruit perſecutio: *exquiſitior quæque crudelitus veſtra, noſtræ magis illecebra eſt ſectæ: plures efficimur quoties metimur a vobis*. Ex fuſo hoc ſanguine Martyrum reſuſcitandam, & adverſus vos ſtabiliendam credimus Eccleſism, quæ martyrum nece non minuitur, ſed augetur. Sua quæque tempora revocabunt horum Martyrum memoriam.

Conv. Pontanen.

XIX. Vadipontum ſeu Pontanum urbs maritima frequens, & elegans, quam alluit mediam Boandus flumen, Ptolomæo *Bavinda*, Aquilonari parte diœceſi Ardmachanæ, Auſtrali Midenſi adjudicata, alterum habuit Cœnobium ex illa parte, qua diœceſis Ardmacbana, in optimo & amœniſſimo loco intra muros Civitatis prope navale. Inde expulſi Fratres ſub initio regni Eliſabethæ. Conventus & horti tranſierunt in poſſeſſionem cujuſdam viri orthodoxi Almeri de Dolaſton, qui nuper omnia vendidit Moyſi Hill hæretico, indefeſſo Catholicorum perſecutori. Quis locum hunc extruxerit, non omnino certum; a quibuſdam judicatur primus auctor Dominus Darſy de Platine ex buſto ejus marmoreo in medio chori, opere exquiſito elaborato. Ambitus ejus erat a flumine uſque ad plateam quamdam in clivo collis, quo aſcenditur ad plateam ſancti Laurentii verſus Aquilonem, & a platea, quæ eſt ad Occidentem, prope locum, ubi exonerantur naves uſque ad mœnia Civitatis ad Orientem. Summi altaris feneſtra Orientem reſpiciebat in ipſo muro Civitatis: hortus amænus, & pomarium erant extra murum, per quem privsta conceſſa Fratribus porta tranſibant. Nihil ferme reliquum eſt Eccleſiæ, neque turris campanariæ, quam ante paucos annos ſupradictus Moyſes dejecit, egregio artificio cruſtis marmoreis undique tectam. Multa viſa ſunt & referuntur divinæ ultionis ſigna in eos, qui irreverenter locum hunc profanarunt & deſtruxerunt. Nullibi ſane legi ſanctos tenacius ſua defendere, aut gravius ſuas injurias ulciſci, quam in Hibernia, quibus occulta quadam virtute inditam vindictam dixit Cambrenſis, ea dixerim cauſa, *ut tenaciſſimam fidei Catholicæ inſulam*, vel ſuppliciis & terrore a circumvenientibus protegant hoſtibus; & quas poſt magnam contradictionem, & duram quæſtionem, expulſis inferni poteſtatibus, acquiſiverunt ſedes, contra doloſos earumdem ſatellites potenter defendant. Ubique certe *viris ſanctis timor exhibendus, Templa enim Dei ſunt. Et eum ad iracundiam vir ſanctus trahitur, quis alius ad iraſcendum niſi ejuſdem Templi inhabitator excitatur? Metuenda ergo tanto eſt ira juſtorum, quanto & conſtat quia in eorum cordibus ille præſens eſt, qui ad inferendam ultionem quam voluerit, invalidus non eſt*. In hac etiam Civitate comprehenſus, & Dublinium ductus frater Franciſcus Halanus, qui dum a militibus duceretur, catervatim occurrerunt mulieres, eumque ſibi valde earum & diuturnum confeſſarium vi, ſaxis, & clamoribus e manibus lictorum eripuerunt. At vir pius timens ex tumultuaria hac ſua liberatione ſuperventura urbi mala, & Proregis offenſionem, ultro extra urbem ſe tradidit illis; ſuſtulitque Dublinii ſex menſium carceris moleſtias, liberatus tandem per viros potentes, data prius cautione de comparendo quando vocaretur in judicium. Captus ibidem Bernardinus Miagh ſeu Medus Minorita ſacerdos, Collegii Lovanienſis hujus na-

Sancti Hibernici vendicant divinas injurias.

Silveſt. Girald. in topogr. Hibern. diſt. 3. cap. 33.

Gregor. lib. 1. dial. cap. 9.

tio-

Digitized by Google

tiouis alumnus, quem veſtibus ſecularibus indutum credentes eſſe mercatorem, qui nuper venerit e Belgio, ut dicebatur, dimiſerunt lictores. Prope Dublinium dum Vadipontum iret apprebenſus frater Joannes Stivard laicus Scotus nobilis, regii cognominis & familiæ, & proinde in Angliam ad Regem tranſmiſſus, ubi poſt aliquas moleſtias & carceres magna conſtantia comparuit coram Rege, cum quo jocoſe & familiariter agens, dimiſſus eſt in Belgium. Obiit anno MDCXXV. dum ſuæ genti, & Ordini proficua quæque & ſedem in Belgio præpararet.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. DUm adhuc a purpuratis Patribus remoratur ſummi Paſtoris, &
„ fidelium Patris electio, ab Annalibus nos parumper avocabi-
„ mus lectorem, ut quidpiam temporis elucubrationibus noſtris impen-
„ dat: at haud inutiliter: noſtrum enim eſſe novimus oblectare juvando.
„ Albia, vel Albiga, Gallis *Alby* antiquitus, ut nonnullis viſum eſt, Albia C. E. deſcribitur.
„ Auguſta Helvetiorum: Aquitaniæ civitas in eo tractu, qui ſub lingua *Topogr. Ferretii.*
„ Ocitana comprehenditur, inter Cadurcum, & Rhodium, interque
„ ſancti Flori Civitatem, & Montem Albanum ad Tharnem fluvium au-
„ riferum ſedet Epiſcopali dignitate fulgens, & clare, cum Epiſcopium
„ inter Galliæ ditiora cenſeatur. Ex hac urbe, ſi non prodierint, nomen Ex ea Hæretici Albigenſes dicti.
„ ſaltem ſumpſerunt peſſimi Albigenſes, quos alii Albigeſios, Albianos,
„ & Albios vocant; quorum hæreſes pullulare, ſeu verius invaleſcere, *Cæſar. lib. 5. illuſtr. mirac. cap. 22. 23. cit. a Wad. in apparat. §. 1. n. 4.*
„ ſimul & matureſcere cœperunt Innocenti III. temporibus, quando
„ eorumdem peſtilentiſſimum virus mille jam civitates infecerat, pejus
„ acturum, quando gladio, & igne illi reſtitum non fuiſſet.
„ II. Hæc ergo ipſa Civitas, quondam mater, vel hæreticorum
„ aſylum, ad ſaniorem mentem reſtituta, hæreſiarcharum loco Minori- Minorit. admittit.
„ tas admiſit, ut eos quorum doctrina, & exemplo adverſus hæreſes
„ quaſcumque uti poſſe ſperabat: Ante annum MCCLXXVI. id accidiſſe ex *Mont. Prov. Aquitan. antiq. in Conv. Albiæ.*
„ Chronicis MSS. Provinciæ Aquitaniæ antiquioris, a Gonzaga etiam,
„ & Waddingo didicimus: ſed præciſo quo tempore id factum fuerit,
„ revelatum non eſt, a penuria monimentorum procedente cauſa; no-
„ viſſimis nihilominus monumentis admonemur ſub hoc anno MCCLXXI. Mauritius hæreticos inſectatur.
„ Fratrem Dominicani Ordinis Mauritium nomine, omni conatu, ac
„ toto zelo hæreticos ibidem inſectaſſe optimo vitæ exemplo, & do-
„ ctrina ſana, miraculis confirmata ad reſipiſcentiam exagitaſſe; hære- Miraculoſe confirmat Cœlum ſuam doctrinam.
„ ticis præſentibus, cum ad evidentiorem ſuæ doctrinæ comprobationem
„ per ſenſibilia ſigna, & divinitus elapſa, extimulantibus, hæc reſpon-
„ diſſe veriſimile eſt: *Aperiat Dominus ex cordibus veſtris venam aquæ*
„ *ſalutaris ſalientis in vitam æternam, ſicuti ex hoc arido ſolo languenti-*
„ *bus & infirmis, larga ſua benedictione perennem aquarum fontem exhi-*
„ *bebit*. Mirum! his dictis, coram adſtantibus ſcaturiit aqua, & uſque
„ in hodiernum diem ibidem in horto noſtri Conventus perſeverat, pe-
„ rennante Deo miraculum in confirmationem legitimæ doctrinæ Mauri-
„ tii, & ad quorumcumque piorum ſalutare corporis, & animi benefi-
„ cium. Convivebat autem eadem in domo tunc temporis cum Minori- Apud Minores moritur, & ſepelitur, ac fulget.
„ tis, qui eum ut fratrem amabant, & virum omnis virtutis veneraban-
„ tur: & quia ibidem ſanctiſſime obiit, apud eoſdem honorificam
„ ſepulturam nactus eſt. Quidam ex illis noſtris priſcis patribus nomi-
„ ne *Pons*, ut loquuntur Galli, vel Pontius, ut politiori lingua expri-
mit

Conventus Albiæ aperitur antiquitas.

,, mit Latium, a pluribus annis febribus laborabat: & neſciens quo ſe
,, verteret, ad ſepulcrum ſancti fratris Mauritii ſeſe recepit, geni-
,, bus flexis, ejus opem in adeo prolixa infirmitate imploravit. Sup-
,, pliciter exoranti non defuit Sanctus, quinimo ab Altiſſimo pro eo-
,, dem illico deſideratam gratiam obtinuit, unde a febribus liberatus eſt.
,, Hæc habent monumenta tranſmiſſa, a quibus rationabiliter coacti, ut
,, Albiæ noſtrorum Conventus antiquitas legentibus aperiretur, hæc
,, pauca in hunc locum congeſſimus.

Ottogarus III. Rex fundat Clariſſis Monaſteriū Znoymæ.

Provinc. Boemiæ mon. noviſſ. de ann. 1695.
Vide ſup. ad annum 1247. n. 5.
Petr. Bert. in deſcript. Boemiæ fol. 117.

,, III. Interea vero Znoymæ, regiæ Civitatis in Moravia, & diœ-
,, ceſi Olomucenſi Sereniſſimus Ottogarus hujus nominis III. Rex vero
,, Boemiæ V. inter plura ſuæ regiæ pietatis egregia monumenta, ſub
,, titulo Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, prope ſuum Caſtrum,
,, Monaſterii pro ſacris Virginibus Ordinis ſanctæ Claræ, quarum vir-
,, tutum famam audiverat, hoc anno fundamenta jecit; non diſplicet
,, autem hic ad levamen tædii nonnulla Regionis afferre: eſt enim cam-
,, peſtris, molli, & pingui ſolo, ſegibuſque idcirco peridoneo, collibus
,, etiam alicubi vitiferis aſſurgens; Marcomannorum aliquando ſedes
,, a Morava fluvio mutuata nomen Boemiæ adjacet, ſermone vero mo-
,, do Boemico, modo Germanico utitur, quemadmodum & plerique

Thus & myrrhā a loco Grandiſko accipit.

Vide infr. ad annum 1274. n. 4. & 1299. num. 6. & 1227. num. 3.

,, Boemiæ: Thus foſſile, ſimiliterque myrrham habere, maxime in
,, loco, quem vocant *Grandisko*, auctor eſt Joannes Dubravius: Amnes
,, præter Moravam præcipuos habet, Thyſam, Iglam, Havani, Suar-
,, tam, & Civitates Prunnam, & Olomuzium ad Moravam urbem ſitam
,, Epiſcopalem, nobilem, & perantiquam, a Vienna Auſtriæ in Se-
,, ptentriones XX. M. P. german. diſtantem: in cujus diœceſi Znoy-
,, mam reperiri Civitatis titulo fulgentem, & in qua Ottogarum III.
,, Monaſterium pro Clariſſis hoc anno inchoaſſe dicebamus.

Contentio inter religioſos Ordinis ſancti Auguſtini & Minoritas.

,, IV. At a Moravia retrahit calamum Gallia: *Contentio, quæ Bleſis,*
,, *inter viros religioſos* (verba ſunt commentarii publici, ex curia ratio-
,, num, ſeu computorum deſumpti) *Abbatem, & Conventum beatæ Ma-*
,, *riæ de Burgo Medio Bleſenſi Ordinis ſancti Auguſtini ex una parte, &*
,, *religioſos viros Guardianum, & Fratres Minores Bleſis ex altera, per*
,, *multos annos continuaverat: tandem, conciliatore Illuſtriſſimo Epiſcopo*
,, *Carnotenſi, ſub* IV. *Septembris anno* MCCLXXI. *compoſita fuit: hanc vero*

Mon. Prov. Thuroniæ major. ad ann. 1680.

,, *compoſitionem per epiſtolam Abbati præfato directam, confirmatam fuiſſe*
,, *a ſancto Bonaventura conſtat, ut monumenta Provinciæ Thuroniæ majoris*
,, *referunt, a quibus pariter docemur, illius Provinciæ Patres in Conventu*

Comitia Provincialia Thuronen. in Conven. Pertiniacenſi.

,, *Pertiniacenſi, intra muros loci exiſtentes, & Cuſtodiæ Pictavienſis, ſua*
,, *Comitia provincialia hoc eodem anno celebraſſe; ex his ergo earum reli-*
,, *gioſarum domorum antiquitatem quivis recogitare poteſt, licet earum-*
,, *dem auctores, promotores, & benefactores non tam diuturnitas temporis*
,, *quam hæreticorum ſubſequuta malignitas, ab hominum memoria dele-*

Gualter. Brugenſis in eo flor.

De B. Guil. vide Wadd. ad annum 1275. n. 14. & 1279. n. 15. &c.

Ædific. in eo cōſtruit.

Iterum narratam Pōtificis electionem de hoc loco delevimus.

,, *verint.* Ceterum Bleſenſe Cœnobium incolas religioſos quadraginta
,, eleemoſynis benefactorum alens, viros pietate, & doctrina claros,
,, ad Religionis decorem, & Eccleſiæ ſanctæ utilitatem ferax protulit,
,, in dieſque profert, inter quos velut ſtella matutina beatus Gualte-
,, rius Brugenſis reſplendet; hic factus Epiſcopus Pictavienſis, ad ſola-
,, men ſpiritus morabatur cum Fratribus, & apud ipſos etiam nobile
,, ædificium conſtruxit, quod pro æde Epiſcopali diu incoluit: illud
,, etiam a Ludovico XIII. Galliæ Rege ſemel & iterum ſua præſentia, &
,, regio accubitu cohoneſtatum fuit.

A R-

ARGUMENTUM.

Coronatus hoc anno Gregorius Pontifex, de curandis Chriſtiani orbis malis impenſius agit; Minoritas quatuor Nuncios ſuos mittit ad Palæologum pro terminanda unione in Concilio Lugduni congregando. Bonaventura generalia celebrat Piſis comitia. Moriuntur Chriſtophorus Romandiolus, David Auguſtanus, & Bertholdus Ratiſponenſis, quorum præcipua acta referuntur. Initiatur Joannes Firmanus, & futuræ exhibet ſanctitatis præludia. Creantur Epiſcopi Minoritæ, & extruuntur Cœnobia.

I. CORONATUS hoc anno Pontifex Gregorius, uti diximus ſuperius, impenſe cogitavit de ſubſidiis mittendis iis, qui pro Terra ſancta laborabant, cujus calamitatem præſens viderat, & de qua diſceſſurus ex Syria illud propheticum pro concione dixerat ad populum: *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreatque lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui in principio lætitiæ meæ*; ſuppetias ſcilicet mittendo Cruceſignatis, & quæcumque ſibi poſſibilia præſtando in levamen urbis afflictæ: quod & fecit quidem copiis auxiliaribus equitum & peditum illuc quantocius deſtinatis, quibus colligendis non inanem poſuerunt operam Prædicatores & Minores. Scripſit etiam tertio a ſua coronatione die graviſſimam Epiſtolam ad Patriarcham Hieroſolymitanum (qui tunc erat Thomas Lentinus Ordinis Prædicatorum) & ſuffraganeos de ſua aſſumptione ad Pontificatum, in qua calamitatis Chriſtianorum in Syria cauſam oſtendit eſſe divinorum mandatorum tranſgreſſionem: deinde promittit quæcumque caritatis ſubſidia, & benevolentiæ argumenta. Ne excidat doctiſſima & piiſſima epiſtola, hic damus ex Vaticano.

Ann. 1271. *Pſal. 136. 5.* Succurrit Pontifex Terræ ſanctæ. *Panvin. in chron.* *Leander Alb. lib. 3. de viris illuſtr. Ordin. Prædic.*

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

Venerabilibus fratribus Patriarchæ Hieroſolymitano, & ejus Suffraganeis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

II. *GLoria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Glorioſæ nativitatis Dominicæ latens licet myſterium, patens tamen late præconium cæleſtis Præco humano nuntiaturus generi præmiſſo accommodo verborum ſtemmate, Deo in altiſſimis gloriam retulit, pacem in terra bonæ voluntatis hominibus nunciavit. Hæc eſt nunciatio profecto digniſſime veneranda. Hæc attentione digniſſima, qua vere venerabilem reddit nuntium mittentis ſublimitas, extollit nunciantis auctoritas, & nunciationis ipſius veritas manifeſta commendat. Hæc vera & juſta, ſed eam non ſervantibus proculdubio tremenda partitio, qua ore Angelico ſoli Deo attribuitur honor & gloria, quam ſolus ipſe meretur*, qui facit mirabilia magna ſolus, *qua demum bonæ voluntatis hominibus pax in terra promittitur, interdicitur impiis, malevolis denegatur. Nulla eſt enim pax impiis, nulla contemnentibus, ſed multa diligentibus nomen Dei. Eorum ſiquidem, qui mandata ipſius audiunt, pax, ut flumen. Impii vero ut mare fervens quieſcere nequeunt, pacis commoda neſciunt, ſed diſcerpentibus vitiis, in ſeipſos diffident & turbantur, & redundantibus ipſorum fluctibus in conculcationem diaboli, lutumque peccati, dum per peccatum avertuntur*

Regeſt. Vatic. in epiſt. ſecretis fol. 121. *Lucæ 2. 14.* *Pſal. 135. 4.* Non eſt pax impiis. *Iſaiæ 48. 22.* *Pſal. 118. 165.* *Iſaiæ 48. 18.* *Iſaiæ 57. 20.*

ab

Philipp. 4. 7. *ab eo*, qui eſt pax noſtra, quæ exuperat omnem ſenſum, *a pace reddun-*
tur per conſequens alieni, non immerito, ſed ob ſua demerita pectoris, &
Pſal. 93. 1. *temporis pace fruſtrati. Deus etenim ultionum, exercituum dominus, agens*
libere ut retributionem reddat ſuæ, quantum in eis eſt, detrahentibus gloriæ,
ſuperbiendo per peccatorum inſolentias, contra ipſos terram commovens &
Pſal. 59. 5. Pſal. 106. 17. *conturbans, eiſque juſto judicio pacem tollens*, oſtendit populo ſuo dura,
propter injuſtitias ſuas ipſum humilians, ſuper ipſum inducens terrorem, &
rectorem interdum, ſpiritum Principum auferendo, ſubducens, ut non ſit qui
congreget ab ovili Domini peccatorum averſi.nibus fugientes, non ſit qui er-
Apoc. 22. 11. *rata corrigat, ſed qui eſt in ſordibus, plus ſordeſcat. Hinc itaque, hinc*
Unde regnorum commotiones. *proculdubio provenire creduntur Imperiorum fluctuationes, colliſioneſque*
Regnorum, & cuncta guerrarum diſſidia, quæ animarum pericula, corpo-
rum ſtrages, facultatum lapſus in deſtructiones inducunt. Hinc cetera non
facile numeranda diſcrimina, & in partibus variis graviter deploranda con-
tritio, & gravis admodum pudendaque confuſio populi Chriſtiani. Hinc diu-
tinæ vacationis Sedis Apoſtolicæ diſpendium, poſt felicem ſanctæ recordatio-
nis Clementis, patris, & prædeceſſoris noſtri de hoc mundo tranſitum, &
corpus ipſius cum debita exequiarum ſolemnitate reconditum tantopere pro-
Sap. 11. 24. *rogatum, donec Dominus populi ejuſdem peccata diſſimulans, & miſericor-*
Job. 25. 2. *diter ipſius miſerias miſeratus, dignatus eſt ipſe, qui concordiam in ſubli-*
mibus operatur, fratribus noſtris ſic unanimitatem ad procedendum in
Gregor. in peregrinatione electus Pontifex. *proviſione Sedis ejuſdem facienda concedere, quod mera Dei, & nobis ni-*
mirum ſtupendo conſilio ad imbecillitatem noſtram oculos dirigentes, nos
qui tunc in minori conſtituti officio, pro ſalutis noſtræ remedio peregrinaba-
mur in partibus tranſmarinis, ad conſcendendam Apoſtolicæ præeminentiæ
cathedram & ſuſcipiendum importabile nobis non ſolum ex humanæ infir-
mitatis, ſed etiam ex humilitatis noſtræ defectu onus univerſalis regiminis
Orbis terræ, concorditer elegerunt, ad inducendum nos ad id variis ad no-
ſtram præſentiam Nuntiis & litteris deſtinatis. Nos vero in conſideratio-
nis examine onus ipſum per hoc noſtris imponendum humeris, & opus no-
ſtra proſequendum ſollicitudine attendentes, noſtrarumque metientes virium
quantitatem, diſpungendo inſufficientes virtutum ſumptus, & meritorum
inſufficientiam comparando, eligendum ſano conſilio putabamus, ut humeri
ſubducerentur ab onere, manus ab opere arcerentur. Verum ne poſt ejuſ-
dem vacationis tam diffuſa & diſpendioſa tempora obſtinatæ contradictionis
reluctatio profuſioris diſpendii occaſionem induceret, nos, non de nobis, ſed
de illo ſolo concepta fiducia, qui dat lapſo virtutem, qui ſolus poteſt, cum
2. Cor. 3. 5. *omnis ſufficientia ſit ab eo, noſtram inſufficientiam abundantia virtutis ſuæ*
ſupplere, in humilitatis ſpiritu tanti oneris ſarcinæ imbecilles expoſuimus
humeros, debiles miſimus manus ad fortia, & humiliter colla ſubmiſimus
Prov. 31. 19. *jugo Apoſtolicæ ſervitutis, ſuppliciter implorantes ut ipſe, qui per hujuſ-*
modi vocationem in maris mundi hujus altitudinem nos deduxit, non patia-
tur nos ab ipſius tempeſtate demergi, ſed illam nobis ſuæ potentiæ dexteram
Matth. 14. 31. *porrigat, quæ Apoſtolorum Principem ambulantem, & hæſitantem in flu-*
ctibus ne mergeretur, erexit, & Coapoſtolum ejus Paulum nocte ac die in
profundo maris poſitum, liberavit. Accedit etiam ad grande noſtræ fiduciæ
fulcimentum veſtræ conſideratio probitatis: ſperamus namque ac ſummopere
affectamus, quod cum ſitis in partem tantæ ſollicitudinis nobis ſingulariter
indictæ, vocati, ſic auxiliante Domino, commiſſum vobis miniſterium im-
Tit. 2. 14. *pleatis, ut populum veſtræ cuſtodiæ creditum reddatis Domino acceptabilem,*
bonorum operum ſectatorem. Ad quod univerſitatem veſtram affectuoſe ro-
gamus,

gamus, & qua poſſumus inſtantia exhortantes, humiliter petimus, & rogamus inſtanter, quatenus veſtris orationibus devotis, & ſedulis noſtras manus debiles confortetis, pias preces fundentes ad Dominum, ut in beneplacito filii ſui dirigens actus noſtros, nobis & vobis, ac ceteris Eccleſiarum Paſtoribus ſua pietate concedat, ſic circa gregem Dominicum cura pervigili noctis obſervare vigilias, quod in eo manſuetudo ſuperveniat, & correctio ſubſequatur, reddatur Domino populus Chriſtianus voluntatis acceptæ, pacis ex hoc proculdubio commodis potiturus. Scimus enim, quod ſi fecerit ei placidas vias ſuas, ipſe inimicos ejus convertet ad pacem, nec erit qui eum exterreat; ſed perfidæ gentis terroribus de ipſius finibus profligatis, confidenter in tabernaculis fiduciæ habitabit, & fiducialiter in requie opulenta requieſcet. Nos ſane vobis affectum caritativæ benignitatis expandimus, & ſinum caritatis ſolidæ aperimus, proponentes quantum cum Deo poterimus, honori veſtro deferre, ac veſtra & Eccleſiarum veſtrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum ſecuritate poteritis, in promptitudine benevolentiæ promere. Datum Lateran. IV. Kalend. Aprilis, anno 1.

III. Premebat etiam ſanctum Pontificem cura reformandi ſtatus Eccleſiaſtici, in quem libertas utcumque vivendi ex interregnis Pontificio & Imperatorio, orbe undique turbato, exorta, varios invexit abuſus; pro quibus tollendis indicendum duxit infra triennium Concilium Œcumenicum, in quo etiam de reſtituendo fidei nitore, & reducendis Schiſmaticis, ageretur. Urgebant demum res Eccleſiæ Orientalis, quæ tot annis a ſuis prædeceſſoribus cum Imperatore Palæologo tractabantur, ad quem ſane illico miſiſſet ſuos Legatos de unione acturos, niſi expectandum monuiſſent Cardinales reditum miſſorum a Sede Apoſtolica Apocriſariorum ex Ordine Minorum. Opportune tandem ſupervenit ex eodem Ordine Joannes de Monte Corvino (quod oppidum eſt in Apulia Daunia) miſſus ab Imperatore litteris & verbo, Gregorii aſſumptioni gratulaturus, dolorem item expreſſurus, quod eum videre non licuerit antequam e Syria regrederetur, & impenſe Imperatoris nomine acturus de repetita toties unione Eccleſiarum: cujus demum verbis tamquam ex ipſius Imperatoris ore prolatis, plenam adhiberi fidem in epiſtola rogabat. Nihil aliud deſiderabat ſanctus Pontifex, quam anſam ſibi offerri tractatum hunc valde a ſe concupitæ unionis proſequendi, egitque ſtatim cum Bonaventura Generali Miniſtro de ſeligendis ſibi e ſuo ſodalitio viris probis & doctis, quos Imperatori in hoc munus deſtinaret, quippe ex hoc Ordine toties miſſi ab aliis Pontificibus Legati, Imperatori ſumme grati, atque in eorum manibus univerſum coaluit negotium. Advocavit ille fratrem Hieronymum Aſculanum Picenum, Miniſtrum Dalmatiæ paulo ante a ſe creatum in Capitulo Piſano, tanti meriti virum, ut ad ſummam Ordinis Præfecturam, Cardinalatus, & Summi Pontificatus apicem ſit evectus, & fratres Raymundum Berengarii, Bonagratiam de ſancto Joanne in Perſeceto, oppido in tractu Bononienſi, quem aliqui faciunt Dalmatinum, & Bonaventuram de Mugello viros doctos, rerum agendarum peritos. Hos miſit ſuos Nuncios Pontifex ad Imperatorem de indicto Concilio generali admonituros, eumque ut adeſſe vel per ſe, vel per ſuos legatos vellet, rogaturos, atque apertam fidem Romanæ Eccleſiæ ſolide expoſituros, ut tamdem in perfectam unionem Eccleſiæ coirent. Graviſſimas per eoſdem miſſas litteras hic ſubjungo.

Joan. a Monte-Corvino miſſus a Palæologo ad Pontificem.

Remittit ille quatuor Nuncios ex Minoritis.

Fr. Hieronymus Aſculanus.

Viro Magnifico Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Galat. 4. 4. Iſa. 46. 11. IV. *QUi miſeratione ineffabili cum venit temporis plenitudo vocavit
ab Oriente avem, & virum voluntatis ſuæ de terra longinqua,
ipſe nos in Orientalibus peregrinantes partibus, ut, licet im-
meritos, ejus Vicarium ſua ſola dignatione ſtatueret, qui ore prophetico,
cujus nomine in metaphora præmiſſa ſignatur, vocari ad gerendum Apoſtola-
tus miniſterium dignanter potius, quam digne permittens, vota noſtra etiam
dum nos minor ſtatus haberet, ſicut firmiter credimus, & fatemur humili-
ter, in pacis direxit ſemitas, & eadem a noſtræ promotionis auſpiciis ad
illius commoda in omnes pretioſo Chriſti redemptos ſanguine, præcipue autem
in Chriſtiani nominis titulo inſignitos diffundenda pro viribus, eo magis ac-
cendit, quo ſalutem animarum, ad quam nos & affectus intentio afficit, &
debitum ſuſcepti officii paſtoralis aſtringit, ſperamus exinde liberius & effi-
cacius, divina concedente clementia, proventuram. Unde quamprimum ad
locum, in quo cum fratribus noſtris ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali-
bus, quorum ſpecialiter conſilio utimur, & auxilio communimur, convenire
potuimus, nos hybernis maris calcatis fluctibus, potentia divina perduxit,
nequaquam torpuimus otio, ſed non ſine gravi amaritudine attendentes præ-
Lucæ 5. 6. figuratam in piſcatoris Petri rete, quod præ multitudine piſcium rumpeba-
tur, ſciſſuram univerſalis Eccleſiæ, quam in ſuis fidelibus non in fide, pro
Hebr. 5. 7. qua ille, qui pro ſua reverentia eſt in omnibus exauditus, ſe rogaſſe teſta-
Lucæ 22. 32. tur, ne deficiat fides ejus, aperte videmus non ſolum damnoſe divelli, verum-
etiam in eorumdem ſciſſura, caſu, & averſione fidelium periculoſe divulſam,
& ruinis gravibus deformatam; elaborandum ſummopere fore putavimus,
Eph. 2. 20. ut ille, qui eſt lapis angularis, utraque unum faciens, & parietem utrum-
Quanta Pontificis ſollicitudo de unitate Eccleſiæ. que connectens, ſua immenſa pietate donante, ſalubris exquiratur, & deſi-
derata proviſio, per cujus perſecutionem, dicente Domino Aquiloni :* da, & *Auſtro:* noli prohibere, *ipſa mater Eccleſia ſuos afferens filios de longinquo,
Iſa. 43. 6. & filias ſuas ab extremis terræ, ſciſſuris coeuntibus, cadentibus relevatis,
averſiſque converſis, ruinis impletis, & deformitatibus reformatis, diſſi-
dentium multitudine in unitate fidei, & vinculo caritatis unita, juxta Pro-
phetæ vaticinium, dilatet tentorii ſui locum, funes tabernaculorum ſuorum
Iſa. 54. 2. extendat, & conſolidet clavos ſuos, ad dexteram & lævam penetret, ſemen
ejus gentes hæreditet, & deſertas inhabitet civitates. Hoc eſt enim quod ab
ipſo largitore bonorum omnium profundis ſuſpiriis petimus, hoc quod effuſis
lacrymis poſtulamus, ut ipſe in cujus unitate fundatur fidei unitas, unitatis
Epheſ. 4. 5. Eccleſiaſticæ fundamentum, dicente Apoſtolo:* Unus Dominus, una fides, *ſuam ſanctam atque Catholicam Eccleſiam redintegrando uniat, & uniendo
redintegret, in ſinu ejus populis univerſis Latinis & Græcis ſpecialiter adu-
natis, in fide integra, ſpe ſolida, & caritate ſincera. Et quia hæc ſi fons
miſericordiæ deſideriis noſtris benignus annuerit, ad communem cedent uti-
litatem omnium, communi ad eam deliberavimus conſilio inſiſtendum. Ideo-
que cum eiſdem fratribus noſtris, multiſque aliis prudentia & veritatis
amore pollentibus deliberatione præhabita propter hæc, & ad providendum
utiliter & efficaciter de neceſſario Terræ ſanctæ ſuccurſu, de generali mo-
rum reformatione, quorum deformatio in Clero, & populo nimis generali-
ter obrepſiſſe videtur, necnon & propter alia, quæ cunctis Chriſti fidelibus
ſperamus, auctore Domino, ſpiritualiter maxime, ac inſuper temporaliter
pro-*

profutura, de dictorum fratrum noſtrorum conſilio, Synodum generalem, univerſis Catholicis mundi Principibus, & Eccleſiarum Prælatis ad illam per noſtras ſub certa forma litteras evocatis, in Kalendis Maii anni ab Incarnatione Domini milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi quarti, annuente Domino, duximus congregandam. Super quo licet ab exordio indictionis hujuſmodi, ad Magnificentiam tuam litteras & Nuncios diſpoſuerimus deſtinare, ipſorum tamen conſulto ſuſpendimus miſsionem anxii expectantes, ut a te ſuper iis, quæ felicis recordationis Clemens Papa prædeceſſor noſter noviſsimæ tuæ Celſitudini ſcripſerat, Apocriſariis receptis aliquibus, noſtros plenius mitteremus inſtructos. Nobis vero de tuorum Apocriſariorum expectatione ſollicitis, dilectus filius frater Joannes de Ordine Minorum a tua Serenitate tranſmiſſus, bonus de terra longinqua nuncius ſupervenit, tuas nobis devotione plenas, & lætitiæ cauſa non vacuas litteras repræſentans; in quibus gaudium de noſtro quem ſperabas ad tuas partes adventu conceptum, & honorem, & reverentiam nobis ut patri affectuoſiſſimo, a te ac tuis, velut a dilectis filiis, exhibendos & ſubſequutum dolorem ex noſtro tranſitu aliunde reverenter exprimens, inter cetera inferebas, nos debere diligenter advertere, qualem affectum & zelum tuum gerit, ut dicebas, Imperium ad pacem & unionem populi Chriſtiani: ſperans ſicut eædem litteræ continebant ex hujuſmodi noſtro adventu diſtantiam, quam inter paſtorem & ovile Sathanæ induxit ſuggeſtio, diſſolvendam. Ac deinde in litteris ipſis edicens, quod idem Frater tuo dilectus Imperio, ut earumdem litterarum verba ſequamur, enarrabit oretenus reverentiam, quam gerit idem Imperium erga ſummam & Apoſtolicam Sedem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris tuæ; & maximum dolorem, quem habes propter ſchiſmata, quæ intra Eccleſiam Chriſti permanent doloſa, & præcordialem affectum, quem obſervas thalamo cordis tui pro pace ac unione populi Chriſtiani, ac ferventem zelum contra omnes impios Crucis vivificæ ac honorabiliſſimæ inimicos. Demum in calce litterarum ipſarum ejuſdem Fratris verbis, tamquam ex ipſius ore prolatis, Imperii, nos fidem adhibere plenariam petiiſti. Sane tantæ tuæ ad nos devotionis indicia nobis in præmiſſis exhibita valde nimirum gratanter accepimus, ſed laudabile tuum propoſitum & affectum ad reparandas ipſius populi Chriſtiani ſciſſuras, ac ipſum in identitate Catholicæ fidei & caritatis glutino uniendum, necnon & recognitionem reverentiæ debitæ præfatæ Sedi Apoſtolicæ, ipſique Romanæ Eccleſiæ matri tuæ per Fratrem & litteras prædictas expreſſa, cum tanto majori gaudio acceptamus, quanto id credimus Deo acceptius, populo eidem utilius, ac tuæ & ipſorum ſaluti, noſtriſque proinde affectibus plenius convenire. Adjicit quoque non modicum ad conceptam ex præmiſſis cordis noſtri lætitiam, quod hujuſmodi laudabilem zelum tuum ad ejuſdem populi unionem claræ memoriæ Ludovico Regi Illuſtri, ſicut intelleximus, apertius revelaſti, & eidem patenter inſinuans, quod tu, Clerus, & populus tuæ ditioni ſubjecti deſiderantes ad obedientiam ejuſdem Eccleſiæ Romanæ redire, ipſique in ejuſdem fidei profeſſionem uniri, ac varias ſuper hoc ad eamdem Sedem litteras & Nuncios deſtinantes, quorum etiam aliqui in via detenti non pervenerunt ad eamdem, frequenter & humiliter ad id vos poſtulaſtis admitti, nec adhuc tuæ ac ipſorum fuerat inſtantiæ ſatisfactum, apud eumdem Regem multiplicatis ſuper hoc litteris & Nunciis, inſtitiſti, petens inſtanter ut ipſe in tam pio & utili negotio arbitri partes aſſumens, ad ipſius conſummationem ſollicita intenderet pietate. Ac inſuper, ut tuis verbis, prout nobis referuntur, utamur, te velle Regem eumdem arbitrum in hoc conſtituere, aſſerens, promittebas quidquid idem Rex ſuper

Indicit ſynodum univerſalem.

Joan. Minorita miſſus ab Imperatore ad Pontificem.

Recapitulatio epiſtolæ Imperatoris.

Vide quæ de his ſcripſimus anno 1270. num. 1. & ſeqq.

hoc diceret, te plene ac inviolabiliter ſervaturum. Et ut plenius circa hoc tuum manifeſtares affectum, adjuraſſe dicens Regem eumdem per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, ne aſſumere onus hujuſmodi recuſaret, & ne ſecus faceret, ad ſummum Judicem, ut ipſe Rex in extremo judicio coram eo de hoc rationem redderet, appellaſſe. Et licet idem Rex prudenter attendens, & humiliter recognoſcens, quod ſuum non erat, tale in eodem negotio, quod ſpecialiter pertinere dignoſcitur ad ejuſdem Sedis examen, officium uſurpare, conſulte reſponderit, quod in ipſo nequaquam hujuſmodi partes aſſumeret, ſed pro ipſius conſummatione apud Sedem ipſam libenter inſtaret, ac propterea litteras, & ſuos ad eamdem Sedem nuncios deſtinaret, qui hæc omnia, ipſa tunc Sede vacante, coram prædictis noſtris Fratribus retulerunt; ad quorum etiam pro parte ipſius Regis inſtantiam bonæ memoriæ Albanen. Epiſcopo tunc in partibus illis ejuſdem Sedis Legato ſuper hoc plena commiſſio facta fuit, tamen ipſis Rege ac Legato humana de hac luce ſubtractis, proceſſus aliquis haberi non potuit per eamdem. Habent hæc itaque multæ jucunditatis cauſam, & materiam exultationis in Domino repræſentant. Si enim, prout eſt de tanto Principe ſupponendum, de arcano mentis ori conſonæ in veritate procedant, veriſimiliter credi poteſt, quod ille, qui ubi vult ſpirat, tuum ad tale tam utilis unionis deſiderium animum inſpirarit.
1. Theſſ. 5. 19. *Quæſumus itaque, ſpiritum non extinguas, nec irrita facias, quæ ad eamdem tuam matrem Eccleſiam, & ad tantum Principem per diverſos, ut præmittitur, Nuncios, & litteras de tuis dicuntur labiis proceſſiſſe; ſed attende*
Efficaciter hortatur ad unioné. *potius, & in conſpectu attentæ conſiderationis expende, quod ille, qui eſt verum caput corporis myſtici, Eccleſiaſticæ videlicet unitatis, juxta illud*
1. Cor. 12. 13. *Apoſtoli*: Omnes ſumus unum corpus in Chriſto, *inſtante ſuæ paſſionis*
Jo. 17. 21. *articulo pro hac ſibi placida unitate legitur ſignanter oraſſe*: Volo, *inquiens*, Pater, ut omnes in nobis unum ſint. *Si ergo, juxta ſacræ Scri-*
Pſal. 32. 11. *pturæ teſtimonium, conſilium ejus ſtabit, & fiet omnis voluntas ipſius, neceſſe profecto eſt, hanc unionem impleri. Feſtina itaque, tolle moras, & conſulte tai fac eſſe muneris, quod omnino alicujus futurum eſt temporis, feſtina, & conſiderans incertam humani temporis brevitatem, tantum bonum non ultra differendo procraſtines, ne forte cum voluntas adfuerit ad perficiendum quod volueris, vita deſit; ſed celeriter viam ſalutis & pacis per deſiderabilem cordi tuo, ut tam publice, tam laudabiliter profiteris, unionem Latinorum pariter & Græcorum in unius profeſſione fidei, & caritatis ſolidæ unitate tuis ſubditis aperi, tuis poſteris præpara, & incomparabile meritum tibi ſollicite ac prudenter ex tam utili, tam ſalubri præparatione præoccupa. Conſidera quam intrepidus, quam ſecurus in extremo juditio coram tremendo Judice tantis ad ejuſdem matris gremium tecum tuo miniſterio reductorum ſtipatus cuneis, aliis tuis ad id concurrentibus meritis, apparebis. Quam gratus advenies, quam gratanter etiam admitteris, quomodo comitiva gratiſſima ornandus illorum, quos innumeros, ut ſperamus, de tam numeroſa multitudine, quam ad illius ovile, ipſo præſtante, reduces; tamdem ipſe paſtor bonus, qui pro eis animam ſuam ponit, in dilecta ſua tabernacula introducet, tu in eamdem exaltans & jubilans de ſuo munere introibis. O te felicem, ſi ad hæc te Dominus præparavit; ſi facultatem, quæ ad ea tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter proſequens, & de contingentibus nil omittens, multis ab olim ad eadem laborantibus per diverſos modos & vias, tu in labores eorum introiens pervenias ſolus ad bravium, optatum illorum finem obtineas, & inextimabilem gloriam, quam ſpe-*

ſpecialiter ſequi debes, finaliter aſſequaris! Ceterum ut ſit incepti ſuper his tractatus proſecutio, Deo adjuvante, facilior & deſideratus exitus promptior, felicis recordationis prædeceſſorum noſtrorum Urbani, & ejuſdem Clementis Romanorum Pontificum geſta circa inſtans negotium habita recenſuimus diligenter. Et eos prius de fidei veræ dogmatibus, quam de concordia inter eoſdem Latinos & Græcos in caritate mutua ſolidanda, tractandum evidentibus ad hoc inductis rationibus, licet aliud continere tua petitio videretur, elegiſſe comperimus; nec indigne, cum ſpiritualem unionem fides initiet, dicente Domino per Prophetam: ſponſabo te mihi in fide, *caritaſque conſummet, egregio gentium Doctore teſtante, quod* qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt, *unus profecto cum illo, non tam identitate ſubſtantiæ, quam gratiæ participatione ac gloriæ. Memoratus itaque prædeceſſor noſter Clemens Apocriſariis & litteris tuis ad ipſius præſentiam ſuper hujuſmodi negotio deſtinatis, benigne receptis, & tam ſecrete, quam publice, prout ei placuit, plene ac patienter auditis, multiſque aliis ejuſdem negotii utilitate, ac juſtitia exigente peractis, quæ ipſius Clementis prædeceſſoris litteræ per eoſdem tuos Apocriſarios ad te miſſæ ad tuam, ut credimus, notitiam detulerunt. Demum ut hujuſmodi conjunctionis ſpiritualis initium ordinate procederet; idem prædeceſſor Clemens ad utilem & finalem expeditionem tanti negotii præmiſſum ordinem, quem rationibus probaverat, facto etiam approbavit. Et ne ultra contingeret, idem negotium per inefficacia verba deduci, manifeſte in prædictis litteris ſuis expreſſit, quid tibi, tuis Clero, & populo ſupradictis faciendum incumberet, ut reverenter ad ejuſdem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſinum tu & ipſi ſano freti conſilio rediretis. In eiſdem litteris veræ Catholicæ fidei profeſſionem, quam eadem Romana Eccleſia firmiter tenet, fideliter docet, conſtanter prædicat, & publice profitetur, quamque a tuis Clero, & populo ſupradictis idem prædeceſſor noſter Clemens expoſtulans te, ac ipſos profiteri ſi velletis, juxta ejus deſiderium redire ad Eccleſiæ unitatem. Ea inſuper, quæ circa ejuſdem Eccleſiæ Romanæ Primatum, ac ipſis tuis Clero, & populo acceptari, & recipi voluit plenius explicando. De ipſa præterea fidei profeſſione dictis tuis Apocriſariis copiam faciens clementer obtulit eiſdem ſatisfacere, ſi ſuper ea in aliquo dubitarent. Adjecto nihilominus in litteris ſupradictis, qualiter provida deliberatione conceperat aliquos in lege Dei peritos ad tuam præſentiam deſtinare, cum quibus tu iidemque tui Clerus & populus ſuper præmiſſis conferre poſſetis. Et quod ſi nihilominus aliquid tuum, tuorumque animas concuteret, aut turbaret, propter quod aliquid de contentis in præſcriptæ fidei profeſſione tu vel ipſi vereremini profiteri, aliquos de peritioribus eorumdem tuorum Cleri & populi mitteres ad eumdem. Quibus ſe paratum obtulit, ſicut eadem Romana Eccleſia parata ſemper extitit, & exiſtit omni poſcenti, de ea quæ in ipſa eſt, fide, ac ſpe reddere rationem. Quamquam autem hujuſmodi ſuos Apocriſarios pro eo, quod aliqui ex eis, qui ad hoc fuerant de longinquis partibus advocati, & ipſemet morte præventi fuerunt, non potuerit mittere ut conceperat, tuam tamen Excellentiam per eaſdem ſuas litteras monuit, & variis exhortationibus invitavit inſtanter, ut ſic ſtuderes habilitare materiam, ſic animos tuum tuorumque diſponere, quod in eorumdem Apocriſariorum, quos ad te, ut prædicitur, mittere ſperabat adventu, te ac prædictis tuis Clero & populo præſcriptam humiliter ſuſcipientibus & fideliter profitentibus fidei veritatem, facilis foret ad reliqua, divina gratia favente, progreſſus. Ad quorum proſecutionem, & ſpecialiter ad caritatis vinculum inter eoſdem Latinos & Græcos ſolido fœdere*

Quid in hac unione Urbanus & Clemens IV. præſtiterint.

Oſe. 2. 20.

1. Cor. 6. 17.

1. Pet. 3. 15.

dere confirmandum, ſi poſt receptionem & profeſſionem ejuſdem fidei, & poſtquam ad obedientiam ipſius Romanæ Eccleſiæ tu, ac iidem tui Clerus, & populus rediiſſetis, ad locum, de quo eadem Romana expedire videret Eccleſia, generale Concilium peteres convocari, ſatis aperte ſpem tribuit, quod tuum in hoc deſiderium adimpleret. Non ad prædictæ diſcuſſionem, vel novam definitionem fidei, quam tamquam innumeris ſacræ paginæ auctoritatibus, numeroſis ſanctorum Patrum ſententiis, & Romanorum Pontificum ſtabili definitione firmatam, nec ipſe voluit, nec nos intendimus, ſicut nec decet, nec foret expediens, in dubium, novo ipſam exponendo examini, revocare. Cujus ſeriem ad majorem certitudinem, ne forſan ejus copiam caſus abſtulerit, vel illius memoriam obliterarit oblivio, necnon & illorum, quæ circa ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Primatum idem prædeceſſor Clemens a te, tuis Clero & populo ſupradictis acceptari, & recipi voluit, licet eadem per prædictas ipſius prædeceſſoris Clementis litteras ad tuam notitiam perveniſſe credamus, præſentibus duximus annotandam, quæ talis eſt. Credo ſanctam Trinitatem &c.

Ann. 1267.

(ipſa eadem fidei profeſſio eſt, quam ſuperius tranſcripſimus, & miſiſſe monuimus Clementem Pontificem.) *Nos igitur debita meditatione penſantes idem negotium tam utiliter, tam propenſo conſilio, & exacta maturitate diſpoſitum, & electum ad executionem ipſius ab eiſdem prædeceſſoribus noſtris ordinem imitandum potius, quam mutandum, dilectos filios Religioſos viros Fratres Hieronymum de Aſculo, Raymundum Berengarii, Bonagratiam de ſancto Joanne in Perſeceto, & Bonaventuram de Mugello de Ordine Minorum, viros quidem pauperes ſpiritu, ſed divites fide, mundi hujus contemptis divitiis, ceteriſque abjectis illecebris, poſt Chriſtum ſimul in unum divitem & pauperem, per ſuorum quantum eis ab ipſo conceditur, gradiendo ſemitam mandatorum, ipſam veram ſapientiam imitantes, decrevimus ad tuam Celſitudinem deſtinandos.*

Mittuntur Minoritæ quatuor ad Imperatorem.

Pſal. 48. 3.

Ideoque Magnificentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Unigenito Dei filio Jeſu Chriſto, per ſuæ Crucis myſterium, & immenſum redemptionis humanæ beneficium, in caritatis viſceribus obſecrantes, quatenus ipſos benigne recipiens, & ad illum reſpiciens ſalutis & pacis auctorem, qui operatus eſt in medio terræ ſalutem, qui oriens ex alto pacem ſibi acceptam, & ab omnibus acceptandam evidenter oſtendens, eam in ortu ſuo Angelorum miniſterio bonæ voluntatis hominibus nuntiavit, & inter homines converſatus verbo docuit, prædicavit exemplo, ut ad ovile Domini redeas, ac ipſos tuos clerum, & populum eo concedente reducas.

Pſal. 73. 12. Luc. 2. 14.

Tibi & ipſis quietem tribuas, innumerabilibus periculis animarum, & corporum, rerumque diſpendiis, quæ guerrarum induceret, quam avertat Altiſſimus, horrenda calamitas, prudenter occurras, & de tam pii negotii conſummatione in æternum tibi memoriale conſtituas, hujuſmodi ſalutarem unionem Latinorum & Græcorum, quam tibi votivam admodum evidentibus fateris affatibus, ſedulis proſecuturus affectibus, præſcriptam Catholicæ fidei puritatem, immo puram & ſolidam veritatem agnoſcas, ſuſcipias corde humili, & ſincero, & coram eiſdem Fratribus Apocriſariis noſtris profitearis ore veridico, & fideli. Præmiſſum etiam ejuſdem Eccleſiæ Romanæ Primatum, ad illius obedientiam ſpontaneus veniens, recognoſcas, ipſum acceptes & ſponte recipias, prædictoſque tuos clerum & populum ipſam fidem ſimiliter ſuſcipere, profiteri, ac ad obedientiam ipſius Eccleſiæ Romanæ venire, Primatum ejus recognoſcere ac acceptare procures. Præmiſſis primitus adimpletis, ad memoratam ſynodum, cui una cum aliis catholicis Principibus te decebit, & nos deſideramus, & petimus intereſſe in loco, in quo ipſam congregari continget,

get, ut ad cetera, quæ imminent, ipſorum & tuo fulti conſilio ſecurius procedamus, vel perſonaliter venturus, ſi facultas adfuerit, vel Apocriſarios magnæ auctoritatis & prudentiæ viros tuo miſſurus nomine, per quos tuum nobis ſuper agendis inibi conſilium reveletur. Peracta ſiquidem hujuſmodi utriuſque populi, Latinorum ſcilicet & Græcorum in prædictis profeſſione fidei, & recognitione Primatus, tam ſancta, tam deſiderabili unione, per quam præmiſſum tuum laudabilem zelum a te verbis & litteris frequenter expoſitum facto manifeſtabis, & probabis apertius, per quam noſtrum, & eorumdem Fratrum noſtrorum, aliorumque Latinorum tibi animos attrahere poteris, & in iis quæ agenda ſupererunt, noſtrum & ipſorum favorem, in quibus ſine offenſa Dei præſtari poterit, merito vendicare, ad præmiſſa ſolide roboranda commodius, & ad tractatum caritatis inter ipſos Latinos & Græcos, radicibus zizaniorum evulſis, omnibuſque diſcordiis, Domino annuente, ſedatis, inviolabiliter ſolidandæ tanto efficacius, tantoque favorabilius intendemus, quanto liberius tibi de regione diſſimilitudinis jam reverſo, poſt productam in ſpe recuperandæ innocentiæ ſtolam primam, poſt annulum in manu tua ex fidei profeſſione poſitum, condeſcendere poterimus, & ſine conſcientiæ læſione rationabilibus acquieſcere votis tuis. Sic namque præmiſſa cordi noſtro inſident, ſic ad ea totis præcordiis aſpiramus, ut pro eorum executione non ſolum labores impendere, ſed etiam ſuperimpendi modicum reputemus. Propter quod licet tam tibi & tuis hæc via ſalubrior, quam ipſius negotii qualitate ſit aptior, cum fidei puritas conſenſum purum & liberum exigat, & conditionem aliquam non admittat; tamen ſi peccatis exigentibus populi, utriuſque nondum datum eſt deſuper, ut ad ea prædicto modo complenda tuus, tuorumque animi ſint parati; nos non intendentes idem ſalutare negotium deſperatione præcidere, ſed ſaltem manuductione, qua poſſumus promovere, tolerabimus patienter; quod ſi velis ad eamdem ſedem ante prædictam Synodum, vel in ipſa Synodo, ut ibi ordine ſuo prædicta omnia tam circa profeſſionem fidei cum recognitione Primatus ejuſdem Eccleſiæ Romanæ, quam circa ipſos Latinos & Græcos diſſenſionis cujuslibet inter eos ſublata materia, in caritate mutua uniendos, plenius & ſolidius compleantur, tuos Apocriſarios deſtinare ad eamdem pro te, ac ipſis tuis Clero, & Populo facienda, ſecure cum poteſtate plenaria ſolemnes, prout facti qualitas exigit, mittas Apocriſarios ad præmiſſa. Volumus tamen quod prius tam tu Serenitatis tuæ apices, quam omnes, vel ſaltem Patriarcha Græcorum, & aliqui alii majores Prælati ejuſdem Imperii, prædictis noſtris nunciis in forma, quam deſtinamus ſub bulla noſtra per ipſos, tibi cum eis, te ac eoſdem tuos Clerum, & Populum ad hæc procedere velle patuerit, oſtendendam, litteras concedatis, de præmiſſis profeſſionem fidei, & recognitionem Primatus ejuſdem Eccleſiæ Romanæ primo apud nos per eoſdem ſolemnes mittendos Apocriſarios, Domino viam ad ſedandas inter eoſdem Latinos & Græcos diſcordias alias demonſtrante, tuo & tuorum nomine infallibiliter faciendis, & poſtmodum per te, Prælatos omnes, ac tuos clerum, & populum ſupradictos, cum a Sede ipſa mandatum fuerit, perſonaliter iterandis. Nos enim eoſdem tuos Apocriſarios conceſſis prædictis tuis apicibus, & Prælatorum litteris deſtinandos, recipiemus alacriter, caritative tractabimus, & ad conſummationem præmiſſorum cum omni diligentia, prout Dominus conceſſerit, procedemus. Et nihilominus ſuper ſedatione diſcordiarum ipſarum tam per ipſos Apocriſarios, quos ad præſens mittimus, quam per alios hinc inde mittendos poterit interim tractatus haberi, & exquiri diverſæ viæ ac modi, qui ad expeditionem faciliorem idem negotium,

Alludit ad parabolã de filio prodigo apud Lucam cap. 15.

2. Cor. 12. 15.

tium, favente Domino, præparabunt. Quia vero cordi nobis eſt de ipſo negotio ſaltim in eadem Synodo providere ſalubriter, & ideo deſideramus, quod dudum ante ipſam ad nos de illorum exitu, felici utinam, perveniat certitudo: Celſitudinem tuam affectuoſe requirimus, & rogamus inſtanter, ut eoſdem Fratres Apocriſarios noſtros feiciter, & ſic celeriter ſtudeas expedire, quod redeuntes cum tuo certo ad præmiſſa reſponſe, dictum tempus pro ejuſdem Synodi congregatione præfixum adeo valeant commode pervenire, quod ad ejuſdem negotii proviſionem ante ipſam Synodum poſſit, ut decet, habilitari materia, ſufficientis ad hoc temporis opportunitate conceſſa. Scire quidem te volumus, quod ſi eoſdem noſtros Nuncios contra hujuſmodi noſtrum deſiderium retardari contingat, nos de tua reſponſione incerti, tam utilis negotii proſecutionem, per vias, quas ad animarum ſalutem Dominus aperire dignabitur, propterea nec omittere intendimus, nec differre. Datum apud Urbem veterem IX. *Kal. Novembr. anno* I.

V. Deinde alias ſubmiſit litteras ad Joſephum Patriarcham Græcorum, quibus eum invitat ad Concilium Œcumenicum, rogatque ut in negotio unionis, non ſolum cooperatorem, ſed & ſpecialem ſe exhibeat promotorem. Binis etiam litteris nunciis exprimit qualiter ſe gerere debeant in ſua legatione. Univerſis Eccleſiarum Prælatis ſcribit, ut reverenter eos recipiant cum ſuo comitatu; & Carolum Siciliæ Regem rogat, ut mittendis ab Imperatore Apocriſariis de ſalvo conductu provideat. Omnes has litteras memoria & lectione dignas hic lectori ſubminiſtramus.

Dilecto in Chriſto Fratri .... Patriarchæ Græcorum ſpiritum gratiæ ſalutaris.

Reg. Vat. n. 39.

Patriarchã Græcorũ rogat Pontifex ut affectuoſius intendat unioni.

MUltæ ſicut noſſe te credimus, labore ſudatum eſt, ut inter Latinos & Græcos, ſubductis ſeminariis antiquæ ſciſſuræ, vigeret inter eos fidei unitas, conſolidaretur inter ipſos unio caritatis. Sed impediente illo, ut credimus, qui primum ſchiſma excitavit in cælo, nondum eſt votis laborantium ſatisfactum. Nos autem de illius omnipotentia ſpe concepta, qui concordiam in ſublimibus operatur, a labore tam utili non putavimus deſiſtendum, ſed inſiſtendum potius tanto propenſius, quanto fructus ex eo, Deo auſpice, proventurus ipſi erit acceptior, mundo utilior, & ſaluti convenientior animarum. Et ideo cum Fratribus noſtris deliberatione præhabita, propter hoc & ad providendum utiliter de ſuccurſu Terræ ſanctæ, necnon & de reformatione morum, qui videntur in Clero, & Populo graviter deformati, ac aliis, quæ animarum ſalutem reſpiciunt, & ad ſtatum Orbis pacificum auctore Domino, redundabunt, Concilium de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio indiximus generale, in Kalendis Maii anni ab Incarnatione Domini MCCLXXIV. *annuente Domino, congregandum, univerſos Catholicos orbis Principes & Prælatos ad ipſum, per noſtras ſub certa forma litteras advocantes. Et quia tractatum concordiæ inter eoſdem Latinos & Græcos a felicis recordationis Urbano, & Clemente prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus invenimus laudabiliter ordinatum, ordinem ab ipſis provido approbatum conſilio, dignum proſecutione potius, quam immutatione cenſentes, ad faciliorem expeditionem tractatus ejuſdem, & conſummationem tam pii negotii, concedente Domino, promptiorem, ipſum deliberavimus proſequendum ad quod Magnifico viro Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri nun-*

nuntios & litteras deſtinamus, per eas ſibi perſuaſiones varias, qualitati tractatus ipſius aptas & uciles, nec non & alia, quæ ad felicem exitum tam ſalutaris negotii expedire putavimus, plenius explicando. Quæ cum tibi per eaſdem litteras innoteſcenda ſperamus, conſulta præſentibus non duximus repetenda. Quia vero tuum ſpecialiter in his credimus conſilium utile, ac auxilium opportunum, fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, per ſua immenſa beneficiu obſecrantes, quatenus divinæ remunerationis obtentu, te non ſolum cooperatorem, ſed & ſpecialem in his conſtituens promotorem, ad celerem & felicem expeditionem illorum, quæ per eaſdem litteras paternis affectibus, & piis deſideriis poſtulamus, ſtudio piæ devotionis intendens. Sic ad illa celeriter exequenda tam memoratum Imperatorem, quam alios, qua potes inductionis diligentia, exhorteris, & efficacia exhortationis inducas, quatenus negotio hujuſmodi tuo ſuffragio feliciter conſummato, in retributione juſtorum ab eo, qui nullum bonum ſine remuneratione relinquit, cum ſpe favoris Apoſtolici, tibi proinde non immerita acquirendo mercedem condignam tam utilis cooperationis, immo potius promocionis ſecurus expectes. Ceterum quia his, Domino præſtante peractis, te ut alios Prælatos Græcorum, prout priſca conſuetudo ſuggeſſerit, decebit ei Concilio intereſſe, ut una cum prædictis Principibus & Prælatis nobis in dirigendis, quæ inibi ſunt agenda, tu & ipſi conſilia & auxilio aſſiſtatis. Rogamus & petimus, ut tu & illi, quibus per te id denunciari volumus, ad idem Concilium loco, in quo illud congregari continget, perſonaliter veniatis. Nos enim te, ac illos benigne recipiemus, & caritutive tractabimus, & honore quo decuerit proſequemur. Datum ut ſupra. Invitat eum ad Concilium.

Fratribus Hieronymo de Eſculo, Raymundo Berengarii, Bonagratiæ de ſancto Joanne in Perſeceto, & Bonaventuræ de Mugello de Ordine Minorum Apoſtolicæ Sedis Nunciis.

VI. *In litteris, quas Magnifico Viro Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri per vos mittimus, inter cetera continetur, quod ſi dictus Palæologus velit ſuos Apocriſarios ante indictum a nobis generale Concilium, vel in ipſo Concilio, ut Ordine ſuo inibi omniu, quæ tam circa profeſſionem fidei Catholicæ cum recognitione Primatus Eccleſiæ Romanæ, quam circu Latinos & Græcos diſſenſionis cujuslibet inter eos ſublata materia, in curitute mutua uniendos, in eiſdem litteris præmittuntur, plenius & ſolidius compleantur, deſtinare, mittat ſolemnes, prout negotii qualitas exigit, Apocriſarios cum poteſtate plenaria ad præmiſſa. Et in litteris ipſis exprimitur quod noſtræ voluntutis exiſtit, ut prius tam ipſe Imperator apices ſuos, quam omnes, vel ſaltem Patriarcha, & aliqui alii majores Prælati Græcorum litteras ſuas vobis concedant in formu, quam per vos in eiſdem litteris nos prædicimus ſub bulla noſtra miſſuros de præmiſſis profeſſionem fidei, cum recognitione Primatus, primo apud nos per hujuſmodi ſolemnes Apocriſarios, Domino vium ad ſedandas inter eoſdem Latinos & Græcos diſcordias alias demonſtrante, ipſius Imperatoris Græcorum, & ſuorum nomine infallibiliter faciendis, & poſtmodum per ipſum, Prælatos omnes, Clerum, & Populum Græcorum cum a Sede Apoſtolica mandatum fuerit, perſonaliter iterandis. Ut igitur formam eamdem, ſicut in litteris præmiſſis edicitur, deferatis, ipſam per verba, per quæ, vel æquipollentia, eadem tam ſubſtantia omnino ſervata nobis concedi volumus, præſentibus vobis du-* Reg. Vat. n.38. Inſtructio pro Apocriſariis.

ximus exprimendam. Quæ, præmiſſa ſalutatione qua idem Imperator ad nos uti voluerit, talis erit. Nos Michael &c. præſenti ſcripto fatemur nos recepiſſe ſub bulla veſtra profeſſionem Catholicæ fidei, quam ſacroſancta Romana Eccleſia firmiter tenet, fideliter docet, conſtanter prædicat, & publice profitetur, cum expreſſione Primatus ipſius Eccleſiæ, cujus ſeries talis eſt. Credimus ſanctam Trinitatem Patrem & Filium & Spiritum ſanctum &c. (ut in litteris noſtris ad eum directis uſque *ſemper ſalva.*) *Nos itaque memoratus Imperator ſupraſcriptam Catholicæ fidei veritatem coram nobis plene ac diſtincte lectam, & aperte ac fideliter expoſitam recognoſcimus, & promittimus, quod poſtquam in generali Concilio a vobis indicto, ſive ante vel poſt ipſum Concilium inter nos, & Clerum, & Populum noſtrum ex parte una, & Latinos ex altera ſuper diſcordiis exortis hinc inde concordia fuerit reformata, eamdem fidem ſicut præmittitur, infallibiliter primo apud vos in Curia veſtra per Apocriſarios ſolemnes, prout tanti negotii qualitas exigit, agnoſcemus, ſuſcipiemus corde humili & ſincero, & profitebimur ore veridico & fideli. Præmiſſum etiam Eccleſiæ Romanæ Primatum, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam ſpontanei venientes, recognoſcemus, ipſum acceptabimus, & ſponte recipiemus, & poſtmodum cum Sedes Apoſtolica id mandaverit, præmiſſa omnia tam circa fidei profeſſionem, quam circa Primatum ejuſdem Eccleſiæ iterabimus perſonaliter per nos ipſos, prædictoſque Clerum & Populum procurabimus ſimiliter primo per hujuſmodi Apocriſarios apud vos, & poſtmodum ad mandatum ipſius Eccleſiæ perſonaliter per ſe ipſos fidem agnoſcere, ſuſcipere, profiteri, & ad obedientiam ipſius Eccleſiæ Romanæ venire, Primatum ejus recognoſcere, & etiam acceptare, vel ſi prædictum verbum,* recognoſcimus, *haberi non poſſit, recipiantur loco ejus verba hæc, ſeu æquipollentia. Nos itaque memoratus Imperator vobiſcum, & cum ſancta Romana Eccleſia matre noſtra convenimus in ſupraſcriptam fidei Catholicæ veritatem. Et deinde promiſſio de recognitione ipſius fidei cum expreſſione Primatus tam per Apocriſarios, quam per ipſum Imperatorem, & prædictos ſuos Clerum & Populum facienda, ſicut ſupra ponitur, repetatur. Quod ſi nec prædictum verbum,* convenimus, *poſſit haberi, obtineant ſaltem loco ejus, ſive pro ipſo verba ſubſcripta, vel æquipollentia. Deſideramus eamdem fidem agnoſcere, ſuſcipere & profiteri, ac vobiſcum & cum ſacroſancta Romana Eccleſia matre noſtra, ſive ipſi ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matri noſtræ in ejuſdem fidei profeſſione uniri, & ad ipſius ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ obedientiam venire, Primatum ipſius recognoſcere, acceptare, ac etiam recipere. Et poſt hæc repetatur ſimiliter promiſſio ſupradicta.* Litterarum quoque, quas a memoratis Patriarcha Græcorum & Prælatis omnibus, vel aliquibus majoribus vobis, ut prædicitur, concedi volumus, eadem erit forma, mutatis tamen, quæ perſonarum diverſitas ſuggeret immutanda. *Datum apud Urbem veterem* VIII. *Kal. Novembris anno* I.

Eisdem.

Reg. Vat. n. 40.

Concedit Apocriſariis auctoritatem concedendi ſalvum conductum.

VII. C*Um vos ad Magnificum virum Palæologum Imperatorem Græcorum Illuſtrem cum noſtris ſub certa forma litteris deſtinemus, in quibus inter cetera continetur, ut ſi velit, ad proſecutionem illorum, de quibus in eiſdem litteris agitur, ante indictum a nobis generale Concilium, vel in ipſo Concilio ſolemnes Apocriſarios ad nos mittat, ne forſan idem Imperator ſe hujuſmodi Apocriſarios, ſecuritate non habita, commode mittere non poſſe cauſetur: vobis omnibus, vel tribus, aut duobus ex vobis, ſi reliquos*

quos impediri contingat, concedendi eiſdem Apocriſariis ſecuritatem veniendi ad Sedem Apoſtolicam, ibi morandi, & exinde ad propria redeundi, prout videritis expedire, plenam & liberam auctoritate præſentium concedimus facultatem, ſecuritate bujuſmodi tantummodo uſque ad dictum Concilium duratura. Ex tunc enim, ſi Apocriſarios ipſos ad eamdem Sedem venire contigerit, eis ſuper hoc Sedes eadem plenius providebit. Datum apud Urbem veterem Nonis Novembris, anno 1.

Cariſſimis in Chriſto filiis Regibus Illuſtribus, & Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, & eorum Capitulo & Conventibus, necnon Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, Rectoribus, Univerſitatibus, Communitatibus Civitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum, eorumque Rectoribus, ad quos litteræ iſtæ pervenerint. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

VIII. *Dilectos filios Fratres Hieronymum de Eſculo, Raymundum Berengarii, Bonagratiam de ſancto Joanne in Perſeecto, & Bonaventuram de Mugello de Ordine Minorum Apoſtolicæ Sedis Nuncios latores præſentium ad Magnificam Virum Michaelem Palæologum Imperatorem Græcorum Illuſtrem pro magnis & arduis negotiis deſtinamus, quos tanto magis deſideramus ab omnibus benigne tractari, quanto eos cariores habemus, & quo ferventius ad eorum felicem exitum, pro quibus ipſos mittimus, aſpiramus, eo nobis erit acceptius, eos in illorum proſecutione, ceſſantibus impedimentis quibuſcumque, ab omnibus adjuvari. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur in Domino, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus Fratres eoſdem cum ad vos in eundo & redeundo pervenerint, tamquam humiles Dei ſervos, & mandati noſtri miniſtros illius intuitu, qui evangelica veritate teſtante, ſe recipi fatetur in ſuis, & ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram recipientes in dulcedine caritatis, ipſos eorumque familiam, & ſpecialiter dilectum filium Ferrerium Mercatorem de Placentia, quem ad providendum ipſis Fratribus in neceſſariis mittimus cum eiſdem, caritative tractetis, & providentes eis, cum ſuper hoc requiſiti fueritis, de ſecuro conductu, ipſos alias in quibus opus fuerit, dirigatis conſilio, & auxilio foveatis: ita quod proinde vobis apud illum cujus res geritur, condignæ retributionis meritum, & apud nos favoris Apoſtolici comparetis augmentum. Datum apud Urbem veterem IV. Kal. Novembris, anno 1.*

Reg. Vat. n. 42.

Commendat eos õibus per quorum terras tranſierint.

Matth. 10. 40.

Regi Siciliæ Illuſtri.

IX. *Sicut ad tuam credimus perveniſſe notitiam nos tractatum de reductione Græcorum ad Eccleſiæ unitatem a felicis recordationis Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus inchoatam, de Fratrum noſtrorum conſilio proſequentes, nuncios ſpeciales, quoſdam videlicet Fratres Minores latores præſentium, ad Palæologum cum noſtris ſub certa forma litteris deſtinamus, in quibus inter cetera continetur, ut ſi velit ad proſecutionem illorum, de quibus in eiſdem litteris agitur, ante indictum a nobis generale Concilium, vel in ipſo Concilio ſolemnes Apocriſarios ad nos mittat, propter quod ne forſan idem Palæologus ſe hujuſmodi Apocriſarios a Tua Excellentia ſuper hoc, ſecuritate non habita, commode mittere non poſſe cauſetur, Sereni-*

Reg. Vat. n. 41.

Rogat Regem Siciliæ ut ſalvum conductũ det Apocriſariis Imperatoris.

nitatem Regiam monemus, rogamus, & hortamur in Domino, quatenus circa hoc ita ſtudeas providere Apocriſariis ipſis, ad præmiſſa mittendis, de ſecuritate inveniendo, morando, ac etiam redeundo, prout expedire videris, proviſurus quod tractatum eumdem occaſione hujuſmodi non contingat aliquatenus impediri. Datum apud Urbem veterem VII. *Idus Novembris, anno* I.

Marian. lib. 3. c. 1.
Comitia generalia Piſana.
Rodul. fol. 239.

X. Porro Bonaventura hoc anno generalia celebravit Comitia in civitate Piſarum, in ordine vel numero capitulorum vigeſima prima: quorum tamen in ſua ſerie Rodulphus non meminit. In iis ſtatutum eſt, ut obitus Alexandri IV. (ſicut & alias præceptum eſt de Gregorio IX. & Innocentio IV.) fieret commemoratio quotannis in vigilia translationis beati Franciſci; ut anniverſarium ſolemne fieret ſancti Ludovici in craſtino ſancti Bartholomæi, quod Pontifex ſancto Præfecto conceſſit de gratia ſpeciali in die ſuæ coronationis (unde etiam aliquatenus confirmatur, ſanctum Regem Franciſcani fuiſſe inſtituti) ut pro Domino Epiſcopo Tullenſi Leucorum, Sodalitio valde addicto, ſpecialia fierent ſuffragia in omnibus comitiis. Epiſcopum hunc, Conradum vocat Marianus; ſed apud eos, qui catalogos ſcripſerunt Epiſcoporum hujus Eccleſiæ, hujus temporis Conradum nullum invenio. Certe ſub anno MCCLXXIX. creatus eſt hujus Eccleſiæ Pontifex Conradus de Tubinga Miniſter Fratrum Minorum Alemaoniæ; & hunc præceſſit, ut ex litteris ejus aſſumptionis conſtat, Gilon Epiſcopus. An vero ſub hoc aono & ante Gilonem fuerit alius Epiſcopus dictus Conradus, non reperio. Claudius Roberti Gilonem, vel alio nomine Ægidium reponit ſub anno MCCLXI. quod ſi hoc verum, erravit in nomioe Marianus, & pro Gilone hoc ſuffragia fieri juſſit Bonaventura. Præcepit etiam, ut pro animabus parentum omnium Fratrum recitaretur officium defunctorum, & miſſa celebraretur ultimo die non impedito ante adventum.

Tom. 2. an. 1255. n. 30. 24.
Legen. MS.
Rodul. fol. 98.
Antonin. tit. 24. c. 7. §. 13.
Marian. cit.
Marc. 1. p. lib. 6. c. 52.
Obiit B. Chriſtoforus de Romandiola.

XI. Obiit hoc anno beatus Chriſtoforus, cujus alias meminimus, in civitate Caturci in Aquitania, in vigilia omoium Sanctorum circa primam noctis vigiliam, centeſimo ferme ſuæ ætatis anno, & quinquageſimo ſexto monachatus. Ejus vitam ſcripſit Bernardus a Beſſa divi Bonaventuræ ſocius, et familiaris, ex quo præcipua hic delibamus. Ex Romandiolæ partibus oriundus, presbyterio initiatus Franciſco oomen dedit, ipſo adhuc vivente, relicta, quam regebat, Eccleſia parochiali. Inerat ei columbina quædam ſimplicitas, profunda humilitas, pietas viſceroſa erga miſeros & aſſlictos. Leproſis officioſiſſime miniſtrabat, pedes lavabat, ſaniem exprimebat, & quæcumque humanitatis eiſdem præſtabat officia. Aliis pius, ſibi auſterus maccrabat corpus jejuniis, cilicio, lorica ferrea, & exquiſitis pœnitentiæ generibus. Vix unquam extra Conventum cibos admittebat, in Conventu nonniſi ſemel in die, præter Dominicam & feſta majora, quod vitæ genus etiam io ultima obſervabat ſenectute, ultra vires & ætatem in ſe animadvertens, ita ut in provecta ſenectam ſe neſcire videretur. In omni corporis mortificatione vultus præferebat lætitiam; dulcorabat enim aſſlictionem corporis amor cordis, & ſanctus animæ jubilus, qui interius abundabat, prodibat exterius. Nullo tempore vel ab oratione, vel a labore vacabat, io meditatione aſſiduus, magnam profundens vim lacrymarum. Arctiſſimam ſibi extruxit cellulam ex virgis & ſtramine, in qua divinas ſæpius experiebatur conſolationes; atque ipſam meruit videre Dei genitricem. Quotidie ſacrum faciebat; ſed dum aliquando deeſſet ignis ut cerei accenderentur, e cœlo deſcen-

Ejus virtutes.

Ignis ad ejus obſequium e cœlo delapſus.

dit;

dit; & ſæpiſſime ſuper caput celebrantis candidiſſima apparuit columba, quam a principio fugare ſtudebat adoleſcens nobilis frater Petrus, qui ad ejus exhortationem, parentes & ſeculi contempſit delitias, donec ex frequentia & circumſtantiis quidquam apprehendit latuiſſe divinum.

Columba frequens ſuper caput ejus.

XII. Vitam omnem quantumvis in pietatis conſumeret operibus, nihilominus, juxta divinum conſilium, de propitiatu peccatorum noluit eſſe ſine metu, timens valde ne peccata in ſeculo commiſſa in vitæ exitu ſibi objicerentur. Injunxit itaque angelico juveni Petro, cujus ex Confeſſarii auctoritate perſpectam bene habebat conſcientiæ puritatem, & cum Angelo ſuo cuſtode familiaritatem, ut dum ei appareret, rogaret, quatenus apud Deum intercederet pro ſuorum remiſſione peccatorum, vel ſtatum animæ ſuæ miſericorditer indicaret. Fecit ita adoleſcens, cui ab Angelo reſponſum: *Amodo non timeat de præteritis, ſed perſeveret in bonis inceptis, & ſollicitus ſit de futuris.* Non erat officio prædicator, attamen Chriſtum ubique ſinceris laudibus, ſalutaribus monitis, & ſeveris peccatorum increpationibus indeſeſſe prædicabat, ut juxta nomen ſuum vere Chriſtoforus, Chriſtum ferret in corpore per macerationem, in corde per devotionem, in ore per laudem. Comitiis Arelatenſibus, in quibus ſancto Antonio prædicante, mirabiliter in crucis modum ſanctum Franciſcum apparuiſſe alias narravimus, hic Vir ſanctus interfuit: & biennio poſt ejuſdem ſancti Inſtitutoris mors ei cœlitus innotuit; in vico enim Martelli, non longe a Caturco, extra ſe raptus vidit ſanctum Patrem languentem, & poſt manus oſculum ſibi dicentem: *Fili, revertere in regionem tuam, in ea denunciaturus Fratribus, quod ego vitæ hujus conſummato agone, ad cæleſtem patriam proficiſcor.* Ad ſe reverſus retulit Fratribus viſionem, & poſtea compertum eſt illo ipſo die, ſanctum Virum ea hac luce migraſſe.

Eccl. 5. 5.

Sancti cum timore ſuam operantur ſalutem.

Juxta nomen ſuū Chriſtum ſemper ferebat.

Tom. 2. an. 1224. n. 38.

Revelata et mors S. Franciſci.

XIII. Plura in vita operatus eſt miracula: Caturci puerulum octennem in ultimo quaſi vitæ articulo laborantem ſigno Crucis ſtatim ſanavit. Ibidem alium nomine Petrum ex uno latere mortuum, oculis deſtitutum & morti proximum, recitato evangelio ſuper caput ejus, & deducto a capite ad pedes crucis ſigno, ut exiliret illico ſanus, effecit. Vocatus ut alium in extremis laborantem viſitaret, dum recedere voluit, mater languentis fortiter eum apprehendens, numquam ſe dimiſſuram clamabat, niſi filium curaret: tamdem oravit, & ad matris votum obtinuit. In eadem urbe epilepticum, matronam quamdam de Salva terra febre acuta valde vexatam, juvenem ſecreto morbo affectum, & mutum crucis ſigno, & clericum infirmum, epota aqua a ſe benedicta, mirabiliter ſanavit. Prophetico ſpiritu illuſtratus plura prædixit. Extra Caturci urbis portam, quæ rupis altæ cognominabatur, multis, qui ad fluminis ripam in valle inferius ad ſua commercia confluxerant, dixit, ut protinus illinc recederent, niſi vellent opprimi ab alta rupe mox caſura: quidam deridebant, firmiſſimæ rupis nullam animadvertentes commotionem nec ſciſſuram. Cautius fecerunt alii, qui ſalutaria præmonenti crediderunt, alioſque ſecum evocarunt. Neque longe aberant, quando magna pars rupis evulſa, ingenti fragore e regione conſpicientes perterruit. Ad lectum cujuſdam infirmi apud Martelli vicum ſedens, accedentes duos medicos ut ægrotum viſitarent, magna indignatione abire præcepit: nolentes ſigno crucis dæmones eſſe probavit, qui ſtatim evanuerunt, ſtatimque revelavit infirmo mortale peccatum quo gravabatur; propter quod dæmones illi in eumdem jus ſuum repoſcebant. Caturci languens mu-

Ejus miracula dum viveret.

Spiritum habuit propheticum.

mulier eum rogavit, ut eum Deo ageret vel de ſalute ſibi reſtituendæ, vel de tollenda ex hoc mundi ergaſtulo: cui dixit, ſtatuto die ſub hora tertia ex hac vita migraturam. Die prædicto viſurus eam venit: illa hora jam inſtante dixit: *Pater video verbum Dei in ore tuo non compleri, jam inſtat hora, neque ego pejus habeo. Non dubites*, inquit, *filia, ſtatim complebitur, collige te pie, & chriſtiane ut moriaris*. Poſt modicum vero cum ad horam tertiam pulſaretur, admirantibus cunctis qui adſtabant, dulciter expiravit. Apud Martellum conqueſta fuit quædam fœmina, quod virum habebat auſterum, & erga pauperes immiſericordem, nec ſibi liceret in eoſdem eleemoſynas erogare; cui Vir ſanctus: *fac quod poſſis, & ex vini dolio quod habes refice miſellos*. Fecit illa ſecreto, donec toto ferme exhauſto, maritus excanduit. Abiit illa magna fiducia oſtenſura non ita diminutum, invenitque vas ad ſummum uſque repletum. Quo miraculo rem omnem narravit, & mariti duram conditionem mollivit.

Felix ejus tranſitus multis revelatur.

XIV. Hæc & alia ſimilia in vita patravit, morti vero propinquus Fratres omnes ad ſe vocavit, quibus benedicens ſanctiſsime expiravit, ita compoſitis in lectulo membris, ut potius dormire quam mori videretur. Eadem hora religioſæ quædam mulieres teſtatæ ſunt, concentum ſe Angelorum audiviſſe. Vir pius Ordinis Pœnitentium vidit animam ejus per Angelos in Paradiſum cum ingenti lætitia perduci. Et civis Caturcenſis in ſomnis vidit eum ſplendidiſsimo in lecto recumbentem, atque ad modum ſolis rutilantem; quem cum interrogaſſet, quis eſſet? reſpondit: *Ego ſum frater Chriſtoforus, qui corpore mortuus, ſpiritu ad Deum aſcendo cum eodem ſemper victurus*. Expergefactus ſtatim abiit ad Monaſterium, & invenit pro more in feretro poſitum in Eccleſia. Concurrit autem tanta populi multitudo ad corpus ejus tangendum, ut per integros tres dies non potuerit humari. Multis ſtatim cœpit in urbe &

Miracula poſt mortem.

extra coruſcare miraculis. Caturci biennem infantulum, ab alto lapſum ponte miſerabiliter colliſum, & omnino mortuum ad preces matris ſua vota ad ſancti ſepulcrum offerentis, revocavit ad vitam. Alii infantulo mortuo e genitricis alvo non ſine labore extracto vitæ ſpiritum infudit. Petrum puerulum repente in lecto mortuum, facto a parentibus voto de offerendo ipſo & cereis ad ſancti Viri ſepulcrum, vitæ reſtituit, & ſimiliter actum cum Raymunda puella. In villa, quæ *Contentum* dicitur, prope Caturcum, puer quidam Hugo ad mortem uſque graviter ægrotans ejus meritis priſtinæ redditur ſanitati, præter quem alios quindecim a mortis faucibus liberavit; quinque contractos ſanavit; quatuor cæcis viſum reſtituit; muto uni loquelam reddidit; duos a morbo regio liberavit; amentem unum curavit; a tremore capitis alium; Joannem clericum a diutina ſebre tertiana; mulieres duas a fiſtula; alteram a quartana duplici, qua per tres annos laborabat, mirabiliter ſanavit; ſed dum hæc votum, quod vovit, non ſolvit, rediit quartana, donec promiſſum complevit. Miles quidam contra Virum Dei aliqua verba minus pia effudit, valde dubitans de ejus ſanctitate; ſtatim arreptus moleſta infirmitate, veritatem faſſus, a malo mox liberatur. Graſſante in domum vicinam flamma, quæ nullo modo potuit extingui, invocantibus qui aderant, beati Chriſtofori nomen, ſtatim ceſſavit.

Moritur B. David Auguſtanus. *Trith. de ſcriptor.*

XV. Obiit etiam hoc anno beatus David de Auguſta, vir in divinis Scripturis, ut ait Trithemius, exercitatus, vita & converſatione inſignis, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenii. In omni mo-

morum diſciplina probatum, ſcribit Marianus, quod profecto teſtantur ejus opera Aſcetica pro inſtruendis Religioſis apprime accommoda, modo tollatur ſcrupulus illiuſne ſint, an potius ſancti Bonaventuræ? quæ in Bibliotheca magna veterum Patrum editionis Colonienſis, & alibi excuſa circumferuntur opuſcula de interioris & exterioris hominis reformatione, & de ſeptem proceſſibus religioſi. Id modo dixerim, quod alias, in noſtra elucubratione de ſcriptoribus Minoritis largius examinabo, primam harum formularum texturam Bonaventuræ tribuendam, incrementum vero, & quodcumque in methodo diſcrimen Davidi adſcribendum, atque hinc quibuſdam viſum univerſi operis genuinum inſcribere auctorem. Cujuſcumque illa ſint maxime commendantur in præfatione in Bibliotheca citata, *Medulla* vocantur *perfectionis Evangelicæ*, & exiſtimatur multiplicem ex eiſdem fructum ad omnes omnis generis religioſos late dimanaturum: ita enim in illis docentur tirones, ut & veterani multa, quæ utiliter diſcant, ſint reperturi. Vitam duxiſſe innocentiſſimam aſſerunt Chronica Saxonica apud me MSS. necnon ejus mortem revelatam fuiſſe beato Bertholdo optimo & ſamiliari amico Ratiſponæ e ſuggeſtu prædicanti, qui ſtatim eum circumſtanti populo valde commendavit, & in ejus laudem e roſtris recitavit illum hymni Eccleſiaſtici verſiculum: *Qui pius, prudens, humilis, pudicus, ſobrius, caſtus fuit & quietus, vita dum præſens vegetavit ejus corporis artus.* Sepultus eſt Auguſtæ, ubi beatitatis poſt mortem tulit opinionem. Ibidem etiam diximus alias, jacere beatum Terdericum, quem auctor prædictæ præfationis a ſanctitate & miraculis valde commendat.

Commendatur. *Maria. l.2. c.17.*

Biblioth. tom. 13.

Pia ejus opuſcula.

Chron. Saxon. ad ann. 1272.

B. Terdericus.

Tom. 3. an. 1239. n. 12.

XVI. Eodem etiam anno obiiſſe Ratiſponæ beatum Bertholdum volunt citata Chronica Saxonica; cujus multiplex laus eſt apud Scriptores, quorum narrationea & verba ipſa ſi tranſcripſero, pleniorem fidem me conciliaturum non dubitaverim. Ita porro de eo Chronica Saxonica MS: *Obiit hoc anno* MCCLXXII. *frater Bertholdus de Ratiſpona, prædicator magnus, qui quaſi in ſpiritu Heliæ verbis tamquam facula ardentibus, obcæcata peccatorum corda tranſverberans, innumeros a viis pravis ad ſalutarem vitæ emendationem perduxit. Super caput ejus cum in Thuringia aliquando ſermonem faceret, a fide dignis utriuſque ſexus religioſis plures coronæ fulgidæ volitare videbantur.* Multos animarum fructus hac ſua prædicatione variis in locis produxiſſe ex ſubjectis conſtabit auctoribus, Gaſpar Bruſchius in Fabarienſi Monaſterio, cujus verba tranſcripſit Martinus Cruſius, ita de eo narrat: *Sub Rodulpho a Bernang, ejus loci Abbate: venit eo Minorita quidam, Bertholdus nomine, tempore quo adhuc vixerit Imperator Fridericus II. quem anno* MCCL. *mortuum eſſe ſupra diximus. Hunc didicimus Minoritam habuiſſe concionem contra omnis generis peccata, & injurias, atrociſſimam, ac de vindicta Dei in eos certiſſima, graviſſimam. Qua ratione animum Alberti junioris Baronis de Saxen (arcis in Rhetia ſub Werdenborgo ſitæ) ita permotum eſſe, ut Wartenſteinenſe caſtrum, quod Pater injuſte Monaſterio detraxerat, certis quibuſdam conditionibus ſe reſtituturum polliceretur &c.* In Bavaria ejus memoriam Annales Steronis, & Chronicon Auguſten. Matthæi Mareſchalci de Pappenchaim (modo diverſum ſit opus, & fundamentum ſubſit de auctore contendendi) dum ſubitaneam mortem referunt Ottonis Bavariæ Ducis: *Otto*, inquit, *Dux in principio ſui regiminis ſeverus Judex, & Princeps manſuetus, poſtea propter favorem, quem impendere videbatur Friderico quondam Imperatori, & Chunrado filio ejus, ab Innocentio Papa II. & Epiſco-*

Obiit Bertholdus Ratiſponenſis.

Chron. Saxon. cit.

Eum laudant plerique.

Coronæ fulgentes volitant ſuper ejus caput.

Bruſch. de Monaſt. German.

Cruſius p. 3. Annal. Suevic. l. 2. c. 12.

Quam efficax in ſuis prædicationibus.

Annal. Steron. anno 1253. apud Henricum Caniſ. tom. 1.

Chron. Auguſt. eod. an.

pis

pis jamdiu & ſæpe excommunicatus, perſequi cœpit Clerum; & mula malis addens, in vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli, cum in ſero cum uxore & familiaribus ſuis valde jucundus fuiſſet, præſentem vitam ſubitanea morte finivit. Eodem tempore, menſe ſcilicet Novembri, famoſus ille prædicator Bertholdus

Intendit converſioni Ottonis Ducis Bavariæ.

in Lantzhutæ prædicationis officium exercebat, & morabatur in caſtro cum Duce prædicto, cupiens eum inducere ad obedientiam Eccleſiæ, & ſuum erga Eccleſias & Clerum animum mitigare. Tunc ſupervenit quidam pauper ruſticellus, aſſerens, ſe in nocte præterita feſti ſancti Michaelis raptum & ductum ad tribunal judicis cujuſdam, ibi audiviſſe, quod ad querimoniam Sanctorum

Ottonis crimina non impunita.

ſententia mortis data eſſet in Ottonem Ducem, & ceteros Principes, pacis turbatores, & Eccleſiarum ac pauperum vaſtatores: aſſerebat etiam, quod ſub pœna mortis a Sanctis ex parte Dei ſibi eſſet injunctum, ut hæc Duci, & aliis Principibus nunciare deberet; quod ſi non admitteretur, deberet aliis propalare. Is igitur homulus cum non fuiſſet admiſſus ad præſentiam Ducis, prædicto fratri Bertholdo, & aliis quibuſdam talia propalavit. Sed & ſexto die ante obitum Ducis idem homo venit ad Monaſterium Altahenſe, & dixit hæc Abbati, & Alberto Abbati de Metem ex parte illius judicis, quod cum non admitterent talia manifeſtare dicti Abbates cum Henrico Abbate de Eberſperch, deberent intimare Duci prænotato, quod niſi citius deſtrueret monetam novam, & reſipiſceret a vexatione pauperum & Eccleſiarum, mortis eſſet in brevi ſententiam ſubiturus. Cujus viſionis efficaciam ſæpedictus Dux, Innocentius Papa, Chunradus Rex, & alii Principes per mortem inſperatam tunc, pro dolor! ſunt experti. „ Hic libet ea verba re-

ADDITIO ALIORUM.
Ex Arch. Prov. Bavar.
Adefreid. par. 1. cap. 224. fol. 669. n. 11.

„ ferre, quæ de ejuſdem Ottonis interitu Annales Bojici habent: *Hoc*
„ *anno* MCCLXXIII. III. *Kal. Decemb. fato functus eſt ..... etiam aſper-*
„ *natus dirarum Religiones, quas ad ſupremum uſque ſpiritum, tametſi a*
„ *beato Bertholdo divi Franciſci ſodale, egregiæ ſanctitatis viro, ſevere in-*
„ *crepitus, neglexit. Quo factum ut incogitans, & inexpiatus ſubito expi-*
„ *ravit, cum paulo ante jucundus, & hilaris inter amicos conſediſſet.*

Bzov. an. 1253. n. 11.
Bzovius Bertholdum hunc Dominicanum facit.

XVII. Rem hanc totam narrat Abrahamus Bzovius mira metamorphoſi Bertholdum hunc Franciſcanum effingens Dominicanum, & Ratiſponenſem ex nativo ſolo, vel monachatus origine, Lauſutenſem appellans: *Conabatur*, inquit, *illum* (Ottonem ſcilicet) *frater Bertholdus Lauſutenſis Ordinis Prædicatorum concionator, qua pollebat auctoritate, ad obedientiam Eccleſiæ reducere*. Ut ſecurius liceat cucullam ſui Ordinis præclaro viro inducere, alterius facit patriæ; & ne videatur Franciſcanis Bertholdum ſuum Ratiſponenſem eripere, Lauſutenſem quemdam

Sed convincitur erroris.

Bertholdum excogitat. Si Lauſutenſem corrupte dicit, quia Lantzhutæ prædicabat, ab omnibus utique civitatibus, in quibus Vir egregius concionabatur, libere poſſet agnomen affigere, & tot nobis Bertholdos venditare, quot ille urbes prædicando luſtravit. At non alium fuiſſe Bertholdum hunc, quam Franciſcanum illum nominatiſſimum, neque a

Steron. an. 1250.

Lantzhuta, ſed a Ratiſpona cognominandum, probo ex eiſdem Annalibus Steronis, in quibus ad annum MCCL. ita de hoc ipſo habetur: *His*

Sexaginta millia hominum conveniebant ad conciones Bertholdi.

diebus quidam frater Bertholdus de Ordine Minorum Fratrum, de domo Ratiſponenſi, tantam gratiam habuit prædicandi, ut ſæpe ad eum audiendum pluſquam ſexaginta millia hominum convenirent. Sed ne adhuc ſuperſit effugium, nec liceat Bzovio alium intelligere, vel verius alium facere Bertholdum, aſſerendo Ratiſponenſem Franciſcanum eſſe, Bavaricum hunc, Lantzhutenſem alterum, & Dominicanum; præcludo omnem evadendi viam apertis aliorum teſtimoniis, hunc ipſum Bavaricum Franciſcano

ciſcano inſtituto adjudicantibus. Chronicon Schirenſe illud ipſum prænuncium infauſtæ mortis Ottonis referens, non aliter quam retulimns ex Sterone: ita ait de ruſticello illo, ſeu homuncione agricola: *Hunc viſum Ottoni relaturus, Landesbutam venit, ſed a conſpectu Principis prohibitus, quibuſdam rem Præſulibus enarrat, & potiſſimum Berichtoldo divi Franciſci Sacerdoti, ejus tempeſtatis viro ſanctiſſimo, concionatorique omnium clariſſimo* (oſtenditur ipſius ſepulcrum Ratiſponæ) *Berichtoldus aditum ad Ottonem impetrat, factum imminens aperit, ac ut reſipiſcat, commonefacit &c.* In ipſa illa narratione, in qua Bzovius Dominicanum efformat, hic Franciſcanum conſcribit, & notas omnes adjicit, ex quibus ultro poſſet agnoſci. Franciſcanus Bertholdus notiſſimus erat ex conditionis ſtatu, ex doctiſſimis concionibus, & ex vita ſanctiſſima, cujus adhuc viſitur Ratiſponæ apud Minores ſepulcrum: omnia hæc indicia appoſuit Chronicon Schirenſe: Bavaricum hunc Bertholdnm Ottonis anhelantem ſaluti Sacerdotem aſſerit Ordinis ſancti Franciſci, virum ſanctiſſimum, & concionatorem omnium clariſſimum: neque alium ab eo eſſe, cujus ſepulcrum oſtenditur Ratiſponæ. Clariſſima hæc ſunt; & teſtes noſtri, vetuſti illarum regionum Scriptores, omni exceptione majores: quem nunc mihi dabit Bzovius unum ſui aſſerti auctorem? At jam dedit Chronicon HIrſaugienſe Trithemii, quod ſuæ narrationi ſufficit. Attamen vir illuſtris Joannes Georgius Herwartus, Cancellarius Bavariæ, & Maximiliano Sereniſſimo Bavariæ Duci ab intimis conſiliis, qui errorem hunc me prior deprehendit, tamdiu hæc in Trithemio ſe quæſiviſſe teſtatur, donec nihil invenit. Eumdem ego fruſtra laborem ſubivi, ſuſpicatus, aliquod me nacturum veſtigium conſtantis Bzovianæ aſſertionis, ſed nullum detexi, & alia Trithemii opera perſcrutatus hiſtorica, narratiunculam hanc, quæ nullibi eſt, nullibi potui reperire.

Chron. Schiren. an. 1253.

Bertholdus vir ſanctiſſimus, & concionator clariſſimus,

Herwart. in mantiſſa errorũ Bzovii in Bavaria.

XVIII. Quid? quod ſolum apud Bzovium illuſtris hic Bertholdus Dominicanus celebratur? quem oſcitanter nimis prætermiſerunt illuſtres quique Prædicatorum hiſtorici ſanctus Antoninus, Leander Albertus, Hernandus del Caſtillo; neque alium apud Antoninum Senenſem comperio Bertholdum Dominicanum præter unum Maisbercenſem relatum inter Scriptores. At Franciſcanus ille Bertholdus ab illuſtribus quibuſque Germaniæ Scriptoribus commendatur, & expreſſis verbis Minoritis adjudicatur; quibus vel ipſe Bzovius acceſſit, namque paulo ante ſuperiorem narrationem num. xi. ſignatam, ita habet ex Antonino ſub num. VIII. ipſo eodem anno: *Per hæc tempora in Ordine divi Franciſci aliqui viri inſignes floruerunt. Fratrem Bertholdum Ratiſpon. ajunt inſignem fuiſſe divini verbi præconem: quo ſemel verbum Dei ad populum concionante, & contra vitium luxuriæ vehementius invehente, mulier quædam proſtituta tantum dolorem peccatorum concepit, ut præ contritione ſpiritum exhalaverit. Ibi omnibus ad rei novitatem obſtupeſcentibus, & juſto Dei judicio condemnatam eſſe dicentibus, Bertholdus univerſis, ut in oratione ſe proſternerent, & divinam voluntatem circa ſtatum mulieris explorarent, præcepit. Mirum viſu! Ea quæ obierat, ſtatim revixit: & ſe ad divinum judicium propter facinora evocatam, propter magnitudinem autem pœnitentiæ, ut ea confiteri rite poſſet, ad corpus revocatam dixit.* Suppleo hic ex Antonino, quod Bzovius omiſit: *Et inter cetera manifeſtavit quod eadem hora, qua obierat ſexaginta millia hominum fuerant in diverſis partibus orbis ex ſeculo evocata, de quibus tantum tres purgatorium intraverant, ceteris in inferno ſepultis, excepto uno Fratre Ordinis Minorum, qui*

Senenſ. in Biblioth.

Antonin. tit. 24. c. 9. §. 2. Bzov. an. 1253. n. 8.

Magna mulieris pœnitudo ad efficaciam ſermonis Bertholdi.

per purgatorium tranſiens, ſubito acceptis ſecum duabus animabus, quæ ſibi erant confeſſæ, inde cum eis paradiſum aſcendit. Aliud adhuc produco Bzovii teſtimonium, quo ſecundum reddit Minoritis, quem ſemel eripuit. Sub anno MCCLX. ita ſcribit: *Eodem anno vixit Bertholdus Ratisbon. Franciſcani Inſtituti. Is cum a teneris annis litteris operam dediſſet, & magnam eruditionis laudem adeptus eſſet, pietatis amore Franciſcanis ſeſe adjunxit, atque paſſim in magna auctoritate fuit. Erat enim integritate vitæ, ac facundia ſingulari, nulli ſecundus. Itaque ſuis ſermonibus populum ad virtutes excitavit, ac vitia quantum potuit, extirpavit. Tantus vero hominum concurſus erat, cum concio habenda eſſet, ut ſeſe mutuo vel templo extruderent, atque per aliquot horas adventum ejus expectarent. Itaque Aventinus prodidit, ſexaginta amplius millia hominum ejus conciones frequentaſſe.* Non contemnendum hoc Aventini hominis in Franciſcanos non valde propenſi, & minime omnium blandi teſtimonium, quod ex ipſo damus hic integrum: *Bertholdus*, inquit, *Franciſcanus, Reginoburgio ortus, clarus integritate vitæ, atque Chriſtianæ eloquentiæ orator inſignis fuit, ſexaginta amplius millia hominum ejus conciones frequentaſſe litteris proditur. Ejus ſepulcrum adhuc, non ſolum incolis, ſed & Ugris venerabile, Reginoburgio in Templo Franciſcanorum oſtenditur.* Non eſt vero quod lectorem moveat eum dicere Bertholdum Reginoburgio ortum & ſepultum, quem alii Ratisponæ natum & conditum affirmant; quam enim vocat urbem vulgus Latinorum *Ratisponam* ad Danubium fluvium in Germania ſitam, a priſcis *Auguſtam Tiberii* dictam, Aventinus vulgari idiomate *Regensburg*, & translatitio Latino *Reginoburgium* appellat.

Bzov. an. 1260. n. 30.

Avent. l. 7. Bojorum.

XIX. Unam atque alteram rem prodigioſam de Viro hoc narrat Marianus noſter, quæ ſanctitatem ejus maxime confirmant. Pontificis auctoritate poſt expletos ſermones, quorumdam dierum Indulgentias populo circumſtanti elargiri ſolebat. Datis aliquando decem dierum acceſſit ad eum honeſta, ſed paupercula mulier conſilium & auxilium petitura. Erat illa in urbe quidam campſor, qui hujuſmodi indulgentias irridebat. Hunc lucrari, & mulieri opitulari volens Vir Dei: Abi, inquit, ad talem campſorem, & quas tibi in concione hodierna diſtribui decem dierum Indulgentias, offer illi ad ſtateræ pondus venales. Fecit candide mulier, ſed ejus merces campſor irriſit. Aſſumpta tamen ad ludibrium libra, in hac lance, inquit mulier a concionatore edocta, appono ego Indulgentias meas verbotenus: tu e regione denarios appone. Fecit irriſorie, ſed uni atque alteri numo valde præponderarunt Indulgentiæ, donec cum admiratione & ſtupore tot addidit, quot bona illa fœmina pro urgenti relevanda inopia opus habebat. Quo miraculo vir incredulus deinceps fidem adhibuit Indulgentiarum virtuti, & inopis fœminæ neceſſitati fuit plene proviſum. Licet Vir pius & doctus probe noverit, non eſſe vendendas res ſacras, nec lucro temporali exponendas: voluit tamen Dei inſtinctu patulo hoc experimento probare quanti ſint habendæ Eccleſiaſticæ Indulgentiæ, eaſque divitiis perituris præponderare.

Marian. lib. 2. c. 17. Marci 2. par. l. 1. c. 30.

Magnus valor Indulgentiarum Eccleſiaſticarũ.

XX. Mulier altera, ob diuturnam viri in partibus tranſmarinis abſentiam, ſuperinduxit alterum, judicans primum obiiſſe. Poſt aliquot vero annos ſupervenit, qui mortuus credebatur. Nolens petulantiſſima fœmina ſecundum dimittere, primum occidit, diſſuadente ſcelus hoc altero viro. Re cognita, vocatur uterque ad judicium, & parum abfuit quin innocens hic homicidium lueret, donec allato trunco corpore in me-

Marian. ibid.

medium, frater Bertholdus præcepit occiſo, ut homicidam indicaret. Abſciſſum caput in mulierem inſiluit, & dentibus in pectore ſontem arripuit. Ultimo afficiendæ ſupplicio, ut ignoſceretur, Bertholdus obtinuit, impoſita tamen diuturna, & gravi pœnitentia.

Plura ſcripſit Bertholdus opuſcula.
Willot. de ſcript. Minor.
Marian. cit.

XXI. Quamplurima opuſcula ſanctum hunc Virum ſcripſiſſe, atque ſumme ab hominibus doctis ea deſiderari, teſtis eſt Henricus Willottus; unum præcipue refert Marianus exaraſſe Religioſis quibuſque utiliſſimum, ſtilo gravi, ſententiis gravioribus refertum, quod inſcripſit: *De religioſæ vitæ institutione*, & incipit: *Tria debet conſiderare &c. In eo*, inquit, *quidquid ad perfectionem vitæ ſpiritualis pertinere dignoſcitur, ſub compendio quaſi univerſa collegit. Hunc ſi quis Religioſus percurrat, vivendi normam & morum doctrinam tantam perdiſcet, ut ſine gravi ſarcina aliorum librorum, omnium virtutum ornatum facile conquirat.* Viventem multa patraſſe miracula auctores ſunt Piſanus, & Marianus, quorum hic ait, felicem ejus tranſitum a concivibus ſolemniter celebrari conſueviſſe. Hunc ipſum illum fuiſſe Bertholdum, ad quem direxit formulam novitiorum vir ſanctus & devotus David de Auguſta, cujus paulo ſuperius mentionem fecimus, aſſeverat, qui ejus opuſcula edidit, in prologo eiſdem præmiſſo in bibliotheca veterum Patrum: de quo ego valde dubitaverim, tum quod vetuſti ſcriptores Piſanus & Marianus citati, neque diſcipulum, neque ſocium hujus Davidis Bertholdum dixerint, imo potius Davidem Bertholdi ſocium conſcribant: tum quod Bertholdi tamquam hominis jam undique celeberrimi meminerint ſupracitati Annales ante annum MCCL. & Marianus moneat, Minoritam factum in juvenili ætate. Cum itaque juvenis huic inſtituto nomen dederit, ante viginti & plures annos famoſus, ut loquuntur Annales, evaſerit; eodemque hoc anno, quo David Auguſtanus obierit, mortuus ſit, probabiliter colligitur non illius diſcipulum, cui inſtructionem tironum dicaverit, Bertholdum fuiſſe, ſed potius Davidem, uti habent Marianus & Piſanus, ejus ſocium dicendum.

Piſan. conf. 8.

An fuerit diſcipulus Davidis Auguſtani.
Hoc anno n. 15.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Rader. in Bavar. ſancta pag. 154.

„ XXII. Confirmant hæc quæ ex MSS. Conventus Monacenſis ex-
„ ſcripſit Matthæus Raderus in hunc modum: *Anno prædicto* MCCLXXII.
„ XVII. *Kalendas Decembris obiit reverendus & religioſiſſimus Pater fra-*
„ *ter David, in Auguſta ſepultus, ſocius fratris Bertholdi de Ratiſpona,*
„ *qui ſcripſit libellum de interiore & exteriore hominis compoſitione, ſe-*
„ *cundum triplicem ſtatum, videlicet incipientium, proficientium, & perfe-*
„ *ctorum; & brevem expoſitionem ſuper Regulam Fratrum Minorum, ut*
„ *clarius habetur in ejus legenda, quam in majori Chronica poſui. Hora*
„ *obdormitionis ejus revelata fuit fratri Bertholdo, actu Ratiſponæ prædi-*
„ *canti, qui recommendans eum populo hunc verſum,*
„ Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
„ Sobrius, caſtus, fuit & quietus,
„ Vita dum præſens &c. *in ejus laudem dixit; & ſequenti anno*
„ MCCLXXII. *in feſto ſanctæ Luciæ, obiit etiam feliciter ipſe frater Ber-*
„ *tholdus de Ratiſpona Prædicator magnus in diverſis Provinciis, videlicet*
„ *Thuringia, in Bohemia, ubi habuit interpretem fratrem Petrum cogno-*
„ *mento Oderinchium, ſepultum in Glaz, & ibidem prædicavit frater Ber-*
„ *tholdus in campo ſub tilia, quæ uſque hodie dicitur Bertholdi, quam ego*
„ *oculis meis vidi prope Glaz. Hujus Prædicatoris verba utilia & magnifi-*
„ *ca facta, ut alterius Heliæ, peccatores convertentia ad Dominum fuerunt;*
„ *nam multos Ungaros convertit, cum infideles Cumani multos ſeduxiſſent.*

,, *Verbum ejus quaſi facula ardebat. Poſuit enim Deus os ejus, quaſi gladium*
,, *acutum. Super caput ipſius in Thuringia a fide dignis Religioſis utriuſ-*
,, *que ſexus, cum ſecundum morem ſermonem faceret, plures coronæ fulgidæ*
,, *videbantur. Hic ſepultus jacet in Eccleſia Fratrum Minorum Ratiſponæ,*
,, *juxta murum, verſus ambitum, & pluribus miraculis a die tranſitus ſui*
,, *claruit, ſicut latius continetur in majori Chronica. De ejus fructu in*
,, *verbo Dei diſſeminando ita habent præfati Codices MSS. ſub annum*
,, MCCLVI. *His temporibus frater Bertholdus de Ratiſpona Ordinis noſtri*
,, *eximius Prædicator, exequens injunctum ſibi prædicationis officium, tan-*
,, *tum profecit univerſitati, tam populi, quam Cleri, ut omnium in cordibus*
,, *& auribus fuerit admirandus. Et Andreas presbyter Ratiſponen. in Lib.*
,, *de Monaſteriis Bavariæ. Anno Domini* MCCLI. *frater Bertholdus natio-*
,, *ne Ratiſponenſis Ordinis Fratrum Minorum prædicare cœpit: ad cujus*
,, *prædicationem dicuntur aliquando centum millia hominum confluxiſſe.*
,, *Hic ſepultus eſt Ratiſponæ apud Fratres Minores, hoc habens epitaphium.*
,, CIƆ. CC. LXXII. IX. KAL. JAN. OBIIT FR. BERTHOLDUS MAGNUS
,, PRÆDICATOR; HIC SEPULTUS IN DIE LUCIÆ VIRGINIS.

XXIII. Hoc anno, ſuæ ætatis tertio decimo Minoritis ſuum dedit nomen Joannes Firmanus, cujus admirabilem infantiam ſuperius deſcripſimus. Etenim cum inexplebilem mortificandi corporis appetitum inter Canonicos Firmanos per triennium, quo inter illos verſabatur, ſatiare non poſſet, illique ſæpius objicerent accommodum Minoritis ſibi præſcripſiſſe vivendi genus, atque ad aſperam Franciſcanorum vitam penitus factum: decrevit, maturo inito cum prudentibus viris conſilio, ad illos tranſire, quorum vitam dicebatur jam æmulari. Secreto per litteras cum eiſdem agit, Canonicorum veritus indignationem; & tamdem obtinuit poſt multas inſtantias quod vehementer ſe cupiiſſe probavit. Conſilio & auxilio fuit ut reciperetur, frater Joannes de Muro Picenus, inter ſuos vir non contemnendæ auctoritatis, poſtea creatus a Bonifacio VIII. Cardinalis. Magiſtrum habuit in tirocinio Jacobum de Fallerono admirandæ pietatis virum, ſub cujus diſciplina egregie profecit, & altas egit in omni virtute radices. Ad ſpirituales inſtructiones & ignita quandoque verba Magiſtri adeo vehementer ardebat, ut per ſilvam proximam, per hortum, aliquando etiam per Eccleſiam magno curreret impetu tamquam ſi potenti, cui reſiſtere non poterat, ageretur impulſu. In tirocinio regulas ſequutus eſt Præceptoris, neque auſus eſt ſub aliena ferula conſtitutus, ſibi alias præſcribere præter communes quibus ceteri docebantur. Emiſſa ſolemni profeſſione, miſſus eſt a Miniſtro Generali divo Bonaventura ad ſolitudinem Montis Alvernæ, ubi brevi levavit ſe ſupra ſe, ad colloquium admiſſus beatæ Virginis Mariæ, & ſanctorum Angelorum. Officia fere omnia humilia Monaſterii in ſe aſſumpſit, neque quidquam in choro, in triclinio, in horto, in culina, ad oſtium, faciendum erat, quod prompte non expediret, quaſi in manibus omnium eſſet, vel omnium manus ille ſolus haberet.

Ann. 1259. n. 8. Marian. lib. 4. cap. 7. Marc. 2. p. l. 9. cap. 2. & ſeqq. Rodul. fol. 110. Piſa. conſ. 8.

Initiatur Joann. Firmanus.

Sanctitatis ejus primordia.

Mittitur ad montem Alvernæ.

XXIV. Dum ſemel legeret in vita ſancti noſtri Inſtitutoris a divo Bonaventura compacta, Fratres interrogaſſe, quænam virtus hominem redderet Deo propinquiorem, & longius removeret a ſeculo? eumque reſpondiſſe: paupertatem eſſe totius ſpiritualis ædificii noſtri primarium fundamentum, & præcipuum humilitatis fomentum; ex tunc induit perfectiſſimum paupertatis ſectandæ deſiderium, neque ad ultimum uſque vitæ terminum aliud voluit habere præter pauperculam tunicam, funem cin-

Paupertatis ſtudium.

einctorium, femoralia, & breviariolum, quo penſum ſolvebat divinum per itinera. Multa ferens evaſit robuſtior, & ex frequenti jejunio, perperſſiſque frigoris & ſolis moleſtiis callum obduxit, quo dum alii, etſi ante ſuſceptum iter refecti, deficiebant in via, ille jejunus conſtanti greſſu animos addens præcedebat. Erecta in cœlum facie communiter incedebat, illuc attollens mentem, quo præcedebant oculi; & veluti a mundo alienus, ubi ambulabat, non reſpiciebat, impingebatque ſæpiſſime nudis pedibus in varia offendicula, quibus per multos dies male habebat. A ſocio reprehenſus quare non reſpiciebat ad pedes, dixit, non dimitti ad terram, ſed erigi ad cœlum oculos deberi, neque propter pedes curandos, vel tantillum remittendam eſſe cœleſtem contemplationem: *Oculi*, inquit, *mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos*. Levabo ſemper ad Dominum oculos meos, ut in me conjiciat oculos ſuos, & tamdem dicat mihi: *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos*. Neminem judicabat, dum omnes ſe meliores putabat; neque placuerunt ei quidam ſingulares viri, de quibus nos aliquando, qui propoſito ſibi majoris perfectionis & ſtrictioris paupertatis nomine, ceteros condemnabant, vituperabantque excelſas ædes, & Templa majora, quæ conſtructa erant in ſodalitio. Nihil hic videbat, quod non placeret, ex amplis & inſtructis Monaſteriis Dei laudandi occaſionem ſumebat, qui dabat ſervis ſuis affluenter, inſerebatque eorumdem Monaſteriorum incolas, viros eſſe religioſos, & probos, erga quos fideles adeo ſe beneficos exhibebant, ut domos amplas extruxerint, & inſuper neceſſaria quæque adjecerint. In parvis vero cœnobiolis ſpiritum paupertatis, & humilitatis commendabat, neque quidpiam ei potuit offerri, quod in obloquium, aut grave ferendum judicium æquam & candidam mentem poſſet attrahere. Nullum vidit honorem cuiquam hominum, etſi humili minuſque idoneo conferri, quo ille eum abunde dignum non judicaret; hinc religioſum ei ubique ſilentium, murmur nullum, ſed tranquillus & pacatus animus in eo ſemper effulſit. Boni viri ſemper bene judicant: ſecundum candidam, & piam mentem ſingula contemplantur, & per bonæ intentionis radium merita illuſtrant actionis. Oculos habent ſimplices, propterea corpus eis lucidum eſt: *quia dum recte intendunt per ſimplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiamſi minus bonum eſſe videatur*. Admiranda ſunt reliqua hujus ſancti Viri acta, quæ plene & ſincere ſcripſerunt duo viri coævi, Joannes de Septimio & Hugolinus de monte ſanctæ Mariæ, & nos dabimus ad annum MCCCXXII. quo ex hac vita deceſſit.

Abſtinentia & pœnitentia.

Oculi in cœlum ſemper erecti.

Pſal. 24. 15. Auguſt. in Pſal. 11.

Pſal. 31. n. 8.

Fugiebat ſpiritum ſingularitatis.

De omnibus bene judicabat.

Bene judicandū de omnibus.

Matth. 6. 22. Gregor. lib. 28. Mor. cap. 6.

XXV. Hoc anno Epiſcopum fuiſſe Venetiarum fratrem Thomam Francum Venetum Minoritam, ſcribit Petrus Rodulphus, quem in ſerie Epiſcoporum Venetorum etiam ſub hoc anno collocat Leander Albertus, licet Rancum cognominet, & inſtitutum reticeat. Electum item a Gregorio hoc anno in Epiſcopum Accienſem fratrem Imerium Guardalupum, ſcribit Antonius del Campo in hiſtoria Cremonenſi, eumque Concilio Lugdunenſi interfuiſſe, atque multis legationibus præclare functum, tamdem Pariſiis obiiſſe, & apud ſuos conſodales fuiſſe ſepultum. In diſcordia etiam orta inter Electores de creando Epiſcopo Reatino electus eſt ab una parte Minorita Benevenutus, ut refert Joannes Ludovicus Lelius in hiſtoria Montis regalis, ſub Petro Gierra Archiepiſcopo X. Commiſſionem unam datam hoc anno a Gregorio reperio de

Epiſcopus Venetus Thomas Frācus Minorita.

Rodulph. fol. 271. Leand. in deſcrip. Ital. verbo Venetiæ.

Fr. Imerius Epiſcopus Accienſis.

Campo ad ann. 1272.

Electus Reatinus frater Benevenutus.

Lelius in hiſtor. Montis reg.

de confirmando Petro Suario Canonico, & Cancellario Monaſterii ampliſſimi ſanctæ Crucis Conimbricenſis, electo in Priorem ejuſdem ædis. Dedit facultatem Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Conimbricenſ. x. Kalend. Novembris.

Reg. Vat. ep.78.

Conv. Tullenſis.

Gonzaga in Provin. Pariſ. Conv. 6.

XXVI. Tria hoc anno invenio extructa Minorum Cœnobia, unum Tulli, vulgo *Toul en Lorraine*, quod Leucorum civitas eſt in Lotharingia, per Fridericum Ducem, concurrentibus etiam ſua ope & ſumptu, illuſtri heroe Domino de Lenoncourt, necnon ejuſdem urbis Epiſcopo, & Canonicis. Biennio poſt conſecrata eſt Eccleſia ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ ab illius urbis Epiſcopo, & forte illo ipſo, cujus multa in Ordinem beneficia manifeſta voluiſſe Bonaventuram in Comitiis generalibus diximus ſuperius. Secundum, apud Aſturicam Auguſtam, olim Tarraconenſis Hiſpaniæ oppidum, nunc urbem Epiſcopalem, prius Bracchareníi, deinde Compoſtellano ſuffraganeam; facta fundi donatione per Senatum, cujus litteræ ad Miniſtrum Provincialem ſcriptæ IX. Aprilis hujus anni aſſervantur in Archivo: necnon diploma Alphonſi Regis datum Burgis XIX. Octobris æræ Hiſpanorum MCCCXI. quæ correſpondet anno Chriſti MCCLXXIII. quo facultatem tribuit fabricam deducendi ſuper urbis muros. Brevi ex magna populi in Fratres devotione conſummationem accepit, in qua erecta numeroſa confraternitas ſanctiſſimæ Crucis, quæ eiſdem privilegiis & gratiis, quibus celeberrima ſocietas Confalonis a ſancto Bonaventura Romæ inſtituta, gaudet. Jacere hoc in loco duos pios Religioſos Joannem unum ſacerdotem, & ejuſdem nominis laicum alterum, ſignis & miraculis illuſtres ſcribit Bartholomæus Piſanus.

Hoc anno n.10. Idem in Provin. S. Jacobi Con.10.

Conven. Aſturicenſis.

Piſan. Confor. 11.

Idem in Provin. Valen. Con.2.

Conv. Morellæ.

XXVII. Tertium, Morellæ regni Valentiæ oppidi, ab oppidanis, ſuaſu & auxilio Jacobi Regis extructum ad caſtri radices ea in domo, in qua beatus Vincentius Chriſti Martyr, dum Cæſarauguſta Daciano Romano Præſidi ſiſtendus deferretur, pernoctavit. Conſecrata eſt Eccleſia ab Hugone Dertoſanorum Epiſcopo anno MCCCXC. aſſiſtentibus ſibi ad altare duobus Epiſcopis, tribus Diaconis, ac totidem ſubdiaconis: hinc neſcio quo indulto, tranſiit in morem, jam tamen obſoletum, ut Monaſterii Præfectus in ſolemnioribus feriis duos adhiberet ſibi ſacerdotes, tres diaconos, totidemque ſubdiaconos altaris miniſtros. Habitavit per aliquotum tempus hoc in loco Benedictus XIII. dum de Summo Pontificatu cum Bonifacio IX. contenderet, donavitque Fratribus duas ſpinas ex Corona Dominica, vivificæ Crucis particulam, alterum ex digitis Joannis Baptiſtæ, quoddam os beati Bernardi de Quintavalle ſancti Franciſci diſcipuli, & plures alias reliquias. Conveſcens aliquando cum Fratribus in refectorio importunis muſcis divexatus, eis maledixit, quæ ex tempore evanuere, neque amplius eo in loco Fratribus ullam ingerunt moleſtiam. Tanta eſt in terris Pontificia auctoritas, ut vel ipſa in hoc homine umbra dignitatis hanc exercuerit virtutem. Tranſiit ædes ad Patres Obſervantes anno MDLXVIII. ita ſecundo præcipiente Pio V. Præter hæc alia duo hic commemoro Monaſteria in Anglia extructa ab Henrico III. qui hoc anno obiit XVI. Kalend. Decembris, & quem ſummopere commendat Matthæus Weſtmonaſterien. videlicet Cantuarienſe in comitatu Cantiæ, vulgo *Kent*, de quo nos leviter alias; & Wintonienſe in comitatu Hamptoniæ, vulgo *Hamshire*, uti habet Harpsfeeldius in ſuo catalogo religioſarum ædium in Anglia. Tempus certum quo hæc extructa Monaſteria, neſcimus.

Conv. Cantuarien.

Vide Tom.1. anno 1220. n.61.

Conven. Wintonien.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Aliud inſigne, creſcente Fratrum numero, & fidelium devotione, auctum hoc anno, nimirum Ulyſſipponen. de quo alias largius egimus, cujus ſacellum majus & clauſtrum nobilis ac devotus presbyter Joannes Monnizius, Regis Alphonſi III. Theſaurarius ex propriis facultatibus ædificari curavit, uti epitaphium æreum clauſtri parieti infixum aperte commemorat. Ex hoc epitaphio Joannes Marquez Auguſtinianus, vir alias non vulgariter eruditus, ſcribit non niſi hoc anno domum hanc incœpiſſe. Ad cujus aſſertionem admiratus ſum, cum ipſa inſcriptio non principium, ſed augmentum prædictæ domus huic pio Theſaurario adſcribat. Sed illinc error hujus auctoris, quod dum ædem ſuam Auguſtinianorum cunctis Mendicantium Monaſteriis in illa urbe vetuſtiorem velit, recentiorem fecit Franciſcanorum: quam tamen initium accepiſſe anno MCCXVII. nos alias diximus opportunius; quo tempore nullam adhuc ædem Eremitarum in illo celebri Emporio extitiſſe probat Gabriel Pennottus, & largiſſime, apertiſſimeque refutat, quæ ex obſcuris, & parum inter ſe conſonantibus ſchedis Marquez pro ſua illa vetuſtate laborioſe ſatis expendit. Porro hujus Monaſterii Eccleſia ſub Joanne III. ex antiquiori loco, ad eum quem modo obtinet privatis Ulyſſipponenſium ſumptibus translata multo illuſtrior, multoque elegantior evaſit, ita ut primis illius opulentiſſimæ urbis delubris, ſi non præferenda, ſaltim conferenda judicetur. Cœnobii amplitudo & magnificentia maximopere crevit ſub poſterioribus ipſius ædis & provinciæ præfectis, certantibus adinvicem quidquam addere vel conferre in graviſsimæ & religioſiſsimæ domus ſplendorem.

Idem in Provin. Portu. Con. 1. Tom. 1. an. 1217. n. 21. & Tom. 3. ann. 1249. n. 7. & 8.

Incrementum Conventus Ulyſſipponen.

Marq. de orig. Heremit. cap. 19. §. 2.

Tom. 1. an. 1217. n. 21.

Pennot. in hiſtor. tripar. lib. 1. cap. 35. §. 8. lib. cap. 60. §. 5.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. THealdus Vicecomes electus ad Pontificatum, Romam per-
„ ventus, & VI. Kal. Aprilis ſub nomine Gregorii X. corona-
„ tus, præter ea, quæ perſtrinxit Annaliſta, Epiſcopis Nazareno, &
„ Bethlehemitano pro Terra ſancta epiſtolas direxit: *Expoſuit no-*
„ *bis &c.* IX. Kal. Novembris: & pro expeditione Terræ ſanctæ ad Re-
„ gem Francorum: *Dilectus filius &c.* .... & in una ſpeciali ſancti
„ Ludovici eximias virtutes enarrat: *Si eximii Prophetarum &c.* .....
„ ſed præter ea, ut quæ propriora ſunt Ordini noſtro, commemoremus,
„ in Concilio Generali, quod Lugduni convocaverat, in eoque præſi-
„ debat, cum revocaſset Ordines Mendicantes non confirmatos per
„ Summum Pontificem, nec approbatos, voluit, religioſos non poſſe
„ vendere loca, nec aliquid ea circa innovare, declaravit, cum pluribus
„ aliis, edita conſtitutione, quæ habetur in ſexto, quam tamen ad Præ-
„ dicatores, & Minores noluit extenſam his verbis: *Sane ad Prædica-*
„ *torum & Minorum Ordines* (*quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univer-*
„ *ſali proveniens, perhibet approbatos*) *præſentem non patimur conſtitu-*
„ *tionem extendi.*
„ II. His temporibus Fratres Conventus ſancti Franciſci Portus
„ Læti in Provincia Tranſtagana Regni Portugalliæ, novam, & ſum-
„ ptuoſam Eccleſiam prolixo labore, plurimo ære, & longo tempore
„ conſummandam incboaverant: quamobrem, ut opus, quod eorum
„ paupertas abſolvere non poterat, aliorum piis expenſis perficeretur,
„ ad ærarium Domini confugere coacti fuere; itaque a Caurienſi Epi-
„ ſcopo monitorium paſtorale, & exhortatorium ad id operis, cum In-
dul-

Expedit litteras pro Terra ſancta & pro Ord. Minor.

Oder. n. 7.

Oder. n. 57.

Concilium Generale Lugduni.

Tit. 17. de Relig. dom. c. un. Sane.

Eccle. Convent. Portus Læti, perficitur.

,, dulgentiarum theſauro pro iis, qui pias eleemoſynas erogarent, im-
,, petrarunt: ut quædam membrana habita a Clariſſis ejuſdem civitatis,
,, & in eo noſtro Conventu ſervata his verbis fideliter tranſumptis edo-
,, cet. Præfert in capite hos caracteres G. Y. cum aliquibus aliis tem-
,, poris vetuſtate conſumptos; & forte G. Gyl. ideſt Ægidius, nomen
,, eſt Epiſcopi: & ſequitur, *Miſeratione divina Caurienſis Epiſcopus,*
,, *univerſis Chriſtifidelibus per Eginatenſem diœceſim conſtitutis ſalutem in*
,, *Domino. Cum igitur religioſi viri Fratres Minores in Caſtro, quod vo-*
,, *catur. Porto Allegre, Eginatenſis diœceſis ad honorem beati Franciſci*
,, *denuo Eccleſiam conſtruerint: & opus dictæ Eccleſiæ eſt adeo ſumptuoſum,*
,, *quod non poteſt aliquatenus conſummari, niſi Chriſtifidelium eleemoſynis*
,, *adjuvetur: univerſitatem veſtram monemus, & exhortamur in Domino,*
,, *atque in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus ad tam lau-*
,, *dabile & pium opus, de bonis vobis a Deo collatis, pias eleemoſynas, &*
,, *grata ei caritatis ſubſidia erogetis: ut per hæc & alia bona, quæ Domino*
,, *inſpirante, feceritis, poſſitis ad æternæ felicitatis gaudia pervenire. Nos*
,, *vero de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Apoſtolorum Petri,*
,, *& Pauli auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis,*
,, *qui eidem operi, vel Procuratoribus ipſius manus porrexerint adjutrices,*
,, *quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.*
,, *Datum apud Civitatem Roderici* II. *Kal. Octobris anno* MCCCX. Ex hac
,, Scriptura, calculo temporis per ſubtractionem differentiæ æræ Au-
,, guſti ab æra Chriſti correcto, reperitur præfata Paſtoralis facta an-
,, no MCCLXXII. quo tempore Dionyſius nondum erat ſalutatus Rex.

Confluunt eleemoſynæ adeo, ut hoſp. adjacent conſt.

Ex Mon. Prov. Alg. de an. 1680.

Et ædes Conv. reædificentur.

Vide ſup. ad annum 1218. n. 2. & infr. ad ann. 1274. n. 3.

,, III. Quam ægre autem pauperum religioſæ domus piorum eleemo-
,, ſynarum ſimili commendato ſubſidio creſcant, experientia magiſtra
,, dignoſcitur: unde in præſenti caſu mirabile eſt, quod per idem tem-
,, pus eidem Eccleſiæ ſuæ cœnobio, adjacens hoſpitale pro excipiendis
,, pauperibus conſtrueretur: at id caritati fidelium haud erat impoſſibi-
,, le: immo crediderim facile, quod ſimul cum Eccleſia, etiam ædes
,, Fratrum antiquæ priſca Religionis methodo conſtructæ, & ex male
,, cohærente materia congeſtæ, ac proinde ruinoſæ, tunc reædificaren-
,, tur meliori arte, & ad majorem capacitatem Fratrum, & urbanitatem
,, condecentem dilatarentur: addita etiam pro advenis, & pauperibus
,, peregrinis caritative excipiendis opportuna domo, ſub directione &
,, regimine Fratrum, ut ſuo loco dicetur.

Cœnobium Urbis Pont.

Miracul. Paralytici ſanati in effodiendo fundã.

Mon. Prov. Turon. major. cit. Vide infra ad ann. 1567.

Imago lapid. B. V. M. inven.

,, IV. Urbis Pontis, ſeu Pontium Ordinis Cœnobium in Santonenſi
,, Cuſtodia, prima Provinciæ Turoniæ majoris, ſextum in catalogo Pi-
,, ſani, in hunc annum rejicimus, quo ad ejus Eccleſiam excitandam,
,, fundamenta excavata fuiſſe, memoria miraculorum tunc ſequutorum
,, perennata in poſteris, docet, & ſcripto exarata ſic enarrat: anno
,, MCCLXXII. dum antiqui Conventus extrueretur Eccleſia, civis qui-
,, dam urbis paralyticus, omnium membrorum uſu deſtitutus, ad lo-
,, cum dictæ Eccleſiæ delatus, ſubito convaleſcere cœpit, & priſtinam
,, ſtatim ſanitatem recuperavit: eo prodigio ac miraculo moti opifices,
,, terram altius fodere cœperunt, putantes aliquid ibi divinum ſubeſſe:
,, dum igitur protraherent opus, imaginem lapideam noſtræ Dominæ,
,, quam ſtatim vocarunt de recuperatione, gallice de *Recouvrance* inve-
,, nerunt: & rati, ut par erat, miraculum Paralytici Deum patraſſe; ne
,, diutius ſub terra imago Deiparæ Virginis lateret, ſed palam expoſita
,, veneraretur, divinas laudes Deo dederunt, ac ſtatuam collocandam

ni

„ in Templo conſignarunt : unde poſtea Cœnobio, ac eidem Eccleſiæ „ nomen ſanctæ Mariæ de Pontibus inditum eſſe apparet.

„ V. Celebravit hoc anno ſanctus Bonaventura Comitia generalia „ Piſis, in quibus Provinciæ Boemiæ, & Poloniæ reſtituta Cuſtodia „ Cracovienſi, ſed Buldiſienſi, & Uratislavienſi adjunctis Provinciæ „ Saxoniæ, illi Miniſter datus eſt frater Nicolaus Moravus: & hoc eo- „ dem anno moritur beatus Raymundus beatæ Salomeæ Secretarius, „ & Procurator ejus domus, cujus Tonſuræ ſacræ in ſolemnitate tun- „ dendorum crinium, ritu religioſo cum Prandota Bialaczevio Epiſcopo „ Cracovienſi, celebravit miniſterium, ut prædiximus ſupra: ſepultu- „ ram nactus eſt apud ſuos Cracoviæ.

Comitia generalia Piſis.

Caſim. Biern. ar. 19. n. 3.

B. Raymundus Secretar. B. Salom. ob.

Supra ad annum 1244. n. 3.

ARGUMENTUM.

Creatur Imperator Rodulphus Comes Habſpurgenſis. Duos ex miſſis ad ſe Minoritis remittit Palæologus Imperator cum aliis Nuntiis ad Pontificem pro terminanda unione Eccleſiarum. Bonaventura Miniſter generalis, & Vicedominus de Vicedominis Gregorii Pontificis nepos Minorita aſſumuntur ad Cardinalatum. Illuminatus Theatinus fit Epiſcopus Aſſiſias. Prædicatoribus & Minoribus ſcribitur, ut Alphonſum Luſitaniæ Regem ad ſaniorem mentem reducant. Alia eiſdem commendantur, & aliqua accreſcunt huic Inſtituto Cœnobia.

I. MORTUO anno MCCLXXI. menſe Februarii Richardo Henrici Anglorum Regis fratre, quem diximus in ſchiſmate electum Regem Romanorum, & de dignitate cum Alphonſo Hiſpanorum Rege tot annis contendiſſe, Proceres Germaniæ malorum pertæſi, quæ interregni tempore multa & graviſſima, atque diuturna erant perpeſſi, novam electionem, auctore & inſtigatore Gregorio Pontifice, præparabant. Alphonſus eo nuntio perculſus, omnem adhibuit operam, ut ratam haberent antiquam, qua ſe Imperatorem volebant, electionem, vel in nova non alium, quam ſe procrearent. Non tamen obtinuit, quin Rodulphum Habſpurgenſem Comitem communi ſuffragio ad Imperium vocarent, exiguo quidam cenſu, anguſtoque principatu, ceterum generis nobilitatem ad veteres Francorum Reges referentem, & virtutum indole clariſſimum, a quo inclyta, & vere Auguſta domus Auſtriaca ſuum ducit genus. Meruit hujus Viri pietas, ut ex ſua ſtirpe plures iique piiſſimi & optimi prodirent Imperatores. Inter cetera Chriſtianæ mentis indicia, quæ de eo referunt Auctores, illud ſcribit Eberhardus Ratiſponenſis Diaconus, illius temporis vir, cujus Annales addidit Caniſius ad Chronica Steronis: *Electus ſtatim exegit a Principibus, Clericis, & Laicis fidei juramentum; quod cum recuſarent propter ſceptri abſentiam, ipſe Electus ſignum Crucis accipiens, talia dixiſſe fertur: ecce ſignum in quo nos, & totus mundus eſt redemptus, & hoc ſigno utamur loco ſceptri, & deoſculata Cruce, omnes Principes tam ſpirituales quam ſeculares ipſam Crucem loco ſceptri oſculantes, recipientes feuda, ſibi fidelitatis juramentum præſtiterunt.* Addunt etiam Annales Colmarienſes, quod quo die ſuſcepit inſignia Regni, ſpatio unius horæ apparuit nubes candida, in modum Crucis formata, quæ poſtea in ruborem ſanguineum mutata eſt. Iſtud cum Principes Rodulpho retuliſſent, dixit ille: *Si Dominus vi-*

Weſtm. an. 1271. Tom. 1. an. 1256. n. 1.

Fit Imperator Rodulphus Comes Habſpurgenſis.

Ab eo initium ſumpſit domus Auſtriaca.

Chriſtianæ ejus virtutes.

Eberhar. ad an. 1273. apud Caniſ. tom. 1.

Fiducia in cruce Chriſti.

Annales Colmarien. an. 1273.

vitam, proſperitatemque mihi conceſſerit, tranſmarinas partes adibo, & pro peccatis meis Domino Jeſu Chriſto ſanguinem meum conſecrabo. Adhuc privatus hæros erat, quando vere chriſtiane fecit, & laudabile pietatis ſpecimen exhibuit, quod Juſtus Lipſius digne commendat: *Venatum forte*, inquit, *ut nobiles ſolent, cum paucis in equo exiverat. Pluvius dies erat, & viæ fractæ & ſordentes; ecce occurrit ſacerdos, venerabilem & myſticam hoſtiam, extremum ſolatium, ægro laturus: & occurrit pedes. Is aſpectus pium pectus perculit, non ſine indignatiuncula aliqua equo deſilit: &*, me vehi, *inquit*, teque qui ſervatorem meum portas, pedibus incedere indecorum; & impium cum ſit, conſcende, & equum hunc cape. *Juſſio non preces erant; paruit ille, & iſte capite revelato, humilis ſequutus ad ipſas ædes ægri deduxit, ab iis eodem habitu reduxit. Jam domi, & apud ſe ſacerdos erat, qui officio attonitus, & mente a Deo mota, bene abeunti dixit, & ſimul imperium ipſi, poſteriſque prædixit. Alii tamen ad Sevicam Vatem hoc referunt, quidam & ſomnio ſequentis noctis edoctum ipſum volunt. Unde unde prædictio, & res illa certa, & rata iſta fuit, ac fidem etiam nunc ab eventis habet.* Hæc & alia virtutum merita, quæ ſparſim alii commemorant, fecerunt, ut fluctuans per diſſidia Imperium hic ſtabiliret, & gentem fatalem ſceptris, regniſque propagaret.

Lipſius in Monitis cap. 12. mon. 1. exemp. 4.

Reverentia erga ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ.

II. Non alio, quam hoc anno ad Imperium vocatum optimum hunc Principem omnes boni conſpirant ſcriptores; unde vehementer admiratus ſum, Abrahamum Bzovium illud factum voluiſſe anno MCCLXVII. magnaque fiducia adjeciſſe, ſe minime erraturum, ſi contra omnium ſcriptorum opinionem, in illum annum electionem referret. Illud ei firmæ aſſertionis non infirmum, ſi verum, fundamentum, quod illo ipſo anno XVII. Kalen. Julias Clemens IV. litteras, inquit, dederit ad Rodulphum jam Romanum Regem electum, quibus certiorem reddidit nihil in ejus præjudicium factum eſſe, ſi Carolus Andegavenſis Regnum Siciliæ una cum dignitate Senatoria Urbis Romanæ obtinuiſſet. Deinde addit: *forte* Principes Germaniæ tantæ vacationis Imperii pertæſi, tantiſque quantæ in ſoluta Republica accidere ſolent, diſſidiis & cladibus afflicti, ſaturatique, commodum, Conradino in Italiam digreſſo, tempus nacti, ad comitium, eligendi Regis Romanorum cauſa convenerant, & Rodulphum communibus ſuffragiis deſignarant. Profecto neque *forte*, neque ex conſilio Principes Electores hoc anno convenerant, neque Rodulphum Romanorum Regem deſignarant, quem ſcriptores fere omnes (inter quos ipſe Bzovius, ſui penitus immemor, & firmæ aſſertionis productique monumenti Vaticani prorſus oblitus) firmo conſenſu volunt hoc anno electum. Dum tamen ſcrupulum mihi injiceret diploma Apoſtolicum, quod in hiſtoria Eccleſiaſtica potiſſimum & certiſſimum eſt teſtimonium, volui conſulere regiſtrum Vaticanum, & epiſtolam 341. quam Bzovius citat: ſed comperi facile deceptum fuiſſe gravem hiſtoricum ex unius characteris ambiguitate in univerſa, & ea graviſſima hiſtoria. Scriptoribus Apoſtolicis regiſtri Vaticani conſuetudo fuit brevioris notæ gratia primum tantum characterem propriorum nominum perſonarum præcipuarum, præſertim ex dignitate notiſſimarum, apponere: ita in hoc fecerunt diplomate litterarum dumtaxat *R.* aſcribentes, pro qua, *Rodulphum* legit Bzovius, cum potius debuiſſet *Richardum* Cornubiæ Comitem intelligere. Huic enim ſui honoris zeloti, & Imperii avido, tot annis cum Alphonſo Hiſpano de Imperiali ſceptro contendenti, & querenti ſibi præjudicium inferri in exaltatione Caroli Andegavenſis ad Re-

Bzov. an. 1267. n. 11.

Bzovius corrigitur.

Bzov. an. 1273. n. 5.

Unde ejus error.

Regnum, Siciliæ & dignitatem Senatoriam Urbis Romanæ, ſcripſit illas litteras Pontifex non Rodulpho Comiti Habſpurgenſi, qui ſub illo tempore neque ſuſpicari quidem quidquam potuit de Imperio deferendo.

III. Egerunt feliciter cum Michaele Palæologo & Andronico filio quatuor illi Minoritæ, quos anno ſuperiori diximus a Gregorio miſſos. Fecerunt etenim ut longiores non adderent moras, ſed cum ſuis Patriarchis & Eccleſiarum Orientalium Prælatis de ineunda & conſummanda concordia Græcorum cum Latinis ſerius agerent. Dum ille omnium expetebat vota, & conſenſum expectabat, voluit intimari Pontifici per duos ex prædictis Minoritis, videlicet per Raymundum Berengarii, & Bonaventuram de Mugello, atque per binos a ſe miſſos nuncios Theodorum Curiæ Imperialis Valetum, & Goffridum interpretem, quatenus omni ſollicitudine laborabat, rem a ſe deſideratiſſimam ad exitum perducere, brevi miſſurus alios duos Minoritas Apocriſarios, cum legatis plenam habentibus poteſtatem negotium omne terminandi in Concilio generali jam a ſua Sanctitate indicto; quibus per alias litteras petebat ſalvum præmitti conductum, ne aliquo obſtaculo tanti & talis negotii executio ulterius contingeret prorogari. Binas ejus litteras ex Vaticano ſubnecto.

Duos Minoritas mittit Palæologus ad Pontificem.

Sanctiſſimo & beatiſſimo Domino Gregorio Papæ veteris Romæ, ac univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici & Sedis Apoſtolicæ ſucceſſori, Reverendiſſimo Patri ſuo: Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator & moderator, Romæorum Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, ſemper Auguſtus, ſuæ Sanctitatis obediens filius, debitam Paternitati ſuæ reverentiam & orationum petitionem.

IV. *Multa ſunt, ſanctiſſime Domine, quæ poſſent ſpiritualem delectationem conferre homini, & ſuadere exultatione & lætitia animæ actionum gratiarum laudem attribuere Deo vero. Sed nobis videtur, quod numquam aliquid ſic lætificare potuit aliquem, ſicut nos exhilaravit epiſtola veſtræ Apoſtolicæ Sanctitatis nuper Imperio noſtro tranſmiſſa, quam gaviſi recepimus, cum in ſpe eramus, ipſam ad nos diutius deſtinari. Quam etiam multo deſiderio legimus & perlecta lætati fuimus in lectione ipſius, & ſicut ex adipe & pinguedine ipſius delectatione repleti, omni gaudio fuimus recreati. Primo quidem quia nobis fuit a vobis deſtinata epiſtola, quem ſupremum profitemur Pontificem, utpote Apoſtolicæ Sedis ſucceſſorem, & decus, & etiam erga Imperium noſtrum affectuoſe diſpoſitum, paternalem obtinere affectum, quem tamquam lucernam lucentem puritate converſationis, & vitæ divinitate ſuper maximam Pontificatus Sedem, veluti ſuper candelabrum Deus conſtituit, ut in omnibus finibus fulgeretis. Cujus opera juxta Syrac* ſicut ſol in conſpectu Domini, & oculi conſpicui ſuper vias ejus. *Cujus laudem lingua noſtra tota die propterea meditatur. Secundario vero quia pacem Chriſtianitatis & plenitudinis unionem, quæ adeſt ſecundum Deum, quam nos etiam ſemper ſitimus (novit hoc pacis Deus) deſiderare veſtram Paternitatem ipſa epiſtola delfice denotabat, quæ nos etiam ſuadebat veſtram in hac parte agnoſcere Sanctitatem inſtantem cohortatricem boni hujus, & cooperationem promptiſſimam & ſinceram, & dicere:* Ecce vir timens nomen Domini, in cujus ore lex veritatis conſiſtit, & iniquitas in ejus labiis non invenitur, quoniam ambulat in pace directus. *Et juxta magnum Eliam* cor reſtituit patris ad filium, & hominis ad proximum

Reg. Vat. n. 10.
Gaudet ad miſſas a Pontifice litteras.
Laus Pontificis.
Eccli. 27. 16.
Malach. 2. 6.
Luca 1. 17.

ximum ſuum. *Hujus gratia multo magis exultati in his ultra quam qui invenit ſpolia multa, & illum, qui hoc perficit, non cognovimus alium præter Deum. Cui juſte & digne ad gratiarum acumen aſſurgere commovemur, dicentes: magnificetur ſemper Dominus, quia erexit vos ſemper magnum Pontificem ſuorum ſervorum pacem optantem, qui ſuum ſanctiſſimum nomen invocant indefeſſe. Et licet antea pergeremus ad viam unionem ferentem, & feſtinaremus ad hoc negotium ab antiquo, quod communem Chriſtianorum utilitatem exhibet, numquam ſine ſollicitudine tanti operis moraremur, nunc tamen ex quo ad nos veſtræ Sanctitatis litteræ pervenerunt, multo magis inſtitimus, & cum ardore animæ feſtinantes opus ſuſcepimus peroptatum, ad Dominum continue aſpicientes, illum inceptionis noſtræ, & promptitudinis cooperatorem obtinere, & perfectorem continuum invocantes, qui jam veſtris ſanctiſſimis & ſacratiſſimis orationibus exhilarati, cum ipſe Deus clemens ſit cupiens unionem, propitius ad nos inſpexit & orationes noſtras benigne intendit, ſuper cogitationes noſtras aſcendens, & ſecundum ſuam magnam & ineffabilem miſericordiam intellectus noſtros direxit, & viam nobis rectam oſtendit, per quam bene perficietur & dexteram conſummationem accipiet negotium ſupradictum, & modico temporis ſpatio tantum opus Deo acceptum manifeſtabitur, cum ad honorem & gloriam ejus exiſtat, acceptum etiam Apoſtolicæ Eccleſiæ, & veſtræ etiam Sanctitati. Primitus enim, ſanctiſſime Domine, dum occultaretur via, quæ ducebat ad pacem, incertus erat modus qualiter ipſam tractare deceret, & ſicut errantes vere omnes currebant, & dubium erat ut aliquis poſſet ad finem hujus operis pervenire. Deus autem, ex quo oſtendit principium, nullum impedimentum conſiſtit, nec prohibet, ſed negotium ſic facile de cetero compleri videtur, quod omnis dubitatio & formido procul habetur, quod ſpes quoque melior animabus plantatur, & nos cum favore divino putamus amodo finem inde attingere concupitum. Tali enim modo in ſpe bona exiſtentes, quod etiam ſic oportet cum Deo ſperare veſtram Apoſtolicam Sanctitatem. De hoc vero quod accidit, moram nobiſcum protrahere Fratres, & aliquis finis uſque ad hodiernum diem non apparuit, exinde veſtra Sanctitas non admiretur. Cum licet quid modicum videretur in principio, quæ inter nos & vos differentia modica conſiſtebat, ſed ipſius prolixitas in tantam invaluit, & tam magnam dilatavit, & fecit, quod nec facilem eſſe, quamvis hoc putetur ab aliquibus, verumetiam difficilem & oneroſam diſſolutionem hujuſmodi repræſentat. Quare omnes dicent: opus eſt ad hoc temporis, & laboris. Temporis quidem ut congregatio fiat Pontificum, qui longe exiſtunt, quos neceſſe eſt adeſſe huic communi negotio & voluntatem, & propriam intentionem facientem pacem proferre, & nobiſcum ſentire, quod omnibus expedit, qui Prælati non modica pars univerſitatis conſiſtunt, ut ne forte veterem ſciſſuram ſuere quærentes, alteram de novo ex imperitia, & non minorem priore aliunde rumpamus. Laboris autem, quia per inſtantiam & perſeverantiam fit, & etiam quæ ſunt difficilia emendare quis poteſt? Præter autem iſta nihil unquam homo de levibus perfecit non ſolum tantum negotium, quale hoc exiſtit propoſitum. Unde ſi debet illorum aliquid conſummari quæ expediunt, & quæ conſummatum ad omne tempus, quod deinceps erit firmum, forte, & perenne vallari, neceſſarium eſt quod labor ſit & temporis erogatio intercedat. Sed ne forte propterea veſtra Sanctitas aggravetur, ut aliquas inde cogitationes aſſumat propter moram Fratrum, duo ex ipſis, videlicet frater Raymundus Berengarius, & frater Bonaventura de Mugello electi ad præſens mittuntur ad veſtræ præſentiam Sanctitatis, alii vero apud nos manent.*

Excuſat tarditatem.

nent. Illi quidem ut annuntient veſtræ Sanctitati ea quæ viderunt, & audierunt, & quod in vanum minime cucurrerunt, nec inaniter laborarunt, ſed annuente Deo, præclarus illico eorum labores conſequetur & fructus. Hi autem conſummato opere (cujus dies conſummotionis non longe eſt a præſenti, ſed jam animabus noſtris ſplendidam producit auroram) cum noſtris Nuntiis Apoſtolico veſtro culmini, quod confirmatam fuerit, intimabunt. Quantam autem ad hoc negotium Deo amabilem feſtinationem, quantamve ſollicitudinem & antea noſtrum intulit Imperiam, & nunc magis etiam introducit, non eſt opus litteris explicare, cum hujuſmodi opus non duxerimus omittendum. Fratres vero cum ſint viri religioſi & ſpirituales, pleni bonorum fructuum, & ſervitores propriæ veritatis, ſicut veri diſcipuli Chriſti, & Sanctitatis veſtræ, bene ſcimus, quod nullatenus occultabunt noſtram proferre operationem ad veſtram Apoſtolicam Sanctitatem: Ipſi enim eorum oculis diligenter viderunt, didicerunt, & noverunt certiſſime, quod cum David paſſi ſumus aſſiduam afflictionem, dum oculis noſtris ſomnum non dedimus, nec palpebris dormitationem. Sed noctis vigiliæ nos occupant meditantes quæ pacis, & unionis exiſtant. Sol autem oriens in his ſedentes nos conſpicit, & occidens hoc nos meditantes dimittit. Loquimur cum aliquibus, & hæc ſunt facta noſtri colloquii; conſulimus, & de his diſpenſantes continue cogitamus, & cogitantes intra nos hæc meditamur. Non enim tempus comeſtionis a noſtro pectore curam iſtam expellit, non diſpenſatio communium rerum, non moderamina militiæ, non curæ bellorum, non quæcumque aliquis poſſet dicere aut delectationem, aut contrarium ad nos ducentia, ſed aliorum omnium rationem minimi facientes, pro uno tantummodo opere iſto cogitationes omnes revolvimus, cum ad alias ſollicitudines ſicut homines corpus habentes laborantes, fatigantes, & feſſi aliquando effecti ad unum ſolum tantummodo Deum nempe erigentem, & potentes nos facientem, infatigati pacifice invenimur, non omnino a noſtra priſtina promptitudine deſiſtentes, ſed ſupereminentem promptitudinem promoventes amplius peraugemus. Quare argumentamur, quod nunc Deus magis aſtitit in medio noſtrum, quam unquam fuit temporibus retroactis, uniens & conjungens diſtantia ſecundum magnam ejus & inſerutabilem voluntatem. Et de his quidem Fratres, ſi voluerint, ac de noſtro Imperio coram veſtra Sanctitate veritatis teſtimonium perhibebunt; propoſitum autem animæ erga Beatitudinem veſtram nec ipſi narrantes poſſent ſufficienter oſtendere, nec nos propter tanti loci diſtantiam litteris explicare. Propoſitum autem animæ quantum exiſtit, numquam per opera poteſt manifeſtari, quanto magis ſermonibus enarrari. Verumtamen quamvis aliquam modicam imaginotionem magni negotii poſſit quis a verbis comprehendere, bene novit magnitudo veſtra, ſanctiſſime Domine, quod tam cito unionis noſtræ perfectæ reſplendet bonum, ſicut jam in Deo confidimus, apud quem totius operis eſt conſummatio. Hujus ſolo nutu omnia poſſibilia inveniuntur, tunc & nunc, ex quo & quæ pertinent a veſtra Sanctitate tamquam a ſpeciali patre, a noſtro Imperio tribuentur, ſpecialem filium nos invenietis ſanctæ Dei Eccleſiæ, & veſtræ Apoſtolicæ Sanctitatis; & benedictiones & orationes veſtras, & aliter, & quæ ad veſtram Sanctitatem pertinent, & ad me tamquam filium immediatum hæredes effecti ſuſcipiemus, & obediemus vobis, & quod vobis erit placitum faciemus, propriamque veſtræ Sanctitatis intentionem complebimus quæcumque, & ubicumque volueritis, juxta omne quod videbitur bonum Deo. Non enim eſſet decens, ſi nos ſicut filii paternitate veſtra fruentes, & quæ ab ipſa paternitate debentur filio, quod nos condignam obedientiam & reve-

Sollicitudo Palæologi de unione terminanda. Pſal. 131. 4.

reverentiam non oſtendiſſemus ſicut filii ſpeciales ad patrem. Et propter hoc parati erimus, & nos parabimus quod Deo placitum eſt, & veſtræ Sanctitati cum magno ſtudio percomplere, & taliter, ut ſcribimus, in propoſito firmiter obtinemus. Poſtquam conſummatum erit negotium, dexterum a Deo finem recipiet. Sed veſtrum de cetero opus erit, ſanctiſſime Domine, & magis vos ipſos dari huic adeo amabili & ſalutari negotio, & feſtinare ad conſummationem pacis, nullatenus deſiſtentes in quantum ſit veſtræ Altitudinis magnitudo, & ſuper omnes cognoſcetur, in tantum oportet præ ceteris feſtinare, & operam adhibere, ut ad conſummationem veniat opus propoſitum peracceptum. Hujuſmodi autem præſumptuoſe quodammodo ſcribere moti ſumus veſtræ Apoſtolicæ Sanctitati, quia & alias enim debemus ad invicem ad pacem conjungi, exiſtentes jam ad unionis conſummationem, licet alio modo tunc temporis ea, quæ ſunt pacis, tractabantur, aliter vero nunc diſpenſatur gratia Chriſti. Conſideravimus aliquos ſequentes proprias voluntates, & injuſte pacis proſecutionem prohibentes, qui jam conſenſu divino perfecerunt propoſitum eorumdem, & bonum Chriſtianæ gentis invidentes, inimicitiam ad communem intentum omnium introduxerunt; nos tamen omnem curam unionis & concordiæ apponentes, ſic habemus per omnia ſicut dictum eſt, & nulla a nobis conſurget occaſio. Nam quales in verbis nos oſtendimus fore, tales etiam & ferventiores nos in operibus invenietis paratos. Beatitudo autem veſtra, ſanctiſſime Domine, non aliter de nobis recogitet, nec aliquam hæſitationem habeat de conſummatione negotii ſæpedicti, ſed omnem ambiguitatem & timorem ejicientes ab anima de conſummatione & perfectione negotii ſæpedicti, quod ad manus eſt, ſicut jam ad præſens recipiet Sanctitas veſtra. Tempus enim, in quo magis convenit diſpenſari ſuper Chriſtianorum utilitate communi, non aliud nunc quidem videtur, quam præſens. Ad quod nos quidem ad unum convenientes cooperatione Spiritus ſancti ubicumque voluerimus ambulare, in Deo faciemus virtutem, angulari lapide Chriſto, qui eſt caput Eccleſiæ, in quo omnis ædificatio ad templum ſanctum in medio noſtrum compaginata concreſcit, juſtam exinde promiſſionem habentes, & nos in pace indiruptibiliter conjungentes, non duo vel tres exiſtimemus, ſed milliana infinita & innumerabilia in ipſius nomine congregata. Contra inimicos autem Dominicæ Crucis divi Amos dictum bene & optime inducitur: Occidet ſol in eis in meridie, ſic opinantibus ex anguſtia cordis, & obumbrabitur ſuper terram eorum in die lumen, & in meridie velut in nocte palpabunt. Expugnatio erit eis, & totalis deſtructio, redemptio vero Terræ ſanctæ, & ultra alienigenæ non tranſibunt per eam. Ait Joel magnus: Ægyptus ad deſtructionem erit, & Idumæa ad campum perditionis. Et ſic tamquam ignis & flamma novi Iſraelis domus apparebit. Domus vero Eſau tamquam ſtipula, & conſummabuntur iniqui: quoniam venerunt dies viſitationis, juxta dictum divi Oſeæ, & dies retributionis eorum. Nos vero tota Chriſtiana gens dicimus, faventibus orationibus veſtris, virtutem a Deo accipientes, dilatati erimus, & ad priſtinum iterum veniemus. Si diſtantia enim noſtra impiis ſuperbiendi libertatem conceſſit, coadunatio utique, & in unum congregatio manifeſtiſſimum eis interitum præparabit. Iſtud eſt tempus illud, quod multi quidem noſtrorum ſpiritualium virorum, & etiam non pauci veſtrorum mentis oculis diſcernentes & prophetizantes ſuper hoc, deſiderarunt etiam illud corporeis oculis revidere, ſed non viderunt. Deus autem in veſtris diebus ſanctis veſtris orationibus annuens, videre hoc nos dignos conceſſit, ſecundum ſuæ judicium voluntatis, quod non decet omittere Apoſtolicam animam veſtram, nec

Psal. 59. 14. Ephes. 5. 23. Ephes. 2. 21. Amos 8. 9. Joel 3. 19. Osea 9. 7.

nec in vanum tranſire conceder e. Incertum enim exiſtit, ſi tale deinceps tempus eveniet: ſed hæc quidem, beatiſſime Domine, & propter bonas ſpes, & confuſas, quas decet vos de futuro habere, ſuggerunt veſtræ ſcribere Sanctitati, ut ad futurum quo d jam per vos debet celebrari Concilium futuram cum Deo Eccleſiarum annu nele tis confirmationem & reſtaurationem, & omnes divi Viri, qui congregari debent ibidem, cum deceat ipſos gaudere, ſuper negotio ipſo lætiores fiant, certificati de perfectione unitatis prædictæ. Et etiam quod omnibus certificetur, quod labor, quem ſanctiſſima benignitas veſtra ad præſens negotiam ſubrogavit, non vanus factus eſt illius gratia, qui ad hoc vos inſpiravit, illa fiducia, quam ad ipſum habetis, ſed ad tempus condecens reddet fructum non ſolum in triginta & ſexaginta, ſed etiam ad centuplum, juxta vocem Salvatoris in Evangeliis. Reſiduum ſane in cura veſtræ Sanctitatis exiſtit. Quid reſtat? debent in brevi Nuntii noſtri una cum aliis Fratribus, qui penes nos exiſtunt, viam cum Deo accipere ad veſtram Sedem altiſſimom proficiſcentes, ut appareant coram vobis cum perfectione operis peroptati. His autem hoc facere debentibus, ſicat Summus Pontifex & Paſtor pervigil animarum, ac proviſor omnium, provideatis, ſi placet, & viam qua tranſire debent Nuntii modis omnibus ſecuram, & ſine pericalo fieri ſtatuatis, ut ſine impedimento noſtri Nuntii valeant ad veſtram ſanctiſſimam præſentiam proficiſci. Nam timemas valde, ne ipſis deferentibus tanti & talis operis effectum, forte antiquus bellator pacis motus invidia tanto divino operi obviare conetar, ut imperfectum contingat multo tempore remanere, per quoſdam iniquos homines indeſperate periculum operetur. Sed divinitas veſtra, ſua magna providentia repellat inſidias aſſidui inimici, quare dictis Nuntiis & Fratribus viam præparetis ſecuram, ut exinde verecundia malignitatis Principi fiat, & eorum cogitatione annullata veſtræ providentia Sanctitatis, bonum quod labore eſt tanto tempore acquiſitum, perducatur ad finem, ne propter deſpectum antequam confirmetur, & radicetur aperte rumpatur. Quemadmodum enim labor poteſt reædificare, quod deſtruxit inertia, ita deſtrait injuria, quod acquiſitum eſt labore. Quapropter divinam veſtram & efficacem in operationibus providentiam ad hæc cogitavimus incitare, quam certi ſumus tribuere velle negotio antedicto in Deo confidentes, qui pacem ſuper omnia acceptat, & ipſam tribuit animabus diligentium ipſum, & in veſtra providentiſſima & imitativa ſanctitate, cujus orationes nobis affectuoſe concedantur. Amen.

Luca 8. 8.

Rogat Pontificem ut provideatur Nuntiis de ſalvo conductu.

Sanctiſſimo & beatiſſimo Domino Gregorio Papæ veteris Romæ, ac univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, & ſucceſſori Apoſtolicæ Sedis, reverendiſſimo Patri ſuo: Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator & moderator, Romæorum Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, ſemper Auguſtas, ſuæ Sanctitatis obediens filius, debitam Paternitati ſuæ reverentiam, & orationum petitionem.

V. *Qualiter & quantum providentia ſumma Dei, qui ſervorum ſuorum corda fidelia exhortatur ad bonum continuis monitis, & exemplis ſuper accepto Deo negotio ſanctæ Dei Eccleſiæ, & totias Chriſtianitatis unionis & pacis proceſſerit noſtrum Imperium, per litteras noſtras & Fratres nunc accedentes cum litteris ipſis ad veſtræ præſentiam Sanctitatis poteritis, ſi dignemini, plene ſcire; in quorum comitiva latores præſentium, videlicet Theodorum Curiæ noſtræ Valetum, & de interpretibus Curiæ noſtræ Goffridum ad benignitatem Sanctitatis veſtræ duximus tranſmittendos,*

Reg. Vat. n. 11.

Iterum rogat ut Nuntiis mittendis provideatur de ſalvo conductu.

dos, at per quem locum ſubſequentes noſtri Nuntii ſpeciales, & Fratres reliqui tranſire valeant ſecundum noſtræ voluntatis proviſionem, veſtræ Sanctitati debeant nuntiare; ad hoc ut eiſdem tam per litteras, quam per Nuntios veſtræ Apoſtolicæ Sanctitatis, ſecuritatis & receptionis tranſitus concedatur ſecundum veſtrum beneplacitum & mandatum. Quare ſanctiſſimam & caritativam in Domino Paternitatem veſtram humiliter exoramus in Domino Jeſu Chriſto, cujus gratia hæc perducuntur ad ortum, quatenus eoſdem recipientes ſub favore veſtræ Sanctitatis ſi complacet, commendatos divina proviſione, prout expedit executioni tanti affectati & accepti negotii, ſecuritatem ipſorum Nuntiorum noſtrorum tam in eundo, quam redeundo ſalubriter ordinare, & ad ipſos recipiendos veſtræ Apoſtolicæ Sanctitatis Nuntios, & litteras cum prædictis latoribus dignemini deſtinare ad majorem cautelam & ſecuritatem ipſorum, ne, quod abſit, aliquo obſtaculo tanti & talis negotii executio remaneat imperfecta, ſeu valeat ulterius prorogari, ſed ad veſtræ Sanctitatis præconium & omnium bonorum hoc affectantium laudem fructus, quos exinde ad communem utilitatem & refectionem obtinere ſperamus, ſine contaminatione aliqua colligantur &c.

Reſcribit Pontifex ad Palæologum.

VI. Receptis his litteris Pontifex, magno exultavit gaudio, ſtatimque reſcripſit ad Palæologum, aſſerens ſe firmiter credere iis, quæ de ſuo deſiderio & ſollicitudine circa promotionem, & conſummationem hujus negotii ſcribit; attamen monitum voluit plurimos eſſe, qui aſſerant inanem omnem hunc tractatum fore, neque quidpiam aliud velle Græcos, quam Pontifici imponere, ut ejus ſuaſu & auctoritate arma ſuſpendant Latini, neque moleſtiam inferant homini, qui vi, & dolo eos expulerit e Græcia, Imperiumque ſibi præripuerit tot annis Latinis ſubjectum. Atque vel ex hoc capite, ait Pontifex, accelerare debere Imperatorem in hoc negotio perficiendo, ne ſe verum prædixiſſe hi glorientur calumniatores. Iter autem ſecurum ſe redditurum promittit, quod & curavit, ſcriptis ad Philippum Balduini II. filium Imperatorem Conſtantinopolitanum dictum, ad Carolnm Siciliæ Regem, & Guillelmum de Villarduin Principem Achajæ ejuſdem tenoris, ne dum hæc negotia tractarentur, & Palæologus ſuos legatos mitteret ad Concilium, eum armis moleſtarent, ſed miſſis ab eo Nuntiis, ſalvum darent conductum, & neceſſaria quæque per ſua dominia tranſeuntibus miniſtrarent. Scripſit etiam ad Abbatem Montis-Caſſini, ut quam primum eorumdem Nuntiorum adventus ad portum in quacumque parte Regni Siciliæ ſibi innotuiſſet, perſonaliter occurreret eiſdem, illos in ſua comitiva deducturus ad Pontificis præſentiam: in eumdemque modum ſcripſit Panormitano & Neapolitano Archiepiſcopis. Aliis etiam Eccleſiarum Prælatis, & urbium Præfectis circa eoſdem Nuntios honorifice excipiendos, ejuſdem ferme tenoris litteras miſit. Quas ad Palæologum & Philippum Imperatorem dedit, hic ſubmittimus.

Magnifico viro Michaeli Palæologo illuſtri Imperatori Græcorum gratiam in præſenti, per quam gloriam obtineat in futuro.

VII. L*itterarum ſeries, quas nobis noviſſime tua Magnificentia deſtinavit, cunctis qui ſpiritu Dei aguntur, ipſas audientibus gaudii & exultationis in Domino materiam ſubminiſtrat. Siquidem circa inſtans unionis Latinorum & Græcorum deſideratæ, perutilis, ac Deo acceptæ negotium*

gotiam & intenſum tuum teſtatur affectum , & votivum illius exitum proximum repromittit . Adjiciens inter cetera , quod cum qualem te oſtendis in verbo , talis & ferventior inveniaris in opere , nullius dubitationis ſcrupulus in noſtro corde remaneat de confirmatione ac perfectione negotii ſupradicti . Hæc quidem Catholicos rei conſcios in jubilum excitant animos , ſed multorum circa hoc motus reprimit , quod , ut verum fateamur , quamplures magnæ conditionis & ſtatus aſſerunt , unionis prædictæ tractatum ex Græcorum parte diutius in figmentis verborum , & ſimulate deductum ; propter quod & nobis ſuper Apocriſariorum noſtrorum , qui ad tuam pervenere præſentiam , deliberantibus miſſione , id diſſuaſere frequentius , viam aliam , quæ ſe videbatur offerre præ manibus potius ſuadentes . Licet autem illis credulitatis aures non duxerimus inclinandas , hæc tamen Excellentiæ tuæ ad ſtimulum quaſi ſollicitudinis exponimus , ut attendens quod ex iis , quæ de prædictis tuis litteris brevis ſupra commemoravit epilogus , & aliis quæ patent latius in eiſdem , te oris tui verbo non ſolum Deo , ſed & univerſis audientibus , ſi famam tuam non negligas , ad conſummationem prædicti negotii quaſi obligaſſe videris , ad illam ſic ſolerter intendas , & efficaciter & in veritate procedas , quod tuæ promiſſionis effectu per evidentiam operis apparente , obſtruantur ora inique loquentium , qui Celſitudinem tuam libenter forte notarent , quaſi non in ſinceritate debita hoc tam ſalubre negotium proſequaris . Sed & nunc poſt Nuntios noſtros tanto tempore detentos , quaſi neceſſitatem dilationis ingeſſeris , ſicut hactenus ex eadem parte frequenter ingeſtas aſſerunt , ut per anguſtias temporis & per inopinatos caſus , qui perſæpe in negotiis tractandis emergunt , deſiderato fructu hoc tam ſalubre negotium fruſtraretur , nequando nobis ſupergaudeant & inſultent , ac dicant : Ecce , quod verebamur , accidit , ſicut enim vobis prædiximus , ſolam perditionem temporis noſtrorum miſſio habuit Nuntiorum. Hæc ſicut ad tuam inſtructionem & proviſionem de paterna dulcedine prodeunt , ita in tuæ conſiderationis attentione dulceſcant . Sic enim ad ſalutem animæ tuæ afficimur , ut & perſonæ in via hac quam præmiſſæ litteræ te ambulare deſcribunt , zelemus honorem , & deſideremus te diligentiſſimum fore opinionis tuæ cuſtodem , curam habentem de bono nomine , nec famam aliquatenus negligentem . Perſta igitur , noſti enim quod perſeverantiæ Palma debetur . Perſta , & quæ te præmiſſæ tuæ litteræ tam ſollicite incepiſſe commemorant , & Nuntii noſtri , qui ad nos rediere , teſtantur , ſollicitudine continuanda , & quantum facultas permiſerit augmentanda proſequere , ad obtinendum immenſum divinæ retributionis præmium , & memoriale inter homines de tam pio , Deo tam amabili , & Chriſtianitati tam votivo , tam utili opere in æternum ; miſſurus Apocriſarios quorum eædem Magnitudinis tuæ litteræ pollicentur adventum , cum poteſtate plenaria , & ad omnia , quæ noſtrorum miſſarum ad te per eoſdem Nuntios , litterarum tenor exigit , plene prout decet , inſtructos ; de quorum ſecuro conductu , ſicut inſerta tuis litteris petitio continebat , per viam a Celſitudinis tuæ Nuntiis ad nos propter hoc inter cetera deſtinatis , de ſpeciali mandato tuo , ut dicebant , electum , ſalubriter duximus providendum . Datum Lugduni xi. *Kalend. Decembris , Pontificatus noſtri anno* ii.

Imperatori Conſtantinopolitano Illuſtri .

VIII. T*Amquam rem ex temporis brevitate recentem , Imperialem adhuc non dubitamus tenere memoriam , quod ad Palæologum Nuntios deſtinavimus , cum ſuper unionis Latinorum & Græcorum jam du-*

Reg. Vat. n. 13. Scribit ad Philippum Imperatorem pro ſalvo conductu Nuntiorum.

dum initiato tractatu cum debita inſtantia requirentes. Ipſe vero, prout oſtendit litterarum ſuarum ſeries, ſatis efficaciter & devote reſpondens promittit, ſolemnes Nuntios plene ad hujuſmodi negotii proſecutionem inſtructos, ad generale, quod imminet Concilium, deſtinare, quibus per nos de ſecuritate petiit provideri. Quocirca Imperialem Excellentiam rogamus, & hortamur in Domino, quatenus prædictis ejuſdem Palæologi Nuntiis ad idem Concilium deſtinandis, patentes litteras de plena, & pro perſonis, familiis, & bonis ſuis in eundo, morando, & redeundo aſſecuratione concedas, & a tuis, ſi ad eos quandocumque pervenerint, mandes & facias decenter & benigne tractari. Datum Lugduni XII. *Kalend. Decembris Pontificatus noſtri anno* II.

IX. Simul etiam ad alios duos Minoritas, qui apud Palæologum remanſerunt, Hieronymum Aſculanum, & Bonagratiam de ſancto Joanne in Perſeceto litteras dedit, in quibus laudabiles eorum probat conatus, animumque addit ut in cœpto pergant labore, & omnino curent ut mature veniant Legati Imperatorii ad Concilium.

Fratribus Hieronymo de Eſculo, & Bonagratiæ de ſancto Joanne in Perſeceto Ordinis Fratrum Minorum.

Reg. Vat. n. 17. *LAbores veſtros humano penſantes affectu ad vos propter vos multa compaſſione movemur, ſed dum levamus conſiderationis oculos altius, & attendimus vos in illius ſervitio laborare, cui numquam ſine remuneratione ſervitur, vobis ſuper illis non dubitamus potius congaudendum. Verum non intendimus in talibus plene doctos inſtruere, ſed hortari potius, ut laborum magnitudinem certa ſpes immenſæ retributionis alleviet, & laborantium zelum accendat, ut ad obtinendum votivum ſuſceptæ commiſſionis exitum, laborent inſtantius, & ſi augmentum poſſit ipſorum ſollicitudo recipere, inſtantia majoris attentionis intendant. Recepturi a Domino illud, ut prætenditur, inæſtimabile retributionis indubitatæ præmium, & Apoſtolici favoris augmentum proinde non immerito habituri. Ceterum apud magnificum virum Palæologum, Græcorum Imperatorem Illuſtrem, vos ſpecialiter inſtare volumus, ut cum ſuis Nuntiis venturis ad Concilium ſic celeriter vos remittat, quod auctore Domino, eidem Concilio poſſitis perſonaliter intereſſe. Datum Lugduni* VII. *Kalend. Decembris Pontificatus noſtri anno* II.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ X. Per alias litteras monitus Carolus Rex, cito profecturos hos
„ Nuntios Neapolim, voluit haberi omnia in promptu, ut abſque mo-
„ ra navigarent Conſtantinopolim. Do hic litteras ad ſuos Miniſtros
„ ſcriptas, mihi ex Archivo Regio Neapoli tranſmiſſas ab erudito viro
„ Bartholomæo Chioccarello Urbis Antiquario.

C A R O L U S &c.

Amirato noſtro, vel ejus locum tenenti, in Apulia & Brunduſio.

„ *CUm ſanctiſſimus in Chriſto Pater Gregorius &c. Aliquos Fratres*
„ *Minores intendat ad præſens ad Romaniæ partes pro Nuntiis deſti-*
„ *nare, noſque nolimus, quod propter defectum navigii moram in eundo*
„ *trahere valeant aliquam, fidelitati veſtræ præcipiendo mandamus, qua-*
„ *tenus ſtatim receptis præſentibus, omni mora & occaſione remota, na-*
„ *vigium competens, in quo Fratres ipſi, cum ipſorum familia, navigare*
va-

„ *valeant, ſub expenſis Curiæ noſtræ, modis omnibus invenire, & habere* „ *curetis; ita quod in adventu Nuntiorum ipſorum ad partes ipſas, qui* „ *ſicuti dicimus venient ſine mora, navigium ipſum ad navigandum para-* „ *tum inveniant infallibiliter, & habeant, ita quod nullam moram pro-* „ *trahant; imo celeriter navigent, & feſtinanter ad Romaniæ partes ac-* „ *cedant, prout per eumdem Dominum eis commiſſum extitit in hac parte.* „ *Nos enim Secreto Apuliæ & Viceſecreto terræ Hydronti per noſtras in-* „ *jungimus litteras, ut ad requiſitionem veſtram, pecuniam neceſſariam* „ *propter hoc vobis debeant miniſtrare; ſcituri pro firmo, quod ſi in hoc* „ *fueritis deſides, vel remiſſi, taliter contra vos procedi mandabimus, quod* „ *vobis erit ad pœnam, & aliis ad exemplum. Datum Neapoli* XXVI. „ *Octobris anno* MCCLXXII.

XI. Lugduni has litteras ſcribenti, & negotium unionis urgenti adfuiſſe tunc Pontifici Bonaventuram jam Cardinalem factum antiqua mihi probant monumenta, quantumvis Panvinus, & Ciaconius, atque ex his alii in ipſo Concilio, anno ſequenti celebrato ſub feriis Pentecoſtes creatum ſcribant. Quorum aſſertio nequaquam conſtare poteſt cum actis ſeu hiſtoria ipſius Concilii, in qua (uti me prior monuit Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus) invenitur ſanctus Bonaventura Cardinalis reſidere cum ceteris in prima ſeſſione. Prima autem ſeſſio celebrata eſt anno MCCLXXIV. die VII. Maii, triduo ante Aſcenſionis feſtum. Neque etiam, quod dubitanter idem aſſerit Bellarminus, potuit ad hanc dignitatem promoveri in quatuor temporibus Decembris hujus anni: dum Bernardinus Corius res ſuæ patriæ diligenter recenſens peculiariter moneat, Gregorium Lugdunum ad Concilium proficiſcentem, & per Mediolanum tranſeuntem, die Dominica menſis Octobris octava curru advenientem, ſecum habuiſſe Cardinales, atque inter hos ſpeciatim nominat Bonaventuram, & Vicedominum de Vicedominis ſuæ ſororis filium, etiam Minoritam, ut ſtatim monebo. Hiſtoria etiam MS. urbis Placentinæ Cardinales Epiſcopos creaſſe dum ſe accingeret ad iter verſus Lugdunum, commemorat: ſed & vita ejuſdem Gregorii MS. aſſervata in archivo Eccleſiæ Collegiatæ ſancti Antonini ejuſdem urbis, hæc ipſa habet verba: *Poſt hæc ordinatis quinque ſedibus Epiſcopalibus, quæ Cardinalatus honorificentia decorantur, de ipſa Urbevetana civitate iturus Lugdunum recedens, pervenit Florentiam, ubi inter partes diſcordes non ſine multo labore, & diligenti ſollicitudine pacis fœdera reformavit.* At ex multis epiſtolis ejuſdem ſancti Pontificis (quarum compendium dabimus inferius) datis apud Urbem veterem, mihi conſtat in eadem hæſiſſe Civitate ſub menſe Maii uſque ad Nonas Junii: ſed neque Florentiam perveniſſe ante diem XVIII. ejuſdem menſis ſcribunt Joannes Villanus, & Leonardus Aretinus. Cum itaque ſub feriis Pentecoſtes hæſerit apud Urbem veterem, & antequam illinc diſceſſerit, conſtet ex citata vita ejuſdem Pontificis, Cardinales creaſſe, conficitur ut probabile & veroſimilius ſit, in eiſdem feriis illos ad hanc dignitatem fuiſſe promotos. Atque hinc deducendam putem communem auctorum cum Panvino, & Ciaconio conſpirationem, creationem Cardinalium a Gregorio factam in quatuor Temporibus Pentecoſtes, licet errent in anno. Et certe Ciaconi error facile deprehenditur, dum ferme annum in Cardinalatu vixiſſe Bonaventuram ſubindicet, ex quo principio mortem ejus incidiſſe in annum MCCLXXV. deducit, quod nos anno ſequenti commodius examinabimus.

Panvin. & Ciacon. in Gregor.

Bonaventura quando creatus Cardinalis.

Bellarm. de ſcriptor.

Corius p. 2. hiſt. Mediol. ad ann. 1273.

Hoc anno.

Hiſt. MS. Urbis Placentiæ.

Vita MSS. Gregor. X.

Hoc anno.

Villan. l. 7. c. 73. Aretin. in hiſt. Flor.

Additio Patris Lucæ Waddingi.

Guid. ſub Greg. X.

„ Sed & uno anno anteriorem facit Bernardus Guidonis, illius ferme „ temporis auctor, hanc Bonaventuræ aſſumptionem; ita enim habet ſub „ annum MCCLXXII. *Gregorius Papa fecit unam ordinationem quinque „ Epiſcoporum Cardinalium, quamplurimum laudabilem, quoniam boneſtas perſonas aſſumpſit, quorum unus fuit frater Petrus de Tarantaſia de „ Ordine Prædicatorum, Magiſter in Theologia, tunc Archiepiſcopus Lugdunenſis; alter vero frater Bonaventura Miniſter Generalis Ordinis Fra- „ trum Minorum, Magiſter in Theologia &c.*

XII. Coadunatis ergo hiſce rationibus, nimirum quod conſtet, Bonaventuram in prima ſeſſione Concilii Lugdunen. VII. die Maii anni MCCLXXIV. celebrata, jam Cardinalem cum ceteris ſediſſe, deinde quod peculiari animadverſione Bernardinus Corius ſcribat, eum jam etiam Cardinalem cum Gregorio die VIII. Octobris hujus anni Mediolanum perveniſſe: & demum ex vita MS. Gregorii habeatur, eum quinque Epiſcopos Cardinales creaſſe antequam Urbe veteri diſceſſerit, ex qua nonniſi ad Nonas Junii Florentiam perrexit; clare ſequitur, vel in feriis Pentecoſtes hujus anni, vel in aliis prioribus Bonaventuram deſignatum Cardinalem. Id autem me movet, ut non niſi in illis, quæ Pentecoſtes dicuntur, ſuſpicer electum, quod ſuperius prælibavi, nimirum hoc anno legiſſe Pariſiis opus illud commendatiſſimum, quod Hexameron inſcribitur, & non niſi poſt Paſcha inde evocatum, ſicut maniſeſte habetur ad operis calcem: atque hinc mihi confirmatur error Typographi, vel alterius, quiſquis ille fuerit, qui ibidem pro anno MCCLXXIII. quo legebatur illud opus, appoſuit annum MCCLXXIV. Notavit fortaſſis ſciolus aliquis cauſam ibi aſſignari, propter quam imperfectum remanſit opus, nimirum, quia vocatus eſt auctor Bonaventura ad celſiorem dignitatem, & poſtea mors ſupervenit: inciditque in Ciaconum, Panvinum, aut alios, qui ſcripſerint, in Concilio Lugdunenſi, ſub feriis Pentecoſtes ad Cardinalitiam dignitatem aſſumptum. Cum ergo Concilium non niſi anno MCCLXXIV. celebratum ſit, non niſi illo anno lectionem, vel calamum ſuſpendiſſe judicavit Bonaventuram, atque ita ſubjungendum pro anno MCCLXXIII. alium poſteriorem. Quod & mihi confirmavit peculiaris narrationis obſervatio apud Marianum, qui refert, Gregorium meritis & prudentia Bonaventuræ allectum MCCLXXII. egiſſe cum Cardinalibus de connumerando eodem Patribus Purpuratis. Quo intellecto, ut tantam declinaret dignitatem, clam aufugit Vir ſanctus in Galliam, ubi ne ſibi ſoli vacaret, prædictum opus explicandum aſſumpſit. Neque vero ita potuit eludere Pontificis conatum, qui eo digniorem tanto munere judicavit, quo ſollicitius ille ſe honori conferendo prætripuit. Quare per litteras jure optimo præcepit, ut in Italiam rediret, & ſuo ſe ſiſteret conſpectui. Dum obſequitur, & fines Tuſciæ ingreſſus hæreret, uno vel altero die in Monaſterio nemoris de Mugello a Florentia ad XIV. M. P. diſtante, deſtinatum ſibi in Cardinalium creatione galerum Pontifex tranſmiſit. Ex hac fuga & animo honorum minime avido non immerito Ciaconus & alii ſcribunt, invitum & reluctantem ad tantam celſitudinem evectum. Quibus concordant Antonini verba: *Vocatus fuit a Gregorio, qui ipſum & Cardinalatum, & Epiſcopatum Albanenſem ſuſcipere coegit.* Adde his illud Sixti V. in graviſsima decretali, qua Bonaventuram inter eximios, egregioſque Eccleſiæ Doctores annumerat, præclarum teſtimonium: *Sanctum*, inquit, *Bonaventuram nullos honores appetentem, fugientem potius, ſed Chriſti Vicario obtemperantem,* nul-

Marian. lib. 3. cap. 1.

Invitus ad tantam dignitatem evehitur.

Ciac. cit. Octavian. Sueſſan. orat. ad Six. IV. de Canonizat. S. Bonavent. Galeſin. in vita cap. 14. Anton. tit. 24. c. 8. in princ. Six. V. in decret.

nulloſque pro Eccleſia labores ſubire recuſantem, tamquam in totius orbis theatro, in ſacrum Cardinalium Collegium, & in Epiſcoporum ordinem ſtatim coaptavit: nam Eccleſiæ Albanenſi illum præfecit, qui honos antiquioribus Presbyteris Cardinalibus tribui ſolet. ,, Scrupulos omnes tolleret
,, Marinus de Ebulo, ſi in ſuo formulario litterarum Apoſtolicarum ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
,, annos affixiſſet & dies. Inveni namque apud eumdem exemplar litte-
,, rarum ad ſanctum Bonaventuram miſſarum, in quibus admonebatur
,, collati honoris. Sed dum tempus non explicat, adhuc in tenebris
,, cæcutimus. Do tamen ipſas litteras, ut conceptam de Bonaventura
,, a Pontifice opinionem perſpicias.

Dilecto filio fratri Bonaventuræ Ordinis Minorum Generali Miniſtro, Electo Albanenſi.

,, *A Noſtræ promotionis auſpiciis id inter cetera deſiderabilia cordis no-* *Formul. Ebul. lib. 1. fol. 61.*
,, *ſtri propenſiori putavimus procurandum eſſe conſilio, id majoris at-*
,, *tentionis inſtantia promovendum, ut Eccleſiæ, quæ multa tempeſtate con-*
,, *vellitur, lapides per ordinem ſternerentur, & ipſa fundata ſolidius in*
,, *ſaphiris, haberet ſua propugnacula jaſpidem, & deſiderabiles lapides*
,, *terminos ſuos, & doctos a Domino filios univerſos; ſicque in juſtitia fun-*
,, *daretur; & multitudinem pacis filiis ſuis effundens, a calumnia recede-*
,, *ret, nec timeret eamdem, & a pavore, nec appropinquaret eidem. Hoc*
,, *attentioribus agere conſideravimus animis, ad hoc multa ſollicitudine, &*
,, *diligentia inſiſtendum. Hinc quoniam pluribus diebus & noctibus in*
,, *multa lucubratione deductis, ad illum præcipue levavimus oculos, cujus*
,, *negotium agebatur, ſupplicantes humiliter, & ſupplicatione humili*
,, *poſtulantes, ut ipſe ſuæ lumine claritatis illuſtrans mentis noſtræ judi-*
,, *cium, & in ſuo beneplacito dirigens actus noſtros, ſua immenſa pietate*
,, *concederet, tales noſtro miniſterio ad præeminentiam Cardinalatus aſſu-*
,, *mi, quorum vita viventes inſtrueret, quorum fama dum in omni loco*
,, *Chriſti bonus odor exiſteret, reficeret audientes; quorum conſilio confi-*
,, *denter muniti, poſſemus in dubiis, & de ipſorum ſuffragiis divinum ſpe-*
,, *rare auxilium in adverſis. Et demum cum Fratribus noſtris, cogitatio-*
,, *nibus profundis inſtantes, & frequentibus collationibus habitis cum eiſ-*
,, *dem, ad perſonam tuam, quam virtutum Dominus, multis patentibus*
,, *& latentibus, ut credulitate firma tenemus, virtutibus inſignivit, una*
,, *cum quibuſdam aliis a Domino electis, ut credimus, ad honorem hujus*
,, *miniſterii eligendam, noſtræ convertimus conſiderationis intuitum: &*
,, *de ipſorum Fratrum conſilio Albanenſi Eccleſiæ tunc vacanti de te duxi-*
,, *mus providendam; te in Epiſcopum præficientes eidem: ideoque diſcre-*
,, *tioni tuæ præſentium tenore præcipiendo mandamus, quatenus huic pro-*
,, *viſioni noſtræ in humilitate ſpiritus, ſine cujuſquam difficultatis obice*
,, *acquieſcas. Præcipimus quoque, ut ad præſentiam noſtram abſque tar-*
,, *ditate aliqua moroſæ cunctationis accedas, una nobiſcum divinis obſe-*
,, *quiis, & univerſalis Eccleſiæ ſervitiis vacaturus &c.*

XIII. Pacatum & tranquillum animum ſua humili ſorte contentum, minime hos honores ambiiſſe, neque quidquam eorumdem collatione mutatum probat, quod hic ex bonis ſubjicio auctoribus miræ humilitatis exemplar. Ex conſueta humilitate cum ceteris Fratribus pro hujus Sodalitii more a prandio lavabat, tergebatque culinæ utenſilia in ſupradicto

Legenda antiq. Marian. cit. Gonzag. in Prov. Tuſciæ Conv. 14. Marcus 2. part. lib. 2. cap. 7.

Cœ-

In humilibus officiis occupato datus galerus.

Cœnobio, quando Legati Pontificii advenerunt inſigne deferentes Cardinalitium. Ille nequaquam propter hoc commotus, legationem plene admittere prius noluit, quam cæptum abluendi munus expleſſet; immo ad id uſque tempus oblatum galerum ex adverſæ arboris, *corni* dictæ, ramuſculo appendere juſſit. Plene autem functus humilitatis officio, inquit ad Fratres: *Poſtquam Fratris Minoris explevimus munia, experiamur iſta graviora: ſalutaria hæc & ſalubria mihi credite Fratres, illa vero magnarum dignitatum, ponderoſa & periculoſa*. Et accedens ad præfatam cornulum, inde galerum aſſumpſit, & Papæ Nuncios comiter & honorifice, ut decuit, excepit. Vireſcit adhuc illo loco hæc arbor, eamque adventantibus hoſpitibus Fratres notanter oſtendunt. Aliunde etiam probant traditionem hanc ſuſcepti illo in loco galeri Cardinalitii, ex ſero nimirum pulſu campanæ pro Completorio recitando, quam adhuc obſervant ea, dicunt, de cauſa, quod cum Fratres ex communi Sodalitii more Completorium ante cœnam perſolvere conſueſcerent, illo die ex tanti Patris promotione ultra modum lætati, atque in exceptione Pontificiorum hoſpitum diſtracti, ſub crepuſculo noctis ad refectorium, Completorio nequaquam recitato, cœnatum perrexerunt. Dum vero menſæ aſſiderent Fratres interrogati ab optimo Præfecto, an hoc divini officii penſum perſolverint? culpam ſupinæ oblivionis humiliter faſſi ſunt, neque prius accubuerunt, quam in choro ſacrum debitum exolverent. A quo tempore ea ibidem inolevit conſuetudo, in hujus rei memoriam, ut non prius ad Completorium pulſetur, quam campanæ triplex fiat ſignum pro ſalutanda veſpertino tempore Virgine glorioſa. Ab hoc itaque loco abiit Bonaventura Pontificem ſalutaturus, a quo cum ceteris Confratribus Cardinalibus ſummo honore & gaudio fuit exceptus.

Marianus lib. 2. cap. ult. Chron. antiq. Bernard. a Beſſa ſub Bona. gener.

Fr. Vicedominus fit Cardinalis.

Panvin. & Ciacc. cit. Marc. cit. lib. 1. cap. 13. Gonzag. 1. part. in recenſ. Cardin. Rodul. fol. 208. Vide Joan. Chenu & Claudium Roberti in Epiſcopat. Galliæ.

XIV. Ante Bonaventuram alium creatum noſtri Sodalitii Cardinalem ſcribunt Marianus, Chronica antiqua, & Bernardus a Beſſa ipſius Bonaventuræ ſocius, nimirum Vicedominum de Vicedominis Placentinum, ipſius Gregorii ex ſorore nepotem. Minoritam fuiſſe teſtantur præter citatos Panvinus, Ciaconus, Marcus Ulyſſipponen. Franciſcus Gonzaga, Petrus Rodulphus, & ſi qui alii, qui Cardinales referunt Inſtituti Minorum. Provectæ ætatis Minoribus connumeratus eſt: prius etenim, uti Annales prædicti Placentini commemorant, uxorem habuit, & liberos, deinde celebris Juriſconſultus, & cauſarum Advocatus; mox uxore defuncta, propter vitam laudabilem, & ſcientiæ eminentiam clericus, & Præpoſitus Graſſenſis efficitur: deinde Archiepiſcopus Aquenſis in Gallia Narbonenſi anno MCCLVII. ad IV. Kalend. Septembris, ubi ſtatuta diœceſana edidit anno MCCLIX. Kalend. Junii, demum ab Avunculo Gregorio Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus. Quo tempore Minoritis ſuum nomen dederit non concordant Auctores: Marianus ſubindicare videtur poſt Cardinalatum, & periculoſa infirmitate laborantem hoc vitæ genus amplexum: Petrus Rodulphus, & Alphonſus Ciaconus aſſerunt ex clerico ſeculari factum Minoritam, idque ex Pontificis licentia: circa Pontificem vero errant Piſanus & Marcus pro decimo Gregorium IX. numerantes. Atque illa videlicet initiationis ante Cardinalatum illorum videtur eſſe ſententia, qui primum eum ſtatuunt noſtri Inſtituti Cardinalem. Etenim ſi poſt Cardinalatum habitum ſuſcepit, jam prior cenſendus eſt hujus Ordinis Cardinalis ſanctus Bonaventura, qui cum eodem Vicedomino ad hanc aſſumptus eſt dignitatem, ut communiter placet Auctoribus: niſi velimus ſuſpicari, Vicedominum primum

om-

omnium, & abſque ſocio creatum, uti nunc moris eſt Pontificum, hunc rebus ſuis deferre honorem, ut nepotes in creatione ſocios non habeant; & paulo poſt Minoritis ſe adſcripſerit ante promotionem Bonaventuræ. Iterum de eodem redibit ſermo ſub anno MCCLXXVI. quo mortuus eſt, ubi quantam obtinuerit apud ſuos Collegas Cardinales opinionem, quippe qui eumdem ſummum volebant Pontificem, recenſebimus. In ſupradicto vero Pontificis itinere Lugdunum verſus, dum Senis Podium Bonitium veniret accidit, quod alias prælibavimus de comprobata ſanctitate beati Lucheſii, proſiliente ex igne ejus miraculoſo capite: per quod factum eſt, ut Fratribus ampla concederetur facultas Pontificia illud deferendi in ſupplicationibus publicis, quod hucuſque obſervatur: & per multos annos in ſolemni ejus die, qui celebratur in die ſancti Vitalis Martyris XXVIII. Aprilis, fiebat de eodem eccleſiaſtica commemoratio, donec Fratrum incuria deſuevit.

Tom. 3. an. 1242. n. 27.

B. Lucheſii caput mire proſilit ex igne.

XV. Electus fuit hoc anno per viam compromiſſi in Epiſcopum Aſſiſinaten. frater Illuminatus de Theate Minorita: ſed dum ipſa electionis acta examinanda committuntur Joanni Caetano ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, aliquaſiſque circa electionis pronunciandæ validitatem eidem ſcrupulus ſuboriretur, nonniſi anno ſequenti oblata dignitate licuit potiri. Exortas difficultates, & electionis ordinem licebit videre in Regeſto Pontificio in duabus litteris Pontificiis, primis datis hoc anno II. Non. Septembris, ſecundis anno ſequenti X. Kalend. Auguſti.

Fr. Illuminatus Theatin. fit Epiſcopus Aſſiſi.

XVI. Alphonſus III. Alphonſi II. filius (cui delatam Regni adminiſtrationem ob Sancii fratris natu majoris demiſſum animum, & ad gubernandum minus idoneum, alias annotavimus) hoc anno regnabat in Luſitania, ſed erga Eccleſiaſticos durus & importunus exactor, omnes abſque delectu gravibus afficiebat injuriis: quare unanimi conſilio Epiſcopi univerſum Regnum Eccleſiaſtico ſuppoſuerunt interdicto: & Pontificem ſuæ admonuerunt calamitatis. Duxit porro Gregorius eum ſui officii, & reverentiæ Eccleſiaſticis debitæ monendum. Litteras miſit Priori Prædicatorum, Cuſtodi & Guardiano Minorum Ulyſſiponenſibus, eidem Regi tradendas: deinde ad quorumdam preces, atque ut Regem hoc beneficio magis alliceret ad reſipiſcendum, & auxilium Terræ ſanctæ, quod alias promiſiſſe narravimus, præſtandum, eiſdem ſcripſit, ut per ſeptem menſes interdictum hoc ſuſpenderent, ita tamen quod Rex ſolemnes Nuntios infra quadrimeſtre ad Pontificem mitteret cum ſufficienti mandato & cautela ſtandi præceptis Apoſtolicis. Litteras ipſas damus in Regeſto Pontificio. Valde hic errat Abrahamus Bzovius, qui ex his ipſis litteris a ſe in margine citatis, ſcelera multa, & magna nimis pervicaciæ, avaritiæ, ſacrilegii, & impiæ mentis impingit Dionyſio Regi Luſitaniæ, & Alphonſo ejus filio: *Paternum*, inquit, *exemplum ſecuto*, cum Dionyſius neque adhuc regnaret, neque annum excederet duodecimum, utpote natus anno MCCLXI. neque filius ei naſceretur Alphonſus IV. ante ſextum Idus Februarii anni MCCXC. quare ſi quæ erant culpæ, non Dionyſio innocenti tunc adoleſcentulo, neque ejus filio Alphonſo IV. ſeptemdecim poſt hunc annos naturo, ſed Dionyſii patri Alphonſo III. erant imputandæ. Atque ſane Nicolaus IV. in ſuo Regeſto anno II. num. 100. meminit hujus commiſſionis & monitionis factæ Alphonſo nominatim, non vero Dionyſio. In eumdem iterum incidit errorem Bzovius anno MCCLXXV. & commiſſiones Minoribus eum Præ-

Tom. 3. an. 1248. n. 2.

Alphonſus III. Luſitanus eccleſiaſticis injurius. Monetur ſui officii.

Ann. 1268.

Bzov. error corrigitur.

Bzov. ann. 1273. n. 9.

Vaſconc. in Alphon. III. & Dionyſius Duar. Non. de ſucceſ. Reg. Luſit.

Bzov. an. 1275. n. 7.

Prædicatoribus datas ſolis ille, pro more, Prædicatoribus attribuit.

XVII. In iis cauſis etiam ſuos fecit Commiſſarios Pontifex Minoritas & Prædicatores ſimul cum aliis Prælatis. Kalend. Julii litteras dedit ad ſancti Marci, & Caſſanenſem Epiſcopos, necnon ad Miniſtrum Fratrum Minorum in Calabria, ut inquirerent veritatem quorumdam, quæ objiciebantur Rogerio Canonico Eccleſiæ Severenæ, vulgo *ſanctæ Severinæ*, in Archiepiſcopum illiuſmet Eccleſiæ electo: quæ ſi vera eſſe comperiſſent, ſuam conferebat auctoritatem, ut electionem caſſam & irritam redderent, & capitularibus injungerent, ut eidem Eccleſiæ alium providerent paſtorem: ſin aliter, electionem confirmarent, Electo conſecrationis munus impendi, & a ſuffraganeis, aliiſque ſubditis debitam obedientiam & reverentiam exhiberi curarent. Abbati de Dunemunde, aliis *Dunamunta*, Ciſtercienſis Ordinis, Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Rigenſibus XII. Kalend. Junii injunxit, ut Joannem presbyterum Cœnobii cellerarium in Archiepiſcopum Rigenſis Eccleſiæ, Livoniæ olim Metropolitanæ, Canonicorum Regularium Ordinis Præmonſtratenſis, electum, de cujus ſufficientia dubitabatur, examinandum (dummodo examen ſubire vellet) ad Curiam remitterent: alioquin electioni de ſe factæ in eorum manibus renunciaret, & renunciatione recepta, injungerent Capitularibus, ut ſibi de perſona idonea in paſtorem eligenda ſtuderent providere. Priori Prædicatorum, & Guardiano Metenſibus in Gallia ſub eodem die ſcripſit, ut Raynerium Monaſterii de ſancti Petri monte Ordinis ſancti Auguſtini Canonicum in Abbatem ipſius Monaſterii electum, commode nequeuntem ad Sedem Apoſtolicam pro confirmationis, & benedictionis munere obtinendo venire, inquiſitis modo electionis, eligentium ſtudiis, & electi meritis, dummodo omnia cohærebant, confirmarent, eique benedictionis munus impenderent: alioquin deficientibus neceſſariis conditionibus, alium eligi curarent. Egregiam demum commiſſam Minoritis Provinciam Bononienſes & Venetos pacificandi ſcribit Ghirardacius Cherubinus, quod illi præclare perſecerunt, quantumvis vehementer inter ſe prius diſſiderent hæ Reſpublicæ.

Commiſſiones aliæ datæ Minoritis.

Reg. Vatic. epiſt. 34.

Ibid. epiſt. 35.

Ibid. epiſt. 74.

Ghirard. lib. 7. de reb. Bonon.

XVIII. Tria erecta hoc anno Cœnobia: Primum, incerto auctore in Caſtrivalle in terminis Umbriæ in Cuſtodia Montanorum Provinciæ ſancti Franciſci; inchoatum die V. Aprilis. Secundum, apud Clarummontem, veteribus *Auguſtonemetum Arvernorum*, vulgo *Clairmont*, in Gallia urbem Epiſcopalem ſub Archiepiſcopo Bituricenſi; per Guidonem a Turre Bononienſium Ducem, & oppidi Rupisfortis Dominum. Eccleſia beatæ Virgini Mariæ ſacra anno MCCLXXX. conſecrata eſt. Tertium, Gordonii, quod Cadurcorum in Gallia oppidum eſt, per devotiſſimum hæroem, atque Thimenſium Baronem. Anno Domini MOLXXIX. a Durenſium Domino, & hæretico ejus exercitu, direptum, expilatum, atque igne conſumptum eſt, ibique perierunt quinque Religioſiſſimi Patres, atque de Catholica fide optime meriti, nempe Carolus Luſachius ædis Præfectus, Henricus Lector, atque inſignis concionator, Petrus Vaboleſius, Arnaldus Viganultus, & Petrus Quartus a præfatis hæreticis ſupramodum divexati, atque tamdem crudeliſſime pro conſtanti ejuſdem fidei Catholicæ confeſſione trucidati. „ Quartum adjicio „ Conventum Baniacavalli, antea Tiberiacum, & ad Caballos dicti, „ elegantis ac opulenti in Romanula oppidi ad dexteram Amnis Lemo- „ nis. Ex monumentis illinc tranſmiſſis conſtat, prima Conventus funda-

Convent. Caſtri Vallis.

Rodul. fol. 1255.

Conventus Clari-montis.

Gonza. in Prov. S. Bonav. Con. 20.

Conventus Gordonii.

Idem in Provin. Aquitan. Recent. Con. 28.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Conven. Baniacavalli.

Monumen. MSS. hujus conven.

,, damenta jeciſſe hoc anno MCCLXXIII. XV. Kalend. Septembris Fratres
,, Burgarellum de Burgarellis, & Donum de Penna, conſecrato primo
,, lapide per Jacobum Epiſcopum Faventinum. Eccleſiæ conſecratæ
,, die XXVI. Decembris majorem conciliat devotionem, & populi con-
,, curſum inſignis imago beatæ Virginis, Hieroſolymis abducta per fra-
,, trem Baptiſtam Zanum Baniacavallenſem, digno cultu & ornatu aſſer-
,, vata, quæ in publicis ſupplicationibus, juxta populi neceſſitates,
,, religioſe circumfertur. Habet adnexam ædiculam ſocietatis beatæ
,, Mariæ Virginis diſciplinatorum, & in ipſa Eccleſia numeroſam Con-
,, fraternitatem chordigerorum. Prodierunt ex hoc uno Conventu
,, Magiſtri Generales tres, quorum acta ſuis dabimus temporibus, Ray-
,, naldus Gratianns, Philippus Porcatius, & Jacobus Montanarus; po-
,, ſteriores duo Baniacavallo nati, primus oppido Cottiniola, duobus
,, milliaribus diſtanti. Præter hos ibidem floruerunt Sebaſtianus Pe-
,, pulus, vir diſſertiſſimus, qui in præcipuis Italiæ urbibus ſummo om-
,, nium applauſu concionatus eſt. Domum vetuſtate laborantem re-
,, ſtauravit, & primum clauſtrum conſtruxit. Obiit anno MCCCCLXXVII.
,, ætatis LXV. cum ſecundo Provinciam rexiſſet Bononiæ, quam alias ſe-
,, ptem annis gubernavit. Franciſcus Piſignolus ſacræ Theologiæ Do-
,, ctor inſignis obiit anno MCCCCL. Hieronymus Malpilus in ſcholaſtica
,, diſciplina exercitatiſſimus. Obiit Pariiis anno MOII. Dominicus Bo-
,, nardus Philoſophiæ, Theologiæ, & Mathematicæ peritiſſimus, mul-
,, tarum Academiarum regens. Socius fuit & a ſecretis Franciſci Samp-
,, ſonis Miniſtri Generalis. Obiit anno MDXII. Joannes Maria Velma-
,, tius ſacræ Theologiæ Profeſſor, & Poeta illuſtris: utriuſque Teſta-
,, menti Libros carmine edidit hæroico Venetiis anno MDXXXVIII. Tho-
,, mas Gratianus artis muſicæ peritiſsimus; uti ejus opera typis evulgata
,, teſtantur. Alii ibidem orti ſunt viri, qui patriæ & Cœnobio ſplendo-
,, rem addiderunt, & annuos redditus aſsignarunt. Spectat hæc ædes ad
,, Cuſtodiam Ravennæ Provinciæ Bononienſis Patrum Conventualium.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

,, I. A Deo Summus Pontifex ſategit, ut mortuo Richardo Anglo- Rodulph. Com
,, rum Regis Fratre, qui de ſumma Imperii occidentalis cum Haſpur. elig. Imper.
,, Alphonſo Caſtellæ Rege contendebat, Electores Imperiales in Ro-
,, dulphum Comitem Haſpurgii, ſive Alſatiæ convenirent, eumque ſic Coronat. Aquiſgrani a Pont.
,, ab ipſis electum Aquiſgrani, (*Aken* Germanis) in inferiori Germania
,, & Ducatu Juliacenſi, Imperiali diademate coronaverit. Non ſine
,, difficultatibus negotium fuit: etenim licet Alphonſus Caſtellanus
,, ſuaſionibus Pontificis facile ſuo juri ceſſerit, nihilominus Ottogarus,
,, de quo paulo ante memoriam egimus, invidiæ ſtimulo percitus, acta
,, per Electores impugnare contendebat; ſed ipſi parcendum: eam *Supr. ad annum* 1271. *n.* 1.
,, enim dignitatem affectabat; at adeo malis artibus, & inconſulte, ut
,, ex gratia Cæſaris Boemiam, & Moraviam tamdem tenuerit, alias ve- *Dogl. p.* 3. *f.* 377.
,, ro Provincias reſignaverit.
,, II. Præter id autem Gregorius ſui muneris Apoſtolici partes ſol-
,, licite exequuturus, juxta exigentiam temporis plura expedivit Pon- Litteræ Apoſtol. pro Fratrib. particularibus, ac
,, tificia diplomata, quorum plura in Annalibus recenſentur; quæ vero
,, nobis occurrunt commemoranda, ſequuntur: Guardiano Barchinonen. Tr. Sc.
,, executorialis: *Exhibita &c.* III. Nonas Februarii: Guardiano Ne-
,, thenſi executorialis: *Petitio dilectorum &c.* III. Nonas Februarii: Pa-

 triar-

Indic. ex vatic.

„ triarchæ Hieroſolymitano exhortatoria: *Gloria in altiſſimis Deo &c.*
„ IV. Kal. Aprilis: Januenſibus pro expeditione Terræ ſanctæ: *Heu graviſſimum &c.* II. Kal. Aprilis. Pro ſubſidio Terræ ſanctæ, & ejus li-
„ beratione: *Salvator &c.* Kal. Aprilis: Archiep. Senonenſi pro ſubſi-
„ dio Terræ ſanctæ: *In litteris qua &c.* Idibus Aprilis: Guardiano Re-
„ gienſi executorialis: *Sicut accepimus &c.* XVII. Kal. Junii: Miniſtro
„ Calabriæ executorialis: *Eccleſiæ ſanctæ &c.* Kal. Junil: pro ſepultura
„ cujuſdam Jacobi in Conventu Lucano: *Querelam &c.* XII. Kal. Augu-
„ ſti: ad Regem Franciæ pro parando auxilio Terræ ſanctæ: *Gaudemus*
„ *in Domino &c.* V. Kal. Septembris: Prælatis Eboracenſibus pro Terræ
„ ſanctæ ſuccurſu: *Si mentes fidelium &c.* XV. Kal. Octobris: Guardia-
„ no Colembricenſi executorialis: *Sua nobis &c.* X. Kal. Novembris:
„ ad Regem Boemiæ pro Terræ ſanctæ ſubſidio: *Jucunditatis &c.*

Ex Oder. num. 9. 13. 21.

Ex Od. num. 35. 36. 40.

„ III. Poſt hæc autem, quæ magis Summi Pontificis ſedulitatem,
„ quam noſtri Ordinis immediate res tangant, jure merito commemo-
„ ravimus: haud abs re erit Bleſarum in Gallia memoriam habere, ubi
„ ſingularitas Benefactoris titulo, & re laudabilis, perpulchro ſplen-
„ dore fulget: diximus de Conventu Bleſenſi Joannem Caſtillionum
„ Comitem Bleſis illius domus fundatorem extitiſſe: nunc autem ne
„ Benefactorum noſtrorum pia liberalitas fædam eclipſim oblivionis pa-
„ tiatur, perpetuis litteris conſignamus in honorem ejuſdem, quod ex
„ tabulis rationum Principis, ſive Fiſci Curiæ civitatis illius nobis inno-
„ teſcit: prope muros Conventus duas Turriculas cum ipſe Comes
„ haberet, commoditatibus Fratrum proſpiciens, ut ſcilicet ſuas ædes
„ ampliare poſſent, eiſdem eas dono dedit.

Mon. Prov. Turon. maj. cit.

Com. Caſtill. duas Turric. dat pro Conv. Bleſenſi.

Vide infra ad annum 1278.

ARGUMENTUM.

Celebratur Lugduni Concilium Œcumenicum Principum virorum præſentia, Prælatorum multitudine, & rerum in ea geſtarum pondere graviſſimum. Fit ibidem unio Eccleſiæ Græcæ cum Latina, & baptizantur Nuncii Tartarorum. Inſignem in his rebus præſtant cum ſancto Bonaventura tres Prælati Minoritæ operam, ſed ille ſummo omnium dolore, Concilio nondum expleto, e vivis evocatur. Remittuntur cum Abbate Montis-Caſſini Nuncii Græcorum & Tartarorum. Pro ſubſidio Terræ ſanctæ conſcribuntur per Minores, & Prædicatores per univerſam Europam milites crueeſignati. Celebratur apud Minores ſynodus generalis, ex quibus aſſumuntur aliqui ad Sedes Pontificias. Obtinent ædes & privilegia.

Ann. 1272.

I. JAM tempus advenit celebrandi Concilium, quod Gregorius Pontifex omnibus indixit Principibus Catholicis cogendum Lugduni, & incipiendum Kalendis Maii hujus anni, uti ad Palæologum ſcripſiſſe ſuperius commemoravimus. Injuncto itaque per ipſum ſanctiſsimum Patrem primo poſt Kalendas die, ſecundo ſcilicet Maii omnibus Prælatis & Capellanis ſuis jejunio triduano, rebus omnibus accommode diſpoſitis, & ſedibus præparatis in Eccleſia majori ſancti Joannis, incepta eſt prima ſeſsio die ſeptima ejuſdem menſis, in qua a latere dextro in medio navis Eccleſiæ ſedebant inter alios Vicedominus Prænestinus, & Bonaventura Albanenſis, Epiſcopi Cardinales, ut ſupra ex ipſa hiſtoria ejuſdem Cōcilii præmonuimus. In ea præmiſsis ſolitis ritibus, Pontifex aſ-

Inchoatur Concilium Lugdunēſe.

Ann. 1273. n. 10.

Digitized by Google

Prima ſeſſio.
Luc. 22. 15.

aſſumpto themate: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*, & antequam moriar, egregie ſermocinatus eſt, deinde votum animi ſui expreſsit, & cauſas propter quas Concilium indixit, quarum illæ præcipuæ: ſubſidium Terræ ſanctæ præſtandum, unio Græcorum, & morum reformatio. In ſecunda ſeſsione xviii. ejuſdem menſis, quibuſdam conditis ſtatutis, dimiſsi ſunt inferioris ordinis Prælati, & ceteri præter eos, ad quos ſpectabat ferre ſuffragia, aut qui nominatim non fuerunt ad Concilium vocati. Antequam tertia fieret ſeſsio, accepit Pontifex litteras miſſas a fratre Hieronymo Aſculano, & fratre Bonagratia, quos diximus hæſiſſe apud Palæologum pro conſummanda & acceleranda unione utriuſque Eccleſiæ, ad quas ſumme gaviſus eſt Pontifex; fecitque convocari omnes Prælatos in Eccleſia majori Lugdunenſi indutos pluvialibus, deinde coram omnibus graviſſime, & piiſſime Cardinalis Bonaventura ſermonem habuit iis præpoſitis verbis: *Exurge Jeruſalem, ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente uſque ad Occidentem*. Quo expleto in omnium conſeſſu lectæ ſunt prædictæ litteræ, quibus Nuncii Minoritæ ſignificabant ſe prope eſſe, atque in comitatu habere Legatos Græcorum, qui litteris & verbo præſentes obedientiam præſtent Eccleſiæ Romanæ, & concordiam Palæologi, Prælatorumque nomine ſtabiliant.

Secunda ſeſſio.

Admonent Minoritæ ſe cum legatis Imperatoris brevi adfuturos.

Ann. 1271.

Baruc. 5. 5.

Prædicat in concilio S. Bonaventura.

Tertia ſeſſio.
Iſaiæ 60. 4.

II. Deinde die vii. Junii, lectis quibuſdam conſtitutionibus, & habita concione per fratrem Petrum Oſtienſem Cardinalem Ordinis Prædicatorum ſub illo themate: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi*. Facta eſt licentia Prælatis eundi Lugduno quocumque placeret intra ſex leucarum terminum, nec ſeſſionis ſequentis dies præfixus eſt, donec conſtaret de certo tempore adventus Græcorum. Adveneruut autem Fratres prænominati ſimul cum Nuntiis Imperatoris, & Andronici filii, necnon Prælatorum univerſæ Græciæ, quorum hæc nomina, Germanus ipſius Palæologi conſanguineus, & magiſter, hujus nominis tertius, olim Patriarcha Conſtantinopolitanus centeſimus octavus, ex Metropolita Hadrianopolitano, qui ſub anno primo, Patriarchatu abdicato, ſe recepit in Cœnobium Monachorum: Georgius Acropolita magnus Logotheta, Theophanes Metropolita Nicenus, Bithyniæ Primas, Nicolaus Paneretha Camerarius Imperii, & Georgius Zinuchi viri omnes graves, & in aula Imperatoria celebres. His proceſſerunt obviam omnes Prælati, qui erant in Concilio, cum familiaribus ſuis, Camerarius cum tota familia Papæ, Vicecancellarius & omnes Notarii, ac univerſa familia Cardinalium, & magnifice eos conduxerunt uſque ad Palatium Pontificium. Pontifex vero ſtans in aula Palatii, circumſtantibus Cardinalibus, & multis Prælatis ad pacis oſculum honorifice illos recepit. Illi ſignificaverunt in omnium conſpectu ſe veniſſe, ut omnimodam obedientiam S. R. Eccleſiæ præſtarent, profiterenturque ejuſdem Eccleſiæ fidem & Primatum ejuſdem, alia adjungentes officioſa. Porrexerunt ibidem Imperatorium diploma ſub ſigillo aureo, in quo fidem Catholicam ſe profiteri, & tenere juxta miſſam ſibi a Pontificibus Romanis Clemente & Gregorio inſtructionem, teſtabatur; quam publica profeſsione & juramento interpoſito coram prædictis Nuntiis Apoſtolicis, ſe ſecuturos proteſtati ſunt in aula Imperatoria Conſtantinopolitana Michael pater, & Andronicus filius ſub menſe Februarii hujus præſentis anni. Tenor autem litterarum a Michaele miſſarum Græco idiomate, addita interpretatione Latina, ita habet.

Adveniunt Minoritæ cum legatis Græcorum.

ΤΩ ΑΓΙΟΤΑΤΩ, ΜΑΚΑΡΙΟΤΑΤΩ ΤΩ ΠΡΩΤΩ ΚΑΙ ΑΚΡΩ ΑΡΧΙΕΡΕΙ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, τῷ οἰκουμενικῷ Πάπᾳ καὶ κοινῷ πατρὶ πάντων τῶν χριστιανῶν, καὶ σεβασμίῳ πατρὶ τῆς βασιλείας μου κυρίῳ Γρηγορίῳ, ΜΙΧΑΗΛ ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ πιστὸς βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων, Κομνηνὸς, Δούκας, Ἄγγελος ὁ Παλαιολόγος καὶ γνήσιος υἱὸς τῆς μεγάλης ἁγιωσύνης σου, τὴν ἀνήκουσαν τιμὴν καὶ αἰδῶ μετ' εἰλικρινοῦς καὶ καθαρᾶς διαθέσεως, καὶ εὐχῶν αἴτησιν.

Ἐπὶ ἀπεστάλησαν παρὰ τῆς σῆς μεγαλειότητος πρὸς τὴν βασιλείαν μου ἀποκρισιάριοι τῆς θεαρέστου τάξεως τῶν Μινόρων, ὅ τε ἀδελφὸς Ἱερώνυμός τε Ἄσκουλο, ὁ ἀδελφὸς Ῥαιμοῦνδος Μπερ γκάριος, ὁ ἀδελφὸς Μπονγράτζια τό σάγκτο Ἰωάννε ἰν Περσετζέτο, καὶ ὁ ἀδελφὸς Μποναβεντοῦρας τε Μουτζέλο, καὶ διεκομίσαντο γράμματα τῆς σῆς μεγάλης ἁγιωσύνης, ἐν οἷς μετὰ ἄλλων καὶ περὶ τῆς ὁμολογίας τῆς πίστεως ἣν διδάσκει καὶ ὁμολογεῖ καὶ κηρύττει ἡ ἁγία ἐκκλησία τῆς Ῥώμης, διελαμβάνετο· καὶ ἴδει ἐν τούτοις μᾶλλον ἀπήκειστιν ὑμᾶς δέοντας ποιήσασθαι, ἰδοὺ τοῦτο ποιεῖ ἡ βασιλεία μου, ἔχει δὲ ἡ ὁμολογία τῆς πίστεως ἐπὶ λέξεως οὕτω. Πιστεύομεν τὴν ἁγίαν Τριάδα τὸν Πατέρα, καὶ τὸν Υἱὸν, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἕνα Θεὸν παντοδύναμον, ὅλην τε ἐν Τριάδι τὴν θεότητα ὁμοφυῆ καὶ συναΐδιον καὶ συμπαντοδύναμον, ἑνὸς θελήματος, ἐξουσίας καὶ μεγαλειότητος, δημιουργὸν πάντων τῶν δημιουργημάτων, ἀφ' οὗ πάντα, ἐν ᾧ πάντα, δι' οὗ πάντα τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ, ὁρατὰ καὶ ἀόρατα, τὰ σωματικὰ καὶ πνευματικά. Πιστεύομεν ἕκαστον ἐν τῇ Τριάδι πρόσωπον, ἕνα ἀληθινὸν, πλήρη, καὶ τέλειον. Πιστεύομεν αὐτὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ ἀϊδίως γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς, ὁμοπαντοδύναμον, καὶ ἴσον κατὰ πάντα τῷ Πατρὶ ἐν τῇ θεότητι, χρονικῶς γεννηθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου μετὰ ψυχῆς λογικῆς, δύο ἔχοντα γεννήσεις, μίαν ἐκ Πατρὸς ἀΐδιον, ἄλλην ἐκ μητρὸς χρονικήν. Θεὸν ἀληθινὸν, καὶ ἄνθρωπον ἀληθινὸν, ἴδιον ἐν ἑκάστῃ φύσει καὶ τέλειον· οὐκ υἱοθετὸν, οὐ φανταστικὸν, ἀλλ' ἕνα καὶ μόνον Υἱὸν Θεοῦ ἐν δυσὶ καὶ ἐκ δύο, θείας καὶ ἀνθρωπίνης φύσεων, ἑνὸς προσώπου ἑνότητι, ἀπαθῆ καὶ ἀθάνατον τῇ θεότητι, ἀλλ' ἐν τῇ ἀνθρωπότητι ὑπὲρ ἡμῶν καὶ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας παθόντα ἀληθεῖ σαρκὸς πάθει, θανόντα, καὶ ταφέντα, καὶ κατελθόντα ἐν κατωτάτῳ, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ τῶν νεκρῶν ἀληθεῖ σαρκὸς ἀναστάσει· μεθ' ἡμέρας τεσσαράκοντα μετὰ τὴν ἀνάστασιν σὺν τῇ σαρκὶ ᾗ ἀνέστη, καὶ ψυχῇ ἀνελθόντα εἰς τὸν οὐρανὸν καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, καὶ ἀποδώσοντα ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, εἴτε ἀγαθὰ ἔσονται εἴτε κακά. Πιστεύομεν δὲ καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον πλήρη καὶ τέλειον Θεὸν, ἀληθῆ Θεὸν, ἐκ Πατρὸς Υἱοῦ τε ἐκπορευόμενον, ἴσον καὶ ὁμοούσιον, καὶ συμπαντοδύναμον, καὶ συναΐδιον κατὰ πάντα τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Υἱῷ. Πιστεύομεν ταύτην τὴν ἁγίαν Τριάδα οὐ τρεῖς Θεοὺς· ἀλλ' ἕνα Θεὸν παντοδύναμον, ἀΐδιον, ἀόρατον, ἀναλλοίωτον. Πιστεύομεν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν μίαν εἶναι ἀληθινὴν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ ἓν δίδοται ἅγιον βάπτισμα, καὶ ἀληθὴς πασῶν ἄφεσις ἁμαρτιῶν. Πιστεύομεν δὲ καὶ ἀληθῆ ἀνάστασιν τῆς δε τῆς σαρκὸς, ἣν νῦν φέρομεν, καὶ ζωὴν ἀΐδιον. Πιστεύομεν δὲ τῆς νέας καὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης τοῦ νόμου, καὶ τῶν προφητῶν καὶ ἀποστόλων ἕνα ἀρχηγὸν εἶναι, Θεὸν καὶ Κύριον παντοδύναμον. Αὕτη ἐστὶν ἡ ἀληθὴς πίστις καὶ καθολικὴ, καὶ ταύτην ἐπὶ τοῖς ῥηθεῖσι κεφαλαίοις κρατεῖ καὶ κηρύττει ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης ἐκκλησία· ἀλλὰ διαφόρους διαφόρως πλάνας παρεισαχθείσας μὲν ἐξ ἀγνοίας, παρεισαχθείσας δὲ ἐκ κακίας ἀναφυείσας, λέγει καὶ κηρύττει, τοὺς μετὰ τὸ βάπτισμα εἰς ἁμαρτίας ὀλισθαίνοντας μὴ ἀναβαπτίζεσθαι, ἀλλὰ δι' ἀληθοῦς μετανοίας τὴν ἰδίων δύνασθαι λαμβάνειν συμπάθειαν ἁμαρτιῶν· ἐὰν δὲ οἱ ἀληθῶς μετανοοῦντες ἐν ἀγάπῃ ἀποχωρήσωσι πρὸ τοῦ ἀξίοις καρποῖς μετανοίας περὶ τῶν πλημμεληθέντων τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι ἢ τῶν ἁμαρτηθέντων, τούτων τὰς ψυχὰς ποιναῖς πυργατωρίου, ἤτοι καθαρτηρίου, καθὼς ὁ ἀδελφὸς Ἰωάννης ἡμῖν διεσάφησε, μετὰ θάνατον καθαρίζεσθαι· πρὸς δὲ τὸ τὰς ποινὰς ταύτας ἀνακουφίζεσθαι, ὠφελεῖ αὐτοὺς τῶν ζώντων πιστῶν ἡ συγκρότησις, λειτουργιῶν λέγω ἱεροτελεστίαι, προσευχαὶ καὶ ἐλεημοσύναι, καὶ ἄλλα εὐσεβείας ἔργα τὰ παρὰ τῶν πιστῶν ὑπὲρ ἄλλων πιστῶν γίνεσθαι εἰθισμένα κατὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας ἀποκατάστασιν· τούτων δὲ τὰς ψυχὰς τῶν μετὰ τὸ ἱερὸν βάπτισμα λαβεῖν εἰς μηδένα ἁμαρτίας μολυσμὸν ἐπιδραμόντων, ἀλλ' ἐκείνας τὰς μετὰ τὸ ἐφελκύσαι ἁμαρτίας μολυσμὸν, ἢ ἐν τοῖς οἰκείοις μείνασαι σώμασιν, ἢ μετὰ τὴν τούτων ἀπέκδυσιν, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται, καθαρισθήσονται εἰς τὸν οὐρανὸν αὐτίκα προσδέχε-

Sanctiſſimo & beatiſſimo primo & ſummo Pontifici Apoſtolicæ Sedis Venerabili Papæ, & communi Patri omnium Chriſtianorum, & Venerabili Patri Imperii noſtri D. Gregorio, Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, & ſpiritualis filius magnæ Sanctitatis veſtræ, convenientem honorem & reverentiam cum ſincera & pura affectione & orationum poſtulatione,

III. *QVoniam miſſi ſunt a Magnitudine veſtra ad Imperium meum Nuntii Deo placentis Ordinis Fratrum Minorum, frater Hieronymus de Aſculo, frater Raymundus Berengarius, frater Bonagratia de ſancto Joanne in Perſiceto, & frater Bonaventura de Mugello, & obtulerunt litteras magnæ Sanctitatis veſtræ Imperio meo: in quibus inter alia de confeſſione fidei quam docet, & prædicat, & confitetur ſancta Romana Eccleſia, continebatur; & oportebat in his magis reſponſionem convenientem nos facere, ecce hoc facit Imperium meum: habet autem profeſſio fidei in dictionibus taliter. Credimus ſanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, coæternam, & coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis, Creatorem omnium creaturarum,* a quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quæ ſunt in cœlo, & in terra, *viſibilia, inviſibilia, corporalia & ſpiritualia. Credimus ſingulam quamque in Trinitate perſonam, unum verum Deum, plenum & perfectum. Credimus ipſum Filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu ſancto, & Maria ſemper Virgine cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem æternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, nec phantaſticum, ſed unum & unicum Filium Dei in duabus, & ex duabus naturis, divina ſcilicet & humana in unius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem & immortalem in divinitate, ſed in humanitate pro nobis & ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum, & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione, die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne, cum qua reſurrexit, & anima aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala. Credimus & Spiritum ſanctum plenum, & perfectum, verumque Deum ex Patre Filioque procedentem, coæqualem & conſubſtantialem & coomnipotentem & coæternum per omnia Patri & Filio. Credimus hanc ſanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed unicum Deum omnipotentem, æternum & inviſibilem, & incommutabilem. Credimus ſanctam Catholicam & Apoſtolicam, unam eſſe veram Eccleſiam, in qua unum datur ſanctum Baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionem hujus carnis, quam nunc geſtamus, & vitam æternam. Credimus etiam novi & veteris teſtamenti, legis, ac Prophetarum, & Apoſtolorum unum eſſe auctorem Deum ac Dominum omnipotentem. Hæc eſt vera fides Catholica, & hanc ſupradictis articulis tenet, & prædicat Sacroſancta Romana Eccleſia. Sed propter diverſos errores, a quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat, eos qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos, ſed per veram pœnitentiam ſuorum conſequi veniam peccatorum. Quod ſi vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis, hoc eſt catharteriis, ſicut nobis frater Joannes * explanavit, poſt mortem purgari, & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia; quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta. Illorum autem animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ mox in cœlum*

Profeſſio fidei Græcorum.

Coloſ. 1. 16.

* *Videlicet frater Joannes de Montecorvino, de quo ſupra anno 1272. num. 3. & infra ſæpius. Vel potius Fr. Joannes de Conſtantinopoli, de quo inferius hoc anno num. 5.*

δέχεσθαι, ἐκείνων δὲ τὰς ψυχὰς τῶν ἐν θανασίμῳ ἁμαρτήματι, μετὰ μόνης τῆς προπατορικῆς ἀποχωρησάντων, παραυτίκα εἰς τὸν ᾅδην καταβαίνειν, ποιναῖς ἀνίσοις τιμωρηθησομένας. Ταῦτα ἡ ἁγία ἐκκλησία τῆς Ῥώμης πιστεύει καὶ στερρῶς βεβαιοῖ. Καὶ ὅτι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως πάντες ἄνθρωποι περὶ τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ μετὰ τῶν ἰδίων σωμάτων φανήσονται ἀποδώσοντες περὶ τῶν οἰκείων πράξεων λόγον. Κρατεῖ δὲ καὶ διδάσκει αὕτη ἡ τῆς Ῥώμης ἐκκλησία, ἑπτὰ εἶναι ἐκκλησιαστικὰ μυστήρια, ἓν λέγω τὸ βάπτισμα, περὶ οὗ εἴρηται ἄνω· ἄλλο ἐστὶ μυστήριον βεβαιώσεως, ὃ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν οἱ ἐπίσκοποι φέρουσι χρίοντες τοὺς ἀναγεννωμένους· ἄλλο ἐστὶν ἡ μετάνοια· ἄλλο ἐστὶν ἡ εὐχαριστία· ἄλλο μυστήριον τῆς ἱερατικῆς χειροτονίας· ἄλλο ἐστὶ τὸ τοῦ γάμου· ἄλλο τὸ ἔσχατον χρίσμα, ὃ κατὰ τὴν διδασκαλίαν τοῦ ἁγίου Ἰακώβου τοῖς ἀσθενοῦσιν ἀποδίδοται· τὸ ἱερούργημα τῆς εὐχαριστίας ἐξ ἀζύμου ἐκτελεῖ ἡ τοιαύτη τῆς Ῥώμης ἐκκλησία κρατοῦσα καὶ διδάσκουσα, ὅτι ἐν αὐτῇ τῇ ἱεροτελεστίᾳ ὁ ἄρτος ἀληθῶς μετουσιοῦται εἰς σῶμα, καὶ ὁ οἶνος εἰς αἷμα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Περὶ τοῦ γάμου δὲ κρατεῖ, ὅτι οὔτε εἷς ἀνὴρ πολλὰς γυναῖκας ὁμοῦ, οὔτε μία γυνὴ παραχαρᾶται ὁμοῦ ἔχειν πολλοὺς ἄνδρας· διαλυθέντος δὲ τοῦ γάμου ἀπὸ θανάτου θατέρου τῶν ὁμοζύγων, δευτέρους καὶ τρίτους ἐντεῦθεν γάμους θεμιτοὺς εἶναι λέγει, εἰ ἐμποδισμὸς ἐξ αἰτίας τινὸς οὐ προσίσταται. Αὐτὴ ὡσαύτως ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης ἐκκλησία ἄκρον καὶ τέλειον πρωτεῖον καὶ ἀρχὴν ἐπὶ πᾶσαν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν κατέχει· ἣν ἐν αὐτῇ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Κυρίου ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τῷ τῶν ἀποστόλων ἄρχοντι ἢ τῇ κορυφῇ, οὗ ὁ τῆς Ῥώμης ἀρχιερεύς ἐστι διάδοχος, μετὰ πλήρους ἐξουσίας παραδέξασθαι ἀληθῶς καὶ ταπεινῶς ἀναγνωρίζει. Καὶ καθὼς παρὰ τὰς ἄλλας κρατεῖται τῆς πίστεως τὴν ἀλήθειαν ἐκδικεῖν, οὕτω καὶ ἐάν τινες περὶ τῆς πίστεως, ἀναφύωνται συζητήσεις, τῇ ταύτης χρεὼν κρίσει διορίζεσθαι· εἰς ταύτην δύναται καὶ βαρυνόμενος ἕκαστος ἐν πράγμασι τοῖς εἰς τὴν αὐτὴν ἐκκλησίαν ἀνήκουσιν ἐκκαλεῖν, καὶ ἐν πάσαις ταῖς αἰτίαις ταῖς περὶ δοκιμασίαν ἐκκλησιαστικὴν ἀφορώσαις, περὶ ταύτης δύναταί τις ἀναδέχειν τὴν κρίσιν, καὶ ταύτῃ πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι ὑπόκεινται· καὶ τούτων οἱ ἀρχιερεῖς ὑπακοὴν καὶ αἰδῶ ταύτῃ ὀφείλουσι· περὶ ταύτην δὲ οὕτως τὸ τῆς ἐξουσίας πλήρωμα συνίσταται, ὅτι τὰς ἑτέρας ἐκκλησίας καὶ τὰς πατριαρχικὰς ἐξαιρέτως, ἐν διαφόροις προνομίαις αὕτη ἡ τῆς Ῥώμης ἐκκλησία τετίμηκε τοῦ ἰδίου πλὴν πρεσβείου, τὸ μὲν ἐν ταῖς γενικαῖς συνόδοις, τὸ δὲ ἐν τισὶν ἄλλοις ἀεὶ σωζομένου. Τὴν ἀνωτέρω γραφεῖσαν τῆς πίστεως ἀλήθειαν, καθὼς πληρέστατα ἀνέγνωσται καὶ πιστῶς ἐκτέθειται, ἀληθῆ, ἁγίαν, καθολικὴν καὶ ὀρθόδοξον πίστιν ταύτην εἶναι γινώσκομεν, καὶ ἀποδεχόμεθα καὶ καρδίᾳ καὶ στόματι ὁμολογοῦμεν· ὅτι ταύτην ἀληθῶς κρατεῖ, καὶ πιστῶς διδάσκει καὶ κηρύττει ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης ἐκκλησία· καὶ ἀδιαφθόρως φυλάξαι τὴν τοιαύτην ὁμολογίαν, καὶ ἐν αὐτῇ παντὶ καιρῷ διαμεῖναι, καὶ οὐδέ τινι ποτὲ καιρῷ ἀπ' αὐτῆς ἀναχωρῆσαί τινι τρόπῳ, ἢ παρεκδῦσαι, ἢ διχονοῆσαι ὑπισχνούμεθα· τό τε πρωτεῖον τῆς τοιαύτης ἁγίας ἐκκλησίας τῆς Ῥώμης καθὼς ἐν τῷ προρρηθέντι ἁρμῷ περιέχεται, πρὸς τὴν τῆς τοιαύτης ἐκκλησίας ὑπακοὴν αὐτοπροαιρέτως ἐρχόμενοι ὁμολογοῦμεν καὶ ἀναγνωρίζομεν καὶ ἀποδεχόμεθα καὶ ἑκουσίως ὑποδεχόμεθα· ὁμολογοῦντες δὲ ταῦτα καὶ στέργοντες καὶ ἀποδεχόμενοι καὶ ὑπισχνούμενοι παραφυλάξαι ὡς προείρηται, ἀξιοῦμέν σου τὴν μεγαλειότητα, ἵνα ἡ ἡμετέρα ἐκκλησία λέγῃ τὸ ἅγιον σύμβολον ὡς ἔλεγε τοῦτο πρὸ τοῦ σχίσματος καὶ μέχρι τῆς σήμερον· καὶ ἵνα ἐμμένωμεν καὶ τοῖς ἡμετέροις ἐθίμοις οἷς ἐχρώμεθα καὶ πρὸ τοῦ σχίσματος, ἅ τινα ἔθιμα οὐκ εἰσὶ κατὰ τῆς προγεγραμμένης πίστεως, οὔτε κατὰ τῶν θείων ἐντολῶν κατὰ τῆς παλαιᾶς καὶ νέας διαθήκης, οὔτε κατὰ τῆς διδαχῆς τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἀποδεχθέντων παρὰ τῶν ἁγίων συνόδων τῶν συγκροτηθεισῶν τῇ πνευματικῇ δεσποτείᾳ τῆς ἐκκλησίας τῆς Ῥώμης· τοῦτο οὖν ἀβαρές ἐστι τῇ μεγάλῃ ἁγιωσύνῃ σου καὶ οὐκ ἀσυνήθες· καὶ ἡμῖν νῦν δύσκολον διὰ τὸ τοῦ λαοῦ ἄπειρον πλῆθος· ἀνεθέμεθα πρὸς τούτοις καὶ τοῖς παροῦσιν ἡμετέροις ἀποκρισιαρίοις, ἵνα τὰ δηλωθέντα διὰ τῆς παρούσης ἡμετέρας γραφῆς ὁμολογήσωσι καὶ στέρξωσι δικαίῳ τῆς βασιλείας ἡμῶν ἐνώπιον τῆς σῆς μεγάλης ἁγιωσύνης. Τὸ οὖν παρὸν γράμμα τῆς ἡμετέρας ἀναγνωρίσεως, ἀποδοχῆς καὶ ὑποδοχῆς καὶ ὁμολογίας οἰκειοχείρως τῇ ἡμετέρᾳ Θεοῦ χάριτι βασιλικῇ ὑπογραφῇ ἐσημειωσάμεθα, καὶ τὸ σφράγισμα τοῦ ἡμετέρου κράτους κάτωθεν ἀπῃωρήσαμεν.

Μιχαὴλ ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ πιστὸς βασιλεὺς, καὶ αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων Δούκας,
Ἄγγελος, Κομνηνὸς ὁ Παλαιολόγος.

IV. Præ-

lum recipi, Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Eadem ſacroſancta Eccleſia Romana firmiter credit & firmiter aſſeverat, quod nihilominus in die judicii, omnes homines ante Tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, redditurі de propriis factis rationem. Tenet etiam & docet eadem ſancta Romana Eccleſia, ſeptem eſſe Eccleſiaſtica ſacramenta, unum ſcilicet Baptiſma, de quo dictum eſt ſupra: aliud eſt ſacramentum Confirmationis, quod per manuum impoſitionem Epiſcopi conferunt, chriſmando renatos; aliud eſt Pœnitentia, aliud Euchariſtia, aliud ſacramentum Ordinis, aliud eſt Matrimonium, aliud Extrema unctio, quæ ſecundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Romana Eccleſia tenens, & docens, quod in ipſo Sacramento panis vere tranſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti. De Matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores ſimul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio, per mortem conjugum alterius, ſecundas & tertias deinde nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum aliud ex cauſa alia non obſiſtat. Ipſa quoque ſancta Romana Eccleſia ſummum & plenum Primatum & Principatum ſuper univerſam Eccleſiam Catholicam obtinet; quem ſe ab ipſo Domino in beato Petro Apoſtolorum Principe ſive vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & communiter recognoſcit. Et ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent judicio definiri. Ad quam poteſt gravatus quilibet ſuper negotiis ad Eccleſiaſticum forum pertinentibus appellare; & in omnibus cauſis ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus ad ipſius poteſt judicium recurri, & eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubjectæ: ipſarum Prælati obedientiam & reverentiam ſibi dant. Ad hanc autem ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod Eccleſias ceteras ad ſollicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchales præcipue, diverſis privilegiis eadem Romana Eccleſia honoravit, ſua tamen obſervata prærogativa, tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis ſemper ſalva. Supraſcripta fidei veritate (prout plene lecta eſt & fideliter expoſita) veram, ſanctam, Catholicam, & orthodoxam fidem cognoſcimus, & acceptamus, & ore ac corde confitemur, quod vere tenet, & fideliter docet, & prædicat ſancta Romana Eccleſia: inviolabiliter obſervare eamdem profeſſionem, & in ea omni tempore perſeverare, nec ullo umquam tempore ab ipſa diſcedere quoquomodo, aut deviare, vel diſcordare promittimus. Primatum quoque ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius ſanctæ Eccleſiæ obedientiam ſpontaneam venientes, confitemur & recognoſcimus, acceptamus & ſponte ſuſcipimus. Confitentes vero hæc & approbantes, & acceptantes, & promittentes obſervare, ut ſuperius dictum eſt, rogamus Magnitudinem veſtram, ut Eccleſia noſtra dicat ſanctum ſymbolum, prout dicebat hoc ante ſchiſma uſque in hodiernum diem, & quod permaneamus in ritibus noſtris, quibus utebamur ante ſchiſma, qui ſcilicet ritus non ſunt contra ſupradictam fidem, nec contra divina præcepta, nec contra vetus, & novum Teſtamentum, nec contra doctrinam ſanctorum generalium Conciliorum, & ſanctorum Patrum receptorum per ſancta Concilia, quæ celebrata ſunt a ſpirituali dominatione Eccleſiæ Romanæ. Hoc igitur non grave eſt veſtræ Sanctitati, nec inuſitatum, & nobis nunc difficile propter infinitam multitudinem populi. Commiſimus autem ſuper his præſentibus Imperii noſtri Nunciis, ut dicta per præſentes litteras noſtras confiteantur & affirment vice Imperii noſtri coram magna Sanctitate veſtra. Præſens igitur ſcriptum de noſtra recognitione, ſuſceptione, acceptatione, & profeſſione, & confeſſione, propria manu noſtra Dei gratia Imperiali ſubſcriptione ſignavimus, & ſigillum noſtræ potentiæ inferius appendi fecimus. Dat. Conſtantinop. in ſacro Palatio Blachernarum menſe Aprili, Indict. v. ſexto milleno ſeptimo centeno, octuageſimo quinto anno.

Cum profeſſione fidei Latinorum petunt ut liceat ſuo ſymbolo, & ritibus uti.

Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus.

Subſcript. Imper.

IV. Præ-

IV. Præter has Imperatorias alias etiam præſentarunt miſſas a Prælatis, inter quos viginti ſex Metropolitæ, in litteris expreſſi, fidei Romanæ Eccleſiæ, & unioni cum eadem fiendæ ſubſcripſerunt: licet non potuerit induci Joſephus Patriarcha Græcorum, ut cum illis conſentiret, uti ipſi in ſequentibus litteris teſtificantur. Unde admiror Ciaconum & alios aſſerere, eumdem ad Concilium perveniſſe. Litteræ autem Prælatorum hujus ſunt tenoris, obſcuræ ſatis multis in locis, ſed eodem modo habentur in actis Concilii Lugdunenſis, & apud Matthæum Weſtmonaſter. ſub hoc anno.

Sanctiſſimo, Reverendiſsimo, & beatiſsimo Papæ, antiquo Romanorum Domino, GREGORIO, Magno Pontifici excellentiſsimæ Apoſtolicæ Sedis, & Venerabiliſsimo Domino, & Patri noſtræ humanitatis.

*NOs qui Eccleſiaſticam complemus ordinationem, Veſtræ Romanæ Sanctiſsimæ Eccleſiæ ſalutem, ſpiritualis ſubjectionis affectionem ubique: Metropolita Epheſius præhonoratus Exarchus totius Aſiæ, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta Synodo. Metropolitan. Heracliæ in Thracia & præſul honoratorum, cum ea quæ circa me eſt, ſancta Synodo. Metropolita Chalcedonis ſuperhonoratus, cum ea quæ circa me eſt, ſancta Synodo. Metropolita Tyanorum, cum ea quæ circa me eſt, ſancta Synodo. Epiſcopus Metropolitanus Iconii, cum iis, qui circa me ſunt, Epiſcopis. Metropolitan. Noupacti ſuperhonoratus, cum ea quæ circa me eſt, ſancta Synodo. Metropol. Heracleæ Ponti ſuperhonoratus, cum iis, qui circa me ſunt, Epiſcopis. Metropol. Iconii, cum iis, qui circa me ſunt, Epiſcopis. Metropolit. Karias, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta Synodo. Metropolitanus Berrææ ſuperhonoratus, cum ea, quæ circa me eſt ſancta Synodo. Metropolitanus Athenarum, & locum Philippolitæ ſuppiens, cum iis, qui circa me ſunt, Epiſcopis. Metropolitanus ſuperhonoratus, & Exarchus inſularum Cycladum, cum his, qui circa me ſunt Epiſcopis. Metropolitanus Philippenſium, cum iis qui circa me ſunt Epiſcopis. Metropolitanus * Sinnicæ, cum iis, qui circa me ſunt Epiſcopis. Metropolitanus Serrorum, cum iis & ceteris. Metropolitanus Amaſtridæ, Metropolitanus * Alaniæ, Metropolitanus Pruſæ, Metropolitanus Maditorum, Metropolitan. Abyd. Metropolit. Chriſtianopoleos, Metropolitanus Silybriæ, Metropolitanus Meſembriæ, Metropolitanus Apri. Metropolit. Acinii, Metropolitanus Parii, Metropolitanus Didimotichi, Metropolitanus Anaſtaſiopoleos, Archiepiſcopus Bizyæ, Archiepiſcopus Cypſellorum, Archiepiſcopus Gatilleris, Archiepiſcopus Dercæ, Archiepiſcopus Præconeſii, Archiepiſcopus Lopodii, Archiepiſcopus Pergami, Archiepiſcopus Melani, Archiepiſcopus Beriæ: Adhuc autem cum nobis Pontificibus, & magna Synodo, & Archidiaconus honoratiſsimus Severſibilis cum totali venerabili clero; cum iis autem & qui clerum complent ſanctiſsimæ Eccleſiæ magnæ Dei, videlicet magnus Œconomus, Protecdicus, Logotheta, Caſtriſius, Referendarius, qui ſuper judicia, qui ſuper ſecreta, qui ſuper ſacrum & dona Apoſtolica, qui primicerius Patriarcharum Notariorum, qui princeps Eccleſiarum, qui ſuper petitiones, qui rememoratorii, qui Oſtiarii, qui Patriarchales Notarii, qui protopapæ, cum toto presbyterio Archidiaconatus Eccleſiaſtici, & qui domeſtici, cum omnibus pſalmiſtis & lectoribus. Non ſolum nunc, ſed prius beatiſsimæ, & ſanctiſsimæ veſtræ Eccleſiæ magnam faciebamus diviſionem integritatis, & Eccleſiarum Chriſti tota-*

* *Smyrnæ.*

* *Apamiæ.*

totaliter unitatem dilacerabamus. Quomodo, qui unius paſtoris ſumus, non in unum, & inter unum aggregamur ovile, nec unum replemus mandatum Chriſti, ſed ea, quæ ſunt diſcordiæ magis eligimus, & bono pacis amiſſo, invenire non quærimus illud, quod ex bono zela nobis declarabatur? Nullus autem erat, qui conjungeret omnes in unum, & ſufflaret quaſi ad unum flamen ſingulorum concordiam: quam autem ſecundum Chriſti deſiderium a Deo coronandus ſanctus noſter Imperator totus ad ſeipſum, intellectum attendens, ut oportebat, nunc in hac parte Dei gratia præhonorabilibus aliquibus deputavit. Prius ipſe in ſeipſo laborabat, quo utique modo non declinaret nec ad remiſſionem: donec ſciſſuram Eccleſiæ ad unam interim compaginaret unitatem: deinde non deficiebat communicando nobis, quod in voluntate habebat ſemper, & oſtendendo qualiter habet ſuum propoſitum animæ. Ut autem ad ipſum Venerabiles Nuntii veſtræ Sanctitatis Apoſtolicas litteras & porrexerunt, & præſentarunt, quam Veſtra Beatitudo deſiderantium accelerat conjunctionem, totus exurgit promptus, & prætermittit quod alienum eſſet, & quaſi in ſecunda conſideratione omnia negotia ſua reputat, præponens ea, quæ mandatorum veſtrorum ſunt, & ſuarum ſollicitudinum & diſpoſitionum. Convocat igitur ad ſeipſum noſtrum univerſum Pontificale Collegium, & poſtmodum alios quotquot maxime ſpiritualitati adhærent, & circa ſtudium Eccleſiaſticum exercitium habent unum, & quantus eorum quidem nocturnas & diurnus ejus labor in medio eſt. Qui inſtat, quaſi totaliter pervigil; qui etiam & ſtudioſe exercuit, & quaſi ſemper in ſuſcepto opere fuit, donec ad unam & eamdem multorum attraheret ſententiam, longiore quidem & indigno ſermone agitatam, ſi totum proceſſum Veſtræ Magnitudini præſentaremus. Quidam tamen noſtrum ſtatim convenerunt, & quæ pacis fuerant, amplexati ſunt: quidam vero magis obſtinatiores apparuerunt, temporis antiquitatem revolventes in mentem, & opponentes alii, quaſi de neceſſitate hoc imponeretur eis. Sed a Deo coronati Imperatoris diligentia vicit in finem, & habet omnes jam concordes ad unicam hanc unionem, per quam Apoſtolicæ Sedi antiquæ Romæ, ab antiquiſſimis attributos primatus attribuere aſſentimus. Hoc ſcilicet Dei gratia cooperata eſt, ut habeat ex nobis Apoſtolica Magnitudo Veſtræ Sanctitatis ſententiam agnoſcere, qualiterque magnifico Imperatori noſtro ſimul communicaverimus in ſententia: & quæ quidem attenderit & vult libenter, & nos acceptamus: breviter præſentem epiſtolam annotamus, & ad conſpicuam excellentiam Veſtræ Magnitudinis tranſmittimus. Scitote, quod nos volumus quod Pontificalis Sedis tota plenitudo, cum toto venerabili clero, & omnibus officiariis, ſacerdotibus, diaconis, & lectoribus ſanctiſſimæ Eccleſiæ Dei convenit in unum, ut attribuat prompte Veſtræ Sanctitati, & Apoſtolicæ Sedi, quod ad honorem pertinet, nec alium primum, & ſummum Pontificem Eccleſiarum omnium nominaturi. Sed antiquam internuntiorum confeſſionem agnovimus, quam & patres noſtri ſemper attenderunt toto præterito tempore, uſque ad tempus hoc. Unde noſtrum Patriarcham, & ſubſequenter omnes alios (quotquot convenerunt) ut in unum hæreant, & ſedis ponerent concordiam, obſecramus. Ipſe vero cum magna inſtantia, tenet quod agnoſci debet primus; & poſtea, ut indicat non decidet ab iſta voluntate: nec adhuc a prima ſententia, quam tenet, cum aliqua intentione mutatus eſt. Unde & pluries nos Prælati correximus ipſum, ipſe nequidquam ad præſens acquievit. Nos autem, & nobiſcum potentiſſimus Imperator, injunximus illi a Patriarchali ſede recedenti, omnia in una forma ſollicitudinis manere, quæ ſunt Conſtantinopoli Monaſteriorum, donec Nuntii ad Veſtram Sanctitatem accedant,

Jo. 11. 14. Ibid. 13. 35.

Patriarcha Græcorum noluit cōſentire in unionem.

dant, & audiant ſermonem veſtrum, etſi Magnitudo Veſtra ita recipiat, deleget certos delegatos cum noſtris reverſis legatis. Et nos hunc finem obtinentes communiter, & interim convenientes, attrahemus Patriarcham noſtrum, & ſi recedere ipſum ab intentione contingat, nobiſque inclinaverit, & nos reddet benevolos eſſe, quod præteritis temporibus throno Apoſtolicæ Sedis inſuper excellens honor attributus eſt: ſic habebimus ipſum Pontificem etiam ſpiritualiter, ſicut prius præſidentem. Si vero immutabiliter ſe habeat in ſententia, tunc dependebit omnis neceſſitas, & ipſum dejicere, & Patriarchali principatu privare. Nos autem conſtituemus, & promovebimus alium, qui utique conſentiat nobiſcum ejuſdem voluntatis eſſe, & reddet convenientem Primatum ſummitati Sanctitatis Veſtræ. Hoc igitur proponimus (a Deo honorate Domine) nos, quos Patriarchalis Conſtantinopolitanæ Sedis ſublimes Pontifices cum omnibus, qui circa nos, venerabilibus clericis per hoc ſcriptum noſtrum vobis conjungi habemus; qualiter ſi ſolum Veſtra Magnitudo ea quæ legationis ſunt admittat, non eſt quod tempus teratur: & nos inclinamus prompte, & magnæ Veſtræ Altitudini ſubmittimus, & valde gratanter ea, quæ ſunt ſpiritualis ſubjectionis totius, aſſerimus, & nihil eorum denegamus, quæ ante ſchiſma præſtabant Patres noſtri his, qui Apoſtolicam regebant ſedem, ſed ſtatim & nos attribuimus. Alia quidem ſignificabunt Nuncii, & glorioſæ Veſtræ Sanctitati notificabunt. Finaliter ſicut in ſpiritualibus potentiſſimus noſter Imperator, & nos Pontificum Collegium Epiſcopis commiſimus: ſicut ceteri ſpiritualiter ab Imperiali magnificentia mandatum acceperunt, de quibus quicumque ad ſecularis principatus pertinent gubernationem, Veſtræ Sanctitati referabunt a Deo coronato noſtro Imperatore. Confidimus autem quod pacis auctor Deus unitatem paterna victus clementia adaperiet, noſque & Magiſtratus gratanter ſuſcipiet inclinatos, & veſtram familiaritatem invocantes & paternitatem &c.

V. Expletis his primis officiis ſuæ legationis, deducti ſunt ad hoſpitia honorifice præparata. Deinde lectis litteris, & initis aliquando colloquiis, propoſita eſt eis norma fidei Romanæ, quam profiteri deberent nomine eorum, a quibus mittebantur; quam illi libenter admiſerunt, & ſe publice profeſſuros ſpoponderunt. Quare ejuſdem menſis die XXVIII. in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli Pontifex ſolemne ſacrum fecit in prædicta majori Eccleſia, circumſtantibus omnibus Cardinalibus & Prælatis, qui ad Concilium fuerant evocati. Lecta eſt epiſtola Latino & Græco idiomate, cantavitque Evangelium Latinum Cardinalis Ottobonus de Fliſco, & Græcum Diaconus ex Græcis eodem habitu, quo hæc myſteria illius nationis viri ſolent peragere. Deinde Cardinalis Bonaventura de concordia ineunda, & puritate fidei Romanæ egregium habuit ex noſtro ſermonem. Ut hic dixit ſtatim cantatum eſt Symbolum fidei Conſtantinopolitanum, incipientibus, *Credo in unum Deum*, Dominis Cardinalibus & Epiſcopis, qui veluti Cantores & Primicerii præibant in cantu, proſequentibus Canonicis ejuſdem Eccleſiæ. Deinde immediatè prædictus Germanus olim Patriarcha, cum ceteris Græcis, & Archiepiſcopis Calabriæ Græcum ritum ſequentibus, nec non frater V. de Morbecca Ordinis Prædicatorum, & frater Joannes de Conſtantinopoli Ordinis Minorum, Domini Papæ Pœnitentiarii, qui linguam Græcam callebant, cantaverunt ſolemniter, & alta voce prædictum Symbolum: dum vero perventum eſt ad articulum de proceſſione Spiritus ſancti,

Cantatur unanimiter a Latinis & Græcis Symbolum fidei.

cti, ſolemniter & devote illum expreſſerunt lento & gravi cantu dicentes, *qui a Patre Filioque procedit*. Terminato Symbolo, idem Patriarcha, Archiepiſcopi, & Logotheta cum aliis cantaverunt Laudes ſolemnes in lingua Græca Domino Papæ: mox Pontifex, circumdantibus altare Græcis, miſſam proſequutus eſt.

VI. Die iv. Julii venientibus Legatis Tartarorum, per fratrem Hieronymum Aſculanum, & ceteros ſocios Minoritas ad Concilium & fœdera Eccleſiæ conductis, obviam proceſſit familia Cardinalium, & Prælatorum, eoſque deduxit ad aulam pontificiam, ubi Pontifex cum omnibus Cardinalibus, & Prælatis agebat de rebus Concilii, receptoſque cum honore & magnificentia remiſit ad hoſpitia. Indixit deinde quartam ſeſſionem ad diem veneris proxime ſequentem, Julii ſextam, & octavam Apoſtolorum Petri & Pauli, in qua ſedente Pontifice cum Diacono Cardinali, & immediate poſt Cardinales a latere dextro Nuntiia Græcorum, cantatum fuit per Dominum Hubertum Cardinalem ſancti Euſtachii Evangelium illius diei, videlicet: *Juſſit Dominus diſcipulis ſuis aſcendere in naviculam*, & prædicatum per fratrem Petrum Oſtienſem, qui domino Papæ tunc pro Presbitero ſerviebat ſub illo themate: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, turbati ſunt omnes inſipientes corde*: cujus expleto ſermone, Pontifex alium habuit ad Patres Concilii circa cauſas, propter quas coactum eſt, maximeque commendavit Imperatoris fidem, & ſollicitudinem in mittendis legatis contra multorum expectationem. Deinde recta ſerie retulit, quæ cum illo per Nuncios egerit, & ſcripſerit, ut ſi ad unionem & fidem Romanæ Eccleſiæ ſponte accedere nollet, ſignificaret quæ fieri cuperet; illum autem ab omni petitione & tractatu rerum temporalium abſtinuiſſe, ſolumque de amplectenda vera fide, & præſtanda Eccleſiæ Romanæ obedientia egiſſe; quod facturum plurimi palam diffidebant. Jam vero rem ad facilem exitum perveniſſe, & Nuncios præſto eſſe ad profitendum ejuſdem, & filii nominibus, quidquid doctrinæ habetur Catholicæ, & ad recognoſcendum Eccleſiæ Romanæ Primatum, ut ipſe Imperator ſuis litteris ſignificabat. Demum, Imperatorium, Andronici item Imperatoris, & Prælatorum diplomata tria ſignata bullis aureis, & Latinitate donata publice fecit coram omnibus legi. Quibus lectis, magnus Logotheta dixit, ſe in mandatis accepiſſe ab Imperatore jurare in animum ipſius, & profiteri fidem Catholicam Eccleſiæ Romanæ; Quare ſtatim profeſſus eſt eam, quæ lecta fuerat in Concilio, & habetur *c. de ſumma Trinit. & fide Cathol. in 6.* dixitque, eam velle credere, & tenere Imperatorem ejuſque ſubditos, atque perpetuo ſervaturos, neque ullo unquam tempore ab ea receſſuros. Dehinc Sacramentum addidit in hunc modum, quem ceteri in juramento ſervaverunt.

VII. *Ego N. Nuntius habens ab eiſdem ſufficientem facultatem ad infraſcripta mandata, ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plane lecta eſt, & fideliter expoſita a me Dei Domini noſtri nomine veram ſanctam Catholicam fidem eſſe cognoſco, eam accepto, & corde, & ore confiteor; ipſamque prout tenet, & fideliter docet, & prædicat ſancta Romana Eccleſia, inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, vel quoquomodo deviaturum, nec diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens fateor, recognoſco, & accepto, & ſponte ſuſcipio. Et ipſe omnia præmiſſa, tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem Eccleſiæ Romanæ Primatum, & Epiſcoporum recogni-*

Adveniunt Legati Tartarorum.

Quarta ſeſſio.

Matth. 14. 22.

Pſal. 75. 6.

Græci publice profitentur fidem S. R. E.

Sacramentum Græcorum.

cognitionem, acceptionem, ſuſceptionem, obſervantiam, ac perſeverantiam ſervaturum (præſtito corporaliter juramento) promitto & confirmo: ſic Deus ipſum adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.

Gratias agunt Deo Patres Concilii ob factam unionem.

VIII. His peractis, Sanctiſſimus Pontifex alta voce incepit, *Te Deum laudamus*, proſequentibus hymnum magna devotione, multis lacrymis, & ſolemni cantu Cardinalibus, & Patribus univerſis Concilii, Pontifice toto tempore dum canebatur in pedes erecto ſine mitra: quo completo ex capellanis unus dixit verſiculum: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*, cui reſponſum eſt ab omnibus: *A templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem*. Subjunxit Pontifex: *Dominus vobiſcum*; & Orationem; *Da Eccleſiæ tuæ quæſumus omnipotens Deus, ut ſancto Spiritu congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur*. Finita oratione, ſedens in faldiſtorio ſuo, alloquutus eſt breviter ſacroſanctum cœtum ſuper immenſo gaudio animo concepto, & egregio hoc opere, quod Deus mirabiliter complevit, propoſito themate illo, quod in Concilii limine ſuſcepit: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*. Poſt ſermonem Patriarcha*, & Archiepiſcopus Græcorum deſcenderunt in navim Eccleſiæ, & ſederunt in ſedibus altis, in loco in quo ſedebant Presbyteri Cardinales poſt eos: & tunc Dominus Papa reverenter incepit idiomate Latino, *Credo in unum Deum*, quod ſine mitra ſtans proſequutus eſt cum univerſis Concilii Patribus uſque ad finem. Mox Patriarcha Græcorum ſimiliter inchoavit lingua Græca idem Symbolum, quod per eum, Archiepiſcopum Nicoſienſem, & alios Græcos, qui cum eo venerant, nec non per alios Archiepiſcopos, & Abbates Græcos de Regno Siciliæ ſolemni cantu ad finem uſque deductum eſt: repetita tamen bis proceſſione Spiritus ſancti *a Patre Filioque*. Hoc ſolemni, & omnium maxime ſacro ritu cum ingenti omnium gaudio completo, ſignificavit Pontifex, quatenus Rex Tartarorum miſerat Nuntios ſuos (qui ex adverſo coram Pontifice ſtabant ad pedes Patriarcharum) de rebus graviſſimis acturos, juſſitque Regias litteras legi per quemdam capellanum. His lectis, iterum Concilii Patres alloquutus eſt Pontifex, indixitque ſeſſionem quintam ad diem Lunæ proxime ſequentem.

Lucæ 22. 15.

* *Quis hic Patriarcha? cùm expreſſe habeatur in epiſtola Græcorum ſupra recitata, Patriarcham eorumdem noluiſſe conſentire unioni. Fortaſſis Germanus, olim eorumdem Patriarcha, qui renunciavit. Vide hoc anno num. 2. & Hieronymum Zuritam 1. p. lib. 3. c. 26.*

IX. Non potuit tamen haberi ſeſſio die, quo decreta eſt propter diſſenſionem inter Pontificem & Cardinales circa bullam, ſeu conſtitutionem, quam edidit, oſtenditque eiſdem circa electionem Romani Pontificis, qua voluit præpedire tot damna, quæ ſequebantur ad ſeram Pontificum creationem. Adductis tamen omnibus in ſuam ſententiam, ſubjectiſque eorum ſigillis die Lunæ XVI. ejuſdem menſis incepit ſeſſio quinta; die tamen præcedenti evocato ad gaudia æterna ſanctiſſimo viro Bonaventura Cardinali Albanenſi, anno ætatis ſuæ LII. ut largius & exactius mox dicemus. Porro illa die antequam Pontifex Eccleſiam ingrederetur, frater Petrus Oſtienſis Epiſcopus, præſentibus omnibus Prælatis, baptizavit unum ex Nuntiis Tartarorum, cum duobus ſociis, quibus Dominus Papa veſtes fieri fecit coccinas, ſeu quiſquiliatas, ſecundum morem tamen Latinorum. Cantavit Matthæus Rubeus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu Evangelium ſecundum Matthæum: *Videte, & vigilate, & orate, attendite vobis, & univerſo gregi*. Lectæ deinde ſunt variæ conſtitutiones, & Pontifex publice expreſſit ſuum dolorem, & Eccleſiæ damnum ex Bonaventuræ morte ſequutum. Die XVIII. ejuſdem menſis habita eſt ultima ſeſſio, & lecta ſunt alia ſalubria Eccleſiæ ſtatuta; deinde Dominus Papa pontificalibus indutus alloquutus eſt Patres Concilii circa ſub-

Quinta ſeſſio.

Moritur S. Bonaventura.

Baptizantur Legati Tartarorum.

Matth. 26. 41.

Sexta ſeſſio.

ſubſidium Terræ ſanctæ, & unionem Græcorum jam feliciter conſummatam; & acrius invectus eſt contra pravos quorumdam de Clero mores, graves ſuperaddens minas, niſi eos in meliores correxerint; omneſque hortatus eſt, ut in ſuis Eccleſiis reſideant. Atque de his multa ſe curaturum dixit, quæ in Concilio ob varia & moleſta negotia occurrentia non poterant tractari. Tamdem omnibus finitis, dixit ſanctiſſimus Pater orationem pro terminando Concilio, & ſolemni benedictione populum ſanctificavit: mox Cardinalis Ottobonus altiori & ſolenni voce dixit: *Procedamus in pace*; & ſic diſſolutum eſt Concilium.

X. Plurimæ res graviſſimæ pertractatæ ſunt in hoc Concilio: confirmatum jus Imperii Orientis Palæologo, quantumvis reluctarentur Balduinus pater, Philippus filius Imperatores Conſtantinopolis dicti, & Carolus Rex Siciliæ, qui omnem adhibebat opem, ut ſocerum in Imperii ſedem, ex qua diximus a Palæologo ejectum, reſtitueret. Proclamatus etiam Occidentis Imperator Rodulphus, repugnante item per ſuos Nuntios, mox per ſeipſum Alphonſo Rege Caſtellæ. Stabilitis enim utriuſque Imperii Rectoribus, certiorem & potentiorem ſibi promittebat opem pro ſuccurrendis rebus Hieroſolymitanis. Adfuit eidem Concilio Jacobus Rex Aragonum pro ſuſcipiendo de manu Pontificis regni diademate, neque obtinuit, dum pendere noluit vectigal a Petro ipſius patre promiſſum, quo tempore coronam Romæ ſuſceperat: indignum judicans regnum virtute majorum partum, cuique Principi eſſe vectigale. Eidem ſe ſtitiſſe Concilio Michaelem Palæologum ſcribunt plures, Chronicon Hirſaugien. Flavius Blondus, Robertus Guaguinus, Joannes Nauclerus, Petrus Galeſinus, Severinus Binius, & plerique alii, qui etiam paſſim in picturis præſentem exponunt in Concilio Palæologum. Nequaquam vero ad ſanctam Synodum acceſſiſſe certo certius conſtat, tum ex hiſtoria & actis ipſius Concilii, tum ex miſſis ab eo Nuntiis & epiſtolis interlocutoriis, atque ex harum reſponſis, quæ dabimus inferius. Convenerunt ex univerſo Orbe Chriſtiano Epiſcopi quingenti, Abbates ſexaginta, & alii Antiſtites ac ſacerdotes mille: viri item primarii laici innumeri.

Res graviſſimæ actæ in illo Concilio.

An. 1262. n. 17.

An adfuerit Concilio Palæologus.

Chro. Hirſau. hoc an.
Blond. dec. 2. lib. 8.
Guag. l. 7.
Naucle. ad hunc an.
Galeſ. c. 14.
Sever. Bin. in vita Gregor. X.
Hoc anno n. 26. & ſeq.

An Bonaventura fuerit præſes Concilii.

XI. Præſidem in Concilio egiſſe Bonaventuram expreſſe aſſerunt duo Pontifices Romani Sixtus IV. & V. ille in Bulla, in qua Sancto eidem decrevit honores; hic in Decretali, qua primis eum Doctoribus connumeravit; quibus accedunt Octavianus Sueſſanus in oratione habita coram Sixto IV. de eodem Sanctorum catalogo aſcribendo, Petrus Galeſinus in ejus vita, & plerique ex noſtris: qua id porro ratione verum ſit, ſcrupulus ſubeſſe poteſt, cum ipſe Pontifex Gregorius X. omnibus ferme ſeſſionibus interfuerit, & conſequenter præfuerit. Neque enim in præſentia Pontificis facile licet aſſerere, alium præſediſſe: atque hinc Renatus Chopinus non inepte Gregorium vocat *Concilii Lugdunenſis Præſidem*. In eo autem ſenſu Præſidem dici judicaverim, non quod primas egerit totius Concilii, aut in generalibus ſeſſionibus primus ſederit: ſed quod in peculiaribus ſeſſionibus, & privatis cætibus, quos per ſe celebraſſe quotidie Cardinales abſque Pontificis interventu habet hiſtoria eidem Concilio præfixa, quique etiam cogi ſolent in Conciliis tamquam præperatorii & diſpoſitivi ad ſeſſiones publicas, ne res indiſcuſſæ & immaturæ in univerſali omnium confeſſu magis proponantur ad ſtrepitum & lites, quam ad malorum remedium; placidum & unanime reportaturæ judicium; quo ſenſu dixiſſe judicaverim Petrum Galeſinum, Pon-

Sixt. IV. in bulla Superna cœleſtis.
Sixt. V. in bulla Triumphantis Jeruſalem.
Octavian. in oratio.
Galeſin. in vita cap. 14.
Chopi. lib. 2. Monaſtica tit. 1. n. 29.
Galeſ. cit.

Digitized by Google

Maurit. orat. quæ habetur tom. 1. oper. S. Bonaventur.

Pontificem Gregorium maluiſſe Bonaventuram eum eſſe, cui potiſſimum Concilii dirigendi curam daret: & Mauritium Breſsium, oratione habita coram Sixto V. Bonaventuræ mandatum eſſe a Pontifice uti proſpiceret, ne quid Eccleſia detrimenti acciperet. Ad cavendos etenim tumultus, & exoticas turbulentorum retundendas propoſitiones, providentiæ, & curæ Pontificiæ eſt unum vel plures conſtituere, qui proponenda in Concilio prius examinent, ne unicuique ad libitum, vel ſecundum animi affectum liceat inania vel nociva proponere; qui materias cujuſcumque ſeſsionis diſponant & ſeligant, ne catervatim & confuſe omnia congerantur; qui conſtitutionibus edendis aſsiſtant, qui Pontifici præſidenti conſilio ſint & auxilio. Atque hoc ipſum intellexiſſe ſuſpicer Marianum noſtrum, cum dixit, Bonaventuram juſsit Pontifex principaliter Concilii negotia pertractare. Aſsiſtebant autem ei ex Pontificis præſcripto duo viri graviſſimi Oddo Rigaldi, vulgo Gallico *Rigault*, Archiepiſcopus Rothomagenſis, & Epiſcopus Tripolitanus (cui nomen Paulus) uti habet Metropolis Salisburgenſis, quæ refert eum miſſum legatum a Pontifice ad Imperatorem Rodulphum „ quem etiam filium fuiſſe Pauli „ ex Comitibus viri nobilis, & Proconſulis Romani inveni in vetuſto „ illius temporis monumento Archivi Vaticani. „ ex eodem Ordine Minorum aſſumpti, quorum auctoritatem in dirigendis rebus Concilii, & ſummam æſtimationem apud Pontificem invide & ægrius ferens quiſpiam, trita & inculta hæc carmina ſparſit.

Marian. cit.

Tres præſtantiſſimi Minoritæ graviores res Cócilii peragunt

Metrop. Salisbur. fol. 141.

Rothomagenſiacus Præſes, ac Tripolitanus,
Et Bonaventura tractant Papalia jura,
Ordinis immemores, qui tales ſpernit honores.

XII. Cum his magna quæque præſtitit Bonaventura, ita ut omnium, præſertim Græcorum animos ſibi conciliarit, & magnum nomen *Eutychii*, præclarum ſapientiæ, eruditioniſque elogium, publica eorumdem acclamatione obtinuerit. Itaque ut ſcribit Galeſinus, non modo ſuſtinuit, ſed jam ſuperare cœpit opinionem Gregorii Pontificis, qui illum cum ad Concilium accerſierat, tum delegerat, qui illius bene gerendi officium gereret, concioneque cunctos, præcipue Græcos, exuperaret. Jam vero præcellentem ejus doctrinam, ac Theologiam libris explicatam, quos ediderat, magnopere illa ætas admirabatur; & divinitus ſane factum eſt, ut in omni præclariſsima litterarum tractatione præſtans ejus ſcientia eluceſceret, atque eamdem non ſolum multis lucubrationibus antea perſpectam, ſed in Pariſienſis Academiæ luce jam ſpectatam ac probatam Synodus Œcumenica Lugdunenſis in diſputationibus, & congreſsibus cum Græcis admirabiliter intueretur. Nemini autem dubium eſſe poteſt, nec vero debet, quin is, ut eruditiſsimus erat, eruditionis egregiæ curricula confecerit in omni illa Lugdunenſi tractatione. Ejus porro Concilii acta publica, quæ deſiderantur, ſi his temporibus extarent: certe in iis quaſi obſignatis tabulis, omnino teſtificatas haberemus præſtantes virtutes, eximiamque ſapientiam illius: de quo conſtans ea ætate opinio fuit; Græcos ipſius potiſsimum virtute, exploſis erroribus, in unitatem fidei Catholicæ rediiſſe.

Galeſ. cit.

Quam probata ejus doctrina & prudentia.

Multum præſtitit in converſione Græcorum.

XIII. Erat enim virtutibus quibuſque decenter ornatus, humilis, clemens, ab ira alienus, morum conſuetudine ſuavis, ſermone jucundus, vultu angelicus, atque divinis ornamentis excultus: quibus ſibi eorum benevolentiam facile conciliavit. Quo factum eſt, ut cum diſputationum curſum ingreſſus eſt, eorum animis veſtigia impreſſa reliquerit

rit

rit veræ orthodoxæque illius doctrinæ, qua, ut ceteris virtutibus, eum excellere jam omnes in animum ſibi induxerant. Gratus igitur is cum eſſet cunctis facile Latinis & Græcis, animorum concordiam, & fidei unitatem perſuaſit: & Pontifici operam navavit permultis decretis conſcribendis, quæ in eo Concilio ſapienter atque utiliter edita, deinde in ſextum librum Decretalium ordine relata ſunt. Itaque celeberrima illa Synodus mirifice tamdem ſpectavit illius & facundiam in concione, & prudentiam in conſultatione decretorum, & ſcientiæ vim, ingeniique præſtantiam in reſutatione hæreticorum, neque enim in maximis illis occupationibus hoc agere prætermiſit, ut hæreticos Religionem Mendicantium, tum oppugnantes retunderet, & confringeret. Unde non abs re dixit Antoninus: ſapientia ſua in illo Concilio in defenſionem Religionum Mendicantium contra multos & magnos adverſarios a Deo datus fuit. Ei commiſſam longius protractam controverſiam Eremitarum ſancti Auguſtini circa formam habitus ſuſcipiendi, quam repetitæ Pontificum bullæ terminare non potuerunt, ut ſub ſuis annis, & in Apologetico noſtro ad finem ſecundi Tomi ſæpius monuimus, ſcribit Marianus, atque ipſos inter ſe diſcrepantes circa habitum exteriorem ad Concilium accurriſſe; Bonaventuram vero ex peculiari commiſſione Pontificia omnibus & ſingulis præſcripſiſſe formam toties a Pontificibus eiſdem propoſitam, & litteris Apoſtolicis commendatam. An aliis pro hac eadem re legationem, vel commiſſionem acceperit ab Alexandro IV. uti ſcribit Volaterranus, aliunde nobis non conſtat, neque in probatis noſtris monumentis, aut vetuſtis ſcriptoribus hujus legationis comperio veſtigium. Subſcripſerunt Volaterrano Philippus a Soſa, & Antonius Daza recentiores noſtri Sodalitii auctores; inde autem exortum putaverim errorem, quod ad Bonaventuræ inſtantiam Alexander Pontifex uno, atque altero diplomate certum & fixum ſtatuerit Eremitis habitum, ne Minoritis ſimiles in cuculla viderentur, quemadmodum ſuperius ſuo loco feciſſe monuimus.

Atque alia multa in illo Concilio.

Antonin. tit. 24. cap. 8.

Defendit religiones Mendicātium.

Ann. 1256. n. 18.

Facit ut Eremitæ Auguſtiniani cōveniant in habitu exteriori.

Volater. lib. 21. Antropolit. de Eremitis.

Philip. a Soſa in notis ad vitam S. Bonaven. not. 2.

Daza in princip. tom. 4. chronicorum.

XIV. His aliiſque rebus præclare, & feliciter geſtis in Eccleſiæ Dei obſequium, ſummo omnium dolore, & magno rei Chriſtianæ detrimento vitæ finem poſuit Bonaventura, in ipſo Concilio ante celebratam ſeſſionem quintam. Omnes ferme ſcriptores univerſale enarrant Eccleſiæ detrimentum, & omnium in Concilio congregatorum planctum tanti viri obitum ſequutum: ſed ultra omnes candide & ex fide breviter omnia narravit, qui hiſtoriam ipſius texuit Concilii. Rem porro ita narrat: *Eodem anno* (MCCLXXIV.) *& menſe Julio, die Dominico, decima quinta ejuſdem, hora matutinali obiit claræ memoriæ Frater Bonaventura Albanen. Epiſcopus, qui fuit homo eminentis ſcientiæ, & eloquentiæ, vir quidem ſanctitate præcipuus, vita, converſatione ac moribus excellentiſſimis decoratus, benignus, affabilis, pius & miſericors, virtutibus plenus, Deo & hominibus dilectus, qui ſepultus eſt in ipſo die Dominico in loco Fratrum Minorum Lugduni, cujus exequiis interfuit Dominus Papa cum omnibus Prælatis, qui erant in Concilio & tota Curia, & frater Petrus Oſtienſ. Epiſcopus celebravit Miſſam, & prædicavit propoſito themate, ſcilicet:* Doleo ſuper te frater mi Jonatha: *multæ lacrymæ, & gemitus ibi fuerunt; hanc ei gratiam conceſſerat Dominus, quod quicumque eum videbant, ipſius amore incontinenti capiebantur ex corde. Deinde die ſequenti in publica omnium ſeſſione Pontifex* (inquit auctor) *alloquutus eſt Concilium, dicens, quomodo Eccleſia Dei inæſtimabile damnum perpeſſa fuerat ex obitu fratris* Bo-

Ann. 1256. n. 17.

Quantus omniū dolor in morte Bonaventuræ.

2. Reg. 1. 26.

Bonaventuræ Albanen. Epiſcopi, & mandavit omnibus Prælatis, & omnibus Presbyteris per totum mundum, ut quilibet eorum unam Miſſam deberet cantare pro anima ipſius, & aliam pro animabus omnium aliorum, qui mortui ſunt adveniendo, ſtando, ſeu redeundo ad Concilia ſive ad Concilium.

Galeſ. cit.

Bonaventur. columna reipublic. Chriſtianæ.

Addit ad hæc Galeſinus: in ejus obitu fuit una communis pene omnium vox dicentium, vel potius lamentantium, rei Chriſtianæ publicæ columnam corruiſſe. Tanta vero populi celebritate funus elatum eſt, ut omnis Lugduni civitas ad illud celebrandum ſeſe cum lacrymis effuderit.

XV. Ut ſancti Viri obitum percepit beatus Franciſcus Fabrianenſis, amare flens & lugubre promens carmen, hanc Neniam ſcripſit, qua mentis ſuæ dolorem, Eccleſiæ, & Religionis jacturam, verſu leonino expreſſit.

Nenia Franc. Fabrian. in morte S. Bonaventuræ.

O lugubris Eccleſiæ planctus, & plaga dura;
Defunctus eſt fons gratiæ, frater Bonaventura.
Heu, quanta jactura ſuper tanto Doctore!
Jam ſuſpirat mærens deſolata Scriptura.
O quantus luctus hominum, Eccleſiæ lamentum!
Obiit forma cardinum, decor, & ornamentum.
O quantum nocumentum Eccleſiæ Romanæ!
Deplorat non inane mundus hoc detrimentum.
O mors expers clementiæ, naturæ frangens jura,
Momordiſti nunc impie mundi dira jactura.
O Minorum Religio! Sume planctum amarum:
Exundare profluvio perfuſa lacrymarum.
Suſpira, nam præclarum perdidiſti Doctorem,
Quem patrem & paſtorem habuiſti præclarum.
O paupertas huic viro deſponſata!
O ſummi Regis filia per hunc diu ſervata!
Nunc plora viduata verum tui poſſeſſorem,
Pro cujus amore conceſſit multa data.
O puritas clariſſima totius honeſtatis!
O caritas gratiſſima ſpiritibus beatis!
Hunc tuæ integritatis plange protectorem,
Et caſtum amatorem tuæ fœcunditatis.
O profunda humilitas in cælis coronata!
O cæleſtis ſublimitas de terris exaltata!
Hunc plange orbata, hunc luge mærore:
Qui mundanum florem contempſit te ſervata.
O ſplendor & ſpeculum ſanctæ Religionis!
O paſtoralis baculus tantæ profeſſionis!
Iter egreſſionis tuæ fiet greſſus virtutum,
Teque ductorem tutum habebit ſuæ actionis.
O zelator juſtitiæ, o paſtor pietatis!
O cultor pudicitiæ, protector paupertatis!
Tam ſexus quam ætatis, conditio quæcumque
Te ploret ubique Doctorem veritatis.
Eja nunc piiſſime Rex, omnium Creator,
Eccleſiæ ſanctiſſimæ o dulcis conſolator,
Nobis auxiliator ſit in regno cælorum,
Qui nobis forma morum fuit manens viator. Amen.

XVI. Hoc

XVI. Hoc tempore ſub hujus anni limine, frater Hugo de Dina, vir magnæ ernditionis & ſpiritu prophetico donatus, mortem hanc Bonaventuræ prædixit tranſiens per Urbem veterem, & ſcribens fratri Joanni Parmenſi Gretii commoranti. Etenim poſt multa, quæ angelico ſermone ſoli Joanni erant nota, in litteris ei explicata, ſubdidit: *Papa cito morietur. Paſſagium non fiet. Terra ultra mare Chriſtianorum amittetur. Acri deſtruetur. Ordo Templariorum annullabitur. Frater Bonaventura non aſcendet ad altiorem gradum. Ordo Minorum dividetur. Ordo Prædicatorum aſpirabit, & obtinebit prædia. Veniet Ordo Catenatorum, qui videbitur tantæ perfectionis, quod omnis præterita perfectio Prædicatorum & Minorum ejus obtentu videbitur vilis, & quaſi nihil.* Non ſum Oedipus, meam fateor inſcitiam circa hunc Ordinem Catenatorum, neque an jam ortus, vel adhuc oriendus ſit, neſcire.

Hugo de Dina mortem Bonavētur. & alia prædixit.

Urbs Ptolemaidis.

Catenatorũ Ordo.

Quo die & tempore S. Bonaven. obierit.

XVII. Annum, menſem, & diem mortis Bonaventuræ adnotavit teſtis ille oculatus, qui Concilii acta ſub compendio excepit: unde eſt cur admirer tantam reperiri circa tempus, annum, & diem mortis ſancti Viri adeo apud omnes celebris, & ante omnium oculos in Generali Concilio defuncti, inter ſcriptores controverſiam. Etenim non hoc anno, ſed alio poſteriori MCCLXXV. & III. Idus Julii Carolus Sigonius, Alphonſus Ciaconus, Alphonſus Villegas: eodem item anno, ſed pridie Idus Julii Ferdinandus Caſtillo, & Abrahamus Bzovius (ſui oblitus, dum verius anno ſuperiori num. 7. ex ipſa hiſtoria Concilii tunc mortuum retulit) dicunt obiiſſe. Alii cum hiſtoria Concilii concordant circa annum, non autem circa diem, Chronica, & Breviarium Minorum, Joannes Franciſcus de Pavinis, Octavianus de Martinis, Robertus de Licio, Silvanus Razzi & Franciſcus Maurolicus XIII. Julii, Petrus Ribadeneira, Martyrologium, & Breviarium Romanum die XIV. ajunt obiiſſe. Sed cum hiſtoria Concilii concordant Petrus Galeſinus, Petrus Rodulphus, & computum eccleſiaſticum: etenim juxta regulas ejuſdem incidebat, dies Dominica in ipſas Idus Julias, ſeu in quintum decimum menſis. Circa annum error planus eſt, cum conſtet, ipſo eodem quo Concilium Lugdunenſe celebratum eſt, antequam terminaretur, defunctum eſſe. Congregatam autem hoc anno Œcumenicam illam Synodum boni quique ſcribunt hiſtorici. Major cenſendus eſt error Angeli a Rocca dicentis floruiſſe anno Domini MCCLXXXIII. niſi fortaſſis ſit mendum Typographi. Diei autem varietatem inde exortam omnino judicaverim, quod Sixtus IV. in Bulla Canonizationis ſancti Viri feſtum coli juſſerit, & ipſe celebraverit Dominica ſecunda Julii, & teſte Petro Rodulpho ſcripſerit ad Capitulum Generale Brixianum de Canonizatione ejuſdem a ſe facta, & ſubjunxerit: *Dies autem ſolemnis eſt ſecunda Dominica Julii, quocumque die occurret.* Voluit enim Pontifex, ut ſicut in die Dominica obiit, ita in Dominica ejus feſtum celebraretur, atque inde ejus commemoratio eſſet magis celebris, & feſtiva. Incidente autem ſecunda Dominica menſis in varios dies, varie etiam circa obitus diem ſenſerunt auctores.

Sigon. in hiſtor. Ital.
Ciaco. in Greg. X.
Villeg. in vita S. Bonav.
Caſtillo 1. part. hiſt. Prædic. l. 3. c. 19.
Bzov. an. 1275. n. 9.
Chron. Minorum par. 2. lib. 2. c. 7.
Breviar. Minor. die 8. feſti.
Pavinus in relat. Canoniz. par. 1. a. 4. & 10.
Octavian. ſup. cit.
Licius in ſerm. de S. Bonavent.
Razzi de ſanctis Hetrur.
Maurol. in Martyrolog.
Ribadeneira in vita S. Bonaven.
Martyrol. Rom. 14. Julii.
Breviar. Roman. eodem die.
Galeſ. cit.
Rodul. fol. 94.
Rocca in Bibliot. Theolog.

XVIII. Mira prorſus benevolentia ac ſingularis illa Dei erga eumdem ſub mortem dignatio, quam vetuſtus & commendatus liber inſcriptus: *Vinea ſancti Franciſci*, memorat in ejus vita. *Subito*, inquit, *viribus deſtitutus, in tantum vomitu fatigabatur, ut nihil ſumptum tenere potuerit. Nihilominus ex Chriſtiano more valde deſiderabat confirmari ſacro Viatico: ſed tamen abſtinuit ſe, præ reverentia & periculi cauſa. Juſſit corpus Domini adferri, cujus præſentia ſaltem, cum ſumere vereretur,*

Vinea S. Franc. cap. 4.

Sacra hoſtia per latus Bonaventuræ intrat ad cor.

confirmatus, lætius conſtantiuſque excederet. Pixis, quod Ciborium vocant, in quo corpus Domini portabatur, lateri admoveri voluit, ſumendi deſiderium indicans. Sub pixide lateri appoſita, in formam roſæ rubentis latus aperitur; qua Chriſti corpus e pixide in ejus cordis intimum ſe immiſit, nullo poſt aperturæ relicto veſtigio. Magnum profecto & admirandum beneficium, ut ex aureo Ciborio Deus latera penetret Bonaventuræ, & in intimis cordis penetralibus ſibi ſedem conſtituat: quaſi puriorem illam indicare vellet animam quocumque pretioſo metallo; & decentius ſe repoſitum innueret in Bonaventuræ corde, quam in ditiſſimo quovis ſacrario. Sane quaſi delitias ſuas reputaret eſſe cum Bonaventura, ſeu potius intra Bonaventuram, alias ex ſacrificantis manibus elapſus eſt ad os Bonaventuræ ex nimia conſcientia per dies aliquot ab altari ſe retrahentis, pati non valens tot dies a Bonaventuræ amoribus elongari; neque ab ardentiſſimo corde longius abeſſe ſuſtinens, quodam amoris impetu modo per os, modo per latus ad deſideratiſſimam cordis ſedem feſtinus ingreditur, per apertam ſibi portam ferventer irrumpit. Chriſtus ille eſt, de quo dixit Pſalmiſta: *Tu autem in ſancto habitas, laus Iſrael*: quod ideo dictum ait Auguſtinus: *Quia caritatem, in qua habitet, requirit.* In Bonaventuræ itaque dum reſidet corde proprie in ſancto, proprie in ipſa caritate habitare dicitur: etenim *Doctor ardens* apud Trithemium audit, apud alios *Doctor Seraphicus, & Doctor ignitus*, caritatis flamma totus accenſus.

Vide Anton. tit. 24. c. 8. ante §. 1.

Pſal. 21. 4.
Auguſt. ep. 120. cap. 7.

Trithem. de ſcriptor.
Gerſon. epiſt. de doctr. S. Bonav. part. 1.

Bonaventura idẽ ingreditur per latus Chriſti.

XIX. Sed & viciſſim in hac amoris ſchola, amoris tela ejaculari didicit Bonaventura, & inter divinos æſtus potenter exarſit. Quantumvis enim intra ſe Chriſtum haberet, amoris vehementiæ minime ſatisfieri putabat, niſi eaſdem vices rependeret, & inauditum beneficium inaudito & ſimili modo compenſaret. Ipſum audi ſui amoris delicias, & ſecreta potentiſſimæ dilectionis arcana humiliter, & ex ſaucii animi paſſione referentem: *O amantiſſima vulnera Domini noſtri Jeſu Chriſti! Nam cum in ea quadam vice oculis ſubintrarem apertis, ipſi oculi ſanguine ſunt repleti, ſicque nihil aliud videns cœpi ingredi manu palpans, donec perveni ad intima viſcera caritatis ſuæ, quibus poſt undique circumplexus reverti nequivi. Ideoque ibi inhabito, & quibus veſcitur cibis veſcor, ac inebrior ſuo potu. Ibi tanta abundo dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. Et qui prius fuerat pro peccatoribus in utero virginali, tunc dignatur me ſervum ſuum intra viſcera ſua comportare.* Vere Seraphim ardens Bonaventura, qui licet Deum intra ſe habeat, ad Deum tamen volando feſtinat: & ſtans ad modum Seraphim prophetici Deum intra ſe continet, aliſque volat corporis & animæ, ſuperioris & inferioris portionis: neque tamen tanto igne quieſcit, quin cordis alis a Deo ad Deum volitet, & ingenti rapiatur deſiderio, donec ſe totum in Deum immergat. Ita capit & capitur; Deum continet, & in eodem viciſſim continetur.

Bonavent. Opuſc. de ſtimulo amoris cap. 1.

Iſai. 6. 2.

XX. Tanto animi nitori correſpondebat & corporis venuſtas, fuit enim præſtanti forma, ſtatura eminens, majeſtate corporis eximia, vultu decoro & gravi, ſermone placidus, converſatione benignus, corporis & animi dotibus excellens, valetudine raro pulſatus adverſa: indolis ſupra quam dici poſſit egregiæ: non alio aſpectu, quam e cœlo miſſi Angeli videbatur, ut ſuo tempore nullus eſſet eo pulchrior, ſanctior, nec doctior; tanta ſiquidem in vultu elegantia cum benignitate conjuncta erat, ut non ſolum amabilis cunctis, ſed etiam admirabilis redderetur, & qui eum ſemel intuerentur, quadam magna animi propenſione, ac ve-

Rodul. fol. 92.

Phyſiognomia Bonaventuræ.

veluti frugi, & ad Religionis ſplendorem progenitum, ſtudioſa obſervantia admirarentur & colerent. Communiter depingitur in habitu Cardinalitio ad ſtudia ſedens, & ſcribens tamquam Doctor Eccleſiæ, coram Chriſtum habens Crucifixum, propter datum Thomæ Aquinati reſponſum, ſcilicet ex illo unico & optimo libro erudita quæque & ſalutaria ſe hauſiſſe argumenta. Scripſerunt ejus vitam Petrus Galeſinus ſacri Palatii Advocatus Conſiſtorialis, Bartholomæus Piſanus, Marcus Ulyſſiponenſis, Petrus Rodulphus, Anonymus apud me MS. ſed compendioſius hic, ex fide tamen. „ Alexander Arioſtus breviter vitam per le-
„ ctiones diviſam, orante quodam fratre Bartholomæo, ſcripſit, quam
„ penes me habeo MS. Diverſa eſt ab illa, quæ legitur in ejus officio
„ per dies Octavæ diſtributa. „ Orationes duas de eo habuerunt Octavianus a Martinis Sveſſanus de illo canonizando, & Mauritius Breſſius de eodem inter Doctores Eccleſiæ annumerato. De utroque extant Sixti IV. & V. diplomata. In fine Tomi 7. operum ſancti Doctoris in Vaticana Typographia excuſorum habetur relatio prævia ad Canonizationem per Joannem Franciſcum de Pavinis. Sermones de eo ſcripſerunt Robertus a Licio, Pelbartus a Temeſwar, & plerique alii. Carmine Virum ſanctum celebrarunt Dantes Aligerius comœdia III. Laurentius Maſſorillus Fulginas in ſacrorum hymnorum opere, & Franciſcus Maurus Hiſpellas in libris Franciſciados, cujus illud de eo carmen, quamvis Henricus Willot dicat a Gerſone pro Epitaphio affixum.

Qualiter depingitur.

Qui de eo ſcripſerunt.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Ille hominum plauſu nequidquam excitus inani:
Sed cura majore actus, melioraque verſans
Pectore conſilia, inſani præconia vulgi
Deſpicit, & varios ultro averſatur honores.

XXI. Illud peculiare Bonaventuræ tribuit Thomas Bozius cum aliis, ut primus inſtituerit e laicis ſodalitates, qui ad opera pia convenirent, preceſque certas quotidie recitarent, ſuoſque præfectos haberent, perpetuo ſucceſſionis tenore deligendos. Initium vero inſtituti ſanctiſſimi Romæ factum in Sodalitate, ſive Archiconfraternitate Confalonis circiter annum prope MCCLXX. Hujus exemplo innumeræ in orbe chriſtiano formatæ Sodalitates, quarum inſtitutis nullum non opus pium perficiendum comprehenditur.

Bozius lib. 9. de ſign. Eccl. c. 5.

Bonaventur. primus ſodalitates laicorum inſtituit.

XXII. Inſignem hominis ſanctitatem multis miraculis teſtatam Deus voluit, quæ luculentis teſtimoniis commendata ſunt poſteritati. Referuntur plurima in Chronicis Minorum, alia commemorat Octavianus Sveſſanus, quæ Sixtus IV. recte atque ex ordine cognita habere voluit, antequam illum in Sanctorum numerum referret. Habent alia Balneoregienſes cives, quæ omnium ſermone teſtatiſſima comprobavit etiam ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritas. Vivens multa is miracula patravit, poſt mortem plura, ita ut ad ejus ſepulcrum, tamquam ad commune afflictorum refugium, accurreretur. Is porro peſtilentiæ morbo, & contagio Lugdunum liberavit, periculo difficiles partus divine explicuit: malorum ſpirituum eſtu & vexatione oppreſſos mirifice liberavit; puerum mortuum ad vitam revocavit. Nos præcipua ſuis locis, & cum de Canonizatione agemus, referemus.

Plura patravit miracula.

XXIII. Et vero ſilentio prætereundum non eſt auguſtiſſimum miraculum, maximeque inſigne ad ſempiternam teſtificationem ſanæ ſinceræque doctrinæ, quam & lingua docuit, & litteris conſignatam reliquit. Centeſimo & ſexageſimo enim poſt obitum anno, cum ejus corpus alio

Caput integrum uno atque altero ſeculo poſt mortem.

transferendum eſſet, nec labris, nec dentibus, nec lingua, nec capillis quidem exeſis, integrum caput, ac pene ſpirantis habitu repertum eſt. Quæ ſane res admiranda, ſi recte perpenditur, non ſine myſterii ſignificatione eſſe potuit. At illud certe interpretari licet, doctrinam, quæ ex illius capite manavit, linguaque olim effluxit, ab omni labe integram conſervatam in ea æſtimatione haberi, in qua demum & habetur, & eſt jam inde uſque ab eo tempore, quo ex hac vita ceſſit. Cor item ejus incinerato corpore incorruptum remanſiſſe ſcribunt Hertmannus Scheydel, Vincentii continuator, & Petrus Rodulphus, atque in pixide eburneæ repoſitum. Dixit profecto vates unus: *In corde juſti ſedet ſapientiæ eſt*, & alter, *Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi*: cor Bonaventuræ Chriſti in eo realiter reſidentis ſedes fuit; nihil mirum ſi in ſeculum ſeculi, ſeu uno atque altero ſeculo, & per plures ætates maneat incorruptum. Hoc ultimo ſeculo, anno ſexageſimo primo graſſantes hæretici Calviniani in Regno Franciæ, ejus corpus ex capſa argentea furioſe direptum projecerunt in profluentem Araris, qui mox in Rodanum influit, ſicuti & alia corpora Sanctorum Irenæi, aliorumque vel combuſſerunt vel diſperſerunt. Caput tamen D. Bonaventuræ ſervatum eſt opera pii Religioſi Minoritæ, quem & hæretici miris cruciatibus affecerunt, ut ejus Eccleſiæ theſauros, vaſa ſcilicet ſacra promeret, id quod conſtanter reticuit. Hiſce rebus ſe interfuiſſe Lugduni ſcribit Antonius Poſſevinus, quas celatas noluit, ut, inquit, & quoddam martyrii genus in Bonaventuræ corpore tanto poſt tempore fuiſſe intelligatur. Ante hoc ſacrilegium Franciſcus Sampſon Miniſter Generalis, ſancti Bonaventuræ cultor præcipuus, detulit in Italiam brachium ejus, quod hodie quoque conſpicitur in Cathedrali Eccleſia Balnei-regii duabus clavibus obſeratum, quarum una penes Guardianum, altera vero penes Deputatos urbis. A Carolo Francorum Rege excerpta eſt una ex maxillis. Venetiis haberi in veneratione mediocre os corporis ejus, teſtatur Michael Linder Teutonicus cælator, qui cum Rege reliquias extrahente aderat. Apud Fratres Balneoregienſes cuſtoditur exemplar unum Bibliorum Bonaventuræ manu ſcriptum: alterum ait Angelus a Rocca, ſervari in Bibliotheca Borrhomejana.

Cor item incorruptum.

Scheydel ſexta ætate mundi. Vincent. lib. 31. Rodulph. fol. 94. Prov. 14. 33. Pſ. 44. 7.

Hæretici projiciunt corpus in fluvium.

Poſſevin. in apparatu. verbo Bonaventura.

Variis locis ejus columnus reliquiæ.

Rocca citatus.

XXIV. Doctrinæ ſuæ poſt mortem multos habuit ſectatores; at præcones & laudatores longe plures. Mitto Stephanum Bruliferum, & alios noſtri Inſtituti viros: Gerſon de doctrina Seraphica librum edidit ſingularem, & alibi ſæpius eamdem commendat. De eadem egregie ſenſere Henricus Gandavenſis, Joannes Trithemius, ſanctus Antoninus, Sixtus Senenſis, & plures alii. Imo Trithemius aſſeveranter dixit, illum utilitate operum omnes ſuperare. Ob eamdem rem Eccleſiæ Romanæ monumentis optimo jure proditum eſt, in eo ſummam eſſe eruditionem. M. Anton. Sabellicus teſtatur ingenio & doctrinæ Bonaventuræ Clementem Pontificem tantum detuliſſe, quantum ingeniorum nulli. In Concilii autem Florentini Œcumenici (quo etiam Græci convenerant) actis apparet, non ſemel atque iterum, ſed tertio ejus doctrinam eſſe prolatam, atque adhibitam ad uſum rationemque difficillimarum quæſtionum. Protulit autem vir ſumma eruditione, Cardinalis Turrecremata: cui item Græci tribuerunt vel plurimum, ex auctoritatibus, quas a Bonaventuræ documentis acceperat: res demum, conſentientibus Latinis Græciſque Patribus, decreta eſt ad præſcriptum Seraphicæ illius doctrinæ. Demum Pius V. Pontifex ſempiterna gloria digniſſimus, ut tam præcellentis Docto-

Plures ejus extollunt doctrinam.

Thrith. cit.

Sabell. Ennade 9. l. 7.

Digitized by Google

ctoris egregiam doctrinam, negligentia quadam pene collabentem aliquo modo reſtitueret; in ſcholis Ordinis Franciſcani ad frequentiorem ſtudiorum uſum, interpretationumque conſuetudinem revocari juſſit, ac ſtatuit. Poſtremo Sixtus V. in Baſilica ſanctorum duodecim Apoſtolorum Romæ, unde tamquam e fonte, diſciplina doctrinaque in omnes Orbis provincias dimanat, collegium certo annuo cenſu erexit, atque inſtituit; in quo ejuſdem ſancti Bonaventuræ tantum expoſitionibus, Commentariis, lucubrationibuſque Theologiam dilucide explicari, ac divinas litteras doceri præcepit; nec his contentus, omnia ejus opera tamquam Eccleſiæ perquam neceſſaria, & utilia undique perquiri juſſit & excudi. Proinde non immerito præclara illa ſunt addita elogia in relatione prævia ad canonizationem: *Ipſius*, inquit auctor, *perlucida & ſalutaria documenta Almam Matrem Eccleſiam illuſtrarunt, decorarunt virtutibus, & moribus informarunt, & per ea is quaſi luminoſa lucerna ardenſque ſuper candelabrum in domo Domini poſita, errorum tenebras profugavit, & totius corpus Eccleſiæ irradiat tamquam ſydus matutinum. Ejus etiam fœcunda facundia cœleſtis rivi, gratia fluente, ſcripturarum ænigmata reſeravit, nodos ſolvit, obſcura dilucidavit, dubiaque declaravit. Profundis quoque ac decoris illius ſermonibus ampla ipſius Eccleſiæ fabrica, velut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia ſingulari glorioſius ſublimata coruſcat*. Acta canonizationis & alia quæ ſuperſunt de hoc ſancto Viro dicenda, ſuo tempore miniſtrabimus.

Pavin. in relat. par. 1. art. 2.

XXV. Præter Bonaventuram hunc, & Rothomagenſem Tripolitanum, & Accienſem ſuperius commemoratos Prælatos Minoritas, interfuiſſe dicitur celebri huic Concilio alius vir doctus & nobilis ex eodem Inſtituto Albertus Gonzaga Epiſcopus Eporediæ, vulgo *Jurea*, Galliæ Ciſalpinæ in Lombardia Tranſpadana urbis munitiſſimæ, inter duos altos colles, Salaſſiorum capitis, a Gregorio ſuperiori anno creatus, & majora ſperare juſſus, in Pedemontanam regionem ad Guillelmum Montisferrati Marchionem ſumma cum poteſtate Legatus, ut motis e bello tumultuantibus provinciis ſolidam pacem auctoritate interponeret Pontificia. Mox ſucceſſu felici rebus compoſitis, Romam evocatum, & inde ad Palæologum Imperatorem ſcribit Antonius Poſſevinus junior in ſua hiſtoria familiæ Gonzagæ illuſtris, expedita triremi miſſum, ut hærentem tot annis animum tandem excitaret ad concordiam, eamque firmiter ſtabiliendam in Synodo Lugdunenſi. Noverat, inquit auctor, Græcus homo Longobardæ Regiæque familiæ virum, eoque genere acceptior fuit, ut eumdem in Pontificis traxerit, vel firmaverit ſententiam. Subjungit deinde Poſſevinus: *Hunc Albertum etiam Cardinalium albo a Gregorio inſertum vidiſſe ſe Comes Tullius Petroſannus in authentica ſcriptura & veteri, ſacramento affirmabat. Sed eo defuncto, & familiæ & viri gloriæ hæc una probatio defecit*. De Epiſcopatu non eſt quod dicam, præter errorem Chronologiæ circa tempus aſſumptionis ad eumdem, neque enim ad hanc dignitatem evectus eſt ante annum MCCLXXXIX. ut ex ipſo aſſumptionis diplomate tunc probabo. De cardinalatu ego valde dubitaverim, dum nullum apud Scriptores hujus collatæ dignitatis veſtigium compererim, neque in epitaphio ſepulcri, quo majora quæque incidi ſolent, ulla extet memoria. Illud porro ita habetur in æde ſancti Franciſci Eporedienſi, in qua grandævus ſepultus eſt ſub anno MCCCXX. poſt rectam ſanctiſſime Eccleſiam ſuam per multos annos, & prædictam ſui tranſitus horam.

Floret Albertus Gonzaga Minorita.

Doneſmun. in hiſtoria Mantuana lib. 4.

Epiſcopus Eporediæ, & Legatus Pontificius.

Poſſevin. in hiſt. Gonzaga. lib. 1.

Hic

Hic jacet Albertus Gonzaga, decuſque virorum
Antiſtes Eporediæ, Ordinis atque Minorum.

Remittuntur Nūcii Græcorum.

XXVI. Terminato graviſſimo hoc Concilio, Pontifex remiſit cum honore Nuncios Græcorum, miſſo cum eiſdem Abbate Montis-caſſini, qui teſtimonium perhiberet inchoatæ unionis, urgeretque Imperatorem ad eamdem conſummandam, donec ſupervenirent ſolemnes Pontificis Nuncii, quos mox intendebat deſtinare. Binas ſcripſit ad Michaelem Palæologum epiſtolas, aliam ad Andronicum filium in Imperio conſortem, quartam ad Prælatos Eccleſiarum. Omnes hic damus ad plenam & perfectam hujus unionis, tot annis deſideratæ, variis & graviſſimis miſſis hinc inde Nuntiis, expetitæ, demum in pleniſſimo totius Eccleſiæ cœtu inceptæ, notitiam.

Cariſſimo in Chriſto filio Michaeli Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex noſtro archivo & ex Concil. Lugdun.

Gaudet de reditu ejus ad gremium Eccleſiæ Romanæ.

Oſea 14. 3. Luc. 15. 6. Ibid. 24.

XXVII. E*Xultat Mater Eccleſia renaſcentis prolis fœcunditate jucunda, exultat & jubilat, gaudens, & attendens ſe drachmam deperditam inveniſſe; immenſæ lætitiæ rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea ſchiſma multiplicarat antiquum, impleri per tuum, aliorumque reditum ad ipſius Eccleſiæ unitatem, ſine ſtragis cujuſquam periculo, ſolo pacis auctore prævio, intuetur. Exultamus & Nos Paſtoris, prout Domino placuit, vices gerentes in ea. Exultamus proculdubio in illo vero Paſtore, qui animam ſuam pro ſuis ovibus ponere non expavit. Ipſi vitulum labiorum exolvimus, de cujus non eſt dubium munere proceſſiſſe, ut ovis, quæ perierat, ſit inventa, & revixerit filius, quem mors animæ, mors utique gravior occuparat. Occurrentes itaque tibi de regione diſſimilitudinis redeunti, collo tuo brachiis paternæ affectionis accumbimus, & te ſolidæ caritatis oſculo preſſius oſculamur. O utinam fili, tibi pateret ad plenum cum quanto in his occurrit tripudio eadem Eccleſia nuper in Lugdunenſi Concilio congregata! O ſi voces pſallentium inibi Deumque flexis genibus, & nudatis capitibus laudantium, præcipue Prælatorum in tuis ſonuiſſent auribus, & revelata facie ipſorum oculos deducentes, quaſi aquarum exitus inſpexiſſes! profecto prudenter adverteres, quod erant eorum lacrymæ tam excuſſi doloris indices, quam adeptæ lætitiæ proditrices. Nec minus intelligeres, quam grati tui advenerint Nuntii, quam fuerint gratanter accepti, cum quanto etiam jubilo tua profeſſio accepta. Exulta igitur & tu fili, exulta & lætare in eo, qui eſt ſplendor lucis æternæ, divinæ quædam emanatio claritatis, qui tuum ſic animum ſuo lumine illuſtravit, ut lumen veritatis intelligens non ſolum redires ad illam, ſed ad redeundum aliis dux, & prævius effici merereris. Exulta, & gaude talem, ac tantum jam datum laboribus tuis effectum; ut & de tuo ad ſinum unitatis Eccleſiaſticæ reditu indubitatum expectare valeas præmium, & de aliis per te redeuntibus tibi plenioris debeatur retributionis augmentum. Perſta ergo, & quod cepiſti, ſollicite cum omni diligentia & ſollicitudine proſequaris, efficacem pro poſſe daturus operam, ut nec in aliquibus ejuſdem ſchiſmatis reliquiæ qualeſcumque ſuperſint. Dei quidem perfecta ſunt opera, & tu creatura illius Creatorem tuum in tam placidi conſummatione operis pro viribus imitare, ut ſpes conceptæ de præmio res ſuccedat, &*

Deut. 32. 4.

promiſſum debitum exhibitio realis exſolvat. Super his autem, & aliis habitis circa præmiſſa proceſſibus, præfati tuæ Celſitudinis Nuntii, quorum tibi notior eſt virtus, & probitas, ad te plenius remittuntur inſtructi, quibus te

non

non dubitamus fidem indubiam adhibere, Datum Lugduni v. *Kal. Auguſti anno* III.

Eidem.

XXVIII. *Dilectum filium B. Abbatem Monaſterii Montis-Caſſini latorem præſentium, virum utique fidelem & providum ad tuam præſentiam deſtinamus, gaudium, quo Latinorum corda replevit unio inter ipſos & Græcos fœliciter inchoata, vivæ vocis miniſterio plenius expreſſurum, & daturum nihilominus operam, ut inter te, ac cariſſimos in Chriſto filios noſtros Philippum Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Carolum Siciliæ Regem Illuſtres treguæ ſufficientis temporis ineantur, infra quod Legato, quem ad tuam Excellentiam intendimus deſtinare, ſit via paratior, & inter te ac ipſos Imperatorem & Regem confirmari valeant fœdera concordiæ plenioris. Per eumdem inſuper Abbatem intelliges cauſas, propter quas eumdem Legatum mitti tam ſubito, vitanda nimirum inconſulta feſtinantia, non permiſit. Prædictum itaque Abbatem benigne recipiens, indubitatam ſibi fidem adhibe in præmiſſis, & eum cum qua poteris celeritate remitte. Datum Lugduni* v. *Kal. Auguſti, anno* III. Reg. Vat. n. 13. Mittitur Abbas Montis-Caſſini, donec deſtinetur legatus.

Andronico Primogenito cariſſimi in Chriſto filii noſtri Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum Illuſtris, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

XXIX. *Habes fili, unde Domino tuo in vocem exultationis & confeſſionis erumpas. Exultes in eo, & fatearis humiliter, tibi de immenſo ipſius dono conceſſum, veræ fidei agnoſcere veritatem; illam amplecti piis affectibus, & devotis nobis miſſis affatibus confiteri. Hæc ſi corde contrito, & humiliato ſpiritu recognoſcens a cœptorum proſecutione ſollicita non deſiſtas, plura tibi ſalutaribus inhærenti ſtudiis, proculdubio ipſe bonorum omnium dator adjiciet, perfectæ tamdem retributionis præmium largiturus. Ideoque Magnitudinem tuam monemus & hortamur in Domino Jeſu Chriſto; quatenus in præmiſſis ſic * diſcrete ſcripſiſti, tui genitoris inclyti laudabili propoſito, nobis per ejus & tuas expreſſo litteras, conſtanter adhærens totis viribus ſatagas, ut antiquati ſchiſmatis aboleantur omnino reliquiæ, ſitque Latinorum & Græcorum unitas perpetuis temporibus inconcuſſa. Datum Lugduni* v. *Kal. Auguſti, anno* III.

Ex Concil. Lugdun. & ex regeſto Vatic. n. 12. Et bene cœptum ferventer proſequatur. * al. in Vat. ſicut.

*Venerabilibus fratribus Epheſin. In Thracia Heracliæ, Sarden. * Lidiæ, Nicomediæ, Niceæ, Chalcedon. Naupacti, Philadelphiæ, Theſſalonicen. Tyanorum, Heracliæ Ponti, Iconii, Cariæ, Corſien. Athenien. Rhodien. Philippen. Smyrnen. Serarum, Amaſtridæ * Alaniæ, Pruſæ, Meditorum, Abydi, Chriſtianopoleos, Silibriæ, Meſembriæ, Apri, * Achiraus, Pigarum, & Parii, Dydinothithi, Anaſtaſiopoleos, Biziæ, Cypſellorum, * Garellæ, Derci, Prætoneſi, * Lopadiæ, Pergami Meleniai & Beriæ, Metropolitis & dilectis filiis Archidiacono, & univerſo Clero, Oeconomo, Sacellario, Protecdico, Logothetæ, Caſtriſio, Referendario, Didaſcalo, Primicerio, * Ipominiſco, Hoſtiariis, & Notariis omnibus, necnon Decano, Archidiacono, Diaconis, Cantoribus, & Lectoribus univerſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

* Lyciæ. * Apamiæ. * Achinii. * Gatilleris. * Lepodii. * Hypomnimatiſtæ.

XXX. *Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Palæologi Græcorum Imperatoris Illuſtris, & veſtros Nuntios & litteras, tanto nimirum recepimus gratius, quanto proculdubio gratiora, & noſtris acceptiora deſideriis retu-*

*retulerunt. Hoc eſt enim, quod fervor zeli Patrum Sedis Apoſtolicæ a longis
retro temporibus exquirebat, hoc eſt, ad quod profundis anhelabat ſuſpi-
riis, & totis conatibus ſuſpirabat: ad hoc noſter inardeſcebat animus: ad
hoc ſemper amplius accendebatur affectus, ut videlicet antiquo ſubducto*
Cant. 6. 8. *ſchiſmate, una eſſet Columba Domini, formoſa ejus, perfecta ipſius, una
quidem Eccleſia Latinorum pariter & Græcorum, unita in ejuſdem veræ
fidei, & capitis unitate, his, & veſtra, ut ſcripſiſtis, vota ex intimis con-
currebant. Aſtitit itaque hiſce diebus, multiplicatis interceſſoribus, vir-*
Joan. 15. 5. *tus Chriſti: qui vere teſtatur, nos nihil poſſe facere abſque ipſo. Aſtitit be-
nignus ſapientiæ ſpiritus, & prædicti Principis, ac veſtros animos miſeri-
corditer inſpiravit, taleque ac tantum dedit ipſius ac veſtro miniſterio
deſideratis initium; ut, ipſo ac vobis perſiſtentibus, ut ſperamus, in iden-
titate propoſiti, conſummationis celeris & perfectæ proſperitas indubie
ſubſecutura ſperetur. Illi ergo laus, illi gloria, illi actio gratiarum, qui*
Epheſ. 2. 20. *vere lapis angularis parietem utrumque connexuit, & utraque unum fecit.
Qui largitor bonorum omnium tantam nobis, & vobis largitus eſt gratiam,
ut nos in hæc tempora reſervaverit, ut diem hunc nobis videre conceſſerit;
quem videntes ſumus in immenſum non indigne gaviſi, ex immenſitate gra-
tiæ menſuram lætitiæ metientes. Vos igitur fratres & filios monemus, ro-
gamus & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccami-
num injungentes, quatenus ad perfectionem ſolidam inceptorum totis viribus
ſatagentes, ejuſdem ſchiſmatis abolere ſtudeatis omnino reliquias, abjicien-
tes oves morbidas, ne gregem valeant contaminare Dominicum, aut fidei a
vobis noviter agnitæ in veſtris cordibus inficere puritatem. In his autem
inſequendis, utilius & efficacius adimplendis, eidem Principi conſtanter &
fideliter adhærete, ipſum fulcite conſiliis & auxiliis adjuvate. Decet enim
vos Prælatos præcipue, qui conſtituti eſtis in ſpecula veritatis, lumen aliis
oſtenſuri, aberrantes de tenebris errorum educere, devios in viam rectitu-
dinis revocare, ut vobis adimplentibus officii debitum, æterni plenitudine
præmii veſtrorum laborum exitus compleatur. Datum ut ſupra in proxima.*

Jubet Pontifex prædicari crucē. XXXI. Expleto Concilio, Pontifex prædicari voluit ab omnibus
Eccleſiarum Prælatis, & ab Ordinibus Prædicatorum & Minorum Cru-
cem contra Sarracenos in ſubſidium Terræ ſanctæ, pro quo decimas per
omnem Statum Eccleſiaſticum ſolvi voluit ſex annorum ſpatio. Devo-
tiſſimas do litteras ex archivo noſtro, cui per omnia ſimiles habentur in
Reg. Vat. n. 7. regeſto Vaticano ad Provincialem Lombardiæ Ordinis Prædicatorum
directæ. Subjiciuntur vero ad finem epiſtolæ nomina Miniſtrorum Pro-
vincialium Minorum, promiſcuo tamen ordine, nulla habita ratione di-
gnitatis, aut vetuſtatis. Eadem ſerie, qua habentur in regeſto Pontifi-
cio, a nobis ad calcem hujus epiſtolæ ſubjicientur; & confirmabunt
Anno 1260. n. diſtributionem Provinciarum, quam ſuperius diximus a ſancto Bonaven-
tura factam.

Miniſtro Fratrum Minorum adminiſtrationis Romanæ.

XXXII. S*I mentes fidelium, terrenis abdicatis illecebris, recolendis
immenſis beneficiis noſtri Redemptoris intenderent, ſi ea cæ-
leſti lumine illuſtratæ diligenti ſcrutarentur examine, ſi frequenter medi-*
Chriſti patientia & paſſiones quē non moverent? *tationis attentæ conſpectui præſentarent, profecto eorum corda concaleſce-
rent intra ipſos, igne in meditantium animis ardeſcente. Cujus etenim pectus
ſaxeum*

ſaxeum non emolliret, conſiderata illius humanationis humilitas, in qua
Dei filius factus homo exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in Philip. 2. 7.
ſimilitudinem hominis factus, & habitu inventus ut homo? *Cujus viſcera*
non inflammaret caritatis ardore pia conſideratio illius humiliationis extre-
mæ, in qua ipſe idem factus obediens uſque ad mortem, *ad exprobrantium* Ibid. 8.
opprobria coram tondente ſe velut agnus obmutuit, *& ſicut ovis ad occi-* Actor. 8. 32.
ſionem ductus, poſt contumelias & terrores, poſt ſpinas & ſputa, poſt flagel-
la varia, poſt diverſa denique genera tormentorum innocens ſine cauſa dam-
natur, & demum ſaturatus opprobriis, clavis affixus, aceto & felle potatus,
confoſſus lancea, in Crucis patibulo tam diræ mortis ſubiit paſſionem, myſte-
rium redemptionis noſtræ perficiens, ſine qua parum nobis nativitas profuiſ-
ſet? Quis igitur hæc & alia largitatis divinæ chariſmata intra pectoris
clauſtra debita, & frequenti meditatione revolvens, non intus fervidæ zelo
devotionis accenſus ferveat, & foris ebulliat, exclamet, & dicat: Quid Pſal. 115. 12.
retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? *& non expectato*
monitoris vel ſollicitatoris officio, ſubjunxit ultroneus: Calicem ſalutaris Ibid. 13.
accipiam, & nomen Domini invocabo? *Quem non pudeat ingratitudinis*
argui, quin potius de infidelitate notari, ſi Creatori proprio, benefico Domi-
no, piiſſimo Redemptori tempore tantæ neceſſitatis non aſſiſtat? dum hære-
ditatis ſuæ funiculus, Terra ſancta, quam ſibi teſtatur Scripturæ ſacræ te- Pſal. 104. 11.
ſtimonio omnium cariorem, in Chriſtianitatis confuſionem & dedecus per no- Quam debeant
minis Chriſtiani blaſphemos pro parte maxima occupata tenetur, & ad fideles ſuccurrere Terræ ſanctæ.
occupationem reſidui per eoſdem inſtantia infeſtæ perſecutionis inſiſtitur,
ſuper eo aſſidue in partibus illis populus Chriſtianus impetitur, & moleſtis
impetitionibus infeſtatur. Et quidem ſi facultas reſiſtendi competeret, non
pateretur aliquis abſque desertæ fidei ſcrupulo ſui Domini temporalis, vel
vicum aliquem occupari, & hæreditatis Dominicæ invaſores fideles ulterius
patientur? Numquid marcebunt otio, aut ocyus non exurgent ad vitandum
tantæ notæ diſcrimen? Exurgant itaque qui ſunt Chriſti, & ſe ipſius eſſe
non ſolum nomine, ſed & opere fateantur. Exurgant utique in illius au-
xilium. Exurgant ad ſalutis ſuæ compendium, & illam brevis laboris pre-
tio compendioſe mercentur. Nunc præcipue dum in ſacro Concilio ad hoc his
diebus inter cetera, immo præ ceteris ſpecialiter congregato, ejuſdem Terræ
nuper ordinata ſubventio ſub ſpe illius, de cujus ſolius clementi providentia,
& clementia provida ordinatio talis & tanta proceſſit laboris, optatum exi-
tum repromittit. Convenientibus ſiquidem in eo Concilio nonnullis Princi-
pibus, & Prælatis de mundi partibus univerſis, aliorumque Principum,
Prælatorum, ac Capitulorum Nuntiis, poſt ſubſidium pecuniarium communi
conſenſu Terræ deputatum eidem, convenit omnium ſententia in id ipſum,
videlicet ut in generali paſſagio, cujus celeriter, auctore Deo, terminum
præfigemus, univerſis Chriſticolis contra blaſphemos eoſdem conſtantibus vi-
res ſuas, quanto erit Chriſtianorum virtus unita potentior, tanto ad libe-
rationem Terræ prædictæ ſit via ſecurior, ſit opportunitas promptior, & de
illa, Deo auſpice, ſpes certior habeatur. Ceterum licet ad excitandos eo-
rumdem fidelium animos in Terræ memoratæ ſuccurſum ſufficere debeat ſo-
lerter attentio promiſſorum, licet poſſit non indigne ſperari, quod ſi fideles
iidem, quo debent pietatis oculo Terram eamdem reſpiciant, ſi ad perſecu-
tionis acerbitatem, quam Terra eadem continuis laceſſita moleſtiis, diutinis
vexationibus laſſata perpetitur, convertant piæ compaſſionis intuitum, di-
ſcriminaque conſiderent, quæ per hoc eidem fidei orthodoxæ non eſt dubium
imminere, ad aſſumendum Terræ ſæpefatæ negotium ſe potius ingerent,

quam incitari ad hoc commotionis alicujus ſuffragio expectabunt. Quia tamen Pſal. 67.35. *ſperamus quod vocem virtutis tribuet Dominus voci ſuæ ad promotionem ipſius negotii, verbum Crucis in commiſſa tibi provincia decrevimus proponendum, ad quod tuo ac Fratrum tui Ordinis miniſterio tanto confidentius utimur, quanto vos ad id utiliores Religionis veſtræ caritas & zelus, quo vos ad ea quæ Dei ſunt, fervere præſumimus, repromittit. Ideoque in commiſſa tibi Provincia prædicationis officium, favorem ac utilitatem ejuſdem negotii præſentium tibi auctoritate committimus, in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus in hujuſmodi officio, juxta datam a Deo tibi prudentiam, cum omni, qua poteris efficacia, & attentione procedens, illud per te, ac alios Fratres ipſius Ordinis commiſſæ tibi Provinciæ, quos ad id, de conſilio diſcretorum Fratrum ejuſdem Ordinis, duxeris eligendos, quoſque tibi per virtutem obedientiæ cogere liceat ad idem officium proſequendum, & mutare quoties opportunum ipſi negotio, & tibi videbitur expedire, non obſtante quod hoc idem aliis ſit commiſſum, ſtudeas exequi diligenter, omnes, quos utiles fore putaveris, inſtantius inducendo, ut ſuſcipientes cum reverentia ſignum Crucis, ipſamque ſuis cordibus & humeris affigentes ad Terræ memoratæ ſuccurſum viriliter ſe accingant, ac ipſius negotium fideliter exequantur. Et ut iidem fideles præmiſſa eo libentius, eoque ferventius proſequi ſtudeant, quo potiorem ſe noverint fructum ex ſuis laboribus percepturos: nos de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, & illa quam nobis Deus ligandi atque ſolvendi* Matth. 16. 19. *contulit, poteſtate, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui hujuſmodi laborem, ſalutiferæ Crucis ſigno ſuſcepto, in perſonis propriis ſubierint, & expenſis, plenam peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint veniam indulgemus, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in perſonis propriis illuc acceſſerint, ſed in ſuis dumtaxat expenſis, juxta qualitates & facultates ſuas viros idoneos deſtinarint, illic juxta providentiæ tuæ vel ipſorum Fratrum arbitrium moraturos; & illis ſimiliter, qui licet in alienis expenſis, in perſonis tamen propriis aſſumptæ peregrinationis hujuſmodi laborem impleverint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Hujuſmodi quoque remiſſionis volumus eſſe participes juxta quantitatem ſubſidii, quod de bonis ſuis congrue miniſtrabunt. Perſonas inſuper, familias, & bona eorum, ex quo Crucem ſuſceperint, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, ſtatuentes ut ſub diœceſanorum ſuorum defenſione conſiſtant. Ut autem iidem Cruceſignati, eo exequantur libentius & ferventius votum ſuum, quo pluribus fuerint favoribus communiti, præſentium auctoritate concedimus, ut iidem illis privilegiis, eaque immunitate gaudeant, quæ in generali Cruceſignatorum Indulgentia continetur. Porro ad hujuſmodi ardui & ſalubris negotii efficaciam pleniorem, ut tu & dicti Fratres convocare poſſitis Cleros, & populos ad quemcumque volueritis locum idoneum, & ibidem verbum Crucis proponere, ac fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis ad prædicationem hujuſmodi convenientibus, ipſamque audientibus reverenter centum dies de injunctis eis pœnitentiis relaxare, quodque vobis & veſtris familiis in Eccleſiis eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis, excommunicatis & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, voce ſubmiſſa, & januis clauſis divina celebrare officia, & facere celebrari, ac populis proponere verbum Crucis auctoritate præſentium tibi & ipſis Fratribus duximus concedendum. Volumus præterea & concedimus, ut tu & iidem Fratres, qui in officio prædicationis Crucis pro præſenti negotio per triennium duxeritis laborandum, velle poſt*

incæ-

inceptum laborem bujuſmodi cum intentione ipſum prædictum triennium proſequendi ante finitum idem triennium decedatis, illis immunitate ac privilegiis gaudeatis, illiuſque indulgentiæ ſitis participes, quæ perſonaliter in Terræ prædictæ ſubſidium transfretantibus in eodem generali Concilio noſcitur eſſe conceſſa. Ceterum cum bujuſmodi prædicationis officium Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis univerſis per nos in ſuis Diœceſibus ſit commiſſum, & Prioribus Provincialibus, & aliis Fratribus Ordinis Prædicatorum illud per ſimiles patentes noſtras litteras committimus, te ac dictos Fratres ejuſdem tui Ordinis cum omni diligentia volumus obſervare, ne eum Prælatis eiſdem in prædicando concurrere vel ipſorum prædicationem turbare ſeu impedire quomodolibet præſumatis, cum dictis etiam Prioribus & Fratribus præfati Ordinis Prædicatorum ſic loca prædicationis & tempora dividendo, ut vos mutuo non turbetis, nec impediatis aliquatenus per concurſum, ſed vobis invicem alternis vicibus in omni patientia, & quiete cedatis. Et ſi forſitan in aliquibus locis Conventus vos babere contingat, in quibus Conventum prædictus Prædicatorum Ordo non babeat, eiſdem Prioribus & Fratribus ipſius Ordinis Prædicatorum ad eadem loca ſupervenientibus, in executione prædicti officii tu & Fratres iidem præfati tui Ordinis, a dicta Sede ſub quacumque verborum forma conceſſa, quod Apoſtolica mandata ſuſcipere vel exequi per litteras Apoſtolicas, in quibus de indulto bujuſmodi mentio non babetur, minime teneantur.... & quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, ſeu litteris ab eadem Sede obtentis, per quæ prædicta impediri vel differri poſſint, & de quibus ſpecialem oporteat in præſentibus fieri mentionem. Datum Lugduni Idibus Novembris, anno III.

XXXIII. In eumdem modum ſcripſit Miniſtro Tuſciæ, Marchiæ Anconitanæ, Provinciæ Januen. Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, ſancti Angeli, Terræ laboris, Pennen. Marchiæ Tarviſinæ, Regni Franciæ, Regni Provinciæ, Burgundiæ, Provinciæ Mediolanen. Ungariæ, Sclavoniæ, Alemanniæ, Colonien. Saxoniæ, Regni Daciæ, Regni Aragoniæ, Regni Portugalliæ, Regni Bohemiæ, Auſtriæ, Syriæ, Anglican. Hiberniæ, Aquitaniæ, Turoniæ, ſancti Franciſci, Caſtellæ.

XXXIV. Celebrata ſunt hoc anno Lugduni xx. Maii in feſto Pentecoſtes Comitia generalia per ſanctum Bonaventuram, etiamſi Cardinalem, nam in ejus aſſumptione ad hanc dignitatem declaravit Pontifex Ordinis regimen penes eum remanſiſſe uſque ad primum generale Capitulum. Vigeſimum ſecundum hoc eſt a fundata Religione: atque in eo electus eſt concordi omnium ſuffragio in Miniſtrum Generalem frater Hieronymus Aſculanus Provinciæ Marchiæ, antequam perveniret Lugdunum, aut a ſua legatione Conſtantinopolitana cum Græcorum Legatis reverteretur. A Miniſteriatu hoc aſſumptus eſt ad Cardinalatum, deinde ad ſummum Pontificatum, & Nicolaus IV. renunciatus.

Capitulum generale XXII.

Eligitur Miniſter generalis Hieronymus Aſculanus.

XXXV. Epiſcopum factum hoc anno Venetiarum fratrem Bartholomæum Quirinum Minoritam poſt obitum Thomæ Franci, etiam Minoritæ, ſcribit Rodulphus: concordat tempus cum catalogo Epiſcoporum Venetorum apud Leandrum Albertum in deſcriptione Venetiarum.

Epiſcopus Venetus frater Bartholomæus Quirinus.
Rodulp. fol. 271.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Frater Franciſcus Epiſcopus Terracinen.
Sur. ad diem 7. Mart. cap. 16.

„ Hoc anno Epiſcopum fuiſſe Terracinen. in ditione Pontificia fratrem „ Franciſcum Minoritam, monent quædam monumenta illius urbis ad „ me miſſa, atque hic ille eſt, qui cum multis Franciſcanis, aliiſque „ perſonis, interfuit exequiis ſancti Thomæ in Monaſterio Foſſænovæ „ Ordinis Ciſtercienſis. „ Hoc anno item electus in Epiſcopum Bali-

Baſileen. Epiſc. frater Henricus Knoderer.

leenſem ad Rhenum prope Helvetios frater Henricus Algovus Knoderer, vulgo *Gurtelknopff*, a nodoſo funario cingulo. Quidam fabri, alii piſtoris, alii item opilionis volunt filium; certum eſt obſcuro genere natum, virtutibus clarum evaſiſſe, cujus inexpectatam, & admirabilem electionem ita ex Codice MS. & relatione Thuricenſis Cantoris deſcribit Nicolaus Serarius de rebus Moguntinis: *Henricus fabri filius de Iſun vel Iiſena, Suevus, cognomento* Knoderer, *Ordinis Minorum, lector domus Moguntinenſis Theologus, poſtea Guardianus in oppido Lutzernenſi Conſtantienſis diœceſis, olim frequentaverat caſtrum in Habſpurg, per tres leucas inde diſtans, Comitis Rodulphi Romanorum Regis, uxoris, ejuſque familiæ confeſſiones multis annis audiendo: poſtea vero dictus Henricus præficitur domui Minorum in Baſilea Guardianus. Vacante autem tunc Epiſcopatu ibidem, cum ejuſdem Eccleſiæ Canonici Paſtoris in electione diſſidentes, convenire non poſſent, demum in eo concurrerunt, ut mox tres ex ipſis cum teſtibus, & Notario mitterentur ad Minores, & unum de Fratribus Minoribus proxime ſibi provenientem adverterent, quem indubie ſibi in Pontificem crearent. Abeunt et ergo, portas Monaſterii pulſavere, quibus illico caſualiter occurrit Henricus Guardianus, ut oſtium aperiret. Quem obſtupefactum apprehendentes, Capitulo Baſileenſis Eccleſiæ præſentarunt in Epiſcopum præficiendum. Gaudent omnes, quod ad fortunam ſuam tam venerabilem virum invenerant, & ſervatis ſervandis, ipſum in Præſulem ſublimarunt. In quo Epiſcopatu laudabiliter vixit.* Confeſſarium fuiſſe Rodulphi (quem perperam Ludovicum vocat Petrus Rodulphus) ante auguratum Imperatorem, & doctrina & honeſtate vitæ laudem ſibi comparaſſe Baſileæ maximam, ſcribit Gaſpar Bruſchius, atque eidem Eccleſiæ laudabiliter præfuiſſe annis XI. Interfuit centum equitum comitatu pugnæ, in qua cæſus eſt a Rodulpho Cæſare Ottogarus Bohemiæ Rex anno MCCLXXVIII. Deinde annò MCCLXXXVI. ab Honorio IV. Archiepiſcopatui Moguntino præficitur, vacante illa ſede jam ferme per triennium poſt mortem Werneri Archiepiſcopi, duobus in diſſenſione electis, videlicet Petro Canonico Baſileenſis Eccleſiæ majoris Præpoſito, olim Rodulphi Imperatoris Medico, & Gerhardo de Epſtein Archidiacono Treverenſi apud Sedem Apoſtolicam de ſuo jure contendentibus. Vixit in hoc Archiepiſcopatu anno uno, menſibus undecim, diebus quinque, obiit in vigilia ſancti Matthiæ anno Chriſti MCCLXXXVIII. Jacet in Eccleſia Cathedrali Moguntina ante aram SS. Petri & Pauli Apoſtolorum. Anno MCCLXXXVII. ab omni clero & populo honorificentiſſime ſuſcepium, Erfurdiam intraſſe, ſcribit Paulus Langius in Chronico Citizenſi. Fuiſſe Necromanticum inſignem, ajunt Munſterus, & Bruſchius, quibus ita placere ait Serarius, ex quodam in Eccleſiaſticos odio abſque teſtimonio ullo, eum, qui Matheſeos eſſet peritus, appellare, quemadmodum Magdeburgici Centuriatores vocant Silveſtrum II. Necromanticum, contra quos chriſtiane diſſeruit Bellarminus. Communiter tamen referṫur eum, cum eſſet Archiepiſcopus, plus Nobilibus honoris habere ſolitum, quam Clericis; illos etiam in epulari menſa, & diſcubitu anteponendo: indeque Clericos in eum ſtomachatos. Unde aculeato & parum Chriſtiano illo Clerici cujuſdam dyſticho in eum luſum eſt.

Serar. lib. 5. ſub Archiepiſc. 37. Stemmata Lotharing. tom. 4. par. 260.

Ejus electio mirabilis.

Rodul. fol. 233.

Bruſch. de Archiepiſc. Mogun. ſub Archiep. 55.

Fit Archiepiſcopus Moguntinen.

Lang. an. 1287.

Liberatur a calumnia.

Munſter. in Coſmograph. Germaniæ lib. 3. Bruſch. cit. Centur. Magdeburg. cent. 10. c. 10. Bellarm. l. 4. c. 12.

Nudipes Antiſtes, non curat Clerus, ubi ſtes:
Dum non in cœlis, ſtes ubicumque velis.

Ann. 1271.

XXXVI. Superius diximus, Henricum adoleſcentem ingentis ſpei Richardi in Regem Romanorum electi filium ad ipſas aras in oculis Pon-

Anno Christi 1274.	Gregorii X. anno 3.	Rodulphi Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 67.

Pontificis Viterbii a Guidone de Monteforti, Simonis Comitis Leiceſtriæ filio trucidatum. Homicidam ad Edwardi Regis Anglorum e Syria redeuntis inſtantiam diris devovit Viterbii Gregorius, omneſque qui ei auxilio, vel ſubſidio eſſent, aut ſub tecto reciperent, donec conſpectui Pontificis ſe præſentaret, & ſententiæ pareret. Obierat jam Simon Guidonis frater in facinore, ut dicebatur, ſocius in Caſtro quodam, juxta civitatem Senenſem; Comes Aldebrandinus dictus *le Rus*, ſive Rubeus, cujus filiam duxerat Guido uxorem, a ſuſpicione complicis in homicidio prædicto ſe purgaverat. Guido ſecum cogitans magnum ſibi parari malum, idque ipſum ſatis grave eſſe, anathemati graviſſimo ſubjacere, vagumque & profugum ab omnibus ſe devitari, pœnitentia ductus, fune ad collum appenſo, detractis veſtibus, ſolo induſio & femoralibus operto corpore, nudis pedibus Florentiæ ſe ad Pontificis pedes proſtravit, miſericordiam poſtulavit, culpæ tandem gravitatem agnovit. Pontifex omnino impune noluit delictum, neque ultimum tamen intulit ſupplicium, ſed cuſtodiæ mancipandum voluit, donec Edwardum Regem Henrici trucidati cognatum, de ſupplicii genere per Gherardum a Ronzolione familiarem ſuum, & Clericum Apoſtolicæ Sedis, conſuleret. Interim hoc anno Patriarchæ Aquilegienſi, Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Mediolanenſibus commiſit, ut recluſum in Rocca, ſeu rupe, aut præſidio de Leuco Mediolanenſis diœceſis, in quam ſponte, inquit Pontifex, non coactus, carcerandus intravit, ab excommunicationis latæ ſententiæ pœna, interim dum ad cetera procederetur, abſolverent. Diploma ad notabilis rei memoriam damus in Regeſto. Ex aliis minoris momenti damus hic compendium. Tertio Nonas Februarii commiſit Pontifex Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Barchinonenſibus, ut Berengarium Sacriſtam Monaſterii ſancti Joannis de Abbatiſſis Ordinis ſancti Auguſtini Vicenſis diœceſis in Abbatem ejuſdem electum, præmiſſo examine an idoneus eſſet? confirmarent. Similiter eodem die facultatem impertivit Priori & Guardiano Metenſibus circa Raynerium Canonicum Monaſterii de ſancto Petrimonte ejuſdem Ordinis Metenſis diœceſis in Abbatem electum.

Weſtmon. anno 1270. & ſeqq.

Guido de Monte forti excommunicatur.

Simon ejus frater moritur.

Guido de Monte forti carceri mancipatus.

Ejus pœnitentia.

Abſolvitur a cenſuris.

XXXVII. Auguſtæ Auſcorum ſive Auxitanorum, vulgo *Auſch*, Novempopulaniæ, ſeu Vaſconiæ in Aquitania urbis Archiepiſcopalis, extructum hoc anno Minoritis Cœnobium ab Illuſtriſſimo quodam Armaniachenſium Comite, quod olim cum aliis quatuor Monaſteriis ad Cuſtodiam Auxitanam pertinebat. Gregorius Pontifex eodem anno confirmavit privilegia, immunitates, & libertates quaſque Fratribus, & Ordini, a ſuis prædeceſſoribus conceſſas. Incipiunt litteræ: *Cum a nobis &c.* x. Kalend. Septembris. Deinde, petente Hieronymo Aſculano Miniſtro, explicavit dubia duo, videlicet, an Fratribus liceret ſibi conceſſa commutare & alienare? &, an ingredi poſſent alia Monaſteria Monialium, quæ non eſſent Ordinis ſancti Damiani, vel Clariſſarum? & utrique quæſito reſpondit affirmative: *Voluntariæ paupertati*. Nonis Novembris.

Convent. Auxitanus.

Gonzag. in Prov. Aquit. recen. Con. 6.

Privilegia Pontificia.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. INcumbebat ſedulus ſuo muneri Pontifex, & præter ea, quæ in
„ Annalibus Ordinis deſcribuntur, hæc, quæ ſequuntur, ab eo
„ emanaſſe reperio. Pro fratre Illuminato, Epiſcopalis: *Cum nos Cano-*

Brev. pro fratre Illuminato, & pro Terra ſancta.

,, *nonicorum &c.* x. Kal. Auguſti: Simoni Cardinali pro expeditione
Indiculus. ,, Terræ ſanctæ: *Novum genus &c.* Kal. Auguſti: Rodulpho Regi Ger-
,, maniæ, ubi de fratre Henrico Ordinis Minorum: *Solemni ardua &c.*
Oderic. n. 35. 37. ,, vi. Kal. Octobris. Simoni Cardinali pro Cruceſignatis: *Primum dili-*
,, *gentiæ tuæ &c.* iv. Idus Octobris: ad Regem Caſtellæ pro ſuccurſu
,, Terræ ſanctæ: *Celſitudinis tuæ &c.* iii. Nonas Novembris: at ea præ-
,, ter, & nonnulla alia Fratribus noſtris libertates, & immunitates a
,, ſuis prædeceſſoribus conceſſas, confirmavit, dato diplomate tenoris
,, ſequentis.

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

Specul. tr. 2. f. 21.

Dilectis filiis Generali, ac Provincialibus Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, ceteriſque Fratribus Ordinis Minorum, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Confirmat privilegia.

,, *Cum a vobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor æqui-*
,, *tatis, quam Ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii*
,, *noſtri ad debitum perducatur effectum: ea propter, dilecti in Domino filii,*
,, *veſtris juſtis petitionibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, &*
,, *immunitates a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive privile-*
,, *gia, ſeu alias Indulgentias Ordini veſtro, ſeu vobis conceſſas, ſicut eas*
,, *juſte, & pacifice obtinetis, vobis, & per vos eidem Ordini auctoritate*
,, *Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.*
,, *Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Lugduni* x. *Kal. Septembris*
,, *Pontificatus noſtri anno* iii.

,, II. Eodem pariter anno Fratribus nonnulla conceſſit, quæ ex ipſo
,, Brevi Apoſtolico, cujus tenorem exhibemus, facile apparent.

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

Specul. tra. 3. fol. 10.

Dilecto filio Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum ſalutem &c.

Facultas alienandi bona Ordin.

,, 1. *Voluntariæ paupertati, cui ſacra Religio tui Ordinis, ut Chriſto*
,, *pauperi poſſet liberius famulari ſalubriter ſe adſtrinxit, affe-*
,, *ctu paterno compatimur: ac illud etiam motivum curiæ cæleſtis ſtudium,*
,, *quod profeſſores Ordinis ipſius habere circa lucrum percipimus animarum,*
,, *libenter quantum cum Deo poſſumus, promovemus.*
,, 2. *Cum itaque, ſicuti ex tua petitione collegimus, Fratres ejuſdem*
,, *Ordinis, ex profeſſione ipſius Regulæ, nec in communi, nec etiam in ſpe-*
,, *ciali, proprietatem cujuſcumque rei habere valeant, ſed ubi donatores,*
,, *vel collatores quorumcumque bonorum ſibi non reſervaverunt dominium,*
,, *donata vel collata eidem Ordini ad Romanam Eccleſiam immediate perti-*
,, *neant, eaque propterea ſine licentia ejus alienari non poſſint; nos diſcre-*
,, *tioni tuæ, quam credimus inſtitutis regularibus ſollicitam, & honeſtatis*
,, *obſervantia ſtudioſam, tribuendi Fratribus prædicti Ordinis licentiam*
,, *alienandi, & commutandi, aliaſque, forte alia, de bonis hujuſmodi*
,, *mobilibus, quibus ipſi utuntur, in alias res magis ſibi neceſſarias, forte*
,, *convertendi, cum eis videbitur opportunum, liberam, auctoritate præ-*
,, *ſentium concedimus facultatem.*

3. *Ad*

,, 3. *Ad hæc, quia id per quod in Regula prædicti Ordinis continetur,*
,, *ut Fratres ipſius Ordinis non ingrediantur Monaſteria Monacharum,*
,, *præter illos, quibus a ſede Apoſtolica conceſſa fuit licentia ſpecialis; Felic.*
,, *recordationis Innocentius Papa IV. prædeceſſor noſter declarando in ſuis*
,, *litteris, dixit, ingreſſum in Monaſteria tantummodo Monialium incluſa-*
,, *rum ſancti Damiani prohibitam fore ipſis; Itaque circa ea, certa ſervata*
,, *forma, iidem Fratres ad alia Cænobia poſſint, ſicut & alii religioſi Fra-*
,, *tres, ad prædicandam, vel petendum eleemoſynam, ac pro aliis honeſtis,*
,, *& rationabilibus cauſis, accedere, ac intrare: quibus id videlicet a*
,, *ſuis ſuperioribus pro ſua fuerit maturitate, vel idoneitate conceſſum:*
,, *volumus ut Fratres ipſius Ordinis, juxta tuam diſpoſitionem, dumtaxat*
,, *hujuſmodi declaratione prædeceſſoris noſtri utantur. Nulli ergo omnino*
,, *hominum &c. Dat. Lugduni nonis Novembris Pontificatus noſtri anno* III.

Et conced. acceſſum ad Mon. Mon.

,, III. Ad annum MCCLXXII. de Fratribus Conventus Portus Læti
,, in Portugallia diximus eos ſuæ Eccleſiæ magnificam ſtructuram aggreſ-
,, ſos fuiſſe, ſuæ paupertati imparem; & maxime quod ſimul ædium re-
,, parationem, vel ampliationem præ manibus haberent: interea ergo
,, nobiles quidam Jugales in ſubſidium pauperum advenarum, vel pere-
,, grinorum, qui eo confluerent, hoſpitium, de quo ibi præloquuti ſu-
,, mus, redditibus locupletatum, & curæ Fratrum commiſſum, proprio
,, ære conſtruentes hoc anno perfecerunt, ut quidam lapis, ſequentibus
,, verbis ſcriptis, & parieti Eccleſiæ infixus monet: cujus quidem co-
,, pia talis eſt ut ſequitur.

Vide ſup. ad annum 1272. n. 2.

Joan. & Maria de Porta hoſp. conſtruunt.

Ad honorem Dei, & glorioſæ Virginis, omniumque Sanctorum.
,, *Ego Petrus Joannes, Dominus de Porta, una cum uxore mea Maria, fe-*
,, *cimus iſtud hoſpitale in ſubſidium pauperum, & in remedium Animarum*
,, *noſtrarum: & damus ei Adegade de Alegrete, cum campis, & vineis,*
,, *& vineam de Serra, cum ſuo Lazari, & totam hæreditatem, quam ha-*
,, *bemus in Serra: & ſemper iſta ſint in ſuſtentationem pauperum, & con-*
,, *ſervationem hoſpitalis: & mandamus firmiter, quod nullus quærat ſibi*
,, *juriſdictionem: & rogamus Guardianum & Fratres, quod procurent ut*
,, *iſtud hoſpitale ſtet in perpetuum, & non fiat in eo, niſi de voluntate Fra-*
,, *trum, nihil: & qui hoc factum facere noluerit, præſtet Domino Terræ*
,, *quinquaginta marcas, & factum ſit in perpetuum confirmatum.*
,, *Et qui bene fecerit, ſit a Deo benedictus. Amen.*
,, *Factum fuit hoc anno* MCCCXII. *die quintadecima Auguſti.*

Mon. Pr. Algar. de an. 1680.

,, Ita loquitur lapis: ſed cum iis in Luſitaniæ partibus, eo tempore eſſet
,, in uſu priſcorum Cæſarum æra, ut alias etiam monuimus, ſi ad eram
,, Chriſti calculum temporis reduxeris triginta octo annorum ſubtra-
,, ctione, relinquetur annus MCCLXXIV. quo quidem illud hoſpitale
,, conſummatum fuit, vel ſaltem inſcriptus lapis.

Vide ſup. ad annum 1272. n. 2.

,, IV. Interea vero Znoimæ in Moravia Monaſterium Sanctimonia-
,, libus Clariſſis a piiſſimo Rege Ottogaro, ut dicebamus, inchoatum, &
,, hoc anno conſummatum ſub invocatione Beatiſſimæ Virginis Mariæ in
,, cœlos aſſumptæ, Moniales quatuor Aſſiſienſes, quas, annuente ſum-
,, mo Pontifice Gregorio X. e Conventu ſancti Damiani idem Rex ad-
,, duci curaverat, magna cum lætitia & veneratione excepit; Inter eas
,, autem venerabilis ſerva Dei Eliſabetha Orphianiſſa de Aſſiſio, una
,, ex relictis diſcipulabus ultimis ſanctæ Claræ mire ſplendebat; ab illis
,, ergo quatuor piiſſimis Virginibus, recenti ſpiritu ſanctæ Claræ, pau-
cis

Monaſter. Znoimæ.

Vide ſup. ad an. 1571. n. 3.

Eliſabeth. Orphianiſſa floret.

,, cis ante annis defunctæ, regium illud Monaſt. ſub cura Fratrum Mi-
Sub regimine Fratrum. ,, norum, in diſciplina regulari optime fundatum, adeo mirifica Sancti-
,, moniæ fama elucebat, ut plures ſanguine illuſtriſſimo Duciſſas, Prin-
Mon. Prov. Bohemiæ. ,, cipes, & Comitiſſas alexerit, quæ in eo voluntario ergaſtulo, Deo
,, ſincero & humili corde ſervientes, ſancto fine tamdem quieverunt:
,, inter quas Sophia Ducis Auſtriæ filia: Margarita Saxona ex Saxoniæ
Nobiles plurimi in eo. ,, Duce orta: & hæ quidem cum ſuis inſtitutricibus in arcta paupertate
,, primi Inſtituti ſanctæ Claræ vivehant, licet tantis ortæ natalibus,
Vide ſup. ad annum 1271. n. 3. ,, haud alia ratione motæ, niſi, quod ſuper omnia diligendi Deum, quæ-
,, que mundi omnia diſplicere debeant, nec terrenis uti, niſi ad neceſſi-
,, tatem prætereuntis vitæ: unde in Magiſtris præeunte exemplo, zelo
Venceslaus Rex illud dotat. ,, perfectionis adipiſcendæ actæ, præcedentium æmulæ, ad eumdem
,, apicem contendebant: poſtmodum vero a Venceslao Bohemiæ Rege,
Vide infr. ad an. 1299. ,, & filio Ottogari fundatoris temporalibus bonis dotatæ, & locupletatæ
,, fuerunt, ut ſuo loco dicemus.
Juliodun. Oppid. Wadd. ad ann. 1275. n. 14. ,, V. Julioduni, ſive Loſduni apud Pictones nobiliſſimus Dominus
,, Joannes de *Berriæ*, Dominus Ambaſienſis, vir pius atque devotus,
Joan. de Berriæ 3. Ord. ,, tertii Ordinis ſancti P. Franciſci, boc anno ad ſuperos migravit, ejuſ-
,, que corpus, cum ibidem in noſtra Eccleſia, & ante majus altare
Mon. Prov. Tur. Majo. de an. 1680. ,, die VII. menſis Julii ſepultum fuerit. Ante hæc tempora eo in loco
,, Fratrum Minorum extitiſſe Cœnobium, ſolo nomine Waddingo co-
Fundavit Dominus de Boslay Conv. ,, gnitum prodit: licet vero ejus primordia certo ſuh tempore quo fue-
,, rint, ignorentur: nihilominus fama narrat, ab Illuſtriſſimo quodam
Vide infr. ad an. 1286. n. 2. ,, Domino de *Boslay* fundatum fuiſſe, ut monumenta Provinciæ Turoniæ
,, Majoris in Cuſtodia Pictaviæ referunt.

ARGUMENTUM.

Nuncii Tartarorum, feliciter abſoluta ſua legatione, Lugduno diſcedunt. Oriuntur quædam ſimultates inter conſodales Italos, Picenos præſertim. Moritur Bela IV. Rex Hungarorum, Ordini valde addictus. Naſcitur ejus pronepos ſanctus Ludovicus Siculus, & magna exhibet inditia futuræ ſanctitatis. Referuntur quædam hujus temporis miracula a ſancto Antonio patrata; & extruuntur quædam Monaſteria.

An. 1274.

I. DETINUIT uſque in hunc annum Legatos Tartarorum, de quibus nos anno ſuperiori unius ex eiſdem infirmitas, & mors ſubſequuta. Ceteros remiſit Pontifex curialiter, promiſitque ſuos ſe miſſurum Legatos ad Regem, cui ſequentes litteras reſcripſit.

Abagha Regi Tartarorum Illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Ex reg. noſtro veteri, & ex Con. Lugdun.

EXcellentiæ tuæ litteras, & Nuncios latores ipſarum, quorum alterum poſtmodum ſors, ut dicitur, humana ſubduxit, ad noſtram præſentiam venientes, una cum ſacro Concilio adventus eorum tempore, in noſtra præſentia congregato, in quo ſicut per ſuperſtitis relationem intelligere poteris, Principum & Prælatorum multitudo copioſa & veneranda convenit, cum animi lætitia & vultus ſerenitate recepimus, & litteris in communi perlectis, ac Nuntiis ipſis benigne in omnibus, quæ proponere voluerunt, au-

auditis, corde contrito, & humiliato ſpiritu exoravimus Altiſſimum, ut ipſe qui eſt lux vera, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, tibi & tuis ſua pietate concedat, ſic ſemper in lumine vultus ſui lumen veritatis agnoſcere, quod in ſuis beneplacitis ambulantes ad exaltationem fidei Chriſtianæ, veſtramque ſalutem, indefeſſo propoſito intendatis. Ceterum ſuper iis, quæ per Nuntios & litteras prædictas tua Magnificentia intimavit ante Chriſtiani exercitus ad Tranſmarinas partes adventum, diſpoſuimus ad tuam præſentiam legatos noſtros, prout opportunitas permiſerit, deſtinare, qui & Magnitudini tuæ ad illa plene reſpondeant, & te nihilominus ad alia, quæ ſi aures illis exauditionis præſtiteris, tuam tuorumque ſalutem, & utilitatem communem reſpicient, ſolerter inducant. Datum Lugduni III. *Idus Martii anno* III. — *Joan. 1. 9.*

II. Dum celebraretur ſuperiori anno Lugduni Concilium, ſubortus & ſparſus eſt inanis quidam rumor inter Fratres Italiæ, præſertim in Provincia Marchiæ, Pontificem voluiſſe cogere Minores & Prædicatores, ut poſſeſſiones, & propria bona ſtabilia admitterent in communi. Ut hominum ſunt diverſa ſtudia, ita & diverſæ natæ ſunt opiniones inter Fratres, quibuſdam dure ferentibus vel ita præmeditari Pontificem, aliis aſſerentibus ita ſecurius & pacatius Fratres victuros, tollendoſque a multorum cordibus ſcrupulos innumeros. Concepti ſermones retineri non poterant, quin prodirent in apertum, atque in contentiones, & lites abiret diſputatio, nimis acriter quibuſdam ſuam opinionem urgentibus. Hi contendebant, ſtatuta quæque Pontificis ſancta & recta eſſe, atque proinde ab omnibus humiliter obſervanda; neque ulterius eſſe diſputandum, dum ſufficeret Pontificem præcepiſſe. Illi dicebant minus conſulte, non licere Pontifici immutare ſtatum a Deo revelatum, ab aliis Pontificibus confirmatum, & Apoſtolica vita commendatum. Adeo proceſſit ſtudium nimis vehemens, & indiſcretum partium, ut Pontificis circa rem hanc ſtatuendam auctoritas vocaretur in dubium, conſtiparenturque varia hinc inde argumenta. Qui Pontifici per omnia obediendum ſecurius docebant, egerunt ut hoc anno animadverteretur in contrarium ſentientes, & diligens fieret contra eos inquiſitio, cogerenturque tamquam erronee opinantes ad palinodiam. In gravi Patrum conſeſſu ex præcepto ſuperiorum receſſerunt a ſua ſententia omnes, præter Raymundum quemdam, Petrum Maceratenſem, & Thomam Tolentinatem, qui conſtanter in fidei teſtimonium poſt aliquot annos paſſus eſt apud Indos, ut ſuo loco dicemus. Hi pertinaciter in ſua perſiſtentes opinione commoverunt contra ſe reliquos Fratres, qui eos habitu ſpoliarunt, & in quibuſdam eremitoriis carceribus tamquam ſchiſmaticos manciparunt. Elapſo altero anno, iterum ad Provincialem Synodum evocati, novis rationibus & argumentis ſuum placitum inculcantes, per tres dies cum ceteris diſputarunt, donec cum iis ſeorſim vocatis, vir prudens, & veteranus Doctor frater Beniaminus ita cordate egit, ut ſuaviter eos flexerit in ſaniorem ſententiam. Qua ratione factum eſt, ut triennale diſſidium terminaretur, remanentibus nihilominus ſub ſecreto pectore ſtudiis diverſis, ac contrariis deſideriis.

Marian. lib. 3. c. 1.

Oritur quoddam diſſidium inter Fratres.

Anno 1321.

III. Hoc eodem anno in die inventionis ſanctæ Crucis, Bela IV. Hungarorum Rex ſanctæ Eliſabethæ germanus frater deceſſit in Inſula Budenſi. Eum tertio Inſtituto adjudicat Marianus; non ſuppetunt alii auctores, facile tamen credere licet, hoc vitæ genus admiſiſſe, qui ſub eo-

Moritur Bela Rex.

Bonfin. decad. 2. lib. 8.

Marian. lib. 2. c. 28.

Gonzaga in proœmis Prov. Ungar. Salvat.

eodem germanam ſororem tanta ſanctitate & miraculis florentem conſpexit. Rex fuit omnibus numeris abſolutus, licet armis infelix, quem univerſa Pannonia afflictim deploravit. Ordinem Minorum valde dilexit, cujus rei argumenta dedimus ſuperius. Illos ſolemniter ſub vexillo, uti habet Rodulphus, introduxit in Hungariam, ædificatis plurimis domiciliis, Strigonii præſertim in Pannonia nobiliſſimæ civitatis, ejus templo ſanctæ Mariæ, & propriæ ſorori Eliſabethæ dedicato, quod hoc anno, quo mortuus eſt, condidiſſe affirmat Gonzaga. Sed ante aliquot annos fundatum ex eo judicaverim, quod jam in eo ſtatu & menſura fuit ædia ſtructura, ut ante mortem vivus & ſanus rubri marmoris prope magnam aram nobile ſibi poſuerit monumentum; quo prius conditus eſt Dux Bela, filius natu major, deinde ipſe cum Maria Regina Imperatoris Græcorum filia. Poſt hæc Philippus Strigonienſis Archiepiſcopus gratiſſima ejus memoria percitus, uſurpata licentia Regis, corpus hinc in ſuam Baſilicam transtulit, ut regiam regio corpore Metropolitanam ædem honeſtaret. Minores ægre ferentes, tantum ſibi ereptum pignus ſui Templi decus, in Romanum hanc rem forum detulere. Agitata diu cauſa, tamdem judicatum, ut ereptum corpus in proprium referretur ſepulcrum. Illinc depoſitum cum Regina (quam etiam tertii Ordinis ſancti Franciſci ſectatricem, & Monaſterii Clariſſarum Campi-regum in Auſtria fundatricem vocat Marianus) & filio Bela, teſtantur hi verſus appenſi.

Tom. 2. anno 1235. n. 11. Rodulph. f. 218. Strigonii Monaſterium ædificat. *Gonz. in Prov. Ungar. S. Mariæ Con. 1.* Ibi ſepultus.

Aſpice rem charam, tres cingunt Virginis aram
Rex, Dux, Regina: quibus adſint gaudia trina.

Paucis interpoſitis ſequitur.

Dum licuit, tua dum viguit Rex Bela poteſtas:
Fraus latuit, pax firma fuit, regnavit honeſtas.

Naſcitur S. Ludovicus Epiſcopus.

IV. Ex hujus Belæ nepte Stephani V. filia, Maria, & Carolo Principe cognomento Claudo, Caroli Andegavenſis Siciliæ Regis filio, qui patri in Regno Neapolitano ſucceſſit, Nuceriæ Sarracenorum naſcitur hoc anno, vel ſuperiori menſe Februario, ſanctus Ludovicus, qui poſtea Minoribus nomen dedit, & Toloſanus Epiſcopus creatus eſt a Bonifacio VIII. Itaque in linea paterna patruum magnum habuit ſanctum Ludovicum Galliarum Regem, fratrem quippe ſui avi Caroli I. Siciliæ Regis; & ex materna alio ſuperiori gradu conſanguinea erat ſancta Eliſabetha Lantgravia Haſſiæ, genitricis nempe Mariæ proamita. In eo vero communiter errant noſtri auctores, quod Caroli Claudi primogenitum conſcribant, cum ſecundo ſit genitus, prius nato Carolo Martello, Principe Salernitano. Præter ceteros ita aſſeverat Robertus Licienſis, adducitque pro ſe bullam Canonizationis, quæ tamen nuſquam ſanctum Ludovicum appellat primogenitum, ſed dicit, eum *juri primogenituræ renunciaſſe, & regno, quod ſibi hæreditaria ſucceſſione debebatur*. Non debebatur tamquam primogenito, ſed quia frater natu major Carolus Martellus obiit, antequam perveniret ad Regnum, ſuperſtitibus adhuc parentibus, cui ille debebat ſuccedere in Regno Neapolitano, & Hungariæ dominio. Inditum ei Ludovici nomen in baptiſmate, intuitu ſanctitatis beati Ludovici Regis Gallorum, ut referret mores, cujus nomen exprimeret.

An fuerit primogenitus.

Piſan. confor. 3. Rodul. f. 120.

Pelbart. a Themeſ. ſerm. de S. Lud. Platus l. 2. de bono ſtatu rel. c. 26. Licius ſerm. de ſancto Ludovico. Bul. a Bonif. VIII Sol. oriens.

Ejus pueritia.

Nec parentes votum fefellit; nam puer minime indulgebat puerilitati, ſed pietate & gravitate morum mature ſenex, ætatem probitate, ſpem parentum incredibili virtute ſuperabat. Animum nec quidquam voluptati relaxavit: ſe conformans ad divinum cultum, Deo ſtudebat magnopere

pere placere. Quaſi alter Salomon *optavit, & datus eſt illi ſenſus: invocavit, & venit in eum Spiritus ſapientiæ*, qua præditus coætaneos quibuſcum educabatur, deliciis, jocis, luſibus puerilibus, more principalium liberorum occupatos, nonnumquam ſubterſugiebat, ipſis ſenſu major, non annis: ſtimuloſque præſentiens divini amoris, totum jam ſe tunc conſecrabat precibus & pietati. Septennis cum adhuc delicate ac molliter veluti Regis filius haberetur, inventus eſt ſæpius, ſpreto lecto, humi cubuiſſe in tapetibus. Itaque, ſicut Joannes Baptiſta, pœnitentiam agens in pueritia, molles ac delicatas voluptates cœpit ineunte ætate abhorrere: mature ad eam ſe vitæ normam componens, quam ſemper teneret, quaſi jam tum intelligens, quod nondum legerat, *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea*: tenero animo totius probitatis gravitatem percepit, quam quoad vixit, perſeveranter ſervavit. Frequentabat aſſidue ſcholas Spiritus ſancti, Templa & Monaſteria; tempeſtive cogitans, quod poſtea devotius implevit. Manſuetudine, lenitate, patientia, elegantia morum, & maturitate erat incredibili, & ſupra quam dici poteſt, tractabili ingenio. Hæc probitatis initia in tenello puero, tamquam in herbis, ſignificabant, quæ, quantæque fruges eſſent futuræ virtutis, & ſanctitatis. Hæc de ſancti Viri prælibavimus pueritia ex fido & coœvo auctore, qui plurima ejus acta vel præſentem ſe vidiſſe, vel a Regina genitrice ſe accepiſſe, commemorat. Cetera ſuis locis dabimus pro annorum ratione. „ Hoc anno creatus eſt Epiſcopus ſancti „ Marci in Calabria frater Petrus Minorita per obitum Mirabelli die „ VII. Aprilis.

Sap. 7. 7.

Prov. 22.6.

ADDITIO Patris Lucæ Waddingi. Fr. Petrus Epiſc. S. Marci.

V. Multa per hæc tempora patravit ſanctus Antonius miracula in ſolo nativo Luſitaniæ. Illa refero ex Anonymo auctore legendæ MS. & vetuſtæ. Oppidi Linhares Domina, Lupa nuncupata, per annos tredecim dæmone uſa eſt pro Cubicularia, quo inſtigante, magnam exercebat tyrannidem in ſubditos, & occulta plurima patrabat facinora: illud dumtaxat boni reliquum erat, quod fidem non denegaverat, & cœlites aliquos, præſertim Franciſcum Aſſiſiatem, & Antonium Patavinum devote veneraretur. Ad extremum vitæ articulum tandem deventum eſt, in quo tot ſcelerum veniam ſe conſecuturam deſperabat, unde neque pœnitentiæ, neque Euchariſtiæ Sacramenta ſibi profutura credebat. Dum miſera & deſolata jaceret, nec quiſquam poſſet eam ad confitenda peccata reducere, apparuerunt in cubiculo Minoritæ duo, quorum ſenior poſt commendatam Sacramentalis confeſſionis virtutem, & emollitum pectus fœmineum; Age, inquit, ne prævaleat fraus inimici; Dei miſericordia tuam ſuperabit iniquitatem, modo omnem ex animo confitearis. Ego Deum dabo propitium, dum tu, ipſo auxiliante, te reddas contritam: & virtute meritorum Chriſti tibi vitam æternam promitto, dum brevi hac vitæ morula doleas de commiſſis. In me ſit omnis maledictio, dum perfecta peccatorum adſit confeſſio. His excitata verbis, meliorem concepit ſpem, & rite confeſſa proprio Sacerdoti, pauperem ſibi petiit veſtem donari ab iis, qui & donandam promiſerunt vitam æternam. Hac induta, & Sacramentis ultimis perceptis, placide obdormivit in Domino, diſparentibus ſubito optimis magiſtris. Qui aderant, ex ſignis & perpetuo mulieris in Divos amore, non temere judicarunt, ſanctos fuiſſe Franciſcum & Antonium; & defunctæ cadaver curarunt in Templo Minorum urbis Guardiæ ſepeliri. Paulo poſt extra oppidum præfatum, quidam Ordinis Equeſtris audivit lamentabiles voces mulieris plorantis,

Anonym. c. 41.

SS. Franciſcus & Antonius de ſua ſalute deſperantem faciunt ut reſipiſcat.

tis, ſe tredecim annos mancipium adeo infructuoſe perdidiſſe; Adjuravit Eques in Chriſti nomine, ut quæ eſſet? & cur ploraret? exprometet: Coacta indicavit, ſe obſequiis Dominæ Lupæ tot annis addictam, ut multis peccatis obnoxiam in Infernum deduceret; capitiatos vero duos Minoritas, quos illa in vita valde dilexit, ad interitum propere tendentem ſibi e manibus præripuiſſe. Vera autem me tibi revelaſſe ex hoc, inquit, ſiguo comperies, quod cum ad Oppidum perveneris, audies populi rumorem de occiſa per fabrum ferrarium propria uxore; at ille capietur, & impœnitens agetur in furcas; ego vero uxoricidii auctor utriuſque in peccato mortui animas mihi lucror, per quas unius mihi ereptæ damnum compenſo. Ut appulit vir ille, omnia ſibi vere prædicta, probavit.

Idem c. 43.

VI. Ambo hi Sancti fœminam alteram ab imminenti malo liberarunt in villa Serpæ ejuſdem Regni. Habuit hæc virum incontinentem, vagos concubitus appetentem, & ſibi valde moleſtum. Sepius, ut liberius ad alienas liceret accedere, propriam uxorem volebat defunctam, & calcibus verberibuſque affectam, duriſſime tractabat. Illa zelotypia, & dolore impulſa miſeræ vitæ finem potius imponere, quam prolixam perferre mortem excogitavit. Laqueo itaque ſe ſtrangulare parat nocte quadam, dum maritus cum alia laſciviebat; ſed dum collo funem injicit, præpropere pulſatur oſtium, quod dum illa reſeratura abit, offerunt ſe ei Fratres duo Minores. Sciſcitanti quinam eſſent? reſponderunt e regione longinqua ſe veniſſe, & unum Franciſcum, alterum Antonium appellari. Pro amore, inquit, SS. Franciſci & Antonii, quos ex corde veneror, ingredimini, & hac nocte apud nos requieſcite. Refectione appoſita, familiarius initur colloquium, & eo uſque ſe fidit hoſpitibus afflicta mulier, ut conſcios fecerit patrandi delicti. Prædicarunt illi horrendum eſſe ſibi manus injicere, & terribilius mox incidere in manus Dei viventis, pleneque perſuaſerunt, ut abſtineret a crimine. Strato Fratribus lecto, pia mulier abiit cubitum, ſed hoſpites alio abjerunt ad lectum illum, in quo vir hujus cum concubina jacebat, cui apparentes gravitatem expoſuerunt peccati, & propriæ uxoris deſperationem. Addiderunt & ſignum, adhuc reſtem eſſe in cubiculo, quo ſe volebat ſuffocare, niſi illi ſuperveniſſent. Abi, inquiunt, domum tuam, pete ab ea funem, quem ſibi paravit in laqueum, & fac ut cuncta tibi ex ordine referat, ut videas, quo in ſtatu ſunt res tuæ: tu animam, illa perdit & vitam. Receſſit ſtatim ab amaſia vir viſione perterritus, & domi comperit vera eſſe, quæ vidit, & audivit, mulierque expavit, non inveniens in lecto neque hoſpites, neque ſignum aliquod accumbentis. Tanto prodigio commotus vir receſſit a via ſua mala, & pacifice deinceps vixit cum uxore.

Aliam a parata ſibi morte, & maritum liberat a crimine.

Idem cap. 44.

VII. In eodem Regno & vico Elbron, non longe a celebri oppido, quod *Turres novæ* nuncupatur, dum mulier quædam ex contemptu nollet feſtum diem ſancti Antonii cum ceteris obſervare, portaretque in vertice tritici pondus ad molam, ſubito exorto turbine, dejecta in terram, ſacco deſuper irruente, repentino caſu & gravi pondere animam exhalavit. Deportata eſt ſtatim anima per Angelum ad locum pœnarum, ubi inter cetera tormenta, vidit pœnas acerbas infligi Sanctorum contemptoribus: hinc deducta ad gaudia paradiſi, vidit magno ſplendore, & venuſtate fulgentem ſanctum Antonium, & ſummo gaudio ejus ſolemnia a cœlicolis celebrari. Singula videnti myſterioſa quæque bonus dux declaravit, tantumque temporis in his rebus perſpiciendis & excipiendis con-

Feſti diei contemptrix plectitur morte.

Revocatur ad vitam.

conſumptum eſt, ut corpus ad Turres novas deportatum, juſtis ſolutis, jam fuerit ſepulturæ tradendum, cum ecce repente reſumpta anima, vegetum & ſanum coram omnibus apparuerit, & rei ſeriem omnem cum timore & tremore mulier aſtantibus retulerit. Sibi etiam eamdem ipſam mulierem diſtincte, & ſub juramento narraſſe viſionem hanc, ſuamque reſurrectionem, ſcribit auctor legendæ.

VIII. Frater Bernardinus Parmenſis Minorita tumore gutturis loquela amiſſa, & ſummo imminente vitæ periculo, poſt probatam omnem medicinæ virtutem, ad ſancti Viri ſepulcrum ductus, ſaniem multam expuens, repente loquutus gratias reddidit, laudes concinens tanto benefactori. Fratrem alterum Cambium dictum herniosum attacti ſepulcri virtus ſanum reddidit. Puerulus unius anni & octo menſium, Thomaſinus dictus, ſubmerſus in magno echino ſeu aquaminario vaſe, a parentibus, qui prope Eccleſiam Sancti habitabant, ad ſepulcrum ejus oblatus, emiſſo voto de pendendo dono honorario, ſtatim revixit. Beatricem, Fulginatis diœceſis mulierem, fœdo cancro, & periculoſo tumore laborantem, in viſione apparens, ſanavit; quæ protinus Patavium abiit, votum adimpletura de Sancti viſitando delubro.

Item cap. 47. & ſeqq. Chron. antiq. Marc. 1. p. l. 5.

Alia ſancti Antonii miracula.

IX. Circa hunc annum converſus eſt in inſula Balearium Raymundus Lullus a vana mundi converſatione, ad vitam frugem & ſpiritualem. Etenim ſtatim, ut facta eſt ſuper eum manus Domini, egit de addiſcenda lingua Latina jam pene quadragenarius (uti ſcribit vir doctus Carolus Bovillus in ejus vita, quam inter vitas Patrum & Eremitarum Occidentis nuperrime edidit Benedictus Gononus Monachus Cœleſtinus Lugdunenſis.) Si vero anno nativitatis ejuſdem, quem nunc ſubjicimus, addas ferme quadraginta, recurret in hoc tempus ejus converſio. Hinc vitæ enarrandæ nos exordium ſumimus; ſcripturi ex probatis auctoribus, & vetuſtis monumentis, quæ ſincerius & candidius enarrata comperimus. Non ignoramus ancipitem & ſcrupuloſam nos aſſumere Provinciam ex antiquis ſchedis & vetuſtis ſcriptoribus haud ubique obviis, neque adeo ſibi in omnibus conſonis, eruendi veritatem, ſcribendique hominis vitam, quam non omnes probant; imo plerique indefeſſo conatu condemnant, cujuſque doctrinam variis argumentis explodunt, alii vero ſtudioſius defendunt. Mirum eſt, quanto impetu utrinque ferantur affectibus, ut illis non videatur orthodoxi nomine dignus, qui orthodoxum dixerit Raymundum: hi vero impium putent, qui pie hominem non laudet, quem pro Chriſti fide occubuiſſe, conſpirant. Suo, quo velint, ferantur ardore; ego quod probabilius & ponderoſius inter ſinceriores comperero auctores, exſcribam; neque ſtudio aut bile me duci permittam, ut vel hominem ultra juſtum aut æquum commendem, vel contradictores ultro condemnem. Cenſorum nolim agere arbitrum, neque inter litigantes ferre judicium; ſed tamen præſtabo, ut enarratis, quæ veriora videntur, meam tam de ipſo homine, quam de ejus doctrina ad vitæ calcem, ſeu mortis annum ſententiam adjiciam.

Vid. ipſum in lib. arboris ſcientiæ in prologo, & in fine; necnon in libro de contempl. cap. 107. & 129.

Cōvertitur Raymundus Lullus.

X. Natus eſt in Inſula & Civitate Majoricarum in vico ſancti Michaelis, patre Raymundo Lullo, & matre ex generoſa familia Herilium, nobilibus Catalanis anno MCCXXXVI. Scribunt enim, occubuiſſe anno MCCCXV. ſuæ ætatis ſeptuageſimo anno. Hoc ejus vitæ tempus ſi ex poſteriori detraxeris numero, incidet nativitas in illum, quem ſtatuimus annum uno, vel altero plus minuſve. Ut humaniores addiſceret litteras & artes liberales ſummopere deſiderarunt parentes; averſum tamen hie ha-

Quando natus.

Carolus Bovillus. Joannes Segui Vita MS. Proceſſus de eodem facti. Anton. Daza in fine 4. pa. Chron.

habuit animum ab omni genere ſcientiarum, & palatinæ vitæ addictum. Genium ejus conſiderantes progenitores, inter pueros Regios admitti curarunt, cum quibus adolevit, curialis erga omnes, & promptus in obſequiis, donec ad ſuperiorem evectus ordinem, factus eſt Seneſchallus Jacobi Regis Majoricarum, & regiæ domus Præfectus. Pro more aulicorum, mundaliumque virorum totus inter amores vivebat, inque ſuis amoribus non modo flagrantem juventam, ſed & potiorem vitæ partem inaniter conſumpſit, in dictandis Dioneis cantilenis præcipue intentus.

Nobile ſortitur officium in domo regia.

Profanis amoribus implicatur.

Diligebat autem præ ceteris dominam quamdam, venuſta quidem & eleganti facie: duo tamen erant, quæ illam in ejus amplexus venire haudquaquam ſinebant. Primum erat legitimi viri thorus; ſecundum, occultus cancri morbus, qui quamquam ſub veſte lateret, illius tamen pectus jam uſque adeo exederat, ut ejus præcordia nudarentur, utque dirus fætor inde exhalaret. Inſanabilis erat hæc cancri peſtis in pectore mulieris; ſed longe inſanabilior cupidinei amoris cancer mentem laniabat Raymundi: tam enim veſano atque illicito obrutus amore, qui cœcus in primis erat mente, corporeis etiam pene oculis cœcus a cunctis videbatur. Nam cum quadam die Raymundus equo conſcenſo in foro ſpaciaretur, videretque eam, quam fatuo amore diligebat, in vicinum Templum divinæ precis cauſa profectam; mox tametſi eques, illam in Templum proſecutus eſt, ex quo confeſtim velut amens & incompos ſui factus, cum ingenti omnium riſu, explodi meruit. Dolens vero mulier, tantum virum, & qui honeſto magiſtratu apud Regem fungebatur, illiciti ſui amoris cauſa, & veſanum fieri, & verti in fabulam vulgi, cogitavit, quibus mediis illum, & ab amore ſui averteret, & ad mentis ſanitudinem revocaret. Advocato ergo ſemel, ut a marito impetrarat, in colloquium Raymundo, eoque in cubiculum introducto, illi extemplo pectus, ut cancrino erat exeſum morbo, utque teterrimo odore ſqualebat, nudare haudquaqnam erubuit, ſimulque verba hæc illius auribus inculcavit. Vide quid o Raymunde diligas, agnoſce quam olidum cadaver ipſe tantopere ames? Studium quod hactenus erga me tam ſtulto amore impendiſti, Chriſto cautius fuit ab te dicandum; potuiſſes equidem jam ab illo regna promeruiſſe cœleſtia. His verbis dum vir inſipiens a ſapienti muliere corripitur, infirmus ab infirma ſanatur, cancer a cancro expellitur: nam cancer amoris, qui mentem Raymundi laniabat aſpectu cancri alterius, qui pectus muliebre jam fere conſumpſerat, momento diſparuit: tanto enim perfuſus animi dolore Raymundus, videns ſeipſum ſapienter a fœmina coargui, inſuper quod & tanto tempore ſolius faciei nitore deceptus, ea minime cognoviſſet, quæ ſub veſtibus latebant: illico domum rediit, ſeque orationi ſubdens, omnem ſuam operam ſummis votis Chriſto impoſterum dicavit.

A ſtulto amore reſipiſcit.

Apparet ei Chriſtus crucifixus.

XI. Apparuit mox eidem ſacra quædam ac propitia viſio, imago, inquam, Crucifixi, in hæc verba ipſum alloquentis: *Raymunde, ſequere me*. Cumque hæc cœleſtis viſio frequentius ad eumdem contra ſtimulum calcitrantem ex divina bonitate iteraretur, ſtatuit apud ſe, abjecto divitiarum faſtu, dimiſſa familia, relinquere mundum. Cuncta igitur vendidit, præter ea, quæ relevandis conjugi & familiæ erant neceſſaria, pretiaque pauperibus erogavit. Orare deinde totis viribus cœpit Dominum, ut ei lumen & gratiam largiri dignaretur, qua liber a ſe edi poſſet, quo Mahumetæam legem reprobam eſſe perdoceret, & Sarracenicam gentem ad fidem Chriſti quibus poſſet rationibus, alliceret. Perfe-

ſeverans ergo plurimis diebus in oratione, mirabiliter fuit tota mente illuſtratus; ita ut generalem quamdam artem ceteris ſcientiis addiſcendis præſtruxerit, deinde libros innumeros adjecerit, in eum præcipuum finem, ut Sarracenos ab impia ſecta, & Chriſtianos a vitiis retraheret. Poſt viſionem admiratus eſt, ſe prius idiotam, & totius litteraturæ expertem in momento ſcientiarum diſciplina imbutum, quam ut facilius aliis poſſet communicare, abiit ad ſanctuaria ſanctæ Mariæ Rupis ſciſſæ, ſancti Jacobi ad Compoſtellam, aliaque devotionis loca, ut rem omnem ſanctis Patronis interceſſoribus enixius Deo commendaret. Voluit deinde Pariſios proficiſci, ſed iter tunc diſſuaſit ſanctus Raymundus a Pennaforti. Reverſus in patriam, aliqualem dedit operam Grammaticæ, ſed pleniorem Latini idiomatis aſſequutus eſt Lutetiæ notitiam, Thoma quodam præceptore. Deinde cœpit Latio ſermone lumen, quod acceperat, aliis coætaneis impertiri, & multis voluminibus ad poſteros tranſmittere. Ex deſiderio convertendi Mahumetanos, qui arabice ut plurimum loquuntur, ab emptitio ſervo illorum idioma apprehendit: hic tamen vel timens, uti quidam volunt, ne heri doctrina Mahumetææ legi pernicioſa fieret, cum eo præſertim fine arabicam addiſceret linguam; vel quia Chriſti legi blaſpheme detrahentem gravius corripuit, uti ſcribit Anonymus coætaneus & familiaris Raymundi, eum adorſus gravi vulnere ſauciavit, mortem, ſi poſſet, illaturus. Prævalens autem herus, inſido & temerario ſervo gladium extorſit, & ut clemens erat, eum ab amicis occidere volentibus, liberavit; carceri tamen mancipavit. Sarracenus vero partim dolore quod irritus evaſerit conatus, partim rabie & furore actus, fune, quo erat ligatus, miſeram animam emiſit.

Donum ſcientiæ accipit a Domino.

Grammaticę dat operam.

Et linguæ Arabicæ.

Occidere eum tentat ſervus emptitius.

XII. Poſt aliquot dies Raymundus abiiſſe dicitur orationis cauſa in quemdam montem, non longe a domo ſua diſtantem, in quo cum ſeptem ferme dierum ſpatio orationi & meditationi incumbens, perſtitiſſet; tandem eo in cœlum intendente, novum lumen cœlitus accepit, eorum, quæ tantopere ſcire cupiebat. In eo quoque loco, quo ſtabat in monte, dum cœleſte lumen illi a Patre luminum indultum eſt, eremiticam cellulam ſibi extrui præcepit, in qua pluribus menſibus permanens, nocte dieque orationibus ac meditationibus vacans; nonnullis tandem cœleſtibus viſionibus viſitari a Deo meruit. Mirum prorſus & admirabile, quod deſcendenti de monte, & ad radices ejuſdem inter quaſdam vineas ſub arbuſto quodam Hiſpanis *lentiſco*, de ſua arte meditanti, & per integram noctem divina contemplanti accidiſſe refertur: illius nempe arboris frondes univerſas ſequenti aurora delineatas apparuiſſe diverſis generibus caracterum, Græcorum, Arabicorum, Chaldeorum, & Latinorum: quod præterquam ſcribant plures, & affirment, qui ex illa prodeunt Inſula; adhuc perpetuo viret & patula eſt prodigioſa arbor, cujus aliquot ramuſculi huc Romam delati ſunt, ſeque ſæpiſſimæ eam vidiſſe & folia decerpſiſſe mihi retulit perilluſtris D. Paulus Duran ſacræ Romanæ Rotæ, nunc in Urbe Auditor, dum Vicarii Generalis & demum Viſitatoris Generalis Regii munere in illo regno fungeretur. Portentum illud ita interpretati ſunt aliqui, ut voluerit Deus diverſis adeo litterarum notis prædicere, ei proficiendum & prædicandum fore inter univerſas illarum linguarum nationes, quod & ille poſtea opere complevit. Cetera ejus acta in ſuos quæque annos tractanda, reſervamus.

Mire a Deo illuſtratur.

Prodigioſa arbor ſub qua requievit.

XIII. Hoc

Additio Patris Lucæ Waddingi.

Frater Timideus Epiſcop. Veronen.

,, XIII. Hoc anno frater Timideus, ſive Timides promotus eſt ad
,, Epiſcopatum Veronenſem, de quo ita ſcribit Onuphrius Panvinus in
,, ſuo de Antiquitatibus Veronenſibus opere: *Epiſcopatum Veronenſem*
,, *poſt Guidonem Scaligerum hoc anno adeptus eſt Timides, frater Ordinis*
,, *Minorum ſancti Franciſci, vir pius & eloquens, atque in exponendis ſacris*
,, *litteris exercitatus. Hic annos tres tantum Epiſcopus fuit, obiit enim anno*
,, MCCLXXVIII. *cujus in antiquo Codice Baſilicæ ſanctæ Euphemiæ Veronæ*
,, *ſic mentionem fieri inveni. Anno Domini* MCCLXXV. *die Dominica* VII.
,, *Auguſti fuit poſitus primus lapis Eccleſiæ novæ per Magiſtrum Bonin-*
,, *contrum Eccleſiæ majoris Archipresbyterum, de licentia & mandato Do-*
,, *mini Guillelmi Ferrarienſis Epiſcopi, tunc Apoſtolicæ Sedis Legati, &*
,, *erat illo tempore frater Timideus electus Epiſcopus Veronenſis, & nondum*
,, *confirmatus.*

Gonzag. in prov. Franc. Conv. 24.

Conv. Bernay.

XIV. Hoc anno Conventus Bernay, urbis in Normanniæ tractu, Lexovienſique Ducatu, in valle pingui ſita, montibus circumvallata, extructus eſt communibus eleemoſynis civium, & liberalitate Philippi Regis ſancti Ludovici filii, cujus benevolentiæ teſtimonium habetur in regio ejuſdem diplomate, quod Fratres in ſuo cuſtodiunt archivo. Dedicata eſt Eccleſia ſancto Joanni Baptiſtæ, in quo aliquando ſanctus Bernardinus prædicavit, ut alias referemus, ſub anno MCCCCLIII. quo etiam inſigne ejuſdem dabimus miraculum. Irruerunt in ſanctum locum Hugnoſtici anno MDLXVI. neque incolis, neque ſanctis pepercerunt, quin omnia pro ſua feritate peſſundarent. Exulare coacti Fratres, iterum redierunt, & profanata omnia, prout poterant, reſtituerunt. Albiæ vel Albigæ urbis Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Bituricenſi in Gallia Occitania ad Tarnem fluvium, unde exortam hæreſim Albigenſium alias diximus, Monaſterium ante hunc annum ædificatum ex vetuſto quodam monumento ejuſdem ædis conſtare, narrant Franciſcus Gonzaga, & Chronica MSS. illius Provinciæ ad me miſſa; cujus primam Eccleſiam fabricari fecit Petrus Borreſa matricis Eccleſiæ, ſanctæ Ceciliæ ſacræ Sacellanus, qua poſtea in bibliothecæ uſum accommodata, aliam ampliorem & elegantiorem conſtruxit poſt annum MCCCCLXXIII. Ludovicus de Ambroſia major, & patruus, nam & alius hujus nominis nepos ejuſdem ei ſucceſſit in cathedra, S. R. E. Cardinalis. Is ipſe, volente Carolo VIII. Rege, impetravit ab Innocentio VIII. ut anno MCCCCXCI. transferretur domicilium a Patribus Conventualibus ad Obſervantes.

Idem in Provin. Aquitan. antiq. Conv. 6.

In apparatu Annal. §. 1. n. 4.

Conv. Albigenſis.

Gonz. cit.

Claud. Robert. de Epiſc. Albien.

Gonzag. in Prov. Turon. Conv. 22.

Conv. Pictavien.

XV. Pictavii, vulgo *Poictiers*, in Aquitania conceſſus Minoritis hoc anno per Gregorium Pontificem locus Fratrum de Sacco, quorum inſtitutum in Concilio Lugdunenſi paulatim extingui decrevit. Hac acceſſione auctum eſt Minorum domicilium, conſtructum per Hugonem & Guidonem a Lezigniaco prope regiam, ſacellumque divæ Catarinæ ſacrum, cujus patrocinium & titulum aſſumpſit: quo vero id anno factum, non comperitur inter Monaſterii ſcripturas; mentionem tamen faciunt liberalitatis & beneficiorum Alphonſi Comitis Pictavorum ſancti Ludovici fratris erga hujus loci conſodales. Ex hoc Monaſterio prodierunt Viri illuſtres, præſertim beatus Gualterus Brugenſis Pictavorum Epiſcopus, de quo largius ſuo loco, & Hilarius Choun alterius Pictavienſis Epiſcopi Suffraganeus, qui Turoniæ Provinciam olim prudenter gubernavit. Caput erat Cœnobium hoc Cuſtodiæ Pictavienſis, quæ ex ſex aliis coaleſcebat Conventibus, Niortii, ſancti Maxentii, Partiniaci, Caſtriherardi, Julioduni vel Loſduni, & Thovarci; quorum hic nomina

An. 1306.

ſaltim

ſaltim recenſere placuit, dum ex hæreticorum furia monumenta omnia periere, ex quibus origines, vel res clariores erant percipiendæ. Demolientibus ædes hæreticis, paſſi ſunt in eiſdem pro fide Catholica invicti pugiles, Niortii P. Ruellon ſacræ Theologiæ Magiſter, & Pictaviæ Cuſtos; Loſduni Michael Deſmans, & Joannes de Malay nobilibus & præclaris parentibus ortus, necnon Ivo Boyer ſacræ Theologiæ licentiatus.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ XVI. Sub hoc tempus Monopoli Apuliæ Peucetiæ in litore Oſtuni, „ aliquot milliaribus a portu Brunduſino diſſita, urbe nobili, ſed parva, „ jam habitabant Minores. Ex diplomate enim Caroli Andegavenſis „ Regis Neapolitani habeo, hoc anno eis conceſſam fuiſſe licentiam „ conſtruendi Eccleſiam extra muros Civitatis, in ſolo Gazi Chinardi „ Archidiaconi Monopolitani. Regis litteras damus ad calcem hujus „ tomi; & alias, quibus jubet reſtitui Fratribus domos ſanctæ Mariæ „ de Palatio prope portum Neapolis, quibus alias deſtituti erant per „ quondam Galactum de Floriaco, Terræ-laboris Juſtitiarium.

Conv. Monopolitan.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Cistereienſi Ordini plurimis nominibus laudando, neſcio quam „ ob cauſam Ordinis Minoriti Fratres adeo fuerint exoſi, ut ſub „ gravi pœna diſtricte inhibuerit, ne in ſuis domibus, aut hoſpitiis per „ univerſum Orbem Fratres Minores ad comedendum, vel hoſpitandum „ reciperentur, prohibito etiam ipſis ullam eleemoſynam a ſuis erogari; „ quidquid cauſæ fuerit, quod corporis quidem totius eſſe non poterat, „ & ſi alicujus membrorum extitit; apud Ciſtercienſes cum eſſet injuriarum actio, miror ſine diſcuſſione, cauſam in puteum non oblivionis, ſed odii perpetui, projectam fuiſſe. His nihilominus non obſtantibus, Deus æquiſſimus ſuos Minoritas, vere a ſeculo converſos, „ ideſt vanitatum mundi oſores & deſpectores, qui in eo omnem ſuam „ ſpem repoſuerant, non dereliquit; eo magis in magnis Principibus „ mundi erga eoſdem cordialis, & pia creſcebat affectio, ut hiſtorici „ teſtantur; & Monaſteria iis eiſdem temporibus conſtructa ſeu fundata ſe intuentibus oſtendunt. Ingolſtadii Civitatis Bavariæ ad Danubium, noſtri Sodalitii Cœnobium beatiſſimæ Virginis Mariæ in Cœlos „ aſſumptæ dedicatum, munificentia Ludovici, & Annæ conjugum, ac „ Bavariæ Ducum, non longe a præfatæ Civitatis mœnibus hoc anno „ conſtructum, ut archiva manuſcripta Saxonica, & Annales Bojæ gentis docent: a quibus non diſſentire videtur Annaliſta: licet cum Gonzaga ejuſdem Cœnobii fundationem anno MCCXLV. reponat: enim „ vero in hunc annum potius rejiciendam eſſe, præfatorum Principum „ ætas, & regimen perſuadet. Quadraginta circiter his diebus Religioſi Fratres locum inhabitant, habentque ſua exercitia tam Theologica, quam Philoſophica, quibus ipſius Civitatis publica plurimum „ Academia favet. „ Ludovicus hoc nomine II. Bavariæ Dux, cognomento Severus, de quo ſupra memoratum eſt, uxorem Mariam, Ducis Brabantiæ filiam, zelotypiæ furore percitus, gladio ſubjecit. Seria „ deinde pœnitentia ſubiit Principem, qui expiandi ſceleris cauſa, Monachis Ciſtercienſibus in Furſenſelde Cœnobium extruxit: Minores „ vero egregia pietatis laude ſibi prolatos plurimis, maximiſque beneficiis ornavit. Idem hoc anno (non alio, ut Gonzaga putavit, a quo Wad-

Minoritæ exoſi Ciſt.

Sed Principibus grati.

Chron. MS. Prov. Bav. c.3.

Wad. ad ann. 1245. n. 26.

Ingolſtadii Civ.

In ea accipiunt FF. Cœnob. a Ludovico, & Anna Bav. Duc.

Bajard. Theatr. l. N. ex An. Eccl. To. 11. f. 19.

ADDITIO ALIORUM.

Ex Arch. Prov. Bavar.

Wad. ad ann. 1445. ,, dingus ipſe diſſentit) Ingolſtadienſis cœnobii fundamenta jecit, Annamque Sileſiæ reguli filiam, alteram conjugem in ſocietatem præclari ,, operis adhibuit, annuente Hildebrando Epiſcopo, qui Eſtenſem Ecclesiam per id tempus adminiſtrabat. Ædificium brevi abſolutum, ,, curante potiſſimum Ducis uxore, ac Vibrardo Palatii Præfecto, qui-
Germ. Sant. fol. 86. n.331. ,, bus id negotii Ludovicus, cum ipſe Ingolſtadio abeſſet, demandavit. ,, Interea quemdam Nicolaum noſtris anno MCCLXXV. floruiſſe ,, ex Annalibus Eccleſiaſticis recenſet Bajardus in ſuo theatro.

REGE-

REGESTUM
PONTIFICIUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

REGESTUM PONTIFICIUM.

ALEXANDER IV.

ANNO CHRISTI 1256. PONTIF. ANNO 2.

I.

Confirmat tranſlationem Præpoſiti & Capituli Eccleſiæ ſancti Naboris datæ Minoribus, ad Eccleſiam beatæ Mariæ, factam per fratrem Leonem Archiepiſcopum Mediolanenſem. Reg. Vatic. epiſt. 70.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis, ad rei memoriam ſempiternam.

§. I. LICET ea, quæ de mandato noſtro fiunt, robur obtineant firmitatis, ut tamen intemerata conſiſtant, eum noſtro fuerint præſidio communita, libenter eis adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem.

§. II. Sane cum Eccleſiam & clauſtrum ſancti Naboris Mediolanen. cum horto, viridario & aliis cohærentiis ejuſdem Eccleſiæ, dilectis filiis Præpoſito & Capitulo ipſius amotis exinde, dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum Mediolanen. & eidem Ordini conferri fecerimus, ut ibidem famulentur: nos volentes eiſdem Præpoſito & Capitulo ſuper hoc providere, venerabili fratri noſtro Mediolanen. Archiepiſcopo injunximus viva voce, ut in aliquo loco competenti in civitate Mediolanen. collocaret eoſdem, qui auctoritate mandati hujus prædictos Præpoſitum & Capitulum & Clericos ipſius Eccleſiæ, eorum ad hoc accedente conſenſu, ad Eccleſiam beatæ Mariæ ad Falcorinum Portæ Vercellinæ Mediolanen. transferens eos cum capellis ipſis ſubjectis, ac terris, poſſeſſionibus, caſalibus, decimis, & aliis juribus & rebus ſuis prædictæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, ac beneficialibus & clericis ipſius univit, ordinans quod præfati Præpoſitus & Capitulum & ſucceſſores ipſius, qui pro tempore fuerint, præſint tamquam Prælati prætactæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & eidem Capitulo & Collegio ſic unito.

Collegiata ſancti Naboris Minoribus conceſſa.

Vult Pontifex de alio loco Capitulum providere.

§. III. Porro idem Archiepiſcopus circa tranſlationem & unionem hujuſmodi quædam alia ordinavit, prout in inſtrumento publico inde confecto, ſigillato ſigillo ipſius Archiepiſcopi plenius continetur. Nos itaque volentes, ut quod ſuper hoc per eumdem Archiepiſcopum de mandato noſtro factum eſt, inviolabiliter obſervetur, tranſlationem, unionem & ordinationem hujuſmodi ratas & gratas habentes, ac ſupplentes defectum, ſi quis in eis fuit, de plenitudine poteſtatis: ipſas auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem ipſius inſtrumenti de verbo ad verbum præſentibus inſeri facientes, qui talis eſt.

Diſpoſita ab Archiep. confirmat.

§. IV. *Frater*

Inſtrumenti tenor.

§. IV. *Frater Leo de Ordine Minorum divina providentia ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſis & ſingulis has litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Noveritis quod Dominus Papa Alexander IV. Eccleſiam & clauſtrum ſancti Naboris Mediolanen. cum horto, viridario & aliis cohærentiis ipſi Eccleſiæ conceſſiſſet Guardiano & Ordini Fratrum Minorum Mediolanen. in utilitatem & uſus Ordinis prædicti, ut liberius poſſent divinis obſequi officiis, Præpoſito & Capitulo ipſius Eccleſiæ prædictum locum auferendo, ut tamen in competenti loco ipſius Civitatis collocarentur. Nos de ſpeciali mandato Domini Papæ nobis oretenus facto, præfatos Præpoſitum & Capitulum, Canonicos & Clericos ipſius Eccleſiæ ſancti Naboris hoc acceptantes, transferimus ad Eccleſiam beatæ Mariæ ad Falcorinum Portæ Vercellinæ Civitatis ejuſdem, unientes auctoritate prædicta Præpoſitum & Capitulum memoratos cum capellis eis ſubjectis, & cum terris, poſſeſſionibus, caſalibus, decimis, & aliis juribus & rebus ſuis præfatæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & beneficialibus ac Clericis ejuſdem Eccleſiæ, facientes & ordinantes auctoritate prædicta, ut memorati Præpoſitus & Capitulum, & beneficiales prætactæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ unum corpus & collegium exiſtant, & eſſe cenſeantur, & quod prædictus Præpoſitus & alius, qui pro tempore fuerit, præſit & præeſſe debeat tamquam Prælatus ipſi Capitulo & Collegio ſic unito, & Eccleſiæ prætactæ. Inſuper concedimus & deputamus, auctoritate mandati prædicti, prædictam Eccleſiam ſanctæ Mariæ, clauſtrum ipſius, domos cum horto, viridario & aliis rebus & domibus cohærentibus & adjacentibus prædictis Eccleſiæ, clauſtro & domibus ad communem uſum & utilitatem Præpoſiti & Capituli, & beneficialium prædictorum, non obſtante ſtatuto bonæ vitæ quondam Falcorini, qui dicitur fundaſſe & dotaſſe dictam Eccleſiam ſanctæ Mariæ, & ſtatuiſſe, ut tres præbendæ tantum ſacerdotales eſſent in dicta Eccleſia, & in ipſis tres tantum presbyteri ordinarentur, quas ſic ordinatæ in tribus ſacerdotibus, ut in priſtinum ſtatum, ſic volumus permanere, & quod electio deficientis vel deficientium Presbyterorum vel Clericorum ſpectaret ad ipſum Presbyterum, qui ſupereſſet major in ipſa Eccleſia, & qualibet alia ordinatione, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, aut alia quacumque vallatis, quibus unio hujuſmodi & translatio impediri poſſent, vel etiam perturbari. Porro ejuſdem Domini Papæ mandato ordinamus & diſponimus, ut fructus unius anni de tribus præbendis, quæ primo in ipſa Eccleſia vacaverint, colligantur & retineantur ad uſum ipſius Collegii ſic uniti, ut ex eis reficiantur domus ipſius Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & aliæ ædificentur de novo, in quibus Præpoſitus & Canonici ejuſdem Eccleſiæ commode valeant commorari. Nihilominus tamen fructus unius anni aliarum præbendarum, quæ vacaverunt, poſt ipſas tres præbendas, teneantur ad communem uſum ipſius Eccleſiæ deputandi & convertendi in utilitatem Eccleſiæ memoratæ, prout Præpoſito & Capitulo videbitur expedire, & decernimus Præpoſitum & Capitulum memoratos fore inducendos in corporalem poſſeſſionem prædictorum, & inductos defendendos, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, & de prædictis omnibus idem D. Archiepiſcopus juſſit mihi infraſcripto Gualterio notario ut facerem publicum inſtrumentum ſui ſigilli munimine roborari. Actum in civitate Romæ in contrada de Lateran. in qua moratur prætactus Dominus Archiepiſcopus, præſentibus Dominis Ugone Dalano Præpoſito de Riglono, & fratre de Ottolillo de Ordine Humiliatorum, & Presbytero Pagano de Bernate Canonico de Creſcenzano, & Lanfranco filio Ser Gaſpari de Molterio, omnibus rogatis teſtibus, & preſen. not. Henricus de Summa Canonicus de Summa anno currente* MCCLVI. *die Martis* XIV. *ante Kalend. Febr. Indict.* XIV. *Ego Gualterius*

terius filius quondam Ser Petri Antillii Burgi Portæ Orientalis civitatis Mediolani notarius & ſcriba prædicti Domini Archiepiſcopi, rogatus interfui & ſcripſi.

Nulli ergo omnino &c. noſtræ conceſſionis & conſtitutionis infringere &c. ſi quis &c. Datum Lateran. 10. Kal. Februarii anno II.

II.

Concedit iis amplum privilegium. Reg. Vatic. epiſt. 784.

Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Mariæ Novæ de Colazzo, juxta montem Politianum, ejuſque Sororibus, tam præſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

§. I. Religioſam vitam eligentibus &c. uſque *enervet*. Eapropter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium ſanctæ Mariæ Novæ de Colazzo, juxta montem Politianum Aretin diœc. in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum, & beati Benedicti Regulam, atque Inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinaten. & formulam vitæ veſtræ a fel. rec. Gregorio Papa prædeceſſore noſtro Ordini veſtro traditam, cum adhuc eſſet in minori officio conſtitutus, in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. *Habes integram formulam Tom. 3. in Reg. fol. 436.* Regula, quam debent Sorores obſervare.

§. II. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, idem Monaſterium in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum &c. uſque *permaneant*. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipſum in quo prætſctum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis. Terras & poſſeſſiones quas habetis in loco, qui caſtellum vitulum Lachetlian. & Paſſarellum vulgariter nuncupantur. Vineas, quas habetis in territorio montis Politian. in locis, qui plebs antiqua Canenti & Tetringingnan. communiter appellantur. Terras & vineas in eodem territorio in locis Hibian & Plani Salceti in Aſio, Collis Todulæ & Petelli communiter appellatis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, uſuagiis & paſcuis in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis, & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Liceat quoque vobis perſonas liberas, & abſolutas a ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem, fas ſit de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero nullus audeat retinere. Bona Monaſterio competentia.

§. III. Pro conſecrationibus vero altarium, vel Eccleſiæ veſtræ, ſive pro oleo ſancto, vel quolibet Eccleſiæ ſacramento, nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere, ſed omnia gratis vobis Epiſcopus Diœceſanus impendat. Alioquin liceat vobis hæc noſtra auctoritate recipere a quocumque malueritis Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Romanæ Eccleſiæ obtinente. Quod ſi ſedes Diœceſani Epiſcopi forte vacaverit, interim omnia Eccleſiaſtica ſacramenta a vicinis Epiſcopis recipere libere, & abſque contradictione aliqua poſſitis, ſic tamen, ut ex hoc in poſterum proprio Epiſcopo nullum præjudicium generetur. Alia privilegia conceſſa.

§. IV.

§. IV. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi copiam non habetis, ſi quem Epiſcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos tranſire contigerit, ab eo benedictiones Monialium, vaſorum & veſtium, & conſecrationes altarium recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terræ fuerit &c. uſque *interdicto*. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci Abbatiſſa &c. uſque *eligendam*. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum Prælati, & Rectores in Monaſterium veſtrum, vel perſonas regulares inibi Domino famulantes ſuſpenſionis, excommunicationis, & interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam tamquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam, decernimus non tenere. Paci quoque & tranquillitati veſtræ &c. uſque *exercere*.

§. V. Præterea omnes libertates & immunitates, quas Monaſterio veſtro dilectus filius G. Aretin. electus indulſiſſe dignoſcitur, ſicut in inſtrumento inde confecto plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Tenor ipſius inſtrumenti talis eſt.

§. VI. *Willelmus miſeratione divina Aretin. electus, dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Sororibus incluſis Monaſterii ſanctæ Mariæ Novæ de Collazzo Ordinis ſancti Damiani Aretin. diœceſis, ſalutem & veram in Domino caritatem. Cum vos, divina gratia inſpirante, Monaſterium in honorem beatæ Mariæ Virginis conſtruxeritis, ut ibi Domino devote famulantes pro nobis, & aliis peccatoribus poſſitis orare, a nobis humiliter poſtulaſtis, ut Monaſterium, & perſonas ibidem Domino ſervientes intuitu pietatis, & pro redemptione peccatorum noſtrorum a jure Epiſcopali, ſeu alterius conditionis gravamine eximere deberemus. Eapropter, veſtræ piæ ac humili petitioni pio concurrentes aſſenſu prætactum Monaſterium, & perſonas illic commorantes, cum omnibus bonis habitis & habendis ab omni jure Epiſcopali, & cujuslibet conditionis obligatione pleno jure liberamus, & eximimus, nihil aliud nobis, & Eccleſiæ Aretin. in eiſdem, niſi unam libram ceræ, quæ perſolvatur nobis, & ſucceſſoribus noſtris annuatim in menſe Auguſti, reſervantes, & cuncta Eccleſiaſtica ſacramenta. In cujus rei teſtimonium prætacta manu publica ſcribi juſſimus, & noſtri pendentis ſigilli munimine roborari. Datum Civitellæ anno Domini* MCCLIII. *Indictione* XI. V. *Idus Auguſti Domino Innocentio Papa IV. reſidente. Teſtibus præſentibus D. Nicolao Vicario noſtro, & Tebaldo de Arrajolo. Ego Joannes de Anciſa Apoſtolicæ Sedis auctoritate Notarius prætactis interfui, & de mandato dicti Domini electi ſcripſi & publicavi. Ad indicium autem hujuſmodi perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis unam libram ceræ nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Decernimus ergo; ut nulli &c. uſque* profutura. *Salva Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſia &c. uſque* ultioni. *Cunctis autem eidem loco &c. uſque* inveniant. *Amen. Amen. Datum Laterani per manum Guillelmi Magiſtri Scholarum Parmen. S. R. Eccleſiæ Vice-Cancell.* II. *Nonas Aprilis, Indictione* IV. *Incarnationis Dominicæ anno* MCCLVI. *Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ IV. anno* II.

Digitized by Google

III.

Concedit, ut ſepultura in eorum Eccleſiis ſit omnibus libera. Specul. Min. tract. 1.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac aliis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

CUm a nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, ſepulturam Eccleſiarum veſtrarum liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illis ſepeliri deliberaverint, niſi excommunicati, vel interdicti fuerint, aut etiam publici uſurarii, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur.

Nulli ergo hominum &c. noſtræ conſtitutionis &c. ſi quis &c. Datum Lateran. Idibus Maii, Pontificatus noſtri anno II.

IV.

Concedit, Prælatos Ordinis Fratres ſuos in ſocios Epiſcopis deputatos poſſe corrigere, & ad Ordinem revocare. Specul. Min. tract.2. Roderic. bulla 1. licet diſcrepet in data.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris, eorumque Vicariis Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. SAcræ Religionis veſtræ fama clariſſima eſt, ab univerſis & ſingulis ipſam profitentibus mente vigili ſervanda; ſed ab illis potiſſime, quos pro cauſis legitimis oportet aliquando ſe de ſuis conventibus, ſicut obedientiæ virtus exigit, abſentare. Sane nonnulli ex Fratribus Ordinis veſtri, qui venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis de Ordine ipſo ſuſceptis, quandoque in ſocios deputantur: illa, prout accepimus, præſumunt ſæpe committere, quæ in ejuſdem Ordinis ſcandalum, & in ſuarum vergunt periculum animarum.

§. II. Cum itaque ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam deceat ſalubriter provideri: nos devotioni veſtræ auctoritate præſentium duximus concedendum, quod ſinguli veſtrum illos ex Fratribus eiſdem, de quibus auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, ſeu Legatorum ejus dictis Archiepiſcopis, vel Epiſcopis eſt proviſum, viſitare, corrigere, ac etiam non obſtante contradictione aliqua, poſſint ad eumdem Ordinem revocare: ita tamen quod ſi poſtmodum dicti Archiepiſcopi, & Epiſcopi apud vos, vel aliquem veſtrum pro habendis in ſocietate ipſorum aliis idoneis Fratribus duxerint inſiſtendum, eorum in hac parte deſiderio annuatis: dummodo id vobis & conveniens & expediens videatur.

§. III. Ceterum per litteras Apoſtolicas jam obtentas, vel impoſterum obtinendas, quæ de præſentibus plenam & expreſſam non fecerint mentionem, nullos de Fratribus ipſius Ordinis præfatis Archiepiſcopis & Epiſcopis in ſocios teneamini deputare: niſi hoc honeſtati Ordinis, & illorum ſaluti videritis expedire.

Datum Laterani Idibus Maii, Pontificatus noſtri anno II.

V.

Concedit proſas & hymnum Angelicum in Miſſis de Spiritu ſancto, & beatæ Virginis Mariæ Fratres poſſe cantare, habetur ſub plumbo in Conventu Rothoma. Spec. Min. tract. 2. Firmament. 3. Ordinum tract. 1. 2. part.

Miniſtris, & Provincialibus, & Fratribus univerſis Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. PReſſi gravi orbis ſarcina ſub impoſita neceſſitate paſtoralis officii, dum pro communi ſalute fidelium, & commiſſo nobis miniſterio ſatagimus, cum Marthæ ſollicitudine circa plurima forinſecus conturbamur: ita ut nobis vix diei horam poſſimus ſubripere, qua intrinſecus beatæ quietis vacemus otio ad pedes Domini cum Maria, propter quod juvari piis devotarum orationum ſuffragiis plurimum indigemus.

§. II. Hoc ſiquidem dilecti filii Pariſienſes & quamplurimi locorum Fratres veſtri Ordinis, tamquam filii de patris veſtri ſalute ſolliciti, attendentes ſtatuerunt, ut qualibet hebdomada ſinguli eorum Sacerdotes unam Miſſam de Spiritu ſancto, vel beata Virgine in privato, & Conventus totus ſolemniter pro noſtra ſalute ac noſtro, & Eccleſiæ bono ſtatu celebrent, & alias certarum orationum ſacrificiis apud Patrem luminum interpellent. Unde nos in hac parte ipſorum devotum ſtudium dignis in Domino laudibus commendantes: eis quod in prædictis Miſſis ſolemnibus Angelicum hymnum, videlicet, *Gloria in excelſis Deo*, & ſequentias ſeu proſas Miſſis competentes hujuſmodi, ſtatuto contrario, & præſertim Metis a nobis in generali capitulo edito non obſtante, licite valeant decantare, ac etiam dicere in privatis, per noſtras litteras duximus concedendum. Quocirca univerſitatem veſtram attente requirimus, & per Dominum obſecramus, quatenus frequens negotium noſtrum, quo premimur, ſollicito pacis veſtræ otio adjuvantes, illud idem in ſingulis locis veſtris ſtatuere ac ſervare curetis. Nos autem, ut id liberius exequi valeatis, licentiam hujuſmodi vobis auctoritate præſentium duximus concedendam.

Datum Anagniæ Kal. Junii, Pontif. noſtri anno II.

VI.

Concedit, nullum Fratrem abſque ſuorum Prælatorum licentia, ab aliquo in Epiſcopum aſſumi poſſe. Specul. Min. tract. 1. fol. 6. Firmamentum 3. Ordinum. 2. part. tract. 1. Roderic. bulla 5.

Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. PEtitio tua nobis exhibita continebat, quod cum aliqui Fratres tui Ordinis in aliquibus Eccleſiis in Epiſcopos eliguntur, vel etiam poſtulantur, iidem Fratres, licet proprium velle non habeant, aut nolle, pro eo, quod renunciaverunt mundo, & propriæ voluntati, & per ſe nequeunt conſentire: tamen irrequiſitis Miniſtris ſuis, quorum licentia & teſtimonium eſſet in talibus requirenda, interdum electioninibus ſive poſtulationibus de ſe factis temere conſentiunt, & locorum Archiepiſcopi Fratres ipſos in Epiſcopos aſſumere ac ordinare præſumunt. Propter quod plerumque in eodem Ordine ſcandalum generatur: ſu-

Digitized by Google

ſuper quo provideri per Sedem Apoſtolicam humiliter poſtulaſti.

§. II. Cum autem prædictum Ordinem, cum ſit rectæ vitæ ſpeculum & ſalutiferæ converſationis exemplum, velimus ſemper de bono in melius proſperari, auctoritate præſentium de ſpeciali gratia inhibemus, ut nulli præfati Ordinis Fratres, ſi eos in Epiſcopos eligi, aut poſtulari contigerit, electioni ſeu poſtulationi de ſe factæ audeant conſentire: nec aliquis Archiepiſcopus ſeu quicumque alius Prælatus, vel etiam Legatus Sedis ipſius, niſi fuerit Cardinalis, dictos Fratres, niſi de tua, vel ipſorum Fratrum Provincialium Miniſtrorum, qui pro tempore fuerint, licentia & aſſenſu, aut Sedis ejuſdem ſpeciali mandato, ad Epiſcopatus, vel alias dignitates extra dictum Ordinem aſſumere vel ordinare præſumat. Nos autem decernimus irritum & inane quidquid contra inhibitionem hujuſmodi a quocumque contigerit attentari.

Nulli ergo &c. Datum Anagniæ v. Idus Junii, Pontificatus noſtri anno II.

VII.

Ut Fratres Minores in poſſeſſione Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Majoris Tyburtinæ conſervent, & adverſarios excommunicent. Archivum noſtrum bul. 42.

Dilectis filiis Gerardo Vicario venerabilis Fratris noſtri.... Epiſcopi, & Joanni Pauli Canonico Tyburtino.

CUm dilecti filii Fratres Minores Tyburtini locum ſanctæ Mariæ Majoris Tyburtinæ de gratia Sedis Apoſtolicæ fuerint adepti: Nos volentes Fratres ipſos eodem loco pacifica poſſeſſione gaudere, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem Fratribus contra quoſcumque, qui ipſos ſuper dicti loci poſſeſſione moleſtare præſumpſerint, defenſionis præſidio aſſiſtentes, nominatim in hujuſmodi præſumptores, niſi a vobis moniti reverenter, deſiſtendum duxerint, & in omnes, qui Fratres ipſos de eadem Eccleſia per violentiam expulerunt, ac in illos quorum conſilio, auxilio aut favore id præſumptum extitit, niſi ad monitionem noſtram ſuper hoc ſatisfecerint competenter, excommunicationis ſententiam promulgetis, quam ſingulis diebus Dominicis & feſtivis per vos & alios per majores Eccleſias civitatis Tyburtinæ uſque ad ſatisfactionem condignam ſolemniter publicetis. Quod ſi non ambo iis exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur.

Datum Anagniæ Idib. Julii Pontif. noſtri anno II.

VIII.

Concedit Indulgentias earum Eccleſiæ in feſtivitatibus SS. Franciſci, Antonii, & Claræ. Archivum Aracœli num. 127.

Dilectis filiis Miniſtro, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Urbe.

CUm ad promerenda ſempiterna gaudia &c. ut ſupra in bulla 26. hujus Pontificis, uſque *in feſtivitatibus beatorum Franciſci, & Antonii confeſſorum, & Beatæ Claræ Virginis* &c. *uſque*, auctoritate confiſi centum dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.

Datum Anagniæ v. Idus Julii Pontificatus noſtri anno II.

IX.

Committit controverſiam decidendam inter Capitulum, & Minoritas Trecenſes. Ex ipſo autographo.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Senonenſi.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Vide in tertio Tomo ann. 1245. n. 15.*

,, §. I. AD audientiam noſtram noveris perveniſſe, quod cum du-
,, dum inter dilectos filios Guardianum, & Fratres Minores
,, Trecenſes ex parte una, & Decanum, & Capitulum majoris Eccleſiæ,
,, ac Magiſtrum Joannem Rectorem Eccleſiæ beati Remigii Trecenſis ex
,, altera ſuper eo, quod iidem Guardianus, & Fratres in quodam loco
,, in Parochia ipſius Eccleſiæ ſancti Remigii, cujus dicti Decanus & Ca-
,, pitulum ſunt patroni, Oratorium, & domum, cum aliis officinis ædifi-
,, care volebant, ſuborta fuiſſet materia quæſtionis: tamdem ut indem-
,, nitati eorumdem Decani, & Capituli, & Rectoris, qui certum cen-
,, ſum ibi habebant, per recompenſationem aliquam caveretur, in Ma-
,, giſtrum Nicolaum dictum Falcidiam, & Guillelmum de Gomero Cano-
,, nicos Trecenſes, ac in Rectorem eumdem, nec non in Cantorem
,, Villæ-Mauri, ſi reliqui diſcordarent, tamquam in arbitros ſub certa
,, forma, & pœna centum marcharum extitit ſuper his a partibus con-
,, corditer compromiſſum, de ſervando eorum arbitrio a dictis Guar-
,, diano, & Fratribus, ac de pœna toties ſolvenda præfatis Decano &
,, Capitulo, quoties in toto, vel in parte iidem non parerent arbitrio,
,, vel quod domum ipſam, aut locum alium infra fines ejuſdem Eccleſiæ
,, ſancti Remigii cauſa manendi perpetuo non intrarent, præſtita fide-
,, juſſoria, cautione, prout in litteris inde confectis, & Officialis Tre-
,, cenſis ſigillo munitis dicitur plenius contineri.

Sed non ſervatur juſtitia.

,, §. II. Dicti vero Arbitri ſequentes propriæ voluntatis arbitrium,
,, non judicium rationis, per arbitrium pronunciaverunt iniquum,
,, quod præfati Guardianus, & Fratres numquam audiant confeſſiones
,, aliquorum ægrotantium parochianorum ipſius Eccleſiæ ſancti Remigii,
,, vel extraneorum etiam habitantium in ipſa parochia, vel tranſeuntium
,, per eamdem, niſi Rector ipſius Eccleſiæ, vel ejus Vicarius, qui pro
,, tempore fuerit, prius confeſſiones eorum audierint, aut ipſis dictis
,, Guardiano, & Fratribus dederint licentiam confitendi. Et ſi aliqui
,, prædictorum ægrotantium de rebus ſuis diſponere voluerint in ultima
,, voluntate, prædicti Guardianus & Fratres non interſint diſpoſitioni
,, hujuſmodi, niſi præſente ipſo Rectore, vel ejus Vicario, ſi voluerint
,, intereſſe, & ſi copia ipſorum poſſit haberi. Idem quoque Guardianus
,, & Fratres corpora Parochianorum, vel aliorum decedentium in ea-
,, dem Parochia non recipiant ad Eccleſiaſticam ſepulturam, etiamſi
,, ſepeliri elegerint apud ipſos, niſi prius Miſſa in dicta Eccleſia celebra-
,, ta fuerit pro defunctis; & tunc de licentia Rectoris, vel Vicarii ſu-
,, pradicti corpus defuncti ad locum dictorum Guardiani & Fratrum, ſi
,, decedens ſic diſpoſuerit, afferatur.

Alia ſuperadduntur gravamina.

,, §. III. Præterea ordinaverunt arbitri memorati, quod Guardianus
,, & Fratres prædicti eidem Eccleſiæ in recompenſationem damnorum,
,, quæ propter hoc incurrit, ſecundum æſtimationem eorum, annuum
,, redditum quadraginta librarum Turonenſium, in decimis, terragiis,
,, & aliis redditibus in Civitate Trecenſi, vel circa, infra certos fines &
,, terminos, & nihilominus dictis Decano, Capitulo, ac Rectori quan-
tum

,, tum percipiebant in loco prædicto, tantum in ſimili, vel meliori loco
,, de annno cenſu, vel redditu aſſignarent.

,, §. IV. Quia vero prædicti Guardianus & Fratres præfatum locum
,, ſicut accepimus, dimittere ſunt parati, & eis locus alius intra fines
,, parochiæ ipſius Eccleſiæ, ſi eum retinere ſuis juribus valeant, eſt col-
,, latus. Nos volentes ipſos eximi litigiis, qui mundi ſuperbia concul-
,, cata, ſe Deo in humilitate ſpiritus totaliter dedicaverunt, Fraterni-
,, tati tuæ in virtute obedientiæ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præci-
,, piendo mandamus, quatenus prædictos Decanum, & Capitulum, ac
,, Rectorem, quod eoſdem Guardianum & Fratres in præfato loco alio
,, nuper ipſis collato, ædificare libere, ac habitare permittant, eoſque
,, illis inibi gaudere immunitatibus, quibus alia ſui Ordinis loca gau-
,, dent; compromiſſo, aut arbitrio hujuſmodi, & pœna in ipſo adjecta .....
,, ſeu ſi dicti Decanus, & Capitulum, & Rector arbitrium hujuſmodi ſub
,, quacumque forma verborum (quod non credimus) obtinuerint forſi-
,, tan per Sedem Apoſtolicam confirmari, nequaquam obſtantibus,
,, quodque occaſione ipſius compromiſſi, vel arbitrii, ſeu pœnæ, dictos
,, Guardianum, & Fratres, aut Fidejuſſores eorum in aliquo non mo-
,, leſtent: qui quidem fidejuſſores fide præſtita promiſſi dicuntur ſolvere
,, dictam pœnam, propter hoc omnia bona ſua obligantes; ſi præfati
,, Guardianus, & Fratres in toto, vel in parte hujuſmodi arbitrio non
,, parerent. Renunciando prorſus exceptioni cuilibet, & etiam omni
,, juris auxilio in præmiſſis, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſia-
,, ſticam, appellatione remota, compellas.

Religioſorum Urbanitas.

Pontifex compoſitionem præcipit.

,, §. V. Si vero parochialis Eccleſia, infra cujus fines prædictus lo-
,, cus exiſtit, gravem ex his læſionem incurrat, facias ſuper hoc ſibi au-
,, ctoritate noſtra ſecundum tuæ diſcretionis arbitrium recompenſatio-
,, nem fieri competentem. Contradictores, &c.

Non vult Eccleſiæ parochialis læſionem.

,, Datum Anagniæ v. Idus Julii Pontificatus noſtri anno II.

,, §. VI. Supradictus autem Archiepiſcopus. Senonen. delegavit Ni-
,, colaum Epiſcopum Trecen. & Milonem ſancti Stephani Decanum, ad
,, determinandam controverſiam, qui cenſuerunt quod Fratres aſſigna-
,, rent Decano, & Capitulo in cenſivis, terragiis, vel decimis, aut red-
,, ditibus æquivalentibus in recompenſationem viginti libras terræ an-
,, nui & perpetui redditus, litteris deſuper confectis, quarum tenor ſe-
,, quitur.

,, §. VII. *Omnibus præſentes litteras inſpecturis. Nicolaus divina miſe-*
,, *ratione Trecenſis Eccleſiæ Miniſter humilis, & Milo Decanus Eccleſiæ*
,, *ſancti Stephani Trecenſis ſalutem in Domino. Cum dilecti in Chriſto Fra-*
,, *tres Minores Trecenſes propter incommoditatem loci, in qua adhuc nunc*
,, *habitant, & aquarum abundantiam maxime in tempore hyemali, inten-*
,, *derent infra civitatem Trecenſem ſe transferre, & morari, videlicet in*
,, *loco dicto Brocia exiſtenti infra metas parochiæ ſancti Remigii Trecenſis,*
,, *cujus jus patronatus ad Decanum & Capitulum Trecenſe dignoſcitur per-*
,, *tinere, eiſdem Decano & Capitulo contradicentibus, & aſſerentibus hoc*
,, *eſſe in præjudicium & gravamen non modicum eorumdem; propter quod*
,, *mota fuiſset inter eos materia quæſtionis; tamdem dicti Decanus & Capi-*
,, *tulum ex una parte, & Fratres antedicti ex altera, pro bono pacis in nos*
,, *unanimiter compromiſerunt, promittentes bona fide ſe inviolabiliter ob-*
,, *ſervaturos quidquid per nos ſuper iſta diſcordia fuerit ordinatum. Nos*
,, *autem attendentes ex translatione Fratrum ad locum* de Brocia *grava-*
,, *men Eccleſiæ præfatæ, & ſupradictis Dominis damnum imminere, bono-*

rum

,, *rum virorum, & Jurisperitorum freti conſilio, arbitrando pronuntiamus,*
,, *ipſos Fratres teneri aſſidere, & aſſignare Decano & Capitulo ſupradictis,*
,, *in cenſivis, ſeu terragiis, decimis, vel in redditibus æquivalentibus vi-*
,, *ginti libratas terræ Pruvinenſis annui & perpetui redditus ad arbitrium*
,, *noſtrum, ab eiſdem Decano & Capitulo in recompenſationem dicti grava-*
,, *minis, in perpetuum libere & quiete percipiendas, pronuntiantes per*
,, *eamdem prolationem eoſdem Fratres in prædicto loco non debere ædificare,*
,, *vel morari antequam dictæ viginti libratæ annui & perpetui redditus*
,, *ſint eiſdem Decano & Capitulo, ſicut ſuperius eſt expreſſum, aſſignatæ. In*
,, *prolatione vero prædicti compromiſſi cenſuit Magiſter Joannes Curatus*
,, *Eccleſiæ ſancti Remigii ſupradictæ. In cujus rei teſtimonium &c.*

De his libratis Fratres ſatisfecerunt Decano & Capitulo,
ut per litteras ſequentes patet.

,, §. VIII. U*Niverſis has litteras inſpecturis, Decanus, Capitulumque*
,, *Trecenſe, ſalutem in Domino. Notum facimus omnibus,*
,, *quod de viginti libratis terræ, quas viri religioſi Fratres Minores Tre-*
,, *cenſes, nobis per arbitrium R. P. Nicolai Dei gratia Trecenſis Epiſcopi,*
,, *& Milonis Decani Eccleſiæ ſancti Stephani Trecenſis aſſidere tenebantur,*
,, *pro loco* de Brocia *ſito infra fines parochiæ ſancti Remigii Trecenſis, cujus*
,, *jus patronatus ad nos pertinere dignoſcitur, in que dicti Fratres cupiunt*
,, *commorari. Ipſi nobis Religioſi in ſexdecim libratis terræ ad plenum ſatisfe-*
,, *cerunt, de quibus nos tenemus propagatis, in cujus rei teſtimonium præſen-*
,, *tibus litteris ſigillum Capituli noſtri duximus apponendum.*
,, *Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono, men-*
,, *ſe Aprili.*

X.

Concedit Prælatos poſſe abſolvi a qualibet excommunicatione per Confeſſores ab eis electos. Roderic. bulla 13. Specul Min. tract. 2. fol. 120.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum.

ORdinis veſtri generoſa plantatio, quæ multos religionis & honeſtatis flores & fructus protulit, effuſo longe lateque laudabilis converſationis odore, nos provocat, ut ſalutiſera veſtra commoda favore benevolo proſequentes, tranquillitatem veſtram, quantum cum Deo poſſumus, foveamus. Hinc eſt quod cum ſicut aſſeritis, ex indulto Apoſtolicæ Sedis vobis liceat veſtri Ordinis Fratres curæ veſtræ commiſſos ab excommunicatione abſolvere, & cum eis ſuper irregularitatibus diſpenſare, niſi adeo gravis & enormis fuerit exceſſus, propter quem merito ſit Sedes conſulenda prædicta, vobis auctoritate præſentium indulgemus, ut Fratres dicti Ordinis, quos pro tempore in proprios habueritis profeſſores, abſolutionis & diſpenſationis beneficium vobis, cum expedierit, juxta indulti præfati tenorem, valeant impartiri: ne ii, qui inter vos præeſſe noſcuntur, deterioris conditionis, quam ceteri cenſeantur.

Nulli ergo &c. ſi quis &c. Datum Anagniæ XI. Kal. Aug. Pontificatus noſtri anno II.

XI.

XI.

Confirmat collationem Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Majoris Tyburtinæ factam iis auctoritate Apoſtolica per Epiſcopum Tyburtinum. Archivum noſtrum num. 45.

Dilectis filiis Conventus Fratrum Minorum Tyburtin.

Mandatum Pontificium Tyburtino Antiſtiti.

§. I. UT illibata permaneant, quæ noſtri fiunt auctoritate mandati, merito eis adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Sane cum Venerabili fratri noſtro Tyburtino Epiſcopo per noſtras ſub certa forma litteras mandaſſemus, ut Eccleſiam ſanctæ Mariæ majoris Tyburtin. in qua quatuor, vel quinque tunc tantum eſſe perſonæ ſancti Benedicti Ordinis dicebantur, cum domibus, horto, & aliis appendiciis ſuis, præfatis perſonis in certis Tyburtinæ civitatis Eccleſiis ejuſdem Ordinis collocatis, vobis ad opus veſtrum libere concedere, ac aſſignare curaret, vos vel aliquem alium veſtro nomine in corporalem ipſius poſſeſſionem inducens, & defendens inductos, Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, idem Epiſcopus mandati Apoſtolici diligens executor dilecto filio fratri Synibaldo Cuſtodi, & fratri Andreæ Guardiano veſtris prædictam Eccleſiam, cum domibus, horto, & aliis appendiciis ſuis veſtro, & eorum nomine conceſſit, & etiam aſſignavit, & in ipſius corporalem poſſeſſionem induxit auctoritate hujuſmodi litterarum, prout in publico inſtrumento confecto exinde plenius continetur.

Apoſtolica confirmatio.

§. II. Nos itaque veſtris precibus inclinati, quod ab eodem Epiſcopo in hac parte factum eſt, ratum habentes & gratum, illud auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Inſtrumenti prædicti tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, qui talis eſt.

Inſtrumentum donationis.

§. III. *In nomine Domini. Amen. Nos Beraldus miſeratione divina, licet indignus, Epiſcopus Tyburtin. receptis litteris a Domino Papa in forma ſubſcripta, videlicet, Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabili fratri Beraldo Epiſcopo Tyburtino ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sinceræ dilectionis affectus, quem ad dilectos filios Fratres Minores inter alios religioſos ſpecialiter, ipſorumque Ordinem gerimus, nos inducit ut præcipua eos interdum benevolentiæ, ac favoris gratia proſequamur. Cum igitur dilecti filii Fratres ipſius Ordinis apud Tyburtin. civitatem morantes, minus commode, ſicut ex ipſorum ſignificatione accepimus, ſint in loco ubi conſiſtunt ad præſens, nos ſuper hoc tranquillitati & conſolationi ipſorum providere volentes, fraternitatem tuam rogamus & hortamur attente, & per Apoſtolica tibi ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus Eccleſiam ſanctæ Mariæ majoris civitatis prædictæ, in qua quatuor, vel quinque perſonæ Ordinis ſancti Benedicti nunc tantum eſſe dicuntur, cum domibus, horto, & aliis appendicis ſuis, jam dictis perſonis ipſius in ſancti Clementis, & ſancti Angeli Eccleſiis Tyburtinis ejuſdem Ordinis collocatis præfatis Fratribus ad opus eorum libere concedere, & aſſignare procures, ipſos vel aliquem alium ipſorum nomine in corporalem ipſius poſſeſſionem inducens, & defendens inductos. Contradictores quoslibet & rebelles, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, ſublato appellationis obſtaculo, compeſcendo. Datum Lateran. IV. Non. Maii Pontificatus noſtri anno II. Volentes mandatis tanti Domini, ut debemus, & tenemur efficaciter obedire,*

dire, vobis Fratri Synibaldo Cuſtodi, & fratri Andreæ Guardiano Conventus Fratrum Minorum Tybare commorantium, coram Granello Judice, & Nicolaa Petri Jaquintelli ſcrivario, & ſubſcriptis teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis & rogatis nomine, & pro parte veſtra, & dictorum Conventus, & Fratrum recipientibus prædictam Eccleſiam ſanctæ Mariæ majoris, cum domibus, horto, & aliis appendicis ſuis, juxta tenorem dictarum litterarum Domini Papæ, & auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa concedimus & aſſignamus, & vos nomine, & pro parte veſtra, & prædictorum Fratrum & Conventus recipientes de eadem Eccleſia per januas ipſius Eccleſiæ, & per pannos altaris ejuſdem, & de domibus, horto, & aliis appendicis ſuis, juxta tenorem litterarum Apoſtolicarum Domini Papæ, & auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa præſentialiter inveſtimus, & in corporalem poſſeſſionem inducimus, quæ Eccleſia, domus, & hortus, & appenditiæ infra hos fines circiter concluduntur, ab uno latere, videlicet a ſuperiori latere eſt domus hæredum Joannis Capotii, & domus hæredum Joannis Nicolai, Joannis Curtii, & domus & hortus Petri Gualteri, & domus & hortus Joannis Matalonis, & domus Joannis Tyberionis, & domus Jacobi Joannis Nicolai & domus Joannis Bovis, & hortus & domus .... de Veſpa, & domus Petri Fratris Joannis, & domus hæredum Thebaldi, & ab aliis lateribus .... publica adjecta domo hæredum Theobaldi uſque ad prædictam domum .... & veſtri & dictorum Fratrum, & Conventus cautelam præſens publicum ſcriptum exinde vobis per manus dicti Nicolai ſcrivarii fieri fecimus, ejus & dicti Judicis ſubſcriptionibus roboratum. Acta fuerunt hæc anno Domini MCCLVI. *Pontificatus Domini Alexandri IV. Papæ anno* II. *Indictione* XV. *menſis Julii die* V. *coram dicto judice & ſcrivario, & his præſentibus teſtibus Magiſtro Joanne Pauli, Domino Gerardo de Scarpo, Thoma Joannis de Turre, Canonicis Tyburtinis, Domino Octaviano de Ruſticis, Vicario Domini Matthæi Urſi Comitis Tyburtini, Leonardo de Paulo, Capite militiæ, & Bertraymo Sediali communis Tyburtinis, Romano Joannis Pagani, Andream Joannis Tiberii ſcrivarii, Paulo Joannis Octaviani, & Matthæo Elefantis, & multis aliis teſtibus. Ego Nicolaus Petri Jaquintelli Dei gratia ſacri Imperii & Tyburtinæ civitatis publicus ſcrivarius, & de mandato præfati Patris Epiſcopi, & rogatu dictorum Cuſtodis, & Guardiani Conventus Fratrum Minorum Tyburtin. ad futuram memoriam, & ipſorum cautelam prædicta omnia ſcripſi, & publicavi, quia interfui & mei nominis ſigno ſignavi. Ego qui ſupra Beraldus Epiſcopus Tyburtin. interfui & ſubſcripſi. Ego qui ſupra Gerardus de Scarpa Canonicus Tyburtin. teſtis interfui & ſubſcripſi.*

XII.

Prohibet gravamina, & moleſtias Fratribus a clericis quoquomodo inferri. Specul. Min. tract. 2. fol. 120. Roderic. bulla 14.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac aliis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

Vid. Regeſt. t. 3. fol. 419.

NImis iniqua viciſſitudine, uſque *pro veſtræ arbitrio voluntatis*. A quibus omnibus veſtris moleſtiis quidam ex eis non omnino abſtinere dicuntur. Cum igitur Ordo veſter a fel. rec. Innocentio III. Honorio, Gregorio, & Innocentio IV. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & nobis ipſis veſtris dignis ſit exigentibus mentis approbatus, & veſtræ religionis obtentu, vos inter alios religioſos arctius am-

amplexemur in viſceribus caritatis, & intentionis noſtræ exiſtat, quod religio veſtra, quæ quanto præcellit meritis, tanto præeminere debet prærogativa favoris & gratiæ ſpecialis, privilegiata & immunis ſit in omnibus ſupradictis, ne hujuſmodi gravamina vobis ab eiſdem Prælatis, vel eorum ſubditis ulterius inferantur, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus: omnes interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi qnas ab ipſis, vel eorum aliquo, præmiſſorum occaſione, in vos, vel aliquem veſtrum, ſeu Eccleſias, & Oratoria, vel benefactores veſtros promulgari contigerit, decernentes irritas & inanes.

Nulli ergo &c. noſtræ inhibitionis & conſtitutionis &c. ſi quis &c. Datum Anagniæ v. Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri anno II.

XIII.

Ut in caſtro ſancti Severini nullus locus pro quovis Ordine conſtruatur abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ. Reg. Vatic. epiſt. 119.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii ſancti Salvatoris Pauperum incluſarum de Paſſiman. prope caſtrum ſancti Severini Ordinis ſancti Damiani Cameracen. Diœc.

Sincera, quam ad vos, & Ordinem veſtrum habuimus in minori conſtituti officio, caritas nos invitat, ut vos & pia etiam vota veſtra, quæ honeſtati ſunt conſona, & alias conſolationem veſtram & ſalutem ſapiunt animarum, favore benevolo proſequamur. Paci igitur & conſolationi veſtræ paterna volentes ſollicitudine providere, præſentium vobis auctoritate concedimus, diſtrictius inhibentes, ne quiſquam in caſtro ſancti Severini, vel ejus territorio cujuſcumque profeſſionis, vel veſtri vel alterius Ordinis locum, domum, aut Monaſterium, conſtruere, facere, vel eligere, aut ædificare de novo præſumat, abſque noſtro, & Apoſtolicæ Sedis ſpeciali mandato plenam faciente de indulto & inhibitione hujuſmodi mentionem.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & inhibitionis &c. ſi qnis &c. Datum Lateran. XIV. Kal. Januarii anno II.

Anno Christi 1257. Alexandri IV. anno 3.

XIV.

Ut confirment auctoritate Apoſtolica excommunicationem Magiſtri & aliquorum Fratrum domus ſanctæ Mariæ Theutonicorum factam per Abbatem de Mezan. Reg. Vatic. epiſt. 4.

Prioribus Ordinis Prædicatorum, & Guardianis Fratrum Minorum in terra Pruſſiæ.

§. I. Exhibita nobis dilecti filii nobilis viri Kaſimiri Ducis Lanſitiæ & Cuyaviæ devoti noſtri petitio continebat, quod cum olim ei fel. rec. Innocentius Papa prædeceſſor noſter terras Paganorum, quæ Goleas & Prolexici vulgariter appellantur, duxerit concedendas, dummodo Pagani terrarum illarum ſponte ſine gladio fidem Chriſti ſuſciperent per baptiſmum, dilecto filio ... Abbate de Mezan. Placentin. diœceſis, tunc in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Legato, ſibi ſuper hoc conſervatore conceſſo, non obſtante quod tota terra Pruſſiæ conceſſa fuit

a Sede Apoſtolica... Magiſtro & Fratribus domus ſanctæ Mariæ Theutonicorum, quam poſſent ſibi per gladium ſubjugare; idem Abbas in dictum Magiſtrum, & quoſdam de ipſis Fratribus, quia ipſi, ut evacuarent gratiam eidem Duci ſuper hoc factam a prædeceſſore prætacto, terras eaſdem, ipſis Paganis paratis & volentibus ſponte unda renaſci baptiſmatis, jactantes in gladio eas ſibi non ſine multa effuſione ſanguinis ſubjugarunt, & diligenter ab ipſo Abbate moniti, ab hujuſmodi ſubjugatione reſipiſcere contumaciter denegarunt, cum hoc eſſet adeo notorium, quod nulla poterat tergiverſatione celari, excommunicationis ſententiam, exigente juſtitia, promulgavit.

§. II. Quare fuit ex parte ipſius Ducis nobis humiliter ſupplicatum, ut eamdem ſententiam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Ideoque diſcretioni veſtræ, ad inſtar prædeceſſoris ejuſdem, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſententiam ipſam, ſicut rationabiliter eſt prolata, faciatis auctoritate noſtra uſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter obſervari. Non obſtante indulgentia, qua Fratribus veſtrorum Ordinum ab eadem Sede dicitur eſſe conceſſum, ne de cauſis eis ab eadem Sede commiſſis inviti cognoſcere teneantur. Quod ſi non omnes &c.

Datum Lateran. Nonis Januarii, anno III.

XV.

Ut non permittant loca aliqua extrui ſub nomine ſancti Damiani abſque Miniſtri Provincialis Vaſconiæ & Aquitaniæ licentia. Archivum Monaſterii Burdigalenſis.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Vaſconiam, & Aquitaniam conſtitutis.

Quales eſſe debeat paſtoralis ſollicitudo.

§. I. CUm harum rector Satanas tenebrarum ſe frequenter in lucis Angelum transfigurans ſequaces innumeros per erroris devia poſt ſe trahat, Eccleſiæ gubernaculum tenentibus expedire plurimum arbitramur, ut diſcretione provida, quæ velut diluculi palpebræ debeat aſſidue præcedere greſſus ſuos, ſingulorum ſpiritus noverint comprobare, ne ipſis dormientibus, ſub ovina pelle lupi lateant in ovili, & in agro Eccleſiæ lolium germinet pro frumento.

Quarumdam Muliercularum qualis licentia.

§. II. Sane, ſicut nuper a viris fide dignis accepimus, quædam mulierculæ interius oneratæ peccatis, foris tamen ſanctitatis, cujus virtutem prorſus abnegant, ſpeciem prætendentes, diſruptis vinculis obedientiæ ſalutaris in vitæ latitudine, quæ ducit ad mortem, abſque jugo diſciplinæ damnabiliter evagantur, circumeundo varias regiones; nec iis contentæ ad damnationis ſuæ cumulum, quod libentius ſuam valeant malitiam in oculis hominum palliare, ſub nomine ſancti Damiani, cujus dignæ memoriæ ſanctus Confeſſor Chriſti Franciſcus primus cultor extitit & plantator, ſe velle Monaſteria ejuſdem Ordinis conſtruere profitentes, ſuper ipſorum fundatione litteras a nobis impetrant, tacita veritate; unde frequenter accidit, ut per tales nomen Sororum Minorum, quod nec ipſis etiam Sororibus Ordinis ſancti Damiani ex regula ſeu juris forma competit, ſibi fallaciter uſurpantes, infamiæ nubilo dilectorum filiorum Fratrum Minorum Ordinis puritas offuſcetur.

§. III. Cum igitur talium non indigeat Deus mendacio, nec de ſuo dolo & fraude commodum debeant reportare, ne memoratum Ordinem, quem

quem ſincere diligimus, & gaudemus utiliter promoveri, famæ ſuæ contingat de cetero pro talibus incurrere detrimentum: univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſub nomine ſancti Damiani occaſione quarumcumque litterarum a Sede Apoſtolica directarum, ſeu dirigendarum, quæ de præſentibus expreſſe non fecerint mentionem, in veſtris civitatibus ſive diœceſibus Monaſterium, vel habitaculum inchoari, ſeu inchoatum conſtrui nullatenus permittatis, niſi de dilecti filii Miniſtri Provincialis Fratrum Minorum in Vaſconia & Aquitania fieret conſilio & aſſenſu; quod ſi contra mandatum noſtrum quidquam contigerit attentari, eaſdem curetis ab hujuſmodi, auctoritate noſtra, ſublato cujuslibet appellationis obſtaculo, coercere.

Datum Lateran. VI. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno III.

XVI.

Pontifex mandat Cancellario Pariſienſi, quatenus regendi licentiam in aliqua facultate nulli tribuat, niſi promiſerit bona fide ordinationem pro conſervatione ſtudii Pariſien. editam, quæ incipit: Quaſi lignum vitæ, *obſervare.* Ex libello controverſiarum Pariſienſium fol. 339.

Dilecto filio Cancellario Pariſien.

Licet nos olim pro ſtudii Pariſienſis conſervatione, quædam circa ſtudium ipſum de Fratrum noſtrorum conſilio provide duximus ordinanda, prout in litteris noſtris exinde confectis, quæ *quaſi lignum vitæ*, incipiunt, plenius continetur. Nonnulli tamen Magiſtri Scholares Pariſien. ordinationem ipſam, ut audivimus, obſervare non curant, imo in ipſius ſtudii perturbatione contra ipſam multipliciter moliuntur. Volentes igitur, ut præfata noſtra ordinatio ab omnibus reverenter & ſimpliciter obſervetur, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus regendi Pariſ. in aliqua facultate nemini licentiam tribuas, niſi prius tibi bona fide promiſerit, prædictam ordinationem noſtram, & mandata in ea contenta ſe firmiter & inviolabiliter ſervaturum.

Datum Lateran. VII. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno III.

XVII.

Concedit Indulgentias Monaſterio ſancti Angeli Eſculan. in die Paſſionis Dominicæ. Reg. Vatic. epiſt. 80.

Univerſis Chriſti fidelibus per Eſculanen. civitatem & diœceſ. conſtitutis.

Vitæ perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem civium ſupernorum, a redemptis pretio ſanguinis fuſi de pretioſo corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri virtute, inter quæ illud eſſe prægrande dignoſcitur, quod ubique majeſtas Altiſſimi, ſed præcipue in Sanctorum Eccleſiis collaudetur. Rogamus itaque univerſitatem veſtram, & hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad Monaſterium pauperum incluſarum ſancti Angeli Eſculan. Ordinis ſancti Damiani in die Paſſionis Dominicæ, in qua nonnulli Chriſti fideles, & præcipue populus Eſculanus, ut ibi reficiantur pabulo verbi Dei, & interſint Miſſarum Offi-

ciis, omni anno concurrunt, quod gratum habemus plurimum & acceptum, imploraturi a Domino veniam delictorum, in humilitate ſpiritus accedatis. Nos enim ut cultores fidei, qua per præmia ſalubriter invitemus ad merita, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus qui eum debita reverentia & devotione illuc in prætacta die annuatim acceſſerint, centum dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.

Datum Lateran. VI. Idus Januarii anno III.

XVIII.

Concedit Pontifex, Provinciales cum Definitoribus capitulariter congregatis prædicatores inſtituere poſſe. Specul. Min. tract. 2. fol. 120. Roderic. bulla 15.

Dilectis filiis Miniſtris Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum.

Vide Reg. tom. 2. fol. 414. PRohibente regula veſtra, nulli Fratrum veſtrorum eſt licitum prædicare &c. *Hoc ipſum privilegium datum ſimiliter a Gregorio IX. bull. 28. in regeſto Tomi ſecundi.*

Datum Lateran. XIII. Kal. Februarii, Pontificatus noſtri anno III.

XIX.

Communicat ipſis privilegia Fratrum Minorum. Reg. Vatic. epiſt. 77.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii Monialium incluſarum ſancti Angeli Eſculanen. Ordinis ſancti Damiani.

DEvotionis veſtræ precibus inclinati, ut privilegiis & indulgentiis Ordini Fratrum Minorum ab Apoſtolica Sede conceſsis competentibus vobis, uti poſsitis auctoritate vobis præſentium indulgemus.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum Lateran. VIII. Kal. Februarii anno III.

XX.

Confirmat donationem quorumdam bonorum factam iis per Spoletanum Epiſcopum auctoritate Gregor. prædeceſſoris ſui. Reg. Vat. epiſt. 72.

Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Mariæ de Spello Ordinis ſancti Damiani Spoletan. diœceſis.

EX tenore veſtræ petitionis accepimus, quod Venerabilis frater noſter B. Spoletan. Epiſcopus, Loci diœceſanus, de mandato fel. rec. Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri, quaſdam terras, poſſeſſiones, & alia bona, quæ fuerunt quondam Monaſterii ſancti Silveſtri de Monte Subaſio Spoletan. diœceſ. vobis & ipſi Monaſterio ad ſuſtentationem veſtri perpetuo duxerit concedenda: nec non dictus predeceſſor quaſdam terras, poſſeſſiones, & res alias ad opus veſtri emi fecerit pro certa pecuniæ quantitate. Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, quod per eumdem Epiſcopum ſuper hoc factum eſt, ratum habentes & gratum, ac id auctoritate Apoſtolica confirmantes, & ſupplentes de poteſtatis plenitudine, ſi quis ſuper iis habitus eſt, defectum, omnes terras, poſſeſſiones, & alia ſupradicta vobis tam per conceſſionem, quam per emptionem hujuſmodi

modi acquiſitá auctoritate Apoſtolica confirmantes, ea vobis & per vos eidem Monaſterio de novo concedimus & donamus de gratia ſpeciali.

Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis, ſuppletionis, conceſſionis, & ordinationis &c. Datum Lateran. IV. Kalend. Feb. anno III.

XXI.

Mandat ut adjuvent fratrem Bartholomæum de Bohemia ad prædicandam Crucem contra Littwanos. Reg. Vatic. epiſt 38.

Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac Abbatibus, Prioribus, & Decanis, Præpoſitis, Archidiaconis, Rectoribus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, & Clericis per Bohemiam, Poloniam Moraviam, & Auſtriam, nec non & partes vicinas conſtitutis.

CUm dilecto filio fratri Bartholomæo de Bohemia Ordinis Fratrum Minorum, quem ſuæ religionis & pietatis obtentu carum habemus admodum & acceptum, & in cujus ore non eſt verbum Domini alligatum, contra Littwanos, & alios infideles in partibus veſtris prædicare commiſerimus verbum Crucis. Univerſitatem veſtram rogamus & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ipſum ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram, honeſte & benigne tractantes eidem cum quatuor perſonis, & totidem equis in ſecuro conductu, & aliis neceſſariis curetis taliter providere, quod veſtra devotio merito poſſit inde commendari. Alioquin ſententiam, quam ipſe propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, ac faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter obſervari.

Datum Lateran. IV. Kalend. Febr. anno III.

XXII.

Quod Fratres Ordinis ſancti Benedicti Ciſtercien. ſancti Auguſtini Præmonſtraten. & Vallis umbroſæ teneantur reſtituere omnes quos receperunt de Ordine Minorum ſine licentia Miniſtrorum; & quod ſi de cetero aliquem profeſſum ejuſdem Ordinis receperint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Regeſt. noſtrum vetus fol. 44.

Univerſis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, & Conventibus Monaſteriorum ſancti Benedicti Ciſtercien. ſancti Auguſtini Præmonſtraten. Camald. & Vallis umbroſæ Ordinum &c.

§. I. VEſtram, & Ordinum veſtrorum condecet honeſtatem, ut ordinate caritatis ſtudio deſudantes ſuper iis, quæ tamquam ingrata vobis & inimica refugitis, neminem offendere præſumatis. Hinc eſt quod nos dilectorum filiorum Fratrum de Ordine Minorum ſupplicationibus inclinati, univerſitati veſtræ, per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſi quos Fratres ipſius Ordinis abſque ſuorum Miniſtrorum petita & obtenta licentia recepiſtis, eidem Ordini, ſine dilatione ac difficultate qualibet, reſtituere ſtudeatis.

§. II. Nos ad præcludendum viam ſimilia in poſterum præſumendi, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne prætextu litterarum a Sede

Sede Apoſtolica generaliter vel ſpecialiter obtentarum, ſeu obtinendarum, quæ de præſentibus plenam & expreſſam non fecerint mentionem, in poſterum dicti Ordinis Fratres profeſſos ſine præfata licentia in Ordinibus veſtris aliquatenus admittatis. Decernentes nihilominus irritum & inane, quidquid per vos contra præceptum & inhibitionem noſtram ſuper hoc contigerit attentari. Eadem auctoritate ſtatuimus, ut præſumentes ſcienter contra hoc præceptum & inhibitionem propria temeritate venire, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, a qua non poſſint abſolvi, niſi conſpectui Sedis Apoſtolicæ ſe præſentent, ab ea juxta ipſius providentiam abſolvendi.

Nulli ergo &c. Datum Lateran. Non. Febr. Pontificatus noſtri anno III.

XXIII.

Declarat Regulam Fratrum Minorum. Regeſtum vetus noſtrum fol. 53.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus ceteriſque Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

Pontificis erga Ordinem affectus.

§. I. ORdinem veſtrum illo proſequentes affectu, quod ipſum inter alios laudabilibus continue proficere incrementis ferventius optemus, libenter ea, per quæ opportuni vigoris recipiat fulcimentum paterna ſollicitudine procuramus.

§. II. Hinc eſt, quod cum quædam dubia & obſcura, quæ in veſtra regula continentur, animos veſtros cujuſdam confuſione implicatos involvant, & nodoſæ intricationis difficultate impediant intellectum, & fel. rec. Gregorius papa prædeceſſor noſter aliqua ex eis expoſuerit, & declaraverit ſemiplene. Nos obſcuritatem ab illis perſpicuæ declarationis interpretatione omnino amovere volentes, & ambiguitatis ſcrupupulum circa ipſa de veſtris cordibus plenioris expoſitionis certitudine penitus amputare. Dicimus quod per eamdem regulam, quoad obſervantiam Evangelii, quam injungit, non niſi ad ea dumtaxat Evangelii conſilia teneamini, quæ in ipſa regula præceptorie vel inhibitorie ſunt expreſſa.

Regulæ Franciſcanæ interpretatio.

§. III. Licet autem Miniſtris Provincialibus tam eorum Vicariis, quam aliis providis Fratribus venientium ad Ordinem, receptionem pro ſuis Provinciis de conſilio Fratrum committere diſcretorum, non tamen expedit converti volentes indifferenter admitti, ſed illos tantum, qui ſuffragantibus eis litteratura, & aliis laudabilibus circumſtantiis, poſſint utiles eſſe Ordini, ſibique per vitæ meritum, & aliis proficere per exemplum. Soli vero Miniſtri egreſſos ab Ordine, cum redierint, ad ipſum recipiant & rejiciant in certis caſibus, ſecundum determinationem veſtri Generalis Capituli jam receptos.

De divino Officio perſolvendo.

§. IV. Quamquam vero prædicta contineat regula, quod Clerici faciant divinum officium ſecundum Ordinem S. R. E. excepto pſalterio, ex quo habere poterunt Breviaria; cum tamen divino interſunt officio, cum aliis celebrantes, tunc eis illud ſufficiat, & ad dicendum officium proprium non teneantur.

Quomodo præceptum de non contrectandis pecuniis intelligendum.

§. V. Et licet in eadem Regula ſit prohibitum, per ſe vel per alios denarium vel pecuniam ullo modo recipere, poſſint tamen, ſi rem ſibi neceſſariam aut utilem velint emere, vel ſolutionem facere pro jam empta, vel nuntium ejus a quo res venditur, vel aliquem alium volentibus ſibi

ſibi facere eleemoſynam, niſi iidem per ſe vel proprios nuntios ſolvere maluerint præſentare, & taliter præſentatus a Fratribus non eſt eorum nuntius, licet præſentetur ab ipſis, ſed illius potius, cujus auctoritate ſolutionem facit, ſeu recipientis, & ad ipſum ſi ſoluto emptæ rei pretio de hujus eleemoſyna remaneat aliquid apud eum, poſſunt etiam Fratres pro ſuis neceſſitatibus vel commodis, ſicut Fratres expedire viderint, diſpenſandum, ſeu etiam ad perſonas, vel loca alia transferendum. Ad quos etiam Fratres pro hujuſmodi neceſſitatibus, ſeu commodis ſana conſcientia recurrere poterunt, maxime ſi negligentes fuerint, vel neceſſitates aut incommoda ignoraverint eorumdem, & taliter nominati vel præſentati a Fratribus non ſunt eorum nuncii ſeu depoſitarii, ſed illorum a quibus eis pecunia vel denaria committuntur: nec Fratres per ſe vel per interpoſitas perſonas denarium vel pecuniam recipiunt, nominando aut præſentando ſic aliquos, ſeu ad hujus nominatos vel præſentatos taliter recurrendo, ut non ſit intentionis eorum, ut de ipſorum auctoritate hujuſmodi denarius vel pecunia conſerventur, aut ab eis ipſorum nomine exigantur, licet nunciis vel depoſitariis ipſis committantur, pro neceſſitate vel commodo eorumdem.

§. VI. Et cum in dicta Regula ſubjungatur, quod pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos ſpirituales Miniſtri tantum & Cuſtodes ſollicitam curam gerant, debent alii Fratres curam hujuſmodi quæ præfatis Miniſtris & Cuſtodibus ex regula præcipue incumbit, eum ſibi ab illis commiſſa fuerit, quærere diligenter. *Caritas erga infirmos commendatur.*

§. VII. Dicimus inſuper, quod cum in ipſa Regula contineatur expreſſe, quod Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, nec in communi, nec in ſpecie li debeant proprietatem habere, ſed locorum & domorum ac utenſilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, Ordo uſum habeat, & Fratres ſecundum quod Generales, & Provinciales Miniſtri diſponendum duxerint, iis utantur. Nec vendi debent loca, domus vel mobilia hujuſmodi, ſeu extra Ordinem commutari, aut alienari quoquomodo a quibuſcumque perſonis ad uſum Fratrum donata, vendita, permutata, ſeu quocumque juſto modo conceſſa vel translata ſunt vel fuerint, niſi Apoſtolica Sedes, vel Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, qui pro tempore fuerit Gubernator Ordinis, Generali ſeu Provincialibus Miniſtris auctoritatem ſuper hoc præbuerint vel aſſenſum, cum tam mobilium quam immobilium hujuſmodi jus, proprietas & dominium, illis ſolis exceptis, in quibus expreſſe donatores ſeu translatores ſibi proprietatem & dominium ſervaſſe conſtiterit, nullo medio ad Eccleſiam ipſam ſpectent, cui ſoli Fratres, domos & loca prædicta cum Eccleſiis ceteriſque ſuis pertinentiis, quæ omnia in jus & proprietatem beati Petri ſuſcipimus, & a cujuslibet alterius juriſdictione illa penitus eximentes tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus decernimus ſubjacere. De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus, liceat Fratribus pietatis ſeu devotionis intuitu, vel pro alia cauſa honeſta & rationabili, obtenta ſuper hoc prius ſuperiorum ſuorum licentia, extra Ordinem aliis elargiri. *De bonis non appropriandis.*

§. VIII. Illud quoque Regulæ prædictæ Capitulum ubi dicitur, quod ſi qui Fratres, inſtigante humani generis inimico, mortaliter peccaverint pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres ut recurrant ad ſuos Miniſtros Provinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere quam citius poterunt ſine mora: ad manifeſta tantum & publica pertinet; poſſunt tamen iidem Miniſtri pro Fratrum laboribus & periculoſis diſcur- *Modus pœnitentiæ imponendæ præſcribitur.*

ſcurſibus evitandis, ſi expedire viderint, Cuſtodibus & aliis diſcretis Fratribus Presbyteris ſuper iis committere vices ſuas. Volumus autem, ut ipſi Miniſtri conſtituant, vel conſtitui faciant tot per Provincias, quot ad hæc neceſſarios noverint de maturioribus & diſcretioribus Fratribus Sacerdotibus, qui ſuper hujuſmodi peccatis, cum occulta vel privata fuerint audiant pœnitentes, niſi Miniſtris aut Cuſtodibus ſuis ad loca declinantibus maluerint confiteri.

Cuſtodes mittendi ad Generale Capitulum.

§. IX. Ad hæc pro eo quod in Regula dicitur, ut decedente Generali Miniſtro, a Provincialibus Miniſtris & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes fiat electio ſucceſſoris: dicimus quod ſingularum Provinciarum Cuſtodes unum ex ſe conſtituant, quem cum ſuo Provinciali Miniſtro pro ipſis ad Capitulum dirigant, voces ſuas committentes eidem.

Miniſtris Provincialibus facultas delaganda.

§. X. Et cum, juxta Regulæ præfatæ tenorem, nulli Fratrum liceat populo prædicare, niſi a Miniſtro Generali fuerit examinatus & approbatus, & ſibi officium prædicationis ab ipſo conceſſum: poſſunt iidem Miniſtri vices ſuas Miniſtris Provincialibus, & eorum Vicariis committere in hac parte: ita tamen ut ipſi Provinciales vel iidem Vicarii in ipſorum Provincialium abſentia una, cum definitoribus in Provincialibus Capitulis Fratres ſuarum Provinciarum, qui examinatione indigere creduntur, examineut & approbent, eiſque hujuſmodi officium, prout ſecundum Deum viderint expedire, concedant. Si qui vero examinari non egent, pro eo quod in Theologica facultate, & prædicationis officio ſunt inſtructi, ſi ætatis maturitas & alia, quæ requiruntur in talibus, conveniant in eiſdem, poſſint de Generalis, vel ſuorum Provincialium licentia ſeu mandato, populo prædicare.

Ingreſſus in Monial. Monaſter. Fratribus vetitus

§. XI. Per id autem quod in eadem regula habetur, quod Fratres non ingrediantur Monaſteria Monialium præter illos, quibus a Sede Apoſtolica conceſsa eſt licentia ſpecialis, ingreſsum rantummodo Monialium incluſarum Ordinis ſancti Damiani prohibitum fore ipſis declaramus, ad quæ nemini licet ingredi, niſi ei a Sede Apoſtolica facultas ſuper hæc ſpecialiter tribuatur; & nomine Monaſterii, clauſtrum, domus, & officinas interiores volumus comprehendi. Ad aliarum vero cœnobia Monialium, poſſunt, ſicut & alii religioſi Fratres, illic ad prædicandum vel petendum eleemoſynam, aut pro aliis honeſtis & rationabilibus cauſis accedere, ac intrare, quibus id a ſuperioribus ſuis pro ſua fuerit maturitate vel idoneitate conceſſum.

Nulli ergo &c. Datum Lateran. x. Kalend. Martii Pontificatus noſtri anno III.

XXIV.

Confirmat inſtitutionem ejus factam per fratrem Lupum Epiſcopum Marrochitanum. Regeſt. Vatic. epiſt. 611.

Fernando Joannis Decano Bracharen. Capellano noſtro Rectori Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Caſtrello Aurien, dioc.

Habet integram formulá in Reg. Tom. 3. f. 412.

§. I. JUſtis petentium, &c. uſque *complere*. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Caſtrello tunc vacantem fuiſſes a cariſſimo in Chriſto filio noſtro Illuſtri Rege Caſtellæ, & Legionis vero patrono ipſius, Venerabili fratri noſtro Aurien. Epiſcopo loci diœceſano canonice præſentatus, & idem Epiſcopus te contra juſtitiam inſtituere noluerit in eadem; Nos Venerabili fratri

tri

tri noſtro Marrochitan. Epiſcopo noſtris dedimus litteris in mandatis, ut ſi res taliter ſe haberet, te in eadem Eccleſia inſtituere, ſublata difficultate qualibet, procuraret. Contradictores autem, noſtra appellatione poſtpoſita, compeſcendo, qui mandatum Apoſtolicum exequens diligenter, litterarum ipſarum forma ſervata, & intellecto per eumdem Aurien. Epiſcopum, quod Eccleſia ipſa, quam in ſpiritualibus & temporalibus dicebat eſſe collapſam, poterat per diligentiæ tuæ ſtudium in melius reformari, te litterarum ipſarum auctoritate in ipſa inſtituere curavit, ac etiam inveſtivit per ſuum annulum de eadem, prout in litteris ejuſdem Marrochitan. Epiſcopi confectis exinde plenius continetur.

§. II. Nos igitur tuis ſupplicationibus inclinati, inſtitutionem hujuſmodi proinde factam ratam habentes & gratam, illam auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: tenorem litterarum ipſarum de verbo ad verbum præſentibus inſeri facientes, qui talis eſt.

§. III. *Noverint univerſi præſentem litteram inſpecturi, quod nos frater Lupus miſeratione divina Marrochitan. Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus litteras ſummi Pontificis recepimus in hunc modum. Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabili Fratri.... Epiſcopo Marrochitan. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Expoſuit nobis dilectus filius Fernardus Joannis Decanus Bracharen. Capellanus noſter, quod cum ipſe ad vacantem Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Caſtrello Aurien. diœceſis a cariſſimo in Chriſto filio noſtro Illuſtri Rege Caſtellæ, & Legionis, vero patrono ipſius Eccleſiæ, Venerabili fratri noſtro.... Aurien. Epiſcopo loci diœceſano fuiſſet canonice præſentatus, idem Epiſcopus dictum Decanum contra juſtitiam inſtituere noluit in eadem: unde a nobis humiliter petiit, ut providere in hac parte ſibi paterna diligentia curaremus. Cum igitur prædictum Decanum, ſuæ devotionis exigentibus meritis, ſpeciali benevolentia proſequamur, ac velimus eidem in ſuo jure Apoſtolico adeſſe favore, Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, ipſum in præmiſſa Eccleſia auctoritate noſtra inſtituere, ſublata qualibet difficultate, procures. Contradictores &c. Teſtes autem &c. uſque* prohibere. *Datum Lateran.* II. *Idus Januarii anno* III. *Quia igitur per teſtes fide dignos, & inſtrumenta authentica nobis conſtitit de præmiſſis, & quia per patentes litteras Venerabilis Patris Joannis Aurien. Epiſcopi loci diœceſani nobis conſtitit, quod cum prætacta Eccleſia in temporalibus & ſpiritualibus ſit collapſa, per prætactum Decanum poteſt in melius reformari. Nos auctoritate Apoſtolica nobis tradita ex injuncto mandato prætactum Fernardum Joannis Decanum Bracharen. Domini Papæ Capellanum inſtituimus in prætacta Eccleſia ſanctæ Mariæ de Caſtrello, inveſtientes eumdem per noſtrum annulum de eadem, concedentes eidem Decano in ſpiritualibus & temporalibus plenam prætactæ Eccleſiæ poteſtatem. Contradictores etiam eadem auctoritate excommunicationis vinculo innodantes. Datum Romæ* X. *Kal. Febr. anno Domini* MCCLVII. *Pontif. D. Alexandri Papæ IV. anno* III.

Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c. Datum Lateran. Kal. Martii anno III.

XXV.

Dat ipſis amplum privilegium. Reg. Vatic. epiſt. 194.

Abbatiſſæ Monaſterii ſancti Donati de Fauce Eugubin. ejuſque Sororibus, tam præſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Vide Tom. 3. in Regeſt. fol. 436.

§. I. RELigioſam vitam &c. uſque *enervet*. Eapropter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium ſancti Donati de Fauce Eugubin. in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut Ordo monaſticus, qui ſecundum Deum, & beati Benedicti regulam, atque inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſsiſinaten. & formulam vitæ veſtræ a fel. rec. Gregorio Papa prædeceſſore noſtro Ordini veſtro traditam, cum adhuc eſſet in minori Officio conſtitutus, in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones &c. uſque *exprimenda*. Locum ipſum in quo prædictum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis cum terris, pratis &c. uſque *immunitatibus ſuis*. Liceat quoque vobis perſonas liberas &c. uſque *retinere*. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum &c. uſque *retinere*. Pro conſecrationibus vero altarium, vel Eccleſiæ veſtræ, ſive pro oleo ſancto &c. uſque *impendat*. Alioquin liceat vobis hæc noſtra auctoritate recipere &c. uſque *obtinente*. Quod ſi Sedes diœceſani Epiſcopi &c. uſque *generetur*. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi &c. uſque *valeatis*. Cum autem generale interdictum terræ fuerit &c. uſque *interdicto*. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci Abbatiſſa &c. uſque *eligendam*. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum, vel perſonas Regulares inibi Domino famulantes ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam tamquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam, decernimus non tenere. Paci quoque & tranquillitati veſtræ &c. uſque *exercere*. Præterea, omnes libertates & immunitates, quas Monaſterio veſtro Venerabilis frater noſter Eugubin. Epiſcopus, de Capituli ſui aſſenſu indulſiſſe dignoſcitur, ſicut in ejus litteris plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Tenorem autem litterarum ipſarum præſenti privilegio inſeri fecimus, qui talis eſt.

§. II. *In Dei nomine. Amen. Anno Domini* MCCLVI. *tempore Domini Alexandri Papæ IV. Indictione* XIV. *& die Sabbati* XXVI. *Septembris. Hoc quidem tempore nos Jacobus quamquam immeritus, divina tamen providentia Eugubin. Epiſcopus ad petitionem, ſeu poſtulationem Syndicorum & Procuratorum Abbatiſſæ, & Monialium Monaſterii, ſeu Eccleſiæ ſancti Donati de Fauce Eugubin. videlicet Neapoleonis Ondedei, & Bernardi Notarii filii olim Junculi, damus & concedimus prætactis Procuratoribus recipientibus pro prætactis Abbatiſſa, & Monialibus, & pro eorum ſucceſſoribus, ſeu ſucceditricibus, ut liberius & ſeverius Dominæ in dicto loco morantes poſſint Domino famulari, & pro redemptione peccatorum noſtrorum exemptionem plenam, de aſſenſu Capituli noſtri, in perpetuum ancillis Chriſti converſis & convertendis, quæ ibi in habitu religioſo debeant, vel debebunt in futurum*

rum Domino famulari in Monaſterio prætacto, renunciantes & remittentes vobis recipientibus pro prætactis Abbatiſſa & Monialibus, & pro eorum ſucceſſoribus omne jus, & omnes actiones nobis & Epiſcopatui Eugubin. in prætacto Monaſterio, & Eccleſia dicta competentes & competituras, & nihil in eo nobis, vel Epiſcopatui, aut noſtris ſucceſſoribus reſervamus, neque in temporalibus, neque in ſpiritualibus, præter mediam libram ceræ annuatim in cœna Domini nomine cathedratici, & idem Monaſterium, & Eccleſiam, & ipſas Abbatiſſam & Moniales, & earum ſucceditrices, ſeu ſucceſſores ab omni jure Epiſcopali eximimus pleno jure, ut Monaſterium prætactum, ſeu Eccleſiam prætactam beatiſſimi Donati Martyris, & perſonæ ibi commorantes & commoraturæ ab omni poteſtate & juriſdictione Epiſcopali plenius ſint exemptæ, ita quod nulla perſona occaſione juris Epiſcopalis gravamen eiſdem aliquod inferat. Et hæc omnia & ſingula ſupradicta per nos, noſtroſque ſucceſſores vobis prætactis Neapoleoni & Bernardo Syndicis, ſeu procuratoribus nomine prætactarum recipientibus firma tenere, facere, adimplere, obſervare, & contra non venire promittimus nomine Epiſcopatus ſub pœna centum mercarum argenti, quam pœnam ſolvere & dare promittimus noſtro nomine & Epiſcopatus Eugubin. per nos, & noſtros ſucceſſores vobis pro prætactis Abbatiſſa & Monialibus, & earum ſucceſſoribus recipientibus ſtipulatione ſolemni, ſi a nobis, vel a noſtris ſucceſſoribus contra prætacta, vel aliquod prætactorum factum fuerit, qua pœna ſoluta, vel non, hoc inſtrumentum exemptionis ſemper firmum & ratum permaneat, de quibus omnibus ſupradictis volumus & mandamus fieri per Paulum Ernardi de Spoleto noſtrum Notarium publicum inſtrumentum quod duximus ad majorem auctoritatem præſtandam noſtri ſigilli munitione roborandum. Jus tamen quod habent Eccleſiæ ſancti Marian. & Jacobi, & plebes ſancti Joannis in parochianis Eccleſiæ ſancti Donati prætacti, præfatis Eccleſiis reſervamus. Actum apud Eugubin. in Camera prætacti Domini Epiſcopi, præſentibus Fratre Petro de Caſtillion, & fratre Franciſco de Hermantii de Ordine Fratrum Minorum, Paulicto Spoleti & Thoma Leonardi Ugoccion ad hæc teſtibus rogatis & vocatis. Ego Paulus Ernardi de Spoleto ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Notarius his omnibus interfui, & de mandato & auctoritate prætacti Domini Jacobi Epiſcopi hoc inſtrumentum exemptionis ſcripſi & publicavi. Ad indicium autem hujus perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis libram unam ceræ nobis, noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c. uſque profutura. *Salva Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. uſque* ultioni. *Cunctis autem eidem loco &c. uſque* inveniant. *Amen. Datum Laterani per manum Magiſtri Rolandi S. R. E. Vice Cancellarii* XVII. *Kal. Aprilis, Indictione* XV. *Incarnationis Dominicæ anno* MCCLVII. *Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ IV. anno* III.

XXVI.

Ut Capellanus eos poſſit abſolvere ab excommunicatione ob manuum violentam injectionem incurſa. Reg. Vatic. epiſt. 223.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii ſanctæ Agnetis Aſten. ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinen. Ordinis ſancti Damiani.

DEſideriis veſtris in iis affectu benevolo libenter annuimus, per quæ veſtri ſtatus tranquillitas procuretur. Sane fuit nobis pro parte veſtra humiliter ſupplicatum, ut, ſi contingeret interdum aliquas ve-

veſtri Monaſterii Moniales in ſeipſas manus injicere violentas, providere talibus paterna ſollicitudine curaremus. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut ſi Monaſterium ipſum ad Romanam Eccleſiam, prout aſſeriris, nullo medio pertinet, Capellanus ipſius Monaſterii Presbyter, qui pro tempore fuerit in eodem, poſſit eaſdem Moniales auctoritate noſtra a ſententia excommunicationis, ſi quam per hoc incurrerunt, abſolvere, niſi adeo fuerit gravis & enormis exceſſus, quod ſuper eo ſit Sedes Apoſtolica merito conſulenda, præſentibus poſt quinquennium minime valituris.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſsionis &c. Si quis &c. Datum Lateran. x. Kal. Aprilis, anno III.

XXVII.

Mandat iis, ut compellant quoſdam Magiſtros, & alios Pariſienſes ad revocandas quaſdam propoſitiones injurioſas & falſas dictas in præjudicium Ordinum Prædic. & Minor. Specul. Min. tract. 1. fol. 7.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ad quos iſtæ pervenerint &c.

Pontif. malo animo Fratrū læſionem ſentit.

§. I. Non ſine multa cordis amaritudine, animique turbatione audivimus, quod nonnulli Magiſtri & Doctores, ac alii acuentes linguas ſuas, & venenum aſpidum gerentes ſub labiis ad infamiam, gravamen, & diſpendium innocentum, illud in ſugillationem & læſionem dilectorum filiorum Fratrum Prædicatorum, & Minorum nequiter vomuerunt. Et licet ipſos diſtincte non nominaverint, nec vocabulis propriis expreſſerint, eos in quibuſdam verborum involutis & certis & cautis circumlocutionibus apertius innuerunt; ita quod ex talibus eorum dictis manifeſte, tamquam expreſſim illos nominaſſent, innotuit, quod de ipſis Fratribus loquebantur. Fuderunt inquam virus & contra eos in ſcholis, prædicationibus, & alibi aſſerere præſumpſerunt, quod in ſtatu, & via ſalvandorum non erant, nec meritoria, nec ſalutifera exiſtebat eorum mendicitas & paupertas, cum deberent valetudine corporali, & aliis juſtis impedimentis ceſſantibus, propriis manibus operari ſub ſpe alieni ſubſidii non torpendo, nec pro ſuſtentatione, vel neceſſariis extranea mendicando ſuffragia, ſeu ab aliis vitæ adminicula expectando; quodque de licentia, vel commiſſione Romani Pontificis, ſeu Diœceſ. Epiſcoporum prædicarionis exercere officium, & confeſſiones audire libere non valebant, tamquam per hoc ſacerdotibus parochialibus præjudicium inferrent, ac alia nihilominus prava & iniqua, in detrsctionem eorum, & ſuorum Ordinum derogationem ora maliloqua relaxando.

Hoſtium in Fratres calumniæ.

Prædicat. & Minor. Ordines in Eccleſia fulgent.

§. II. Cum igitur iidem Ordines fuerint dudum a Sede Apoſtolica, ſicut ſacri, clari & conſpicui, approbati, ex quibus jam nonnulli Fratres ad ſupernam provecti patriam in Sanctorum numero ſunt aſcripti, & velut eminentia candelabra, & duo magna luminaria in Eccleſia Dei luceant, ac ah ipſorum Fratribus & cultoribus ſacræ doctrinæ lumen diffundatur ubique per orbem, Chriſti Evangelium ardenter & efficaciter prædicetur, ac recta & ſana conſilia, & exempla ſalutaria præbeantur; cum etiam dicti Fratres ſacræ Scripturæ, ac verbi Dei ſtudio, & animarum profectibus, nec non divinis officiis & orationibus inſtanter & inceſſanter intendant, nequaquam marcentes otio, ſed opere ſe optimo & potiſſimo exercentes, cum ſapientia opus exiſtat maximum, nec ſint plu-

pluris, & qui operantur exterius quam qui ſtudium cognoſcendæ divinitatis exercent; unde & Dominus, miniſtrante ac operante Martha, Mariæ audientiam, & ſtudium circa verbum ipſius præcipue commendavit. Ex quo liquido patet, Fratres ipſos ad operandum ſuis manibus non teneri. Quinimo ſi iis intermiſſis, laborarent manibus, potiora utique ac utiliora in minora, minuſque utilia opera, non ſine animarum diſpendio commutarent.

§. III. Conſtat igitur, ex iis meritoriam exiſtere mendicitatem eorum, & quod ipſi tam ab iis, quibus prædicant, quam ab aliis eleemoſynas petere ac recipere, illique ipſas poſſunt eiſdem Fratribus ſalubriter elargiri. Cum inſuper iidem Fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtumque imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando; propter quod evidenter apparet, eos non ſolum in ſtatu ſalvandorum exiſtere, ſed etiam perfectorum, & per ſuæ religionis obſervantiam, quæ quidem ipſius perfectionis evangelicæ tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri. Cum etiam de licentia, vel commiſſione, aut conceſſione Romani Pontificis, ſeu Legatorum ejus, vel Ordinariorum locorum licite poſſint prædicare populis, & confeſſiones audire, ac pœnitentias injungere ſalutares, aliorum inferiorum Prælatorum, & Rectorum Eccleſiarum, ac Sacerdotum parochialium aſſenſu minime requiſito. Volumus & per Apoſtolica vobis ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſinguli veſtrum in civitatibus & diœceſibus ſuis ad requiſitionem Fratrum dictorum Ordinum earumdem civitatum & diœceſium, per ſe, vel per alios inquirentes de plano, & ſine ſtrepitu judicii ſuper aſſertione & præſumptione hujus diligentius veritatem, omnes Magiſtros, Doctores, & alios, qui ſive in ſcholis, ſive in prædicationibus, ſeu alibi præmiſſa, vel aliquod ipſorum dicere attemptarunt, vel in poſterum attemptabunt, ex parte noſtra monere ſtudeant, ut infra certum terminum ab ipſis præfigendum eiſdem, dictum ſuum in iis publice revocent, male ſe dixiſſe fatentes, illaque deteſtentur penitus & retractent, aſſerendo conſtanter contrarium, & illud etiam fideliter prædicando. Quod ſi forte ipſi monitis eorumdem in hac parte acquieſcere non curaverint, ex tunc contra eos ad ſuſpenſionis, excommunicationis, & perpetuæ privationis beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum ſententiis, ſublato cujuslibet appellationis impedimento, procedant, laicos de hoc culpabiles, vel fautores hujuſmodi præſumptorum animadverſione debita percellentes, ſecularis brachii ad hoc, ſi neceſſe fuerit, auxilio invocato.

Fratrum Mendicitas meritoria.

§. IV. Nos enim nihilominus auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne quiſquam præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum pertinaciter aſtruere, vel quomodolibet defenſare, præſumat. Quicumque vero id præſumpſerit, tamquam contumax, & Eccleſiæ Romanæ rebellis ab omnibus fidelibus habeatur. Contra quem etiam taliter procedemus, quod pœna condigna ipſum pro ſua temeritate feriet, & alii ejus exemplo perterriti a præſumptione ſimili frænabuntur. Ne autem aliquis ex ignorantia velamen excuſationis aſſumat, vobis univerſis & ſingulis diſtricte præcipimus, ut ad requiſitionem Fratrum eorumdem Ordinum, in civitatibus & diœceſibus veſtris manentium, præſentes litteras, & earum tenorem in Eccleſiis & ſynodis veſtris publicetis & faciatis ſolemniter publicari. Non obſtantibus aliquibus litteris, vel indulgentiis alicui vel aliquibus perſonis ab Apoſtolica Sede conceſſis, quod interdici, ſuſpendi vel

Pœnæ cōtra ſuadentes contrarium.

vel excommunicari, aut extra ſuas civitates & diœceſ. ſeu loca in cauſam trahi non poſſint per litteras Apoſtolicas, quæ de indulto hujus plenam & expreſſam non fecerunt mentionem, ſeu quibuſcumque aliis indulgentiis & litteris Sedis ipſius, per quas effectus præſentium impediri valeat, vel differri, & conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, litteris venerabilibus Fratribus noſtris Turon. & Rothomagen. Archiepiſcopis, & Epiſcopo Pariſien. ſuper hoc directis a nobis nihilominus in ſuo robore duraturis. Vos autem memoratos Fratres omni benevolentia & gratia proſequentes, eos tamquam probatos & acceptos Chriſti Miniſtros habeatis, pro divina & noſtra reverentia propenſius commendatos, ipſos ab injuriis & moleſtiis optimis præſidiis defendentes. Ita quod ex hoc vobis & veſtris Eccleſiis fortius obligemur.

Datum Laterani III. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno III.

XXVIII.

Ut poſſit abſolvere a ſententia canonis, dum cum ceteris religioſis prædicat verbum Crucis. Reg. Vatic. epiſt. 310.

Fratri Bartholomæo de Bohemia Ordinis Fratrum Minorum.

UT commiſſum tibi officium prædicandi verbum Crucis contra Litwanos, Jacuengan. & Ruthen. ac alios paganos & ſchiſmaticos illarum partium proſpere, auctore Domino, in tuis manibus dirigatur, abſolvendi a ſententia canonis, juxta formam Eccleſiæ, per te ac alios Fratres tui Ordinis ad hoc idoneos, illos, qui contra prætactos aſſumpſerint ſignum Crucis, dummodo in perſonis propriis votum hujuſmodi proſequantur, auctoritate tibi præſentium concedimus facultatem, proviſo quod hujuſmodi excommunicati ſuper hoc ſatisfaciant, ut tenentur, & injuncto eis a te, vel a Fratribus ipſis, quod de jure fuerit injungendum.

Datum Lateran. Nonis Aprilis anno III.

XXIX.

Jubet ut nullus aſſumatur ad Epiſcopatum abſque ſui ſuperioris licentia. Specul. Min. tract. 1. fol. 6. Roderic. bulla 5. Archivum Aracœlitan. num. 36.

Generali Miniſtro Ordinis Minorum.

PEtitio tua nobis exhibita continebat, quod cum aliqui Fratres tui Ordinis in aliquibus Eccleſiis in Epiſcopos eliguntur, vel etiam poſtulantur, iidem Fratres licet &c. *ut ſupra in bulla* VI. *hujus Pontificat.*

Datum Viterbii V. Kal. Jun. anno III.

XXX.

Ut nullus abſolvat Cruceſignatos a voto jam emiſſo. Reg. Vatic. epiſt. 346.

Miniſtris & aliis Fratribus Bohemiæ, Poloniæ, & Auſtriæ prædicantibus verbum Crucis Ordinis Fratrum Minorum.

LEcta nobis veſtra petitio continebat, quod licet vos de mandato Apoſtolico, contra Litwan. & Jacuenganos, & alios Paganos illarum partium prædicaveritis verbum crucis, & ad exhortationem veſtram multi

multi fideles ſigno vivificæ Crucis aſſumpto, proponant in brevi contra Paganos eoſdem cum Dei adjutorio proficiſci, quidam tamen potius ardore avaritiæ, quam pietatis zelo ſuccenſi, nonnullos de Cruceſignatis eiſdem obtentu pecuniæ, quam ab ipſis recipiunt, a voto Crucis abſolvunt pro ſuæ libito voluntatis, aſſerentes ſe habere ſuper hoc a Sede Apoſtolica poteſtatem, propter quod hujuſmodi negotii proſecutio in diſpendium Chriſtianæ fidei non modicum impenditur. Quare fuit ex parte veſtra nobis humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc providere de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, ne quis de cetero Cruceſignatos eoſdem, abſque noſtro ſpeciali mandato taliter abſolvere præſumat, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus.

Nulli ergo &c. noſtræ inhibitionis &c. Datum Viterbii XVI. Kalend. Julii anno III.

XXXI.

Ut poſſint uti paramentis ſericis. Reg. Vatic. epiſt. 418.

Guardianis, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Neapolitan.

Locis pia religione conſpicuis, in quibus divinæ gloria majeſtatis frequentia devotæ laudis attollitur, & virtutum ſtudio deſervitur, debet Apoſtolicæ Sedis circumſpecta benignitas in iis, quæ ſunt honoris & gratiæ, ad illorum decorem congruum ſe munificam exhibere. Hinc eſt quod nos circa vos, & Ordinem & locum veſtrum benevolum dirigentes affectum, ut in Miſſarum ſolemniis Sacerdos, & alii Miniſtri altaris ipſius Ordinis ſericis indumentis intra Eccleſiam veſtram libere, prout moris eſt, uti valeant, non obſtante ſtatuto contrario ejuſdem Ordinis, vobis auctoritate præſentium indulgemus.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum Viterbii V. Nonas Julii anno III.

XXXII.

Ut obſerventur quæ ſtatuta ſunt circa controverſiam Pariſienſem. Ex codice vetuſto de hac controverſia fol. 127.

Venerabili fratri Epiſcopo Pariſien.

§. I. Cum adverſus proviſionis noſtræ ordinationem ſalubrem, quæ *Quaſi lignum vitæ*, incipit, ſuper ſtatu Pariſienſis ſtudii, & nonnullis articulis illud contingentibus dudum de Fratrum noſtrorum conſilio promulgatam, ſeculares Magiſtri per duram rebellionis contumaciam, in contemptum poteſtatis Apoſtolicæ calcitrantes, ex ipſa contra dilectos filios Fratres Ordinis Prædicatorum offenſionis & ſcandali materiam, quibuſdam ad hoc ceteros inſtigantibus, aſſumpſiſſent. Tamdem poſt culpas culpis adjectas, & contemptus contemptibus aggregatos, Nuncios & Procuratores ſuos ad Sedem Apoſtolicam deſtinarunt, per quos ad excuſandas excuſationes ipſorum, quibus ſe munire contra prædictæ ordinationis obſervantiam conabantur, plura fuere propoſita coram nobis. *Conſtitutionis motivum.*

§. II. Nos vero eis plenius intellectis, excuſationes & allegationes, ac quaſcumque appellationes ipſorum, tamquam eluſorias & ineptas & fri- *Excuſationes eorum repulſæ.*

frivolas, de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio repellentes, ſententialiter decrevimus, ordinationem præfatam, & omnia quæ continentur in ipſa compoſitione, & aliis in contrarium allegatis nequaquam obſtantibus, ab omnibus Magiſtris & Scholaribus Pariſius exiſtentibus, ceſſante contradictione qualibet, integre & inviolabiliter obſervari, & Apoſtolica reſcripta, quæ ſuper ipſius ordinationis executione, vel obſervatione proceſſiſſe noſcuntur, habere ſui roboris firmitatem. Inſuper adjiciendo ſtatuimus, ut ſcholares omnes, tam religioſi de Prælatorum ſuorum licentia Pariſius gratia ſtudii quomodolibet commorantes, quam etiam ſeculares ubicumque voluerint lectionibus vel prædicationibus audiendis, ſive quæſtionibus diſputandis, libere valeant intereſſe. Utque tam Prædicatorum, quam Minorum Fratres & Religioſi alii, qui pro tempore Pariſius Doctores fuerint in Theologica facultate, ac ſcholares ipſorum in ſocietatem, conſortium, & collegium aliorum Magiſtrorum & ſcholarium Pariſien. recipiant plenarie, ſemperque in eis efficaciter habeant, ſicut ex litterarum noſtrarum quæ incipiunt, *Circa frequens* &c. inſpectione tibi liquido innoteſcet.

Omnes poſſunt ſcholis intereſſe.

§. III. Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ, ac etiam ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus & litterarum ipſarum tenores, omni dilatione & occaſione poſtpoſitis, per te, vel per alios Pariſius ſolemniter publicans, ordinationem, litteras, ſtatuta prædicta, & quæ continentur in eis facias integre & inviolabiliter obſervari, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Illuſtris Regis Franciæ ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio invocato.

Hæ litteræ ſolemniter publicandæ.

§. IV. Ne vero tantæ rebellionis vitium ulterius poſſit eſſe aliis occaſio ſchiſmatis, & contumaciæ pernicioſæ fomentum, omnes Magiſtros & Scholares ſeculares & auditores Pariſien. qui expreſſe ac publice non paruerint reſtitutioni dictorum Fratrum Prædicatorum per fel. rec. Innocentium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum, & poſtmodum per nos factæ ordinationi, litteris, ſententiis, ſtatutis, ac mandatis noſtris infra unum menſem, poſtquam tenor præſentium, ut prædictum eſt, fuerit Pariſius publicatus, omnibus dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis, ac officio Magiſtrali, prædicatione & doctrina privamus, & in poſterum reddimus omnino indignos: decernentes eſſe ab Ordinum executione, & ſuſceptione ſuſpenſos. Eos quoque qui occaſione præſentium aut aliarum litterarum Sedis Apoſtolicæ pro dictis reſtitutione & ordinatione ſervandis, ſive occaſione ſtudii Pariſien. directarum ipſum ſtudium diſſipare aut turbare, ſeu alibi abſque Sedis ejuſdem ſpeciali licentia contra tenorem ordinationis prædictæ transferre præſumpſerint, excommunicationis vinculo innodamus. Quos & tu per te, vel per alium excommunicatos denuncies Pariſius, & ubicumque videris expedire. Si qui vero, quod abſit, prædicta non curaverint adimplere, aut alias in iis contumaces fuerint, vel rebelles, ſeu quietis Scholarium & ſtudii turbatores, tu eorum nomina, ut nominatim graviori pœna mulctentur, nobis intimare procures. Hoc ipſo ſupradicto Regi denuncians, ut ad bonorum pacem, malorumque terrorem, eos ut expedire videris, coerceat, tradita ſibi divinitus poteſtate, juramenta quidem, aut obligationes quaſcumque a dictis Magiſtris & Scholaribus, ſeu ab ipſorum aliquibus, & ſpecialiter de non recipiendo ad ſcholas vel ſcholaſticam ſocietatem dictos Fratres Prædicatores, vel ſcholares ipſorum Fratrum Regentium, ſive alias præſumpta contra præfatam ordinationem noſtram, aut aliqua eorum, quæ continentur in ipſa, ſeu contra ſtatuta vel mandata noſtra, ſeu ipſorum aliquod, decernimus penitus non tenere.

Pœnæ contra inobedientes.

§. V. Non

§. V. Non obſtantibus appellationibus aut occaſionibus quibuſcumque præteritis vel futuris, aut etiam quod a te dato ſuper hoc executore a nobis pluries appellaſſe dicuntur, ſive proceſſionibus aliquibus, aut litteris, vel indulgentia a Sede prædicta conceſſis, per quæ hujus mandati executio in hac parte impediri valeat aut differri, aut de quibus plenam & expreſſam, ſeu de verbo ad verbum fieri oporteat in præſentibus mentionem. Seu etiam quod dicti Fratres quando conſenſerunt in compoſitione prædicta renunciaverunt, ut dicitur, litteris Apoſtolicis impetratis, & impetrandis, quas in ſuo robore volumus permanere. Ipſaſque tibi & eiſdem Fratribus ab earum detentoribus reddi, quos ad id neceſſe fuerit, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas. Præceptum noſtrum, quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, quod efficacis obedientiæ gaudeamus in te promptitudinem inveniſſe. Alias autem pro firmo teneas quod indignationem noſtram ſub incurſu prædictæ pœnæ contra perſonam tuam, licet ipſam in Chriſto ſinceriſſime diligamus, graviter provocabis, litteris noſtris (*Cunctis proceſſibus, Licet olim, & Ad noſtram noveritis*) tibi alias directis a nobis, in ſuo robore nihilominus duraturis. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Quod enim ſuper hoc inveneris & feceris, nobis fideliter reſcribere non omittas. Clauſulæ irritantes.

Datum Viterbii 11. Idus Julii Pontificatus noſtri anno III.

XXXIII.

Ut faciat ſubveniri Patriarchæ Conſtantinopolitano. Reg. Vatic. epiſt. 500.

Miniſtro Fratrum Minorum Provinciali de Romania.

§. I. Neceſſitatibus Ven. fratris noſtri.... Patriarchæ Conſtantinopolitani Apoſtolicæ Sedis Legati, tanto libentius ſubvenimus, quanto idem ad præſens, prævalente in eum Græcorum illarum partium potentia, ſuffragio Sedis Apoſtolicæ magis noſcitur indigere. Patriarchæ Conſtantinop. indigentiis ſubveniendum. Tranſmiſſa ſiquidem nobis ex parte ipſius Patriarchæ petitio continebat, quod redditus Patriarchatus ſui, propter eorumdem Græcorum frequentes incurſus, ſunt adeo diminuti, quod ex eis non poteſt, juxta ſui ſtatus exigentiam, aliquatenus ſuſtentari. Et cum Patriarcha prætactus a Prælatis & Clericis Eccleſiarum ſuæ legationis ad relevandam indigentiam hujuſmodi, procurationes, vel aliqua ſubſidia exigit, quia iidem Prælati & Clerici procurationes & ſubſidia hujuſmodi ſibi contumaciter exhibere recuſant, dictus Patriarcha propter hoc promulgat excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias in eoſdem, ſicque frequenter inter ipſum, & eoſdem Prælatos & Clericos occaſione hujuſmodi turbationis & diſcordiæ ſeminaria pullulant, unde commune Religionis negligitur commodum, & contra ipſum Patriarcham, ac alios negotium Conſtantinopolitani Imperii proſequentes, eorumdem Græcorum feritas fortius invaleſcit.

§. II. Quare fuit ex parte ipſius Patriarchæ nobis humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc providere opportuno remedio curaremus. Quocirca mandamus quatenus univerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & aliis Eccleſiarum Prælatis in illis partibus pariter convocatis, cum eis prudenter diſponere ac ordinare procures, ut eidem Patriarchæ, tamquam eorum capiti, annuatim, quouſque prætacti Patriarchatus ſui red- Eidem Patriarchæ debita congrua aſſignatur.

ditus quiete percipere valeat, quingentas marchas argenti pro ſua ſuſtentatione miniſtrare procurent, eos ad hoc ex parte noſtra ſedulis monitis & exhortationibus diligenter, & efficaciter inducendo, ita quod idem Patriarcha filialis devotionis affectum in eis, per effectum operis ſe gaudeat inveniſſe, ac propter hoc ad reſiſtendum eiſdem inimicis fortius animetur. Eam autem diligentiam & ſollicitudinem adhibeas in commiſſo tibi negotio exequendo, ut devotionem tuam poſſimus exinde merito commendare. Nolumus enim ut iidem Prælati quamdiu eaſdem 500. marchas exſolverint, per eumdem Patriarcham occaſione alterius ſubſidii, vel procurationis, ſeu quavis alia de cauſa aliquatenus prægraventur.

§. III. Non obſtante indulgentia Sedis Apoſtolicæ, qua Fratribus tui Ordinis eſt conceſſum, ut negotia, quæ ſibi a Sede committuntur eadem, exequi minime teneantur.

Datum Viterbii Idibus Julii anno III.

XXXIV.

Ut nihil ſolvant de bonis ſuis ullo prætextu. Reg. Vatic. epiſt. 528.

Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Catarinæ de Loculi Januen. Ordinis ſancti Damiani ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis.

QUanto ſtudioſius divinæ contemplationi vacatis Domino famulando, tanto vitæ veſtræ libentius providemus. Hinc eſt quod cum Monaſterium veſtrum ſincera diligamus in Domino caritate, devotionis veſtræ precibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut de quibuſcumque bonis vobis vel Monaſterio veſtro a Chriſti fidelibus in vita, vel in ultima voluntate legatis, vel legandis in poſterum nulli uſque ad noſtrum beneplacitum teneamini ſolvere aliquid, prætextu cujuslibet juris diœceſani, aut conſuetudinis, ſeu alicujus canonicæ portionis.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum Viterbii XII. Kal. Auguſt. anno III.

XXXV.

Ut adſit Epiſcopo Pariſienſi pro executione illorum quæ a Sede Apoſtolica ſunt ſtatuta. Ex Cod. vetuſto de hac controverſia fol. 128. & Firm. 3. Ord. 2. part. tract. 1.

Cariſſimo in Chriſto Regi Francorum Illuſtri.

Regis pietas commendata.

§. I. BOna meritoria, per quæ virtutum Domino placere deſideras, religioſa multiplicat caritas, quæ humiles religioſaſque perſonas, dum in manibus divinæ pacis & ſpiritus requieſcunt, humiliter amplectitur manſuetudinis regiæ celſitudo. Hoc quippe in cœlis ad mercedis cumulum tibi prægnanter pura reponit intentio, quam pia deſideriorum tuorum ſtudia manifeſtant. Hoc velut inſigne imitationis exemplar, fidelibus aperte proponitur ad profectum.

Prædicatores & Minores ſub patrocinio regio.

§. II. Eapropter pro dilectis filiis Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratribus, qui Pariſius in prædicatione & doctrina Evangelii laborantes, in refrigerii tui conſolatione reſpirant, protectionis regiæ præſidium

dium imploramus. Credimus, quod noſtræ petitionis inſtantia cum tuo voto concurrens, regalem auditum, aut animum non gravabit. Sane licet iidem Fratres in executione mandatorum Apoſtolicorum, quæ ſuper ſtatu ſtudii ad convertendam, ſeu conterendam ſecularium Magiſtrorum & Scholarium Pariſien. duritiam emanarunt, promptum invenerunt auxilium regiæ poteſtatis, ſuper quo & ipſi Deo pro te, & pro tua ſalute humilia vota perſolvunt, & nos tuæ celſitudini gratias agimus copioſas.

§. III. Quia tamen quamdam tulimus de novo ſententiam, & ſtatuta condidimus, quibus turbatorum ſtudii Pariſien. cohibetur improbitas, & ipſis Fratribus, ac aliis ſtudium diligentibus ſanctæ quietis tranquillitas providetur; ſublimitatem tuam rogamus, & hortamur in Domino, ac in remiſſionem tibi injungimus peccatorum, quatenus venerabili fratri noſtro Epiſcopo Pariſien. cui prædictorum ſententiæ, & ſtatutorum executionem commiſimus, promptum & favorabile ſuper hoc contra inobedientes, & rebelles, ac quietis ſtudii turbatores, & præfatorum Fratrum vexatores præſtare brachii tui cures auxilium, quo pax muniatur humilium, & inſolentium cervicoſa pervicacia confringatur; excludendo a regno Franciæ, vel alias coercendo, prout videris expedire. Ac memoratosFratres manus regia præpotenti virtute ab omni moleſtia protegat & defendat, vivantque regio culmine tuti, & ſub tua protectione ſecuri, inter inquietos pacifici, inter improbos innocentes. Præces noſtras in hac parte ſic impleturus, quod nos, qui eas tibi ex cordis affectu dirigimus, voti noſtri plenitudinem conſecuti, tuis cum opportunum fuerit, libentius annuamus.

Datum Viterbii II. Kal. Aug. Pontif. noſtri anno III.

XXXVI.

Ut non permittat Guillelmum de ſancto Amore ingredi regnum Franciæ.
Firmam. 3. Ord. tract. 1. part. 2.

Cariſſimo in Chriſto filio Illuſtri Regi Franciæ.

§. I. CUm propter multiplices culpas & grandes offenſas, quas Guillelmus de ſancto Amore temerarie commiſiſſe dignoſcitur, & ſpecialiter propter libellum pernicioſum & deteſtabilem ab ipſo compoſitum, cujus principium: *Ecce videntes clamabunt foris*; & titulus, *tractatus brevis de periculis noviſſimorum temporum*, dicebantur, ac per nos olim de Fratrum noſtrorum conſilio reprobatum, & in perpetuum condemnatum, meruerit graves pœnas, eidem Guillelmo noſtris in virtute obedientiæ ſub debito juramenti, quod præſtitit de ſtando præciſe mandatis noſtris, necnon & ſub excommunicationis ac privationis perpetuæ ab officio & beneficiis, quas eo ipſo incurrere volumus, ſi contra hujuſmodi præceptum noſtrum venire tentaverit, ſalvis omnibus aliis mandatis noſtris, quæ ſibi forſitan viva voce fieri fecimus, aut mediantibus nuncio vel litteris duxerimus facienda, diſtricte dedimus litteris in præceptis, ut nullo unquam tempore Regnum Franciæ intrare præſumat, & nihilominus omnem docendi ac prædicandi ſibi, auctoritate Apoſtolica, perpetuo interdiximus facultatem, ita quod nec docere alicubi, nec unquam alicui Clero, vel populo de cetero audeat prædicare.

§. II. Cum igitur nos celſitudo Regia rogaverit, ſicut a tua credimus memoria non elapſum, ut eidem Guillelmo prædicti Regni interdiceremus ingreſſum, & nos hoc, prout duximus faciendum, ſuperius ex-

expreſſum eſt, Serenitatem tuam rogamus, quod ipſum intrare nullatenus patiaris. Et quia pro certo novimus, quod dilectos filios Fratres Prædicatores & Minores ſpeciali favore proſequeris, ſuper quo te dignis in Domino laudibus efferentes, gratiarum tibi referimus multiplices actiones, Magnificentiam tuam omni qua poſſumus affectione rogamus, quatenus eoſdem Fratres pro Chriſti reverentia, cujus ſunt deputati obſequiis, habens benignitate ſolida commendatos, eos a quorumlibet injuriis & moleſtiis protegas & defendas, ita quod tua potentia communiti pace quieta, & quiete pacifica pacis auctori valeant famulari.

Datum Viterbii III. Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno III.

XXXVII.

Ut reſtitui faciat Monialibus eorum bona injuſte detenta. Reg. Vatic. epiſt. 591.

Præpoſito Eccleſiæ ſancti Donati Januen.

EX parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſanctæ Catarinæ de Loculi Januen. Ordinis ſancti Damiani ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum ſæpe contingat detineri poſſeſſiones, & alia bona, quæ devolvi debent ex perſonis Sororum ejuſdem loci, ratione ſucceſſionis vel dotis, ſive legati, aut eleemoſynæ, ſeu ex aliis cauſis ad Monaſterium memoratum, & grave ſit eis ad nos pro ſingulis habere recurſum, & coram diverſis judicibus experiri, ipſis ſuper hoc dignaremur miſericorditer providere. Quocirca mandamus quatenus quotiens a dictis Abbatiſſa & Conventu fueris requiſitus, cognito de iis ſine ſtrepitu judicii, eis reſtitui facias bona ipſa a detentoribus eorumdem. Contradictores &c. teſtes autem &c.

Datum Viterbii III. Idus Auguſti, anno III.

XXXVIII.

Ut uniat Monaſterium de Logano Benedictinarum alteri Clariſſarum de Loculi. Reg. Vatic. epiſt. 590.

Epiſcopo Albiganen.

INtellecto quod Monaſterium Monialium ſancti Joannis de Logano Ordinis ſancti Benedicti tuæ Diœceſis, tibi pleno jure ſubjectum, in quo quædam Moniales diſſolutæ morantur, & quod conſueverat non modica bonorum ubertate florere, adeo eſt in ſpiritualibus & temporalibus ſine ſpe reſurgendi collapſum, quod non poteſt aliquatenus in ſuo ordine reformari; nos ad id dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam & Conventum Monialis ſanctæ Catarinæ de Loculi Januen. Ordinis ſancti Damiani, propter ipſarum penuriam gerentes compaſſionis affectum, præcipue quod earum religio clara & approbata ſuis fructibus intimis Eccleſiaſticæ maternitatis amplexibus eſt fovenda, necnon volentes ex hoc ipſas proſequi ſpeciali gratia & favore, fraternitatem tuam, quam ad hoc eſſe promptam credimus, rogamus attente per Apoſtolica ſcripta, tibi diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus præteritum Monaſterium de Logano cum omnibus ſuis poſſeſſionibus, & pertinentiis, ac aliis ſuis appendiciis poſitis juxta illud, & ornamentis ipſius auctoritate noſtra eiſdem Abba-

Digitized by Google

Abbatiſſæ & Conventui devote ſub Ordinis tui obſervantia Domino famulantibus, ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram, in perpetuos uſus aſſignans, eas vel procuratorem earum in prætactorum poſſeſſionem corporalem inducere, ac inductas defendere, per te vel per alium poſtponas; amotis exinde Monialibus, quæ ſunt ibi, & per alia Ordinis ſui Monaſteria, aut in earumdem ſanctæ Catarinæ Monaſterio congrue collocatis. Contradictores &c. Non obſtante Apoſtolicæ Sedis indulgentia quibuſcumque conceſſa, per quam hujuſmodi effectus impediri valeat vel differri, & de qua plenam & expreſſam oporteat in litteris noſtris fieri mentionem.

Datum Viterbii II. Idus Auguſti anno III.

XXXIX.

Jubet ut Guillelmum de ſancto Amore denunciet excommunicatum &c. Firmam. 3. Ord. part. 2. tract. 1.

Venerabili fratri Epiſcopo Pariſien.

CUm propter multiplices culpas &c. ut ſupra in bulla XXXVI. uſque *duxerimus facienda.* Ideoque fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in Eccleſia Pariſien. & alibi etiam ubi videris expedire, per te vel per alium prædicta publicare procures, & ſi tibi conſtiterit, quod dictus Guillelmus contra tale præceptum noſtrum in aliquo venire præſumpſerit, tu denuncies ipſum excommunicatum, perjurum, ac perpetuo ab officio beneficiiſque privatum, injungaſque illis, ad quos beneficiorum ſuorum collatio pertinet, ut eadem beneficia, ſi quæ eum habere contingit, perſonis idoneis & Eccleſiæ Romanæ devotis libere conferant & aſſignent. Denuncies etiam publice dilectis filiis Univerſitati Magiſtrorum & Scholarium Pariſien. quod non pro eo quod idem Guillelmus Univerſitatem ipſam defendit, aut quod pro ea forſitan in Francia vel apud Sedem Apoſtolicam laboravit, cum Magiſtros & Scholares prædictos, tamquam nobilia Eccleſiæ membra, ſinceris præcipue affectibus proſequamur, ſed pro prædicto deteſtabili, & a nobis damnato libello ſic contra eum proceſſimus. Et ſi adhuc id exegerit protervia contumacis gravius, auctore Domino, procedemus: latas autem alias in ipſum de mandato noſtro ſuſpenſionis vel privationis beneficiorum ſuorum ſententias perſiſtere volumus in ſuo robore firmitatis. Contradictores autem, ſi qui fuerint, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compeſcas.

Datum Viterbii X. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno III.

XL.

Ut in quibuſdam feſtivitatibus tempore interdicti publice poſſint celebrare divina. Reg. Vatic. epiſt. 604.

Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Catarinæ de Loculi Januen. Ordinis ſancti Damiani ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinen.

EXigentibus veſtræ devotionis meritis, votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter exaudimus. Hinc eſt quod nos veſtris devotis precibus inclinati, præſentium vobis auctoritate concedimus, ut tempore generalis interdicti

dicti liceat vobis & Fratribus Minoribus, qui in feſtivitatibus beatæ & glorioſæ Virginis Mariæ matris Chriſti, ſanctæ Claræ, ſanctæ Seraphiæ, & ſanctæ Catarinæ, & dedicationis ipſius altaris ſanctæ Catarinæ veſtri Monaſterii ibidem convenerint pro divinis Officiis celebrandis, in eiſdem feſtivitatibus, & per octo dies feſtivitatis ipſas ſequentes, pulſatis campanis, populum, excommunicatis, & nominatim interdictis excluſis, ad audiendum divina Officia in ipſo Monaſterio convocare.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum Viterbii VI. Idus Septembris, anno III.

XLI.

Ut abſolvat a cenſuris Pariſienſes. Firmam. 3. Ord. tract. 1. part. 2.

Venerabili fratri Epiſcopo Pariſien.

§. I. Dilecti filii Prior & Fratres Prædicatores Pariſienſes nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum nonnulli Magiſtri & Scholares Pariſien. prætextu diſcordiæ uſque nunc Pariſius habitæ, & occaſione detentionis cujuſdam libelli olim damnati a nobis, cujus principium erat: *Ecce videntes clamabunt foris*, dicantur ſententiam excommunicationis incurriſſe, providere ſuper hoc ſalubriter curaremus.

§. II. Nos itaque ſic volentes ipſorum ſaluti in hac parte conſulere, & æquitati noſtræ ſententiæ ſuper hoc latæ nullatenus derogare, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnibus Magiſtris & Scholaribus, qui occaſione dictæ diſcordiæ, ac præfati libelli, interdicti, ſuſpenſionis, aut excommunicationis ſententias noſtra, vel quavis auctoritate prolatas hactenus incurrerunt, poſtquam tibi plene conſtiterit, quod ipſi ordinationem noſtram, quam pro conſervatione ſtudii Pariſien. de conſilio Fratrum noſtrorum edidimus, & quæ continentur in ipſa, ſententiam quoque ac ſtatuta in ea per nos expreſſa diligenter & efficaciter ac ſine aliqua fictione obſervent, & curaverint, quod de cetero eadem obſervabunt, ac dictum libellum prorſus in toto, & in qualibet ſui parte combuſſerint, ac omnino curaverint abolere, auctoritate noſtra, juxta formam Eccleſiæ, beneficium abſolutionis impendas, & diſpenſes cum eis ſuper irregularitatibus, ſi quas forſitan occaſione hujuſmodi contraxerunt.

Datum Viterbii v. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno III.

XLII.

Ut cogat duos Magiſtros exequi quod promiſerunt. Ibidem.

Venerabili Epiſcopo Pariſien.

§. I. Cum olim apud Sedem Apoſtolicam conſtituti Magiſter Odo de Duaco Doctor Theologicæ Facultatis, & Chriſtianus Canonicus Beluacen. coram dilectis filiis noſtris H. tituli ſanctæ Sabinæ Presbytero, & Joanne ſancti Nicolai in carcere Tull. Diacon. Cardinalibus juraverunt ſtare præciſe mandatis noſtris, iidem Cardinales præfatis Magiſtris ex parte noſtra quædam fecerunt mandata in virtute præſtiti juramenti, prout in inſtrumento publico inde confecto, cujus tenor præſentibus infra ſubnectitur, plenius continetur.

§. II. Volentes igitur in publicam venire notitiam, quod in hac parte

te dictis Magiſtris ab eiſdem Cardinalibus de ſpeciali mandato ſslubriter eſt injunctum, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præcepta hujuſmodi ſine moræ diſpendio publices per te, vel per alium Pariſius, & alibi, ſicut videris expedire. Si vero dicti Magiſtri præcepta ipſs infrs ſpatium unius menſis a tempore publicationis hujuſmodi adimplere non curaverint Pariſius efficaciter & ſimpliciter, ac ſine aliqua fictione, tu eos ibidem publice denuncies eſſe perjuros. Reſtitutionem quoque dicti Magiſtri Odonis ad officia, beneficia, & alia quibus auctoritate quarumdsm litterarum noſtrarum, quarum principium eſt: *Cunctir proceſſibus* &c. privatus ſuerat, auctoritate noſtrs, revocare procures. Contradictores &c. inſtrumenti vero prædicti tenor talis eſt. In nomine Chriſti &c. *Hic inſcritur proceſſus anno ſuperiori tranſcriptur.* *Vide in corpore Annal. fol. 32. n. 15.*

Datum Viterbii VI. Non. Octobris, Pontificatus noſtri anno III.

XLIII.

Uc poſſint recipere quædam legata, non obſtantibus quibuſdam litteris aliir conceſſis. Specul. Minor. trsct. I. fol. 8.

Generali & aliir Provincialibus Miniſtrir, ac Fratribus Ordinis Minorum.

§. I. FEl. rec. I. Papa prædeceſſor noſter, & nos poſtmodum ad inſtar ipſius, dilectis filiis Magiſtro & Fratribus domus Militiæ Templi Hieroſolymitani pro exoneratione debitorum, quibus teneri dicuntur, ut de uſuris, rapinis, & slias quocumque modo illicite acquiſitis, quæ Chriſtifideles mandant reſtitui in ultima voluntate, vel dum vivunt, etiam ſi ſoſpitate fruantur, reſtituere ſunt parati: ſi quibus ipſorum reſtitutio fieri debeat, omnino inveniri non poſſunt, necnon de legatis indiſtincte in pios uſus, non expreſſis locis aliquibus vel perſonis, uſque ad decem millia marcharum argenti ubique locorum extra Regnum Alemanniæ recipere valesnt, per Apoſtolicas ſub certa ſorma litterss dicimur conceſſiſſe, diverſis ſuper hoc eis executoribus deputatis. *Gratia Templariis conceſſa.*

§. II. Verum quia, ſicut intelleximus, dicti Magiſter & Fratres ſuper præmiſſis ſive vobis, ſive depoſitioni, vel ordinationi alicujus, vel aliquorum ex vobis quomodolibet relinquntur, ſeu ſi executores decedentium de talibus eorum diſpoſitioni relictis, vobis velint aliqua elargiri, vos occaſione conceſſionis hujuſmodi inquietsnt multipliciter & moleſtant. Nos volentes psci & tranquillitati veſtræ paterna ſuper hoe ſollicitudine providere, vobis univerſis & ſingulis, ut tales litteras prædictis Magiſtro & Fratribus sb Apoſtolica Sede conceſſss nullum vobis veſtroque Ordini præjudicium generetur, quin eiſdem litteris nequsqusm obſtantibus, ea quæ de præmiſſis vobis & ipſi Ordini relinquuntur, & ab executoribus decedentium exhibentur, recipere, ac de iis, quæ veſtræ committuntur diſpoſitioni ordinare ac diſponere libere vsleatis, auctoritate præſentium indulgemus, prædictis Magiſtro & Fratribus, ac etism executoribus eorumdem in virtute obedientiæ diſtrictius inhibentes, ne vos, vel veſtrum aliquos prædictarum litterarum prætextu moleſtare contra hujuſmodi tenorem, inquietare, ſeu quomodolibet perturbare præſumant. Nos enim nihilominus omnes excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, quas per eoſdem executores in *Iidem Templarii Minoribus moleſti.* *Cōtra quos præſto adeſt pontificia proviſio.*

in vos, vel veſtrum aliquos occaſione hujuſmodi promulgari contigerit, decernimus irritas & inanes.

Nulli ergo &c. Datum Viterbii XVII. Kal. Novembris, Pontificatus noſtri anno III.

XLIV.

Ut poſſint miniſtrare Minoribus legata de male perceptis. Ibidem.

Univerſis Executoribus teſtamentorum præſentes litteras inſpecturis &c.

§. I. EX parte dilectorum filiorum Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum fuit propoſitum coram nobis, quod cum aliqui veſtrum de male ablatis, & illicite acquiſitis, quæ fideles neſcientes quibus horum reſtitutio fieri debeat, necnon de his quæ iidem fideles indiſtincte non expreſſis perſonis vel locis veſtro arbitrio, ſeu de conſilio alicujus per vos in pios uſus eroganda committunt, velint eorumdem Fratrum indigentiis providere, nonnulli Eccleſiarum Prælati, necnon hoſpitalis & militiæ Templi Hieroſolymitani, ac etiam Militiæ ſancti Jacobi domorum Magiſtri, & Fratres ac alii, pro quibus ſuper obtinendis ab eis certis quantitatibus legatorum hujuſmodi litteras noſtras direxiſſe dicimur, per executores ſibi ſuper hoc deputatos a nobis impedire procurant, ne prædictorum Fratrum Minorum indigentiis de prædictorum legatis per vos valeat ſubveniri, propter quod duxerunt ad Apoſtolicæ Sedis auxilium recurrendum.

§. II. Cum igitur noſtræ intentionis non fuerit nec exiſtat, per hujuſmodi litteras providendi eiſdem Fratribus de prædictis legatis vobis adimere facultatem: Univerſitati veſtræ præſentium auctoritate concedimus, ut non obſtante contradictione prædictorum executorum, eiſdem Fratribus Minoribus de prædictis legatis providere poſſitis, prout eorum neceſſitatibus videritis expedire. Nos enim &c. ut in bulla antecedenti, uſque *irritas & inanes*. Datum ut ſupra.

XLV.

Confirmat conceſsionem Hoſpitalis ſancti Leonardi de Stagno factam Clariſſis Piſanis. Reg. Vatic. Epiſt. 305.

Abbatiſſæ & Conventui Monialium incluſarum Monaſterii omnium Sanctorum Piſan. Ordinis ſancti Damiani.

Vide in Regeſt. Tom. 3. fol. 412.

Pont. vult lapſui hoſpitalis occurrere.

§. I. JUſtis petentium deſideriis &c. uſque *complere*. Dudum ſiquidem intellecto, quod hoſpitale ſancti Leonardi de Stagno Piſan. Diœceſis in ſpiritualibus eſſet & temporalibus graviter deformatum, ejuſque bona per habitantium in eo incuriam ſeu malitiam potius in diſpendia jugiter vergerent graviora; Nos deſtructioni & lapſui hoſpitalis ejuſdem occurrere, veſtramque de ipſo volentes relevare inopiam, qua mortuæ mundo gravamini ſub clauſuræ clauſtralis anguſtiis in voto voluntariæ paupertatis, & rem ſuper hoc agere piam & gratiſſimam Deo credentes, primo & ſecundo venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo tunc electo Piſano de conferendo vobis, & Monaſterio veſtro Hoſpitali jam dicto cum juribus omnibus & pertinentiis ſuis, ipſoque Procuratori ejuſdem Monaſterii, veſtro & ipſius Monaſterii nomine plene ac libere,

re, prout dictum eſt, aſſignando ſub certa forma mandatum direximus ſpeciale.

§. II. Sed quia quantum in hac parte deferremus eidem, illud utique circa vos de hoſpitali prætacto ad relevandum veſtræ paupertatis incommoda fieri mandantes per eum, quod per nos de plenitudine poteſtatis effici poterat, nequaquam attendens, mandatum & præceptum noſtrum adimplere circa prætacta neglexit, dilecto filio Craſſo Canonico Piſano ſub certa forma noſtris demum dedimus litteris in mandatis, ut ad collationem & aſſignationem hoſpitalis ejuſdem, cum antedictis juribus & pertinentiis vobis, ut præmiſſum eſt, veſtroque Monaſterio faciendam procederet, juxta noſtrarum directarum dicto Archiepiſcopo tunc Electo ſuper his priorum continentiam litterarum. Alium deſignat ab Epiſcopo deputatum.

§. III. Cum igitur, ſicut accepimus, jam dictus Canonicus mandatum ſuper hoc Apoſtolicum exequendo, Syndico & Procuratori veſtro, & dicti Monaſterii ſæpe fatum hoſpitale ſancti Leonardi de Stagno, Eccleſiam quoque, domos, & poſſeſſiones, pertinentias, & jura ipſius omnia Apoſtolici auctoritate mandati ſuper hoc decreti, eidem veſtro & ipſius Monaſterii nomine conferenda duxerit, & etiam aſſignanda in corporalem ipſius hoſpitalis, & prætactorum omnium poſſeſſionem Syndicum inducens eumdem, in contradictores nihilominus excommunicationis ſententiam promulgando, & decernendo etiam, prout ex vi Apoſtolici ſibi competebat mandati irritum & inane, ſi quid poſt noſtras obtentas ad eumdem Archiepiſcopum tunc electum ſuper hujuſmodi negotio litteras de hoſpitali prætacto innovatum, aut de poſſeſſionibus & rebus pertinentibus ad illud alienatum extitit vel præſumptum, prout in Apoſtolicis aliiſque publicis litteris ſuper hoc confectis, plenius continetur, voſque plena hoſpitalis, & omnium prætactorum poſſeſſione gaudere dicamini pacifica & quieta.

§. IV. Nos devotionis veſtræ ſupplicationibus inclinati, quod a prætacto Canonico ſuper his provide factum eſt, ratum habentes & gratum, illudque tenore approbantes præſentium, ac defectum ſi quis eſt, de prætactæ plenitudine poteſtatis ſupplentes, hoſpitale ipſum cum prætactis Eccleſiis, domibus, poſſeſſionibus, juribus & pertinentiis ſuis omnibus, ſicut ea omnia juſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos Monaſterio veſtro, auctoritate Apoſtolica, confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Tenorem autem prætactarum litterarum præſentibus litteris inſerentes &c. Ea quæ a novo Deputato ſunt facta confirmat.

Datum Viterbii VI. Kal. Novembris Pontificatus noſtri anno III.

XLVI.

Qualiter agendum ſit cum iis, qui ad alias religiones volunt tranſire. Specul. Min. tract. 1. fol. 8.

Generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Cum & plantare ſacram religionem, & plantatam fovere ſummopere debeamus, expedit ut ſicut circa ipſam ea quæ ſunt recta nutrimus, ſic & ea quæ profectum virtutis impediunt, corrigi diligenti ſollicitudine procuremus. Ad audientiam noſtram quidem pervenit, quod nonnulli Fratres Ordinem veſtrum profeſſi, aſſerentes, ſe ipſius Ordinis obſervantias ſuſtinere non poſſe, tranſeundi ad ſancti Benedicti, vel Carthuſienſium Ordines procurant, ſibi a nobis licentiam exhi-

exhiberi, non ea intentione aliquando quod remaneant in eiſdem, ſed ut ab eis tranſeant ad alios Ordines obſervantiæ mitioris, & ab his ad ſeculum revertantur; ſecum in Apoſtaſia ſua per illorum perſonas agi mitius confidentes. Sicque multa committunt, per quæ Deum offendunt, & Ordinem veſtrum apud illos præcipue, qui de ipſo eos fuiſſe noverunt, plurimum inhoneſtant.

§. II. Quare igitur honorem Ordinis veſtri prædicti, & ſalutem in eo degentium perſonarum intimo zelantes affectu, vobis in virtute obedientiæ auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne de cetero aliquibus veſtri Ordinis Fratribus hujuſmodi licentiam concedatis: niſi ſub ea conditione, quod in Ordine ad quem licentiantur, debeant remanere. Nos enim ſi tales ab eo abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulgentia, vel ad mitiorem Ordinem tranſiverint, vel, quod abſit, ad ſeculum revertantur, volumus vos ac ſucceſſores veſtros circa ipſos rigorem veſtri Ordinis exercere, ac decernimus, quidquid circa conceſſionem hujuſmodi licentiæ ſecus feceritis irritum & inane.

Nulli ergo &c. Datum Viterbii III. Non. Decemb. Pontificatus noſtri anno III.

XLVII.

Confirmat quamdam tranſlationem Monialium. Reg. Vatic. epiſt. 6.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii ſancti Bartholomæi de Faleſio Ordinis ſancti Damiani Maſſanen. diœceſis.

Habes formulam in Regeſto tom. 3. fol. 421.

Petitionis Monialium tenor.

§. I. CUm a nobis petitur &c. uſque *effectum*. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod dilectus filius Frater Raynaldus de Tocco Pœnitentiarius, & Capellanus noſter, de mandato noſtro te filia Abbatiſſa a regimine Monaſterii ſanctæ Mariæ de Maſſa abſolvens in Abbatiſſam Monaſterii ſancti Bartholomæi de Faleſio Maſſan. diœceſis te præfecit, ſtatuens ut idem Monaſterium ſancti Bartholomæi, quod dicto Monaſterio ſanctæ Mariæ de Maſſa contuleramus, & dictum Monaſterium ſanctæ Mariæ per ſe conſiſtat, & utrumque Monaſterium ipſarum, cum omnibus bonis ſuis ſit liberum & exemptum, nec alterum eorum alteri in aliquo ſit ſubjectum, prout in litteris inde confectis ejuſdem Capellani ſigillo ſignatis plenius continetur.

Ea quæ a Pœnitentiario ſunt ſtatuta cōfirmat.

§. II. Nos igitur veſtris devotis precibus benignum impertientes aſſenſum, quod ab eodem Capellano in hac parte factum eſt, ratum habentes & gratum, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Tenorem litterarum ipſarum de verbo ad verbum præſentibus inſeri facientes, & ſupplentes defectum, ſi quis in iis habitus eſt, de noſtræ plenitudine poteſtatis. Tenor autem litterarum ipſarum talis eſt.

Pœnitentiarii ejuſdem litteræ.

§. III. *Univerſis præſentes litteras inſpecturis, frater Raynaldus de Tocco Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus, ſalutem in Domino. Cum olim Dominus Alexander Papa IV. neceſſitatibus Abbatiſſæ, & Conventus Monaſterii ſanctæ Mariæ de Maſſa Ordinis ſancti Damiani paterno compatiens affectu, Monaſterium ſancti Bartholomæi de Faleſio Maſſan. diœceſis eis duxerit concedendum, & B. Abbatiſſa, cum quibuſdam ipſius Monaſterii Monialibus de Maſſa ad prætactum Monaſterium de Faleſio ſe velit transferre, & ibidem, juxta ſui Ordinis inſtituta, Domino perpetuo famulari; Nos ipſam auctoritate Summi Pontificis ſupratacti Monaſterii Maſſan. regimine* ab-

abſolventes, eamdem in Abbatiſſam memorati Monaſterii de Faleſio duximus præfigendam; ſtatuentes, ut deinceps Monaſterium Maſſan. & Monaſterium de Faleſio duo ſint Monaſteria, quorum utrumque per ſe cum omnibus bonis ſuis ſit liberum, & exemptum, prout ante conceſſionem hujuſmodi erant, nec unum alteri in aliquo ſit ſubjectum, nec Monaſterium ipſum de Maſſa, prætextu conceſſionis prætactæ in nominato Monaſterio ſancti Bartholomæi ſuis juribus, ac pertinentiis ſuis jus aliquod ſibi ulterius valeat vendicare, quod a ſubjectione ipſius Monaſterii Maſſan. volumus eſſe exemptum. Sed ipſum Monaſterium de Faleſio prætacta Abbatiſſa, & ejus Sorores, & quæ eis ſucceſſerint, cum omnibus juribus & pertinentiis habeant liberum & exemptum. Datum Viterbii Nonis Decembris, Pontificatus Domini Alexandri Papæ IV. anno III. Indictione I. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras fieri fecimus, & noſtri ſigilli munitione roborari.

Nulli ergo noſtræ confirmationis & ſuppletionis &c. Datum Viterbii Idibus Decembris anno III.

XLVIII.

Concedit eis quaſdam Indulgentias. Reg. Vatic. epiſt. 17.

Guardiano, & Fratribus de Ordine Minorum Uratislavien.

SAnctorum meritis inclyta gaudia fideles Chriſti attingere minime dubitamus, qui per condigna devotionis obſequia eum venerantur in illis, quorum gloria eſt, & retributio meritorum. Ad promerenda igitur ſempiterna gaudia cauſam dare fidelibus populis cupientes, omnibus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam veſtram in die conſecrationis, & in anniverſario ejuſdem, ac feſto beati Jacobi, in cujus honorem eadem Eccleſia, ut aſſeritur, eſt conſtructa, & uſque ad octo dies ſequentes, cum devotione ac reverentia viſitaverint, annuatim de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum annum, & quadraginta dies ſingulis annis de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Datum Lateran. XIV. Kal. Januarii, anno III.

XLIX.

Concedit eorumdem Eccleſiis quaſdam Indulgentias. Reg. Vatic. epiſt. 109.

Miniſtro, Cuſtodibus, & Fratribus Minoribus Bohemiæ, Moraviæ, Poloniæ, & Pruſſiæ.

SAnctorum meritis &c. *ut in proxime præcedenti bulla*; qui Eccleſias veſtras in diebus conſecrationis & anniverſarii dedicationis ipſarum, & in ſanctorum Franciſci & Antonii, ſanctæque Claræ, & poſt octo dies ſequentes, & ſanctorum eorum, quorum ibi altaria ſunt, in ſuis feſtivitatibus, cum devotione & reverentia viſitaverint annuatim, de omnipotentis Dei miſericordia &c. centum dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Datum Lateran. II. Kal. Januarii, anno III.

L.

Concedit eis Abbatiam Monaſterii de Fiſcedo. Reg. Vatic. epiſt. 79.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii de Gattajola Ordinis ſancti Damiani Lucan. Diœceſ.

§. I. Ea quæ judicio, vel concordia terminantur, firma debent & illibata perſiſtere, & ne in recidivæ contentionis ſcrupulum relabantur, convenit Apoſtolico præſidio communiri. Sane Plebano de Birbinaria Lucan. diœceſis ſuper proviſione vobis de aliquo Monaſterio, vel loco ipſius diœceſis Lucan. Epiſcopo non ſubjecto, deformato, & de facili non valente in ſuo reformari Ordine, facienda noſtris a nobis ſub certa forma litteris deſtinatis, & ſuper ſtatu Monaſterii de Fiſcedo ad Romanam Eccleſiam immediate ſpectantis Ordinis Vallis Umbroſæ, ac moribus & vita Abbatis, & quinque Monachorum degentium in eodem pluribus teſtibus ab eodem Plebano receptis, auctoritate hujuſmodi litterarum, tamdem ipſi Plebano per alias litteras dedimus in præceptis, ut ipſorum Abbatis, & Conventus, ac perſonarum cavillationibus, & tergiverſationibus non indulgens, ſi ex dictis receptorum teſtium, ſama, aliiſque adminiculis deformationem ejuſdem Monaſterii deprehenderet, & ex qualitate perſonarum ejuſdem attenderet, illud ex eiſdem perſonis non poſſe de facili reformari, ad concedendum ipſum cum juribus & poſſeſſionibus ſuis Abbatiſſæ, & Conventui prætactis, juxta priorum continentiam litterarum, abſque ſolemnitate & ſtrepitu judiciarii ordinis inducendum eas, vel procuratorem earum in corporalem poſſeſſionem eorum procedere procuraret, contradictores &c.

Mandat inquirere contra Monachos de Fiſcedo.

§. II. Et quia hujuſmodi proviſionis negotium per ipſius Plebani negligentiam videbatur nimium prorogari, dilecto filio Gualterotto Canonico Lucan. primo in virtute obedientiæ, ac tamdem ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio per noſtras duximus litteras injungendum, ut in negotio prætacto ejuſdem Plebani, ſervato proceſſu, ſequens dicta receptorum teſtium, famam, & alia legitima adminicula, prætermiſſa difficultate judiciarii ordinis, & per officium noſtrum dictis Abbati & Monachis protelandi negotium, qualibet difficultate ſublata, finaliter procedere curaret, juxta directarum eidem Plebano continentiam litterarum; propter quod idem Gualterottus ſuper proceſſu coram ſe & dicto Plebano habito, diligenti examinatione præmiſſa, viſis & inſpectis depoſitionibus teſtium ab utraque parte in negotio hujuſmodi productorum, & auditis allegationibus partium earumdem, communicato etiam conſilio cum peritis, prætactum Monaſterium de Fiſcedo deformatum eſſe, & de perſonis prætactis non poſſe de facili reformari, ac ideo illud vobis concedendum fore definitive pronuntians, illud vobis cum omnibus poſſeſſionibus juribus, & pertinentiis ſuis dedit & conceſſit perpetuo retinendum, Abbatem, & perſonas in ipſo degentes amovens per ſententiam ab eodem. Cumque propter hoc pro parte dictorum Abbatis, & Monachorum fuiſſet ad noſtram audientiam appellatum, Venerabilis frater noſter Epiſcopus Præneſtin. quem ſuper hoc dedimus partibus auditorem, lite legitime conteſtata, juramento de veritate dicenda hinc inde præſtito, actis prioris judicii plenius recenſitis, auditis allegationibus partium, habitaque a nobis de ſententia proferenda licentia ſpeciali, prætactum Gualterottum bene ac legitime, juxta formam ſibi traditam pronuntiaſſe, & pro parte prætactorum Abbatis

Alium determinat Delegatū ad hoc negotium.

batis, & Monachorum male appellatum fuiſſe ſententialiter definivit, prout in inſtrumento publico, & litteris ipſius Epiſcopi ſigillo munitis, inde confectis plenius continetur.

§. III. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, quidquid per Gualterottum, & Epiſcopum ſupradictos in hac parte factum eſt, ratum habentes & gratum, id, non obſtante appellatione, pro parte Abbatis & Monachorum a ſententia dicti Epiſcopi ad noſtram audientiam interjecta, quam reputamus frivolam, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus.

Ea, quæ per Epiſcopum, aliumque Delegatum ſunt facta confirmat.

§. IV. Tenores ipſius inſtrumenti, ac præfatarum litterarum de verbo ad verbum præſentibus inſeri facientes. Tenor enim inſtrumenti præfati talis eſt.

§. V. *In nomine Domini. Amen. Placuit ſummo Pontifici ſcribere Plebano de Birbinaria in hac forma. Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Plebano de Birbinaria Lucan. diœceſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cupientes dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus ſanctæ Mariæ de Gattajola Ordinis ſancti Damiani Lucan. diœceſis inopiam ipſam, ut pro certo didicimus deprimentem, earumque incommoditatem congruis remediis relevari, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamas, quatenus eiſdem aliquod Monaſterium Eccleſiam, ſeu locum in Civitate, ſeu diœceſi Lucan. cujus Ordinis deformatum, & diœceſan. lege venerabili Fratri noſtro Lucan. Epiſcopo non ſubjectum, quem in ſuo Ordine videris non poſſe de facili reformari, Monaſterio ſancti Pontiani Ordinis ſancti Benedicti dumtaxat exempto, auctoritate noſtra, cum omnibus poſſeſſionibus, ſuis juribus, & pertinentiis concedas ab ipſis perpetuo retinendum, inducens ipſas, vel earum procuratores pro eis in corporalem poſſeſſionem eorum, & defendens inductas, amotis exinde perſonis, quæ ibidem fuerint, & alibi prout expedire videris, collocatis. Contradictores &c. invocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachii ſecularis. Datum Laterani* II. *Nonas Decembris Pontificatus noſtri anno* I. *Qui Plebanus incipiens mandatum Domini Papæ exequi diligenter, intellecto Abbatem, & Monachos Monaſterii de Fiſcedo Ordinis Vallis Umbroſæ ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis dictæ diœceſi condeſcendit, & inquiſitionem, & receptionem, & alia ſecundum juſtitiam debito modo proceſſit ..... Verum quia propter quaſdam allegationes, & tergiverſationes Abbatis, & Monachorum, negotium differebant prolixe, iterato idem Dominus Papa ſcripſit eidem in hac forma. Alexander Epiſcopus ſervus Servorum Dei dilecto filio Plebano de Birbinaria Lucan. diœceſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum mandatun ſub certa forma per noſtras litteras accepiſſes, ut dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii de Gattajola Ordinis ſancti Damiani Lucan. diœceſis de aliquo Monaſterio, vel loco, venerabili fratri noſtro Epiſcopo Lucan. non ſubjecto ejuſdem diœceſis deformato, & non valente de facili in ſuo reformari Ordine provideres, amotis exinde perſonis ipſius, & alibi collocatis, tu intellecto Abbatem, & Monachos Monaſterii de Fiſcedo Ordinis Vallis Umbroſæ ad Eccleſiam Romanam nullo medio pertinentis dictæ diœceſis, a norma regularis obſervontiæ declinaſſe, ad eos, ut ſuper hoc inquireres, deſcendiſti, quibus ad inſpectionem converſationis ſuæ te admittere contumaciter denegantibus, & per appellationis effugium evadere geſtientibus, oculis inſpecteris, tamquam mandati noſtri diligens executor, ſuper ſtatu ejuſdem Monaſterii, & moribus, ac vita Abbatis, & quorumcumque Monachoram, & Perſonarum degentium in eodem, prout nobis innotuit, teſtes plurimos recepiſti. Sed licet perpendi ex dictis eorumdem teſtium, quorum deſpoſitiones fue-*

fuerunt exhibitæ coram nobis, & ex fama publica videatur dictum Monaſterium fore graviter deformatum, & eoſdem Abbatem, & Monachos corrupiſſe, ambulando poſt carnis concupiſcentiam vias ſuas, ipſis tamen redimere ſatagentibus tempus, & judicium longis litigiorum protelationibus evitare, commiſſum tibi negotium in electione mandati Apoſtolici, & ipſius Monaſterii jacturam, quod iidem Abbas, & Monachi, hac de cauſa ſumptibus atterunt, & debitoribus oneribus opprimunt, prorogatur. Quocirca diſcretioni tuæ, per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus eorum cavillationibus, & tergiverſationibus non indulgens, ſi ex dictis receptorum teſtium, fama, aliiſque adminiculis deformationem ejuſdem Monaſterii deprehenderis, & ex qualitate perſonarum ejuſdem, attendens illud ex eiſdem perſonis non poſſe de facili reformari, ad concedendum ipſum cum juribus, & poſſeſſionibus ſuis Abbatiſſæ, & Conventui præfatis, juxta priorum continentiam litterarum, abſque ſolemnitate tamen, & ſtrepitu judiciarii ordinis, & inducendum eas, vel partem earum in corporalem poſſeſſionem eorum, & defendendum inductas, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, ſubmoto cujuſvis more, ac difficultatis diſpendio, oppoſitione remota, procedas. Contradictores &c. Ceterum ne idem Monaſterium iteram dilapidari contingat, ubi expedire videris, publicæ prohibitionis proponas edictum, ne quis ab eiſdem Abbate, & Monachis, ſub quovis alienationis, vel obligationis titulo, præſumat accipere bona Monaſterii memorati, & decernas quod ſi ſecus attentatum fuerit, non tenere. Non obſtantibus aliquibus litteris veritati, & juſtitiæ præjudicantibus, a Sede Apoſtolica impetratis, vel etiam impetrandis. Datum Anagniæ II. Kalendas Octobris Pontificatus noſtri anno II. Dictus autem Plebanus dictis ſecundis receptis, inſtitit inquiſitioni, & proceſſui memoratis ſecundum formam litterarum priorum. Verum cum præfatum negotium, nec non & executio præfati mandati, per negligentiam videretur nimium protelari, placuit Domino Papæ mihi Gualterotto Canonico ſcribere in hac forma. Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Gualterotto Canonico Lucan. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dudum Plebano de Birbinaria Lucan. diœceſis ſuper proviſione dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii de Gattajola Ordinis ſancti Damiani ejuſdem diœceſis, de aliquo Monaſterio, & loco ejuſdem diœceſis Lucan. Epiſcopo non ſubjecto, deformato, & de facili non valente in ſuo reformari Ordine, facienda, noſtris a nobis ſub certa forma deſtinatis litteris, & ſuper ſtatu Monaſterii de Fiſcedo ad Romanam Eccleſiam immediate ſpectantis Ordinis Vallis Umbroſæ, ac moribus, & vitæ Abbatis, & quorumcumque Monachorum, ut dicitur, degentium in eodem. Cum ipſi per appellationis effugium inſpecteris ocalis, tempuſque redimere, ac longis litigiorum perturbationibus evitare, judicium niterentur, teſtibus pluribus ab eodem Plebano receptis auctoritate harum litterarum, tamdem ipſi Plebano per alias dedimus litteras in præceptis, ut ipſorum Abbatis, & Conventus, & perſonarum, cavillationibus, & tergiverſationibus non indulgens, ſi ex dictis receptorum teſtium, fama, aliiſque adminicalis deformationem ejuſdem Monaſterii deprehenderet, & ex qualitate perſonarum ejuſdem attenderet illud ex eiſdem perſonis non poſſe de facili reformari, ad concedendum ipſum cum juribus, & poſſeſſionibus ſuis Abbatiſſæ, & Conventui præfatis, juxta priorum continentiam litterarum, abſque ſolemnitate, & ſtrepitu judiciarii ordinis inducendum eas, vel partem earum in corporalem poſſeſſionem eorum, & defendendum inductas, invocato ad id, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachii ſecularis, ſubmoto cujuslibet more, ac difficultatis diſpendio, oppoſitione remota, procedere procurare t. Contradictores &c.

Et

Et ne idem Monaſterium dilapidari contingeret ubi expedire videret, publicæ prohibitionis edictum proponeret, ne quis ab eiſdem Abbatibus, & Monachis, ſub quovis alienationis, vel obligationis titulo, præſumeret accipere bona Monaſterii ſupradicti, & decerneret quod ſi ſecus attentari contingeret, non tenere. Non obſtantibus aliquibus litteris veritati & juſtitiæ præjudicantibus, a Sede Apoſtolica impetratis, vel etiam impetrandis. Quia igitur hujuſmodi proviſionis negotium in grave præfati Monaſterii detrimentum, per memorati Plebani negligentiam, deſidiam, & malitiam, quam non deſeremus, auctore Domino, indiſcuſſum, nimium prorogatum, nos de tuæ circumſpectionis induſtria plenam in Domino fiduciam obtinentes per Apoſtolica tibi ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus in negotio ipſo ejuſdem Plebani, ſervato proceſſu, ſequens dicta receptorum teſtium, famam, & alia legitima adminicula, prætermiſſa difficultate judiciarii ordinis, & per officium noſtrum dictis Abbati, & Monachis protelandi negotium, qualiter difficultate ſublata, finaliter procedere ſtudeas, juxta directarum eidem Plebano continentiam litterarum. Datum Viterbii XVI. *Kal. Julii Pontificatus noſtri anno* III. *Ego autem cupiens Domini Papæ mandatum exequi reverenter, mandavi Plebano præfato, ut mihi tam litterarum quam proceſſus totius coram eo habiti copiam, in ſcriptis publicis ſuo ſigillo munitis, tranſmitteret, qui vero litteras ipſas apoſtolicas mihi, nec non, & proceſſum totum coram eo actitatum, munitum ſuo ſigillo, tranſmiſit, quibus habitis, partes, ſcilicet, Abbatem, & Conventum de Fiſcedo, & Syndicum Abbatiſſæ, & Conventus de Gattajola, ſcilicet Dominum Tallapanem, ad præſentiam meam citavi, & ipſis in termino eis a me aſſignato comparentibus, eoram me intellexi diligenter, quæ partes ſupradictæ hinc inde proponere voluerunt. Tamdem cum ſuggeſtum eſſet Domino Papæ, quod dicti Plebani negligentiam imitarer, iterato mihi Gualterotto ſcripſit ſummus Pontifex in hac forma. Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Gualterotto Canonico Lucan. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Super proviſione, dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii de Gattajola, Ordinis ſancti Damiani Lucan. diœceſis, de aliquo Monaſterio, vel loco Lucan. Epiſcopo non ſubjecto ejuſdem diœceſis deformato, & non valente de facili in ſuo reformari Ordine facienda. Plebano de Birbinaria prædictæ diœceſis ſub certa forma dudum direximus ſcripta noſtra; & quia ipſe poſtquam ſuper Monaſterio de Fiſcedo dictæ diœceſis, quod deformatum intellexerat, inquirere cœpit, ut ſi id competeret veritati ſubniti, illi provideret, ut juxta mandatum Apoſtolicum de eodem, dicebatur procedere in negotio negligenter. Nos tibi dictum negotium per alias noſtras litteras injunximus exequendum in virtute obedientiæ, credentes, quod ſolerti diligentia ſupplere in hac parte deberes ipſius Plebani negligentiæ imperfectum. Quod tu, ſicut accepimus, aliis deferens pluſquam nobis, quin potius homini pluſquam Deo, dicti Plebani negligentiam imitaris. Nolentes igitur, quod ulterius dicta proceſſio protrahatur, diſcretioni tuæ in virtute obedientiæ, ac ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio, quam ſi parere neglexeris te incurrere volumus, per iterata ſcripta diſtricte præcipiendo, mandamus, quatenus omni occaſione, ac mora poſtpoſitis, in negotio ipſo finaliter procedere non omittas, juxta directarum tibi priorum continentiam litterarum. Non obſtantibus quibuſcumque litteris in contrarium generalibus, vel ſpecialibus a Sede Apoſtolica impetratis, vel impetrandis quibus juriſdictionem tibi commiſſam nolumus aliquatenus impediri. Datum Viterbii* XII. *Kal. Auguſti Pontificatus noſtri anno* III. *Unde cum tam per Advocatorum ſuorum voces, quam per allegationes eorum in ſcriptis, audierim,*

rim, & intellexerim quæ præfati proponere curaverunt, hinc inde ad imponendum finem præfato negotio, & ipſum terminandum & exequendum, invocata Spiritus ſancti gratia, ſic procedo. Ego Gualterottus Domini Papæ delegatus, & exequutor, habita plena deliberatione ſuper proceſſu, & omnibus actitatis habitis coram dicto Plebano, & coram me viſis, & inſpectis dictis, & depoſitionibus teſtium in præfato negotio ab utraque parte productorum, viſis, & auditis allegationibus utriuſque partis, habita deinde conſilio Sapientum ſuper omnibus præmiſſis, ſic in Dei nomine definio, & exequor, & finem impono prædicto negotio, ſententialiter pronuncians, dictum Monaſterium de Fiſcedo Lucan. diœceſis Ordinis Vallis Umbroſæ, pertinens ad Romanam Eccleſiam nullo medio, fore deformatum, & ipſum non poſſe ex eiſdem Perſonis in ſuo Ordine de facili reformari; & idcirco ipſum Monaſterium de Fiſcedo concedendum eſſe Taliapani Syndico Abbatiſſæ, & Conventus de Gattajola pro ipſa Abbatiſſa, & Conventu, & ipſis Abbatiſſæ & Conventui, nuctoritate qua fungor pronuncio, & ipſum do, & concedo, ab ipſis perpetuo retinendum, prædicto Taliapani pro dicta Abbatiſſa, & Conventu, & ipſis Abbatiſſæ, & Conventui, cum omnibus poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis ſuis, & præfatos Syndicum, cum ipſa Abbatiſſa, & Conventu, & ipſam Abbatiſſam, & Conventum inducendos in corporalem poſſeſſionem ipſius Monaſterii, decerno, & eos induco in corporalem poſſeſſionem dicti Monaſterii de Fiſcedo ſententialiter, & admoneo eamdem per ſententiam Abbatem, & perſonas degentes in dicto Monaſterio de Fiſcedo paratus collocare eos in loco decenti, ſecundum litterarum Domini Papæ tenorem, & mandatum ipſius ad quod me offero. In contradictores, & Rebelles excommunicationis ſententia interjecta. Lata eſt hæc ſententia in Canonica ſancti Martini, præſente dicto Abbate de Fiſcedo, & abſente Domino Normanno ſuo, & dicti Monaſterii de Fiſcedo Syndico, & requiſito, & etiam modicum expectato, & præſente D. Taliapane Syndico Dominarum de Gattajola. Teſtes Inghifredus Spiafamis Notarus, & Lambertus Paganelli Papæ Notarus, & Raynaldus Fratris Altobrandini Mariani, qui rogati præfatis interfuerunt, an. Nativitatis Domini MCCLVII. XIV. Kalendas Octobris indictione I. Ego Epithas quondam Bartholomæi Glandolphini Romani Imperii Judex ordinarius, & Notarus præfatis interfui, & rogatus a dicto Domino Gualterotto, ut de præfatis publicam ſcripturam facerem, hæc publice ſcripſi, & confirmavi, & meum ſignum, & nomen appoſui publicando hæc. Litterarum vero tenor præfatarum talis eſt. Stephanus miſeratione divina Præneſtinus Epiſcopus univerſis, præſentes litteras, inſpecturis, ſalutem in Domino. Noveritis, quod cum Dominus Alexander Papa IV. Plebano de Birbinaria Lucan. diœceſis ſuis litteris ſub certa forma dediſſet in mandatis, ut aliquod Monaſterium, Eccleſiam, ſive locum in Civitate, vel diœceſi Lucan. cujuſvis Ordinis deformatum, & Epiſcopo Lucan. diœceſana lege, non ſubjectum, quod in ſuo Ordine videret non poſſe de facili reformari, Abbatiſſæ & Conventui ſanctæ Mariæ de Gattajola Ordinis ſancti Damiani ejuſdem diœceſis, cum juribus, & poſſeſſionibus ſuis conferre curaret, amotis inde perſonis, quæ ibidem fuerint, & alibi collatis, perpetuo retinendum, idem Plebanus intelligens Abbatem, & Monachos Monnſterii ſancti Salvatoris de Fiſcedo ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis Vallis Umbroſæ, Lucan. diœceſis, a norma regulari diſceſſiſſe, ad inquiſitionem ſuper ſtata ipſius Monaſterii proceſſit. Sed quia negotium, propter quaſdam cavillationes protrahi videbatur, Dominus Papa eidem Plebano reſcripſit, ut cavillationibus, & tergiverſationibus præfatorum Abbatis, & Monachorum non indulgens, ſi dictum Monaſterium ex eiſdem perſonis

at-

attenderet, non poſſe de facili reformari, ad concedendum ipſum cum juribus, & poſseſſionibus ſuis, Abbatiſsæ, & Conventui ſupradictis, abſque ſolemnitate, & ſtrepitu judiciarii ordinis procederet, ſed quia negotium adhuc protelabatur præfatum, placuit Domino Papæ Gualterotto Canonico Lucan. ſcribere, quod cum ſub præfatis formis Plebano de Birbinaria ſuas litteras direxiſſet, & hujuſmodi proviſionis negotium in grave præfati Monaſterii detrimentum, per memorati Plebani negligentiam, deſidiam, & malitiam nimium prorogaretur, ipſe in negotio ipſo ejuſdem Plebani, ſervato proceſſu, ſequens dicta receptorum teſtium, famam, & alia adminicula, prætermiſſa difficultate judiciarii ordinis per officium Domini Papæ, dictis Abbati & Monachis protelandi negotium, qualiter facultate finaliter procederet, juxta directarum eidem Plebano continentiam litterarum. Idem vero Canonicus litteras Apoſtolicas, dicta teſtium, & proceſſum negotii habitum coram Plebano præfato ſibi fecit exhiberi; & vocatis qui fuerunt evocandi, litteras Apoſtolicas denuo recepit continentes, quod cum Plebani negligentiam imitari videretur, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, omni occaſione ac mora poſtpoſitis, in negotio ipſo finaliter procederet, juxta directarum ſibi continentiam litterarum. Sæpedictus vero Gualterottus Lucan. Canonicus ſententiam protulit ſuper negotio ipſo in hæc verba. Ego Gualterottus Domini Papæ delegatus, & executor, habita plena deliberatione ſuper proceſſu, & omnibus actitatis, habitis etiam a dicto Plebano; & coram me viſis, & inſpectis dictis, & depoſitionibus teſtium in præfato negotio ab utraque parte productorum, viſis & auditis allegationibus utriuſque partis, habito inſuper conſilio Sapientum ſuper omnibus præmiſſis, ſic in Dei nomine definio, & exequor, & finem impono prædicto negotio ſententiam pronuncians, dictum Monaſterium de Fiſcedo Lucan. diœceſis Ordinis Vallis Umbroſæ, pertinens ad Romanam Eccleſiam nullo medio, fore deformatum, & ipſum non poſse ex eiſdem perſonis in ſuo Ordine de facili reformari; & idcirco ipſum Monaſterium de Fiſcedo concedendum eſse Taliapani Syndico Abbatiſſæ, & Conventus de Gattajola pro ipſa Abbatiſſa & Conventu, & ipſis Abbatiſsæ, & Conventui, auctoritate qua fungor pronuntio, & ipſum do, & concedo ab ipſis perpetuo retinendum præfato Taliapane prædicta Abbatiſſa, & Conventu, & ipſis Abbatiſſæ, & Conventui cum omnibus poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis ſuis, & præfatos Syndicum, cum ipſa Abbatiſſa, & Conventu, & ipſam Abbatiſſam, & Conventum inducendas in corporalem poſſeſſionem ipſius Monaſterii decerno, & eos induco in corporalem poſſeſſionem dicti Monaſterii de Fiſcedo, & admoneo eamdem per ſententiam Abbatem, & perſonas degentes in dicto Monaſterio de Fiſcedo paratus collocare eos in loco decenti, juxta litterarum Domini Papæ tenorem, & mandatum ipſius, ad quod me offero. In contradictores, & rebelles excommunicationis ſententia interjecta. A qua ſententia cum ex parte Abbatis, & Conventus præfatorum fuiſſet ad Sedem Apoſtolicam appellatum, Dominus Papa nos in cauſa appellationis hujuſmodi dedit partibus auditorem. Procuratoribus igitur partium in mea præſentia conſtitutis, pro parte ipſorum Abbatis & Conventus libellus oblatus extitit in hæc verba. Coram vobis venerabili Patre Domino S. miſeratione divina Prœneſtino Epiſcopo partibus auditore conceſſo proponit dictus Syndicus, & procurator Abbatis, & Conventus Monaſterii ſancti Salvatoris de Fiſcedo Ordinis Vallis Umbroſæ, contra Syndicum ſive procuratorem Abbatiſſæ, & Conventus Monaſterii de Gattajola Lucan. diœceſis, dicens, quod cum præfata Abbatiſſa, & Conventus per Sedem Apoſtolicam, ut dicitur, Plebano de Birbinaria Lucan. diœceſis inter alia obtinuiſſet, committi, ut aliquod Monaſterium Civitatis, vel diœceſis Lucan.,

cujus Ordinis deformatam, & diœceſana lege Epiſcopo Lucan. non ſubjectum, quod non poſſit in ſuo Ordine de facili reformari, cum omnibus poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis ſuis, auctoricate Apoſtolica per dictum Plebanum conferri eiſdem. Prædictæ tamen falſo aſſerentes, præfatum Monaſterium eſſe deformatum, nec poſſe per ſuum Ordinem reformari, per hæc dicebant, quod præfatum Plebanum deberet conferri eiſdem. Coram vero Plebano fuit uſque ad concluſionem proceſſus, ac demum præfatæ Abbatiſſa, & Conventus, ut dicitur, ab eadem Sede obtinuere dari per litteras Apoſtolicas in mandatis Gualterotto Canonico Lucan., ut idem Gualterottus in ipſo negotio procederet, ſervato proceſſu dicti Plebani, ſequens dicta teſtium receptorum, famam, & alia adminicula coram præfato Plebano producta. Qui Canonicus perperam, & injuſte in cauſa procedens contra Abbatem, & Conventum, ſuper ipſo Monaſterio, juribus, & pertinentiis ſuis procedens, ipſum præfatis Abbatiſſæ, & Conventui, ut in eadem ſententia continetur, definitivam ſententiam promulgavit, ex qua præfati Abbas, & Conventus, ſentientes ſe indebite gravari ab eadem, ad Sedem Apoſtolicam in ſcriptis legitime appellarunt. Quare petit præfatus procurator pro parte præfatorum Abbatis, & Conveneus bene appellatum per eoſdem, & male proceſſum per dictos Plebanum, & Canonicum per veram ſententiam declarari, & appellacionem juſtam decerni, & ipſam ſententiam, & proceſſum caſſari, & irritari, caſſum, & irrienm nunciari. Petit etiam idem Procurator, & irritari, & revocari ſi quid poſt appellacionem præfatam, & per præfatos in eorumdem Abbatis, & Convencus, & ipſius Monaſterii præjudicium extitit attentatum. Petit idem Procurator, præfatum Procuratorem præfatarum Abbatiſſæ, & Convencus, & ipſam Abbatiſſam, & Conventum condemnari in damnis, & expenſis illarum factis, & faciendis, quæ omnia in proceſſu judicii declarabit &c. Lite quoque ſuper eodem libello legitime conteſtata, juramento a partibus ſubſecuto, auditis diligenter, quæ partes proponere curaverant, actis prioris judicii ad plenum inſpectis, de prudentum virorum conſilio, & obtenta ſpeciali licentia a Domino Papa de ſententia proferenda. Vocatis partibus ad ſententiam audiendam, & procuratoribus, ſcilicet Magiſtro Orlando Parmen. Procuratore Abbatiſſæ, & Conventus præfatarum, ac Ildebrando de Florentia procuratore Abbatis, & Conventus præfati, coram nobis definitive in ſcripto ſententiando pronunciamus, dictum Gualterottum bene & legitime juxta formam ſibi traditam, ſententiam procuiiſſe, & appellationem per eoſdem Abbatem, & Conventum, vel Procuratorem ipſorum, tamquam minus legitimam non tenere, condemnationem expenſarum, & taxationem earumdem Domino Papæ reſervantes. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras noſtri ſigilli munimine fecimus roborari. Lata, & recitata fuerunt præfata Viterbii ſub anno Domini MCCLVIII. *prima indictionis die* V. *Martii intrantis, præſentibus Domino Epiſcopo Ferentinate, D. Federico Abbate Monaſterii ſancti Pauli de Urbe, Joanne Gartia Archidiacono Pampilonen, Magiſtro Raynaldo Canonico Theatin. Magiſtro Riccardo dicto Roman. & Heremita de Vareino teſtibus de his rogatis, & vocatis. Ego Bernardus de Inſula Romanus Apoſtolica, & ſacroſanctæ Sedis auctoricate Notarus præfatorum prolationi interfui, ut ſupra legitur, & de mandato præfati D. Cardinalis ſcripſi, & fideliter publicavi rogatus.*

Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c. Datum Viterbii XV. Kalendas Aprilis anno IV.

LI.

LI.

Subjicit eas regimini Fratrum Minorum. Reg. Vatic. epiſt. 250. ſed ſub anno v. in Regeſto.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii ſanctæ Mariæ de Longe Marche Ordinis ſancti Damiani Morinen. Diœceſ.

CUm ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, vos incluſæ corpore in caſtris clauſtralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, Generali Ordinis, & Provinciali Fratrum Minorum Miniſtro illius Provinciæ deſideretis pro veſtra ſalute committi; Nos pium veſtrum propoſitum in Domino commendantes, devotionis veſtræ precibus inclinati, vos & Monaſterium veſtrum auctoritate præſentium Generali & Provinciali Miniſtris committimus ſupra ſcriptis, eadem auctoritate nihilominus ſtatuentes, ut ſub magiſterio & doctrina Miniſtrorum Generalis & Provincialis Fratrum Minorum Provinciæ prætactæ, qui pro tempore fuerit, de æterno maneatis, illis gaudentes privilegiis, quæ Ordini prætacto Fratrum ipſorum ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, vel in poſterum concedentur, ipſique Generalis, & Provincialis Miniſtri animarum veſtrarum ſollicitudinem gerentes, & curam eidem Monaſterio, per ſe, vel alios Fratres ſui Ordinis, quos ad hoc viderit idoneos, quotiens expedierit, officium viſitationis impendant, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quæ correctionis, ſeu reformationis officio noverint indigere; & nihilominus inſtituant, & deſtituant, mutent & ordinent, prout ſecundum Deum viderint expedire: electio tamen Abbatiſſæ libere pertineat ad Conventum. Confeſſiones autem veſtras audiant, & miniſtrent vobis Eccleſiaſtica Sacramenta. Et ne pro eo, quod in Monaſterio veſtro ipſius Ordinis Fratres reſidere continue non tenentur, pro defectu ſacerdotis poſſit periculum imminere, prætacti Generalis & Provincialis Miniſtri ad confeſſiones in neceſſitatis articulo audiendas, & miniſtranda Sacramenta prætacta, nec non divina officia celebranda, vobis deputent aliquos diſcretos & providos Capellanos. Ad hæc liceat vobis redditus & poſſeſſiones recipere, ac ea libere retinere, non obſtante conſuetudine, vel ſtatuto veſtri Ordinis, confirmatione Sedis Apoſtolicæ, aut quacumque firmitate alia roboratis.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & conſtitutionis &c. Datum Viterbii x. Kal. Maii, anno IV.

LII.

Ut non poſſint conveniri per litteras Apoſtolicas. Reg. Vatic. epiſt. 111.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii Monialium incluſarum ſancti Angeli Eſculan. Ordinis ſancti Damiani.

CŒleſtia quærentibus &c. ut in Bulla Gregorii IX. la 19. Datum Viterb. VI. Kal. Maii, anno IV. *Vide in Regeſt. tom. 1. fol. 409.*

LIII.

Concedit eis amplum privilegium. Reg. Vatic. epiſt. 134.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii ſanctæ Mariæ de Faleſio, ejuſque Sororibus præſentibus, & futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Habes formulam in eodem Regeſt. tom. 3. fol. 436.

RELigioſam vitam eligentibus &c. uſque *enervet*. Eapropter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium ſanctæ Mariæ de Faleſio Maſſanæ diœceſis, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, quod ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter pertinere dignoſcitur, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum, & beati Benedicti regulam, atque inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinaten. & formulam vitæ veſtræ a fel. rec. Gregorio Papa prædeceſſore noſtro Ordini veſtro traditam, cum adhuc eſſet in minori officio conſtitutus, in Monaſterio veſtro inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea, quaſcumque poſſeſſiones, & quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum largitioni fidelium &c. uſque *illibata permaneant*, &c. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo Monaſterium ſancti Bartholomæi de Faleſio ejuſdem diœceſis de noſtro ſpeciali mandato nuper translstum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis. Tertiam psrtem caſtri Plumbini, cum omnibus pertinentiis ſuis, redditus, quos habetis in porta, & ſtatera ejuſdem caſtri, terras, poſſeſſiones, decimas, frumenti, & vini, ſtagnum, ſalmas, & tertiam partem cujuſdam inſulæ in mari ſitæ, quæ vocatur *Cervulus*, quæ habetis in territorio dicti caſtri. Eccleſiam ſancti Laurentii caſtri prædicti, cum Capella ſancti Antimi dependente ab ipſa, cum terris, poſſeſſionibus, & omnibus pertinentiia ſuis. Decimas frumenti & vini ae domos, quæ habetis ibidem. Jus quod habetis in Eccleſia ſancti Blaſii caſtri ejuſdem. Terras, poſſeſſiones, annuos redditus denariorum & frumenti, ac molendina, cum aquarum decurſibus, & omnibus pertinentiis eorumdem, quæ in eodem caſtro, & ejus territorio obtinetis; medietatem caſtri, quod *Cumulum* appellatur, cum omnibus quæ ad medietatem ipſam ſpectare noſcuntur. Curtem de Bellare, cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſancti Antimi, cum pertinentiis ſuis. Campum de Silice, & campum de Scolta, necnon de Rivo palmea, & de Aquaviva, & de Collupul fundos, novem manſes, quos habetis in loco, qui dicitur Feſulan. cum pertinentiis eorumdem. Tertiam partem caſtri, quod appellatur Gualdum, cum omnibus, quæ ad partem ipſam pertinere noſcuntur ſancti Martini, juxta mare ſancti Msrtini de Caſalupi, ſancti Apolinaris de Mungano, ſancti Stephani de Pojo, ſancti Juſtini de Caſtagneto, ſancti Michaelis de Monteſe, ſancti Chriſtophori de Poſello, ſanctæ Perpetuæ, & de Villetetin. Eccleſias cum omnibus pertinentiis, earumdem decimas, terras, poſſeſſiones, redditus denariorum & frumenti, quæ habetis in caſtro, quod *ſanctus Laurentius* appellatur. Chriſma vero, oleum ſanctum, conſecrationes altarium, ſeu baſilicarum a Diœceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſi Catholicus fuerit, & gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit ſine pravitate aliqua exhibere. Sepulturam quoque illius

loci

loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati & interdicti fuerint, aut etiam publici uſurarii, nullus obſiſtat. Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Quæ omnia eidem Monaſterio ſancti Bartholomæi, antequam Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinaten. inſtituta ſuſciperet, competebant. Liceat quoque vobis perſonas liberas &c. *ut in bulla* XVI. *Alexandri IV. uſque ad Amen, Amen.* Datum Viterbii per manum Magiſtri Jordani ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Notarii, & Vice-Cancellarii X. Kalen. Junii, Indictione I. Incarnationis Dominicæ anno MCCLVIII. Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ IV. anno IV. *Regeſt. tom. 1. fol. 532.*

LIV.

Confirmat donationem eis factam Eccleſiæ ſancti Georgii de Surrento. Reg. Vatic. epiſt. 147.

Philippæ Abbatiſſæ, & Sororibus ejus morantibus in civitate Surrenti Ordinis ſancti Damiani.

EX ſerie veſtræ petitionis accepimus, quod dilectus filius Petrus Filangerius Capellanus noſter, Rector Eccleſiæ ſancti Georgii de Surrento ad hortum ad Cavam, pie conſiderans, quod Eccleſia vobis eſſet plurimum opportuna, ipſam vobis duxit perpetuo concedendam, prout in inſtrumento publico inde confecto plenius continetur. Nos igitur veſtris devotis precibus inclinati, conceſſionem hujuſmodi ratam habentes & gratam, ac eam auctoritate Apoſtolica confirmantes, dictam Eccleſiam vobis de novo donamus, concedimus & conferimus de gratia ſpeciali a vobis & eis, quæ vobis ſucceſſerint perpetuis futuris temporibus poſſidendam.

Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis, donationis, conceſſionis & collationis &c. Datum Viterb. VIII. Idus Julii, anno IV.

LV.

Confirmat omnia Ordinis privilegia. Ex antographo ſub plumbo.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. VIrtute conſpicuos ſacri veſtri Ordinis Profeſſores, qui contemplationi cœleſtium ferventer invigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſſione deſudant, decet per Apoſtolicæ circumſpectionis auxilium ſic proinde dirigi & ſollicite confoveri, ut alicujus prætextu calumniæ nullum internæ pacis excidium, nullumque religioſi ſtatus perferant detrimentum, ſed in iis robur & vigorem habeant, per quæ cultus divini nominis devotis & quietis mentibus invaleſcat. *Conſtitutionis motivum.*

§. II. Hinc eſt, quod cum ſicut nobis exponere curaviſtis, tu fili Generalis Miniſter, & prædeceſſores tui, juxta ejuſdem Ordinis conſuetudinem obſervatam hactenus, & a Sede Apoſtolica toleratam, ſtatim poſtquam electi ſecundum prædicti regulam & conſtitutiones Ordinis extitiſtis, Fratrum ipſius curam geſſeritis miniſterii officium plene ac libere in omnibus exercentes, iidem Fratres vobis devote & humiliter obedierint, ac intenderint reverenter; & in eadem regula ſit expreſſum,

ſum, ut Generalis Miniſter, qui pro tempore fuerit, a miniſterii officio amoveri valeat a Provincialibus Miniſtris & Cuſtodibus in generali Capitulo congregatis: nos volentes ambiguitatis ſcrupulum in hac parte de veſtris cordibus amputare, ac Ordinem ipſum a Sede approbatum eadem honeſtate floridum, præclarum ſcientia, & virtute fœcundum privilegio Apoſtolicæ gratiæ attollere ſingulari, veſtris ſupplicationibus inclinati, devotionis veſtræ, ut ſucceſſores tui fili Generalis Miniſter, qui erunt pro tempore, ſtatim poſtquam electi ſecundum regulam & conſtitutiones fuerint ſupradictas, eo ipſo veri ejuſdem Ordinis Generales Miniſtri effecti, curam animarum Fratrum ipſius Ordinis plene habeant, & libere gerant, ipſoſque Fratres auctoritate propria ligare ac ſolvere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quæ ipſi Miniſtri & definitores ad hoc electi, juxta prædictas conſtitutiones, eiſdem Ordini & Fratribus ſecundum Deum videant expedire, aliaſque poſſunt officium Miniſtri licite in omnibus exercere, iidemque Fratres tibi Generalis Miniſter & ſucceſſoribus ipſis humiliter ac devote obediant, & intendant, & præfati ſucceſſores, & tu Generalis Miniſter a Provincialibus Miniſtris & Cuſtodibus, ſecundum regulam & conſtitutiones ipſius Ordinis abſolvi, & amoveri poſſitis, auctoritate Apoſtolica indulgemus, ratum & firmum habentes quidquid ſuper præmiſſis per ſe Generalis Miniſter, dictos prædeceſſores Fratres & definitores factum & obſervatum eſt hactenus, conceſſa tibi exequendi officium miniſterii quo ad præmiſſa omnia & alia libera facultate.

Miniſtri ſtatim ac electi ſunt habent auctoritatem.

Poſſunt Miniſtri ſuos Fratres mittere ordinandos.

§. III. Et quia ejuſdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipſius Ordinis ſæpius tranſmittuntur, propter quod ſtabilem & perpetuam in certis & determinatis ejuſdem Ordinis domibus non faciunt manſionem, quia etiam bonos & idoneos ac approbatos a vobis Fratres facitis ad Ordines promoveri, liceat vobis ordinandos Fratres ejuſdem Ordinis quibuſcumque malueritis Catholicis Pontificibus, communionem & gratiam Apoſtolicæ Sedis habentibus, præſentare, ipſiſque Pontificibus præſentatos a vobis Fratres ſine qualibet examinatione per eoſdem Pontifices facienda, & abſque omni promiſſione, vel obligatione ipſorum ordinandorum Fratrum ad Ordines promovere.

Licet Fratribus in eorum domibus privata habere Oratoria.

§. IV. In locis quoque in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria; in quibus cum altari portatili poſſitis Miſſarum ſolemnia, & alia divina officia celebrare, omni parochiali jure parochialibus Eccleſiis reſervato; & ne de hoc jure poſſit quæſtio ſuboriri, illud circa oblationes, decimas & primitias intelligimus, quæ a laicis ſolent clericis exhiberi, quibus ratione hujuſmodi indulti nolumus parochiales Eccleſias defraudari. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, in Eccleſiis & Oratoriis veſtris ac aliis quibuſcumque, cum ad loca Eccleſiaſtica ſuppoſita interdicto, clauſis januis, interdictis & excommunicatis excluſis, non pulſatis campanis, & ſubmiſſa voce liceat vobis celebrare divina, dummodo cauſam non dederitis interdicto, nec contingat id vobis ſpecialiter interdici, neque Eccleſiæ & Oratoria eadem fuerint ſpecialiter interdicta. Iis vero qui veſtris immorantur obſequiis cuncta libere miniſtrare poſſitis Eccleſiaſtica Sacramenta, & ipſos cum decedunt, in veſtris cœmeteriis ſepelire.

Celebrare tempore interdicti.

§. V. Si quando autem in terras in quibus reſidetis, vel earum perſonas excommunicatas, ſeu interdicti ſententias contigerit promulgari, pueri veſtris ſervitiis deputati, negotiorum quoque veſtrorum procuratores & operarii, qui in veſtris locis eorum operibus perſonaliter conti-

tinue inſtiterint, hujuſmodi ſententiis obnoxii minime habeantur, ibique poſſint andire divina, juxta formam, quæ locis ipſis in eo caſu a Sede Apoſtolica eſt conceſſa, niſi eiſdem cauſam dederint excommunicari ſpecialiter, ſeu interdici contingat eoſdem. Et quia vos extremam patientes pro Chriſti nomine paupertatem exhortationis piæ ſtudio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis ſemitam laudabiliter revocatis, concedimus, ut in excommunicatis terris libere commorari, & ab eis tunc ac etiam quando per ipſos vos tranſire contigerit, neceſſaria vitæ depoſcere ac recipere valeatis. Generalis quoque & ſinguli Provinciales Miniſtri, ac etiam Cuſtodes in Provinciis & Cuſtodiis ſibi commiſſis, Fratribus conſtitutis ibidem abſolutione & diſpenſatione indigentibus, ſive prius quam intraverint Ordinem, ſive poſt menſes exceſſerint, in quibus excommunicationis ſententiam & notam irregularitatis incurrunt, impertiri valeant abſolutionis beneficium, & diſpenſare cum eis, juxta formam Archiepiſcopis & Epiſcopis ſuper hoc ab Apoſtolica Sede traditam, niſi adeo gravis fuerit & enormis exceſſus, quod ſint ad eamdem Sedem merito deſtinandi. *Commorari inter excommunicatos.*

§. VI. Fratres etiam veſtri, quos pro tempore vos Generalis & Provinciales Miniſtri habentes in proprios confeſſores, abſolutionis & diſpenſationis beneficium, vobis cum expedierit, valeant impertiri, juxta formam conceſſionis ſuper abſolutione & diſpenſatione Fratrum ejuſdem Ordinis ſuperius vobis factæ. Ad hæc volentibus veſtro aggregari Collegio, qui ſuſpenſionis, aut interdicti, vel excommunicationis ſententiis ſunt ligati, abſolutionis beneficium, juxta formam Eccleſiæ, impertiri ipſoſque in Fratres recipere, ac eos, qui poſt aſſumptum habitum, & profeſſionem emiſſam recolentes ſe talibus in ſeculo fuiſſe ſententiis innodatos, ſecundum formam ipſam vos Generalis & Provinciales Miniſtri & præfati Cuſtodes abſolvere valeatis. Ita tamen quod ſi aliqui ex eiſdem hujuſmodi ſententiis, propter debitum ſunt aſtricti, ſatisfaciant, ut tenentur. *Facultas Confeſſariorum.* *Abſolvere poſſunt a Cenſuris Ordinem ingredientes.*

§. VII. Porro quieti veſtræ providere volentes, quod per litteras Apoſtolicæ Sedis, aut Legatorum, ſeu delegatorum ipſius conveniri a quoquam minime valeatis, & quod ad pecuniam colligendam cogi non poſſitis inviti per litteras ipſius Sedis de cetero impetrandas, quodque nullus veſtrum correctionis, ſeu viſitationis, vel inqniſitionis officium Monaſteriis, vel Eccleſiis, ſeu quibuſcumque perſonis impendere, vel ad cognitiones cauſarum, citationes partium, & denunciationes ſententiarum, & excommunicationum procedere, ant recipere curam Monialium, ſeu religioſarum quarumlibet teneatur per appellationis litteras impetratas & impetrandas in poſterum, niſi hujuſmodi Apoſtolicæ litteræ de hoc indulto, & Ordine veſtro expreſſam fecerint mentionem, auctoritate vobis Apoſtolica indulgemus. *Aliæ exemptiones.*

§. VIII. Concedimus etiam ut ad viſitandnm aliqua Monaſteria Monialium cujuſcumque Ordinis, vel audiendum confeſſiones earum, exemptis & profeſſis Ordinem ſancti Damiani dumtaxat exceptis, compelli aliquatenus non poſſitis, aut ad recipiendum commiſſiones cauſarum ſeu ſententiarum executiones, vel alia contingentia cauſas ipſas per litteras præſatæ Sedis, in quibus ſacta non fuerit de indulgentia hujuſmodi mentio ſpecialis, ſive per legatos, ſeu delegatos ipſius, vel etiam per quoſcumque. Nullus inſuper Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, nulluſque alius Prælatus Eccleſiaſticus, nec eorum Vicarii, vel Officiales ad portandum, ſeu deferendum litteras, vel exequendum aut denunciandum

ſen-

ſententias contra Principes ſeculares, Communitates, populos, ſeu quoſcumque benefactores veſtros: nulluſque delegatus, vel ordinarius judex ad faciendum citationes, vel commiſſiones recipiendas, ſeu alia ad lites, vel controverſias contingentia in cauſis, quæ coram ipſis tractantur, quemquam veſtrum compellere valeant ſine prædictæ Sedis mandato, vel licentia ſpeciali, expreſſam faciente de hac indulgentia mentionem. Nec quiſquam veſtrum parere, vel intendere teneatur ſuper iis monitionibus, mandatis, aut juſſionibus eorumdem, aut facere vel implere, quod in hac parte duxerint injungendum. Ceterum Generalis & Provinciales Miniſtri, ac ipſorum Vicarii illos ex Fratribus, de quibus auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac aliis quibuſcumque proviſum extitit, vel impoſterum contigerit provideri, corrigere ac etiam, non obſtante contradictione aliqua, poſſint ad ſuum Ordinem revocare, nec per litteras ejuſdem Sedis, ſeu legatorum ipſius jam obtentas, vel de cetero obtinendas, aliquos de Fratribus ipſius Ordinis præfatis Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac aliis teneantur in ſocios deputare, niſi cui dictæ litteræ Apoſtolicæ obtinendæ de indulto hujuſmodi & Ordine ipſo expreſſam fecerint mentionem, & alias id honeſtati Ordinis, & illorum ſaluti viderint expedire.

Qualis erga Subditos Superiorum poteſtas.

§.IX. Nullus autem Legatus, niſi de latere noſtro miſſus, auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ ſpecialem de hoc indulto, & Ordine veſtro non facientium mentionem, nullus Prælatus nec aliqua perſona religioſa vel ſecularis de Fratribus ejuſdem Ordinis ad ſua, ſeu Eccleſiæ negotia procuranda, vel ſecum aliquos aſſumere valeat, niſi quos Generalis, vel Provincialis Miniſter ipſorum tamquam idoneos, & diſcretos ſibi duxerit aſſignandos, quos etiam ſubjacere volumus Ordinis diſciplinæ. Illos vero ipſius Ordinis Fratres, qui ad prædicandum Crucem vel inquirendum contra pravitatem hæreticorum, ſeu ad alia hujuſmodi negotia ſunt, vel fuerint ubicumque a Sede Apoſtolica deputati, tu fili Generalis Miniſter, tuique ſucceſſores removere, ſeu revocare penitus, ipſiſque quod ſuperſedeant injungere, alioſque ſubſtituere cum expedire videris, libere ac licite valeatis, & in eos ſi contravenerint, cenſuram Eccleſiaticam exercere, ac quilibet Miniſter Provincialis ejuſdem Ordinis idipſum in ſua Provincia circa Fratres ipſius Ordinis, quibus ab eadem Sede ſimilia contigerit in illa committi, facere poſſit, non obſtantibus aliquibus litteris, vel indulgentiis Apoſtolicis impetratis, vel etiam in poſterum impetrandis, quæ de hoc non fecerint mentionem. Inhibemus quoque ne quis poſt profeſſionem in Ordine veſtro factam, ſine Generalis, vel ſui Provincialis licentia diſcedat, ab ipſo vero diſcedentem abſque cautione litterarum ipſorum, prætextu alicujus privilegii Apoſtolicæ Sedis, nullus audeat retinere. Quod ſi forte retinere præſumpſerit, vobis Generali, & Provincialibus Miniſtris dumtaxat licitum ſit in ipſos diſcedentes Fratres excommunicationis ſententiam promulgare. Si vero aliqui de Fratribus veſtri Ordinis, poſt obtentam licentiam a Sede prædicta, ad Religionem aliam tranſeundi infra duos vel tres menſes, ſe ad Religionem ſuæ ſaluti congruam non contulerint, & ipſius non ſuſceperint habitum regularem, licitum ſit vobis Generali & Provincialibus Miniſtris contra ipſos procedere, ſecundum quod honeſtati ipſius Ordinis videritis expedire. Apoſtatas quoque veſtri Ordinis excommunicare, capere, ligare, & incarcerare, & alias ſubdere diſciplinæ rigori poſſitis per vos, ac etiam alios in quocumque habitu eos contigerit in-

inveniri, invocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachii ſecularis.

De expulſis ab Ordine.

§. X. Inhibemus etiam ne Fratres, quos ab Ordine pro ſuis culpis per Generalem, ſeu Provinciales Miniſtros, aut Cuſtodes expelli contigerit, vel qui egreſsi fuerint proprio ſuo motu, prædicare, confeſsiones audire, ſeu docere præſumant, niſi ad alium tranſierint Ordinem, de veſtra vel dictorum Miniſtrorum licentia ſpeciali. Quod ſi forte contra hujuſmodi inhibitionem noſtram aliquid fuerit temere attentatum, liceat ipſis Miniſtris & Cuſtodibus in ipſos Fratres excommunicationis ſententiam promnlgare. Ejectis autem de Ordine veſtro vel egreſſis, qui receptione in eodem Ordine, ſuis exigentibus culpis, reddiderint ſe indignos, tranſeundi ad alios Ordines approbstos, præterquam ad beati Auguſtini, Templariorum, Hoſpitalariorum, & aliorum Religioſorum arma portantium ad vitandam occaſionem evagandi, Generalis & Provinciales Miniſtri, cum ſuis teſtimonialibus litteris, auctoritate noſtra licentiam liberam dare poſsint. Nos enim diſtrictius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter tranſire, vel aliqui eos recipere ſeu retinere præſumant, abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ faciente de hoc plenariam mentionem.

Nemini extraneo licet Ordinis habitum deferre.

§. XI. Inhibemus etiam, ut nulli ſive ſit in Religionis Ordine, ſive extra Ordinem conſtitutus, habitum veſtrum aut ita conſimilem, quod propter eum Frater Minor credi poſsit, deferre liceat abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Et ut dicta inbibitio majorem conſequatur effectum, ſtatuimus, ut ii, qui habitum veſtrum, vel ſibi prædicto modo conſimilem deferre præſumpſerit, ad deponendum ipſum per Diœceſanos locorum, cum a vobis requiſiti fuerint, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellantur. Ceterum cum humilitas veſtra ſit de latitudine orbis terræ, nihil præter domos & hortos, cum virgultis pomorum, obtentu cœleſtium duxerit reſervandum; nos pie volentes, quod eorum fructus integræ veſtræ paupertatis uſibus applicentur, ut de hortis, & de virgultis veſtris nullus a vobis deinceps exigere vel extorquere præſumat diſtrictius inhibemus.

Habent in Eccleſiis liberam ſepulturam.

§. XII. Sepulturam quoque Eccleſiarum veſtrarum liberam eſſe decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi excommunicati vel interdicti, aut etiam publici uſurarii fuerint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumentur. Diſtrictius inhibentes, ut nulli religioſi, vel ſeculares, vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum inveſtris cœmeteriis ſepelire, aut in Eccleſiis veſtris Miſſarum ſolemnia, vel pro animabus ipſorum, qui ad loca veſtra tumulandi feruntur, ibidem exeqnias celebrare ſine veſtro aſſenſu & voluntate præſumant.

Eximuntur Fratres ab Prælatorum ſecularium juriſdictione.

§. XIII. Univerſis autem Prælatis Eccleſiarum & aliis inhibemus, ne confeſſiones veſtras, vobis invitis, audire, vel compellere vos ad Synodos, ſeu convocationes ſuas accedere, aut ſuis conſtitutionibus ſubjacere, vel Capitula, ſcrutinia, & inquiſitiones in locis veſtris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem juramento firmatam, & manualem obedientiam a Miniſtris, Cuſtodibus, & Guardianis veſtris exigere, ſeu prohibere, ne ad civitates, vel villas, ubi religioſe ac honeſte conmorari poſſitis, a populis devote vocati audeatis accedere, ubique pro veſtris uſibus conſtruere ædificia, Eccleſias, ſeu Oratoria, aut de iis, quæ vobis a fidelibus tsm in ornamentis altaris, quam in luminaribus, Eccleſiarum fabricis, libris, & aliis veſtris neceſſitatibus abſolute conferuntur, vel in ultima voluntste legantur, portionem aliquam a vobis exigere vel

extorquere, aut in accedentes Fratres ſeu conſtruentes hujuſmodi, vel receptatores ipſorum excommunicationis ſententias ferre præſumant.

Mobilia ad Fratrum uſum poſſunt ab ipſis transferri.

§. XIV. Ad hæc liceat Fratribus veſtri Ordinis, cum de prioribus locis ſuis ad alia loca ſe transferunt, tam ædificia ſeu omnem ædificiorum materiam locorum, quæ dimittunt, dedicatis Eccleſiis dumtaxat exceptis, quam libros, calices, & paramenta ſecum ad alia loca transferre, ac ædificia ipſa cum ſolo, & aliis ad eadem loca pertinentibus, præter Eccleſias, per Procuratores a Miniſtris ejuſdem Ordinis, ad hoc deputatos, vendere, ipſorumque pretium in aliorum locorum, ad quæ dicti Fratres ſe transferunt ædificationem, ſeu alias in eorum utilitatem convertere ſecundum quod eis videbitur, venditare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, diſtrictius inhibemus. Indulgentes vobis, ut ad præſtationem procurationum, Legatorum prædictæ Sedis, vel Nunciorum ipſius, ſeu Diœceſanorum locorum, aut exactionum, vel collectarum, ſubſidiorum quorumcumque minime teneamini, nec ad ſolvenda per litteras dictæ Sedis, aut Legatorum, vel Nunciorum ejuſdem, ſeu Rectorum terrarum Eccleſiæ Romanæ impetratas, ſive in poſterum impetrandas cujuſcumque tenoris fuerint, in perpetuum compelli poſſitis, niſi dictæ Sedis litteræ impetrandæ plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi, & dicto Ordine fecerint mentionem.

§. XV. Ceterum cum fel. record. Innocentius Papa prædeceſſor noſter olim duxerit ſtatuendum, ut exempti quantumcumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſeu contractus aut rei, de qua contra ipſos agitur, rite poſſint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quo ad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem, prout jus exigit, exercere, nos vobis & occaſione conſtitutionis hujuſmodi nullum libertatibus & immunitatibus veſtris, & veſtro Ordini privilegiis & indulgentiis ab Apoſtolica Sede conceſſis præjudicium generetur, auctoritate præſentium indulgemus. Decernimus ergo irritum & inane quidquid contra tenorem conceſſionum, conſtitutionum, & inhibitionum hujuſmodi per quoſcumque fuerit attentatum, ac interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas contra conceſſiones, conſtitutiones, & inhibitiones eaſdem in vos, vel veſtrum aliquos, aut loca veſtra, ſeu benefactores veſtros in poſterum promulgari contigerit, penitus non tenere.

Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Viterbii iv. Non. Auguſti, Pontificatus noſtri anno iv.

LVI.

Concedit eis amplum privilegium. Reg. Vatic. epiſt. 206.

Abbatiſſæ Monaſterii ſancti Euſtachii de Clavaro ejuſque Sororibus præſentibus & futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Vide Regeſt. Tom. 3. fol. 436.

Religioſam vitam eligentibus &c. uſque *enervet*. Eapropter dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium ſancti Euſtachii de Clavaro Januen. Diœc. in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, de ſpeciali gratia Sedis Apoſtolicæ ab omni juriſdictione, poteſtate, ac dominio tam Archiepiſcopi Januen. qui pro tempore fuerit, quam cujuslibet alterius Prælati, ſeu Eccleſiaſticæ perſonæ totaliter ex certa ſcientia eximentes, illud in jus & proprietatem beati Petri & prætactæ Sedis aſſumimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut Ordo Monaſticus, qui ſe-

ſecundum Deum & beati Benedicti regulam, atque inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinat. & formulam vitæ veſtræ a fel. rec. Gregorio Papa prædeceſſore noſtro Ordini veſtro traditam, cum adhuc eſſet in minori officio conſtitutus, in Monaſterio veſtro inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſsiones, quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſsione Pontificum, largitione fidelium &c. uſque *illibata permaneant*. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo prætactum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, unam petiam terræ ſitam juxta Burgum Clavari: Domos quas habetis in villa, quæ vocatur Levi: terras, quas habetis in territorio villæ ipſius: Domos & terras, quas habetis in territorio Plebis de Lavania: terras, quas habetis in territorio Clavari in locis,quæ ad Valles, & Rivaria nuncupantur: terras,quas habetis in villa,quæ vocatur de Calaſco,in loco,qui dicitur Denegacum: terras ſitas in rerritorio villæ de ſancta Julia: petiam unam terræ ſitam in territorio ſancti Salvatoris in loco, qui vocatur ad Coſtam: terras ſitas in territorio villæ ſancti Petri de Clavaro: terras ſitas in territoriis villarum, quæ Revercon, Maxena, & Breranata vulgariter nominantur: terras, quas habetis in territorio de Sigeſtro cum pratis, vineis, terris, nemoribus, uſuagiis, & paſcuis in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Liceat quoque vobis perſonas liberas & abſolutas a ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum, poſt factam in Monaſterio veſtro profeſsionem, fas ſit de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero nullus audeat retinere. Pro conſecrationibus vero altarium vel Eccleſiæ veſtræ, ſive pro oleo ſancto, vel quolibet Eccleſiæ ſacramento, nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere, ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus diœceſanus impendat. Alioquin liceat vobis hæc veſtra auctoritate recipere a quocumque maluaritis Catholico Antiſtite gratiam & communionem Romanæ Eccleſiæ obtinente. Quod ſi Sedes diœceſani Epiſcopi forte vacaverit, interim omnia Eccleſiaſtica ſacramenta a vicinis Epiſcopis recipere libere & abſque contradictione aliqua poſsitis, ſic tamen ut ex hoc in poſterum proprio Epiſcopo nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi copiam non habetis, ſi quem Epiſcopum Romanæ Sedis, ut diximus &c. uſque *valeatis*. Cum autem generale interdictum terræ fuerit &c. uſque *interdicto*; obeunte autem te nunc ejuſdem loci Abbatiſſa &c. uſque *eligendam*. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum, vel perſonas regulares inibi Domino famulantes, ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam tamquam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam, decernimus non tenere. Paci quoque & tranquillitati veſtræ &c. uſque *exercere*. Præterea omnes libertates & immunitates a ven. fratre noſtro Januen. Archiepiſcopo Monaſterio prætacto conceſſas, necnon libertates & exemptiones ſecularium exactionum, a quibuslibet Chriſti fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. uſque *Sedis Apoſtolicæ auctoritate*. Ad indicium autem quod idem Monaſterium ſpecialiter beati Petri juris exiſtit, unam libram ceræ nobis, no-

noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Si qua igitur &c. uſque *ultioni*. Cunctis autem &c. uſque *inveniant*. *Amen*, *Amen*. Datum Viterbii per manum Magiſtri Jordani S. R. E. Notarii & Vice-Cancellarii II. Idus Auguſti, Indictione I. Incarnationis Dominicæ anno MCCLVIII. Pontificatus vero D. Alexandri IV. anno IV.

LVII.

Ut Sanctimonialibus Barchinonen. concedat Fratres, qui eis ſpiritualia ſubminiſtrent. Reg. Vatic. epiſt. 233.

Miniſtro Provinciali in Aragonia Ordinis Fratrum Minorum.

Præceptũ aliud dediſſe memorat.

§. I. SUb certa forma tibi dudum per noſtras litteras, in virtute ſanctæ obedientiæ dediſſe dicimur diſtrictius in præceptis, ut dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſancti Antonii extra muros Barchinonen. Ordinis ſancti Damiani, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, tot Fratres idoneos tui Ordinis pro honeſtis & opportunis cauſis earum ad ipſarum requiſitionem concedere procurares, quot ipſis in earumdem neceſſitatibus exiſterent opportuni. Sed tu quod mandavimus efficere, ut decuit, non curaſti, dicens, ſicut ex ipſarum petitione collegimus, quod cum certis indulgentiis Apoſtolicis ſis munitus, aliquos Fratres dicti Ordinis ad præmiſſa concedere non teneris, propter quod ipſæ divinis obſequiis defraudantur.

Miniſter primo non paruit.

Idem præceptum iteratum.

§. II. Cum itaque ſuper his ad nos ſit habitus cum humilitate recurſus; nos volentes in hac parte eis miſericorditer providere, diſcretioni tuæ per iterata ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictæ præcipiendo mandamus, quatenus ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram, prætactis indulgentiis non obſtantibus, ſingulis diebus Dominicis, feſtis duplicibus, & ſolemnibus tui & ipſarum Ordinum per Fratres tuos celebrari Miſſarum ſolemnia, & annuatim duodecim vicibus pœnitentiam, & Euchariſtiæ ſacramentum, eis informatis primo regularibus documentis, & confortatis pabulo verbi Dei, facias exhiberi.

Mittendi ad Monaſterium Fratres ſecundum exigentiam.

§. III. Cum vero neceſſe fuerit vel propter ipſarum graves ægritudines, ſeu obitus, aut altarium vel Monialium conſecrationes, tot ad locum ipſarum de idoneis tuis Fratribus mitti procures ad exequias, & divinum Officium celebrandum, quot ad hoc fuerint opportuni; & proponatur populo, qui tunc prætactis temporibus ibidem convenerit, verbum Dei. Ad hæc ut Fratres Conventus Barchinonen. maturi & diſcreti pro honeſtis & rationabilibus cauſis ab Abbatiſſa, quæ pro tempore fuerit, requiſiti, poſſint ad prætactum Monaſterium, ac ad cratem & locutorium ipſius accedere, duximus concedendum.

Datum Viterbii IV. Non. Octobris, anno IV.

LVIII.

Ut faciat reſtitui Fratribus Tyburtinis ſacram ſupellectilem. Archivum noſtrum num. 39.

Venerabili Fr. .... Epiſcopo Tyburtino.

DIlecti filii.... Guardiano & Fratres Ordinis Minorum Tyburtin. nobis exponere curaverunt, quod cum Eccleſia ſanctæ Mariæ Majoris Tyburtin. eis auctoritate Apoſtolica canonice ſit collata, quidam Mo-

Monachi, qui tunc in eadem Eccleſia morabantur, poſt collationem hujuſmodi, libros, & ornamenta Eccleſiaſtica ipſius Eccleſiæ de facto, cum de jure nequiverint, diſtraxerunt pro ſuæ libito voluntatis. Quare dicti Guardiani & Fratres nobis humiliter ſupplicaverunt, ut cum ipſi detentores librorum & ornamentorum prædictorum ignorent penitus, providere ipſis ſuper hoc paterna ſollicitudine curaremus. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictos detentores generaliter moneas, ut infra quindecim dies, poſt monitionem tuam libros & ornamenta prædicta Guardiano & Fratribus reſtituant ſupradictis. Alioquin in dictos detentores, niſi infra alium terminum competentem a te præfigendum, eiſdem Guardiano & Fratribus prædictos libros & ornamenta reſtituerint memorata, excommunicationis ferens ſententiam, eam ubi & quando expedire videris, uſque ad ſatisfactionem condignam, ſolemniter publices, & per alios facias publicari.

Datum Anagniæ IV. Non. Decembris, Pontificatus noſtri anno IV.

Anno Christi 1259. Alexandri IV. anno 5.

LIX.

Ut concedat aliquot Fratres in obſequium Monialium Civitatenſium. Reg. Vatic. epiſt. 18.

Miniſtro Provinciali Regni Legionen. Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Paci & ſaluti dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſancti Spiritus Civitaten. ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis ſancti Damiani, paterna ſollicitudine providere volentes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſingulis diebus Dominicis, & feſtis duplicibus & ſolemnibus tui, & ipſarum Ordinum, per Fratres tuos celebrari Miſſarum ſolemnia, & annuatim duodecim vicibus pœnitentiam, & Euchariſtiæ ſacramentum, eis informatis primo regularibus documentis, & confortatis, pabulo verbi Dei facias exhiberi.

§. II. Cum vero neceſſe fuerit vel propter ipſarum graves ægritudines ſeu obitus, aut Altarium vel Monialium conſecrationes, tot ad locum ipſarum de idoneis tuis Fratribus mitti procures ad exequias, & divinum Officium celebrandum, quot ad hoc fuerint opportuni, & proponatur populo, qui tunc prætactis temporibus ibidem convenerit, verbum Dei. Ad hæc ut Fratres Conventus Civitaten. maturi & diſcreti pro honeſtis & rationabilibus cauſis ab Abbatiſſa, quæ pro tempore fuerit, requiſiti, poſſint ad prætactum Monaſterium, ac ad cratem & locutorium ipſius accedere, duximus concedendum. Non obſtantibus aliquibus litteris, vel indulgentiis tibi, vel prætactis Fratribus ab Apoſtolica Sede ſub quacumque forma verborum conceſſis, de quibus, vel quorum tenore plenam & expreſſam in noſtris litteris oporteat fieri mentionem, aut per quas non expreſſas in præſentibus impediri poſſet hujuſmodi præcepti noſtri executio, vel differri.

Datum Anagniæ III. Non. Februarii anno V.

LX.

LX.

Confirmat donationem cujuſdam Eccleſiæ eiſdem factam. Regeſt. Vatic. epiſt. 302.

Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii omnium Sanctorum de Ripa Arni Piſan. Diœceſis ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinen. Ordinis ſancti Damiani.

Vide in Regeſt. Tom. 3. fol. 431.

§. I. CUm a nobis petitur &c. uſque *effectum*. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod bon. mem. A. Turritan. Archiepiſcopus Eccleſiam ſancti Georgii de Oleaſtreto Turritan. diœceſis, ad ſuam collationem ſpectantem, cum poſſeſſionibus ſuis, Hoſpitali ſancti Leonardi de Stagno Piſan. vobis pleno jure ſubjecto in perpetuos uſus ipſius, pia & provida liberalitate donavit, prout in ejuſdem Archiepiſcopi patentibus litteris ſuo ſigillo munitis plenius continetur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ab eodem Archiepiſcopo pie factum eſt in hac parte, ratum habentes & gratum, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, ſupplentes defectum, ſi quis circa ſolemnitatem juris in donatione hujuſmodi extitit, vel quod non fuit ſuper hoc ſui Capituli requiſitus aſſenſus, de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis. Tenorem autem litterarum ipſarum de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus ad cautelam, qui talis eſt.

§. II. *Albertus Monachus ſancti Benedicti de Monte Caſsino & Turritan. Archiepiſcopus. Dilectis ſuis Petro Magiſtra Hoſpitalis de Stagno, ejuſque Fratribus tam præſentibus, quam futuris in perpetuum. Venerabilibus locis, in quibus Dei ſervitium jugiter exercetur, debemus pro amore Dei temporalia conferre ſubſidia, ut pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus mereamur recipere ſempiterna. Proinde, dilecti in Domino filii, nos hoſpitalitatis & caritatis opera, quæ in veſtra domo aſsidue fiunt, devotiane debita attendentes, precibus domni Willelmi Piſan. Archiepiſcopi, Sardiniæ Primatis, & Apoſtolicæ Sedis Legati aſſenſu, & conſilio D. Paraſonis Turritan. Judicis, necnon Epiſcoporum G. Sorren. D. Roſen. I. Gilarcen. A. Caſtren. V. Utban. C. Ampur. I. Plenac. Auguſtoni quoque Archipresbyteri noſtri, Eccleſiam ſancti Georgii de Oleaſtreto cum terris, vineis, ſilvis, ſervis & ancillis, bobus, equis, jumentis, porcis, ovibus, & capris, omnibuſque pertinentiis ſuis ad honorem Dei, & ſuſtentationem veſtræ Hoſpitalis domus vobis donamus, concedimus & largimur, ut in veſtra, veſtrorumque poteſtate ſucceſſorum ac jura deinceps amnibus diebus permaneat, ſalvo parochiali jure & cenſu unius libræ argenti, quam nobis in adventu legati perſolvere debet, vel quando ad terram majorem tranſimus, & hoc videlicet quando aliæ noſtræ Capellæ hoc faciunt. Hanc igitur noſtram donationem, quemadmodum ſupra ſcriptum eſt, ratam & firmam in perpetuum manere cenſemus. Hoc actum eſt anno Dominicæ Incarnationis* MCLXXVI.

Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis & ſuppletionis &c. Datum Anagniæ x. Kalend. Aprilis, anno v.

LXI.

LXI.

Ut reſtitueret quædam bona Monialibus de Ripa Arni. Regeſt. Vatic. .. epiſt. 301.

Epiſcopo Sorren.

§. I. EXpoſita nobis dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monialium incluſarum Monaſterii omnium Sanctorum de Ripa Arni Piſan. ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis ſancti Damiani petitio continebat, quod licet olim tibi ſub certa forma noſtris dederimus litteris in virtute obedientiæ diſtrictius in præceptis, ut duo molendina Hoſpitalis ſancti Leonardi de Roſva Turritan. Diœceſis, quæ cum omnibus pertinentiis ſuis ad ipſas, & dictum Monaſterium pleno jure pertinentia, detines contra Deum, & juſtitiam occupata, infra octo dies a receptione litterarum noſtrarum, omni occaſione, ac dilatione remotis, prompta liberalitate reſtituere procurares, & de proventibus inde medio tempore perceptis ſatisfactionem debitam exhiberes eiſdem: tu tamen præceptum noſtrum, quod Pontificalem non decuit modeſtiam, tranſiens aure ſurda, quod præcepimus efficere non curaſti, propter quod venerabili fratri noſtro Epiſcopo Roſan. tunc Abbati de Palude, per litteras noſtras in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, ut ſi ab eo monitus præcepto noſtro forſitan in hac parte non acquieſceres, ex tunc peremptorie te citaret, præfixo tibi duorum menſium termino, quo perſonaliter recepturus pro meritis in noſtra præſentia compareres.

§. II. Verum quia idem Abbas antequam ſibi noſtræ ſuper hoc repræſentarentur litteræ in Roſan. Epiſcopum eſt aſſumptus, quod ei præcepimus, efficere prætermiſit. Quare coactæ ſunt Abbatiſſa, & Sorores prætactæ, non ſine magnis laboribus & expenſis, Apoſtolicæ proviſionis remedium implorare. Quocirca nolentes eis in ſua deeſſe juſtitia, in qua ſumus omnibus debitores, fraternitati tuæ per iterata ſcripta in virtute obedientiæ, ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prætacta molendina cum curſu aquæ ipſorum, & proventibus perceptis ex eis, prætactis Abbatiſſæ & Conventui reſtituas, juxta directarum olim tibi continentiam litterarum. Alioquin venerabilibus fratribus noſtris eidem Roſan. & Caſtren. Epiſcopis in virtute obedientiæ ſub pœna excommunicationis diſtricte noſtris damus litteris in præceptis, ut ipſi, vel eorum alter te ad id ex parte noſtra efficaciter moneant, & inducant, & ſi ipſorum monitis parere neglexeris, peremptorie citare procurent, ut infra duos menſes poſt ipſorum citationem, cum omnibus munimentis, juribus & rationibus tuis perſonaliter noſtro te conſpectui repræſentes, facturus ſuper iis, & etiam recepturus quod dictaverit ordo juris.

Datum Anagniæ v. Kal. Aprilis, anno v.

LXII.

LXII.

Declarat poſſe Fratres prædicare, & confeſſiones excipere ex licentia Epiſcoporum, non requiſito Parochialium aſſenſu. Specul. Min. tract. 1. fol. 9. Roderic. bulla 24.

Generali, & Provincialibus Miniſtris, & univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

CUm olim quidam temere ſentientes, & ad ſobrietatem ſapere neſcientes, impudenter aſſererent, quod de licentia & commiſſione diœceſanorum Epiſcoporum libere non poteratis prædicationis exercere officium, & confeſſiones audire ſine Parochialium Sacerdotum licentia & aſſenſu; Nos ad tollendam & confutandam aſſertionem hujuſmodi, & dilucidandam in talibus veritatem, dudum in quibuſdam noſtris litteris determinando expreſſimus, quod vos de licentia vel permiſſione aut conceſſione Legatorum Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinariorum locorum libere poteſtis prædicare populis, audire confeſſiones, ac pœnitentias injungere ſalutares, Sacerdotum parochialium aſſenſu minime requiſito. Volentes igitur hujuſmodi noſtram determinationem irrefragabiliter obſervari, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne quis ſuper his, vel vel eorum aliquis vos vel aliquem veſtrum, aut etiam confitentes vobis contra præmiſſæ determinationis formam aliquatenus moleſtare præſumat; decernentes nihilominus irritum & inane quidquid a quoquam contra inhibitionem hujuſmodi contigerit attentari.

Nulli ergo &c. Datum Anagniæ III. Idus Maii Pontificatus noſtri anno V.

LXIII.

Revocat omnes compoſitiones, & pacta a Fratribus inita abſque Miniſtrorum licentia. Specul. Min. tract. 1. fol. 10. Roderic. bulla. 26.

Dilecto filio Generali Miniſtro Fratrum de Ordine Minorum.

MEnte ſollicita debent a nobis illa corrigi, ac etiam in irritum revocari, quæ non ſolum juri contraria, ſed piis locis quamplurimum ſunt nociva. Sane lecta coram nobis tua petitio continebat, quod licet Fratres tui Ordinis ex ſtatuto ſeu conſuetudine ipſius Ordinis abſque tuo, & ſuorum Provincialium Miniſtrorum aſſenſu nullas ſuper iis poſſint compoſitiones facere, quæ ad eumdem noſcuntur Ordinem pertinere; nonnulli tamen Guardiani, Cuſtodes, & Fratres ipſius Ordinis pro redimendis vexationibus, quæ ſibi a religioſis perſonis, & clericis ſecularibus ſæpe ſæpius inferuntur, diverſas cum eis compoſitiones, & pacta, obligationibus interpoſitis, & adjectis conditionibus ſuper locis ad dictum Ordinem pertinentibus, eorumque cœmeteriis ſine tua, & ipſorum Miniſtrorum licentia ſunt inire coacti; quare pro parte tua humiliter petebatur a nobis, ut cum compoſitiones, pacta, conditiones, & obligationes hujuſmodi redundent in grave detrimentum Ordinis memorati, ſubvenire ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati, compoſitiones, conditiones, obligationes, & pacta omnia quocumque nomine cenſeantur, quæ ſuper præmiſſis abſque tua, & dictorum Miniſtrorum Provincialium licentia & aſſenſu contra hujuſ-

hujuſmodi Ordinis ſtatutum, vel conſuetudinem taliter initā eſſe noſcuntur, cum ſint temeraria penitus, & indigna, præſentium auctoritate irrita decernimus, & nullius exiſtere firmitatis, ac Miniſtros, Guardianos, Cuſtodes, & Fratres eoſdem ad eorum obſervantiam non tenere.

Nulli ergo &c. noſtræ conſtitutionis &c. Datum Anagniæ VII. Kal. Auguſti Pontif. noſtri anno V.

LXIV.

Ut Apoſtatas Ordinis poſſint excommunicare, capere & ligare. Ex bulla originali Archivi Arac. num. 93.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris, & aliis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

PRoviſionis noſtræ provenire debet ſubſidiis, ut Religio veſtra ſemper in melius, Deo propitiante, proficiat, & ſi quid obſtare dignoſcitur, ſollicite corrigatur. Vobis itaque quos in divini nominis amore vigiles delectat extirpare vitia, & plantare virtutes, ut Apoſtatas vel inſolentes veſtri Ordinis in quocumque habitu fuerint, niſi veſtris ſalutaribus monitis acquieſcant, excommunicare, capere ac ligare, & carceri tradere, & invocare ad hoc, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſecularis, ſi videbitur expedire, poſſitis, auctoritate præſentium concedimus facultatem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis &c. ſi quis &c. Datum Anagniæ XV. Kal. Octobris Pontificatus noſtri anno V.

LXV.

Concedit eis ampla privilegia. Reg. Vat. epiſt. 190.

Abbatiſſæ Monaſterii ſanctæ Mariæ de Gavallion Tuſcanen. ejuſque Sororibus tam præſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum.

§. I. REligioſam vitam eligentibus &c. uſque *enervet*. Eapropter, dilectæ in Chriſto filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium ſanctæ Mariæ de Gavallion Tuſcanen. in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum, & beati Benedicti Regulam, atque inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinaten. in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum &c. uſque *permaneant*. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo prætactum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſancti Juliani de fundo Sciſanico, cum omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſanctæ Mariæ Novæ de Tuſcana cum omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſancti Fortunati de Viterbio cum omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſancti Jacobi de Corneto, cum omnibus pertinentiis ſuis. Eccleſiam ſancti Fridiani de Tricoſto,

Vide Reg. To. 5. fol. 431.

cum omnibus pertinentiis ſuis. Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Scazola, cum omnibus pertinentiis ſuis. Eccleſiam ſancti Petri de Plandiano, cum omnibus pertinentiis ſuis. Eccleſiam ſancti Pauli de Gavallione, cum omnibus pertinentiis ſuis. Eccleſiam ſanctæ Mariæ, ac terras, & vineas, quas habetis in Arnena, domos, terras, vineas, & molendina, quæ habetis in caſtro Canini, domos, terras, & vineas, quas habetis in Planzan. domos, terras, & vineas, quas habetis in Valentan. cum terris, pratis, vineis, nemoribus, uſuagiis, & paſcuis in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus ſuis. Liceat quoque vobis perſonas liberas & abſolutas a ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eas abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli Sororum veſtrarum, poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem, fas ſit de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero nullus audeat retinere. Pro conſecrationibus vero altarium, vel Eccleſiæ veſtræ, ſive pro oleo ſancto, vel quolibet Eccleſiæ Sacramento nullus a vobis ſub obtentu conſuetudinis, vel alio modo quidpiam audeat extorquere, ſed hæc omnia gratis vobis Epiſcopus diœceſanus impendat; alioquin liceat vobis hæc veſtra auctoritate recipere a quocumque malueritis Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Romanæ Eccleſiæ obtinente. Quod ſi Sedes diœceſani Epiſcopi forte vacaverit, interim omnia eccleſiaſtica Sacramenta a vicinis Epiſcopis recipere libere, & abſque contradictione aliqua poſſitis, ſic tamen ut ex hoc in poſterum proprio Epiſcopo nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum diœceſani Epiſcopi copiam non habetis, ſi quem Epiſcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam & communionem obtinen. &c. uſque *valeatis*. Cum autem generale interdictum terræ fuerit &c. uſque *interdicto*. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci Abbatiſſa, vel earum aliqua &c. uſque *eligendam*. Porro ſi Epiſcopi, vel alii Eccleſiarum Rectores in Monaſterium veſtrum, vel perſonas regulares inibi Domino famulantes ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti ſententiam promulgaverint, ipſam contra Sedis Apoſtolicæ indulta prolatam decernimus non tenere. Paci quoque & tranquillitati veſtræ &c. uſque *audeat exercere*. Præterea, omnes libertates & immunitates ac exemptiones, quas dudum vobis, & veſtro Monaſterio de ſpeciali gratia, & Apoſtolicæ poteſtatis prærogativa conceſſimus, ſicut in noſtris litteris ſuper hoc editis proſpeximus plenius contineri, auctoritate Apoſtolica ratas, & perpetua firmitate ſubnixas eſſe cenſemus, eaſque præſentis ſcripti privilegio communimus. Tenorem autem litterarum noſtrarum ad plenam veritatem, auctoritatem, fidem, atque memoriam præſenti privilegio inſeri fecimus, qui talis eſt.

§. II. *Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus . . . quondam ſanctæ Mariæ de Corton. Aretin. diœceſis, nunc ſanctæ Mariæ de Gavallion Tuſcanen. Ordinis ſancti Damiani Monaſteriorum ad nos, & Roman. Eccleſiam nullo medio pertinen. Abbatiſſæ & Conventui ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet ex injuncto nobis Apoſtolatus officio cunctis ſimus fidelibus debitores, ad proximos & remotos aciem noſtræ ſollicitudinis extendendo, ad Ordinem tamen ſancti Damiani, quem almus Chriſti Confeſſor beatus Franciſcus, & ſanctæ record. Gregorius Papa prædeceſſor noſter in agro Eccleſiæ plantaverunt, ſolertiæ nexu aſtringimur, arctioris, & potioris ad ipſum vigilantiæ ſtudium adhibemus: fidelibus quippe aliis, & his quæ ſalutem, & bonum ipſorum reſpiciunt noſtra non deeſt, nec ceſſat inſtantia, ſed eidem Ordini, nobis utique inter ceteros cariori,*

riori, diligentius & ferventius ſpirituales & temporales profectus, in quantum cum Deo poſſumus, procuramus. Sane dum amaram caſtri Corton. & Monaſterii veſtri ſanctæ Mariæ loci ejuſdem deſolationem pio animo cogitamus, dum inſuetas & indebitas pœnas exilii, quas miſerabiliter ſuſtinetis, flebili meditatione revolvimus, non poſſumus præ nimio compaſſionis affectu acriter non triſtari, nec valemus amariora, etiam quam exprimere poſſimus ſuſpiria continere, quinimo tanto vobis affectuoſius condolemus, quanto hujuſmodi exilium durius & aſperius vobis eſſe dignoſcitur, tum propter ſexus fragilitatem, tum etiam propter intermiſſionem clauſtralis ſolitudinis, in qua, mundo relicto, tranquillis animis incboatæ ſervitutis erga Deum proſequebamini famulatum. Cum igitur ad nos ſpecialiter pertineat circa ſtatum veſtrum ſalubriter & ſollicite providere, ne, quod abſit, vobis extra caſtra clauſtralia præter ſolitum oberrantibus, famæ veſtræ integritas minuatur; Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, Monaſterium ſancti Juliani Tuſcanen. diœc. propter malitiam & negligentiam perſonarum in eo degentium in ſpiritualibus & temporalibus jam collapſum, quod Ordinis ſancti Benedicti eſſe conſueverat, & in quo unus Abbas, & unus tantum Monachus morabatur, cum omnibus Eccleſiis, juribus, & pertinentiis ſuis vobis in perpetuum, de Fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolica auctoritate concedimus de gratia ſpeciali, eadem ſtatuentes auctoritate, ut illud habeatis, teneatis, & poſſideatis ſub illis libertatibus, & immunitatibus, ſub quibus habebatis, tenebatis, & poſſidebatis Monaſterium ſanctæ Mariæ de Cortona, quod vos dimittere oportuit propter malitiam temporis impacati. Et quia idem Monaſterium ſanctæ Mariæ de Cortona, vobis in eo exiſtentibus, exemptionis libertate gaudebat, nos volentes ut prætactum ſancti Juliani Monaſterium ſimili gaudeat libertate, ipſum ſancti Juliani, necnon & ſanctæ Mariæ de Gavallione Tuſcanen. ad quod vos Apoſtolica proviſione transferimus, Monaſteria in jus & proprietatem beati Petri, & Apoſtolicæ Sedis aſſumimus, ab omni juriſdictione, poteſtate, & dominio tam Epiſcopi Tuſcanen. qui pro tempore fuerit, quam cujuslibet alterius Prælati, ſeu Eccleſiaſticæ perſonæ illa totaliter & perpetuo eximentes, ita quod nec idem Epiſcopus, nec quævis alia perſona Eccleſiaſtica illa, utpote prorſus exempta, vel vos, aut perſonas veſtri Ordinis futuris temporibus inibi Domino ſervituras interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare valeant, aut quocumque modo alias in ipſa Monaſteria ſanctæ Mariæ de Gavallione, & ſancti Juliani, & perſonas ipſorum, poteſtatem vel juriſdictionem aliquam exercere, & ſi contra forte præſumptum fuerit, ſit vacuum & inane. Ad inditium autem hujus perceptæ ab Apoſtolica Sede libertatis, dicta Monaſteria ſanctæ Mariæ de Gavallione, & ſancti Juliani unam libram ceræ in feſto beatæ Claræ perſolvat nobis noſtriſque ſucceſſoribus annuatim. Nulli ergo &c. ſi quis &c. Datum Viterbii v. *Non. Octobris anno* IV. *Ad indicium autem hujus perceptæ ab Apoſtolica Sede libertatis unam libram ceræ nobis noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prætactum Monaſterium temere perturbare &c. uſque* profutura. *Salva Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona &c. uſque* ultioni. *Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, &c. uſque* inveniant. Amen, Amen.

Datum Anagniæ per manum Magiſtri Jordani ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Notarii, & Vice-Cancellarii VI. *Kal. Octobris, Indictione* III. Incarnationis *Dominicæ anno* MCCLIX. *Pontif. vero Domini Alexandri Papæ IV. anno* V.

LXVI.

Confirmat conceſſionem Conventus Aracœli, & appendiciorum ab Innocentio IV. factam. Ex bulla originali Archivi Aracœli num. 117.

Dilectis filiis Miniſtro, & Fratribus Minoribus Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Capitolio in Urbe.

Regeſt. tom. 3. fol. 509. Is quæ auctoritate noſtra, vel prædeceſſorum noſtrorum facta ſunt, libenter adjicimus &c. *ut in bulla* XCVII. *Innocentii IV. uſque in finem mutatis mutandis.*

Nulli ergo &c. Datum Anagniæ VI. Kalend. Octobris Pontificatus noſtri anno V.

LXVII.

Ne poſſint ab Eccleſiarum Prælatis ullis affici cenſuris. Specul. Min. tract. 2. fol. 121.

Dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum per Hiſpaniam conſtitutis.

Meritis religionis veſtræ ducimur, ut quæ digne depoſcitis, ad exauditionis gratiam admittamus. Exhibita ſiquidem nobis veſtra petitio continebat, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati, ac Rectores Eccleſiarum, & alii Clerici per Hiſpaniam conſtituti, indulgentiis ac privilegiis vobis ab Apoſtolica Sede conceſſis minime deferentes, interdum in vos contra eorum tenores interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias promulgare præſumunt, ſuper quo Apoſtolicæ proviſionis remedium imploraſtis. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, omnes ſententias, quas dicti Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, Rectores & Clerici in vos, ſeu veſtrnm aliquem, aut loca veſtra, ſeu quoſcumque alios occaſione veſtri taliter contra indulta vobis & Ordini veſtro a præfata Sede conceſſa in poſterum ferre præſumpſerint, quoad perſonas veſtras & loca, irritas decernimus & inanes; quoad alios vero, in quos occaſione veſtri ferri contigerit, eas cenſemus penitus irritandas.

Nulli ergo &c. noſtræ conſtitutionis &c. Datum Anagniæ II. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno V.

LXVIII.

Ut earum ſacellanus valeat Eccleſias ſuo Monaſterio conceſſas viſitare. Reg. Vatic. epiſt. 189.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii ſanctæ Mariæ, & ſancti Bartholomæi de Faleſio Ordinis ſancti Damiani ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis Maſſan. Diœceſis.

Ex tenore veſtræ petitionis accepimus, quod nos Monaſterium veſtrum, quod olim fuit ſancti Benedicti, pro eo quod erat in ſpiritualibus & temporalibus non modicum deformatum, cum juribus & pertinentiis ſuis vobis duximus concedendum. Cum autem, ſicut nobis aſſeritur, Abbates qui olim prætacto Monaſterio præfuerunt, ſancti Lauren-

rentii, ſancti Antimi de Plumbino, & quaſdam alias Eccleſias Maſſan. & Velletran. diœceſis pleno jure ad ipſum Monaſterium pertinentes, de antiqua & approbata, hactenuſque pacifice obſervata conſuetudine ex eorum officio viſitarint, & receperint procurationes, ratione viſitationis hujuſmodi ſibi debitas ab eiſdem, nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere vobis ſuper hoc paterna ſollicitudine curaremus. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut Capellanus veſtri Monaſterii, qui pro tempore fuerit in eodem, prætactas Eccleſias valeat viſitare, & procurationes recipere ab eiſdem, ſicut dicti Abbates feciſſe noſcuntur, qui olim dicto Monaſterio pro tempore præfuerunt.

Nulli ergo noſtræ conceſsionis &c. Datum Anagniæ xv. Kal. Novembris, anno v.

LXIX.

Concedit eis Eccleſiam ſancti Leonardi de Cruce Rodii. Reg. Vat. epiſt. 203.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii SS. Laurentii, & Nicolai de Aquila Ordinis ſancti Damiani ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis.

Religionis favor, ſub qua virtutum Domino deſervitis, & devotionis veſtræ merita nos inducunt, ut vos illa proſequamur gratia, quæ vobis & Monaſterio veſtro dignoſcuntur opportuna. Cum itaque in civitate Aquilan. non poſſitis, ſicut accepimus, faciente malitia temporis, commorari; Nos volentes vobis & Monaſterio veſtro ſalubri remedio provideri, ruralem Eccleſiam ſancti Leonardi de Cruce Rodii Aquilen. diœceſis, cum omnibus poſſeſsionibus & juribus ſuis, non obſtante, quod Venerabilis fratris noſtri Epiſcopi, & dilectorum filiorum Aquilen. & ſancti Martiani de Rodio Capitulorum, ad id non accedit aſſenſus, vobis & per vos eidem Monaſterio damus, concedimus, & conferimus de plenitudine poteſtatis, & nihilominus transferendi vos, cum omnibus bonis veſtris ad eamdem Eccleſiam, & utendi privilegio exemptionis veſtræ, ac omnibus aliis indulgentiis, & privilegiis Ordini veſtro ab Apoſtolica Sede conceſſis, vel etiam concedendis competentibus vobis, auctoritate præſentium devotioni veſtræ liberam concedimus facultatem: ſtatuentes ut de cetero prætacta Eccleſia ſancti Leonardi ſit caput, & in ea liberæ & exemptæ velut in prætacto Monaſterio hactenus manebatis, ſub dominio tantum Sedis ejuſdem, cujus eſtis ſpeciales filiæ, maneatis.

Nulli ergo hominum &c. noſtræ collationis, conſtitutionis & conceſsionis &c. ſi quis &c. Datum Anagniæ Kal. Novembr. anno v.

LXX.

Confirmat donationem Eccleſiæ ſancti Angeli ab Epiſcopo factam Minoritis. Ex Reg. Vatic. epiſt. 132.

Dilectis filiis Miniſtro, & Fratribus Minoribus Ortan.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

,, §. I. EX tenore veſtræ petitionis accepimus, quod Venerabilis
,, frater noſter Epiſcopus Ortan. pie conſiderans vos in loco
,, in quo habitatis, propter frequentem inundationem Tiberis, com-
,, mode morari non poſſe, vobis Eccleſiam ſancti Theodori Ortani, cum do-

Epiſcopus Eccleſiam Fratribus donat cum domo.

„ domibus, clauſtro, horto quodam, juribus, & pertinentiis ſuis ſibi
„ cohærentibus auctoritate ordinaria conceſſit; Noſque conceſſionem
„ hujuſmodi duximus confirmandam.

Fratres donata reſignant, ſuiſque renuntiant juribus.

„ §. II. Cumque poſtmodum Eccleſiam ipſam, domos, clauſtrum, &
„ hortum prædicta duxeritis reſignanda, & renuntiaveritis juri, quod
„ vobis in eis fuerat acquiſitum; idem Epiſcopus vobis Eccleſiam ſancti
„ Angeli Ortani, cum domibus, quodam clauſtro, horto, juribus, &
„ pertinentiis ſuis ſibi cohærentibus, ubi commodius manere poteſtis,
„ prout ſpectabat ad eum, pia & provida deliberatione conceſſit, eam ab

Exemptio ab Epiſcopali juriſdictione.

„ omni juriſdictione Epiſcopali penitus eximendo, prout in patentibus
„ ſuis litteris confectis exinde, ac ejus ſigillo ſignatis plenius continetur.
„ §. III. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper
„ renuntiatione hujuſmodi, & conceſſione facta vobis de dicta Eccleſia
„ ſancti Angeli, & clauſtro, & pertinentiis ſuis præfatis, pie & provide
„ factum eſt, ratum & firmum habentes, id auctoritate Apoſtolica con-

ConfirmatioPōtificia.

„ firmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, defectum, qui
„ fuit in prædicta conceſſione ipſius Eccleſiæ ſancti Angeli, ex eo quod
„ ad id conſenſus Ortani Capituli non acceſſit, ſupplentes de noſtræ
„ plenitudine poteſtatis; tenorem autem litterarum ipſarum de verbo
„ ad verbum præſentibus fecimus annotari, qui talis eſt.

Donationis litteræ.

„ §. IV. *Frater Petrus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Ortan. Epiſco-*
„ *pus, diſcreto & religioſo viro fratri Jacobo de Pigno, Vicario Miniſtri*
„ *Provincialis Fratrum Minorum de Urbe, ſalutem in Domino. Quoniam*
„ *ad providentiam pertinet Paſtoralem, Religioſas & Deo dicatas perſonas*
„ *gratia proſequi ſpeciali; idea nos frater Petrus Ortan. Epiſcopus atten-*
„ *dentes, quod dilecti in Chriſto Fratres Minores juriſdictioni noſtræ ſubje-*
„ *cti, nimia & gravia incommoda ſuſtinebant in loco, in quo prius mora-*
„ *bantur in Burgo ſancti Jacobi ſupra ripam Tiberis, & quod idem locus*
„ *alluvione paulatim conſumabatur, propter quæ prædictus locus inutilis,*
„ *& incongruus eiſdem penitus exiſtebat, conſiderantes nihilominus, quod*
„ *neceſſaria ſaluti animarum exiſtant eorumdem Fratrum ſubſidia; veſtris*
„ *& eorum petitionibus inclinati, Eccleſiam ſancti Angeli de Orto, domos,*
„ *clauſtrum, cum omnibus juribus, cohærentiis, & pertinentiis ſuis tibi*
„ *fratri Jacobo, & perpetuo Vicario Miniſtri Provincialis prædictorum*
„ *Fratrum Minorum de Orto, pro vobis, & veſtris ſucceſſoribus in dicto*
„ *Epiſcopatu perpetuo exiſtentibus & futuris, cauſa intuituque pietatis,*
„ *concedimus, & perpetua largitione damus, ad opus & utilitatem præ-*
„ *dictorum Fratrum Minorum de Orto, & pro dictis Fratribus ab eiſdem*
„ *& aliis, qui apud Ortum pro tempore fuerint, cum omnibus præmiſſis*
„ *habendam, in perpetuum tenendam, & etiam poſſidendam, eximendo*
„ *præfatam Eccleſiam ſancti Angeli, & perſonas omnes inibi nunc & in*
„ *perpetuum commorantes, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus*
„ *pleno jure ab omni juriſdictione & onere Epiſcopali, ac jure Diæceſani,*
„ *ab omnique ſubjectione Eccleſiæ Ortanæ conditionibus & factionibus in*
„ *nobis, & noſtris ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Ortan. occaſione cujuſcumque*
„ *juris, & canonicæ petitionis, ad memoriam & perpetuam fraternitatem*
„ *hujuſmodi noſtræ conceſſionis, donationis, & exemptionis: & ut præſen-*
„ *tes litteræ robur obtineant firmitatis, eaſdem fecimus ſigilli noſtri muni-*
„ *mine roborari. Datum apud Ortas* XIV. *Kal. Septembr. Pontificatus Do-*
„ *mini Alexandri Papæ IV. anno* V.
„ Nulli ergo &c. ſi quis autem &c. noverit incurſurum. Datum
„ Anagniæ v. Non. Decembr. Pontificatus noſtri anno v.

LXXI.

LXXI.

Ut protegant Clariſſas ſuæ urbis. Ex bulla orig. ejuſdem Monaſterii.

Dilectis filiis Majori & Communi Burdigalen.

QUia meritorium eſt protegere pia loca, & tueri perſonas in eis Domino famulantes, ad hæc libentius vos hortamur, quod ſalutem veſtram ardentius affectamus. Quare devotionem veſtram rogamus & monemus attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam & Sorores Monialium incluſarum Monaſterii ſancti Franciſci Burdigalen. Ordinis ſancti Damiani, habentes pro divina & noſtra reverentia commendatas, eas non patiamini, quantum in vobis fuerit, ab aliquibus moleſtari: ita quod divinam & Apoſtolicam poſſitis tandem gratiam promereri.

Datum Anagniæ Idibus Januarii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXII.

Ut eiſdem privilegiis & Indulgentiis, quibus in alio fruebantur Monaſterio, gaudeant in iſto. Reg. Vatic. epiſt. 32.

Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii Monialium ſanctæ Claræ de Longa-Marcha, juxta Ipram Morinen. Diœceſis Ordinis ſancti Damiani.

MEretur honeſtas, ut deſideriis veſtris favorem benevolum præbeamus. Sane ex ſerie veſtræ petitionis accepimus, quod vos dimiſſo loco de *Longe-Marke*, ubi vos minus ibi apte degentibus, ſanctæ converſationis veſtræ otium contingebat ſæpius ex multis incommodis interrumpi, apud Roſendale ſupra plateam de Longe-marke in Parochia ſancti Joannis Morinen. diœceſis elegiſtis accommodam manſionem, procurantes id poſtmodum per noſtras litteras confirmari. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, ut privilegiis, indulgentiis & litteris vobis ab Apoſtolica Sede conceſſis, quibus hactenus uſæ fuiſtis, dum in prætacto loco de Longe-marke morabamini, deinceps in prætacto loco de Roſendale libere uti poſſitis, auctoritate vobis præſentium indulgemus.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Datum Anagniæ VII. Idus Martii anno VI.

LXXIII.

Confirmat conceſſionem eis factam Monaſterii ſancti Joannis de Logano. Reg. Vatican. epiſt. 24.

Abbatiſſæ, & Conventui Monialium incluſarum Monaſterii ſanctæ Catarinæ Januen. Ordinis ſancti Damiani ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis.

§. I. JUſtis petentium &c. uſque *complere*. Dudum ſiquidem intellecto quod Monaſterium ſancti Joannis de Logan. Ordinis ſancti Benedicti Albinganen. diœceſis in ſpiritualibus erat & temporalibus deformatum, ejuſque bona per habitantium in eo incuriam, ſeu malitiam potius in diſpendia vergebant jugiter graviora. Monaſterium S. Joannis de Logan. deformatū.

§.II. Nos

Digitized by Google

Mandatur Epiſcopo Albin. conferri Monaſterium Januen.

§. II. Nos deſtructioni & lapſui Monaſterii prætacti occurrere, & veſtram volentes de ipſo relevare inopiam, qua mortuæ mundo gravamini ſub clauſuræ clauſtralis anguſtia in voto voluntariæ paupertatis, & rem ſuper hoc agere piam & gratiſſimam Deo credentes, Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Albinganen. per noſtras litteras primo in mandatis, ac poſtmodum in virtute obedientiæ dedimus in præceptis, ut dictum Monaſterium cum pertinentiis, poſſeſſionibus, & appenditiis ac ornamentis ſuis vobis conferre, & aſſignare curaret in uſus veſtros perpetuo retinendum. Sed idem Epiſcopus non ſolum id efficere non curavit, verum & propter quaſdam fri volas exceptiones, incluſionem mandati noſtri contra vos propoſitas, pronunciavit non eſſe per hujuſmodi litteras procedendum.

Deinde Archiep. Januen.

§. III. Unde poſtmodum Venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Januen. noſtris dedimus litteris in mandatis, ut non obſtantibns hujuſmodi exceptionibus, prætactum Monaſierium de Logan. vobis conferre & aſsignare curaret, juxta priorum continentiam litterarum. Qui mandatum hujuſmodi Apoſtolicum nou ſolum exequi prætermiſit, verum etiam pro ſuæ voluntatis arbitrio proceſſum ipſius Epiſcopi contra juſtitiam confirmavit.

Poſtmodum Canonico Theatino.

§.IV. Demum vero dilecto filio Magiſtro Raynaldo Canonico Theatino dedimus per alias litteras noſtras in virtute obedientiæ diſtrictius in præceptis, ut illuc accederet, & non obſtantibus hujuſmodi & aliis exceptionibus frivolis, & minus legitimis proceſſibus Epiſcopi & Archiepiſcopi prætactorum, aut conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali, per ſe vel per alium, vobis vel procuratori veſtro, ſi ſuæ videretur diſcretioni, quod dictum Monaſterium de Logan. non poſſet in ſuo Ordine reformari, cum ſuis juribus & pertinentiis Monaſterium conferret ac aſſignaret jam dictum, ac vos vel dictum procuratorem in corporalem poſſeſſionem ipſorum induceret, & inductas defendere procuraret, amotis exinde Monialibus, quæ ibi eſſent, & per alia Ordinis ſui Monaſteria congrue collocatis, juxta priorum continentiam litterarum. Contradictores &c. Unde jam dictus Canonicus præceptum ſuper hoc Apoſtolicum exequens diligenter, quia invenit dictum Monaſterium de Logan. ita eſſe in ſpiritualibus & temporalibus deformatum, quod non poterat in ſuo Ordine reformari, illud vobis propter hoc contulit & aſſignavit, cum prætactis poſſeſſionibus, juribus, pertinentiis, appendiciis, & aliis rationibus ſuis in uſus veſtros perpetuo retinendum in corporalem poſſeſsionem ipſius Monaſterii, & prætactorum omnium procuratorem eumdem nihilominus inducendo.

§. V. Cum autem plena & pacifica Monaſterii, & omnium prætactorum gaudere poſſeſsione dicamini, nos devotionis veſtræ ſupplicationibus inclinati, quod a præfato Canonico ſuper his factum eſt, gratum & ratum habentes, illud tenore approbantes præſentium, & defectum ſi quis in eo fuit, circa juris ſolemnitatem, de plenitudine poteſtatis ſupplentes, Monaſterium ipſum, cum Eccleſiis, domibus, terris, poſſeſsionibus, juribus, & pertinentiis ſuis omnibus, & per vos Monaſterio veſtro auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenores inſtrumentorum ſuper hoc confectorum exinde præſentibus de verbo ad verbum inſeri facientes, qui tales ſunt.

§. VI. *In nomine Domini Amen. In præſentia mei Joannis de Caſtro Notarii & teſtium ſubſcriptorum ad hæc ſpecialiter vocatorum Magiſter Raynaldus Canonicus Theatin. executor Domini Papæ pronunciavit, Monaſte-*

ſterium ſancti Joannis de Logan. Ordinis ſancti Benedicti Albinganen. diœceſis ita deformatum in ſpiritualibus & temporalibus, quod non poteſt in ſuo Ordine reformari, & auctoritate Apoſtolica adjudicavit, illud cum ſuis juribus & pertinentiis, appendiciis, ornamentis, & rationibus ſuis Dominæ Abbatiſſæ, & Monialibus ſanctæ Catarinæ de Loculo Januen. Ordinis ſancti Damiani ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, & ipſi Monaſterio ſanctæ Catarinæ in perpetuum uſum. Actum in ipſo Monaſterio ſancti Joannis de Logan. præſentibus teſtibus D. Epiſcopo Albinganen. Archipresbytero de Torano, Girbaldo de Beleſtino Presbytero, Joanne Capellano ſancti Joannis de Logano, Rubaldo Ravo de Logan. & Gentili Notario dicti Epiſcopi, & pluribus aliis, anno Dominicæ Nativitatis MCCLIX. *Indictione* II. *die* IX. *Decembris inter primam & tertiam. Ego Joannes de Caſtro ſacri Imperii Notarius interfui & rogatus ſubſcripſi. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. In præſentia mei Joannis de Caſtro Notarii & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum, Magiſter Raynaldus Canonicus Theatinus Executor Domini Papæ inveſtivit & induxit in corporalem poſſeſſionem Monaſterii ſancti Joannis de Logan. cum omnibus juribus, rationibus, ornamentis & appenditiis ſuis fratrem Obertinum converſum Monaſterii ſanctæ Catarinæ Januen. Ordinis ſancti Damiani, procuratorem Abbatiſſæ & Monialium dicti Monaſterii ſanctæ Catarinæ dictarum Abbatiſſæ & Monialium dicti Monaſterii, & ipſius Monaſterii nomine auctoritate Apoſtolica in perpetuum uſum retinendum. Actum in dicto Monaſterio ſancti Joannis de Logan. præſentibus teſtibus D. Epiſcopo Albingan. Archipresbytero de Torano, Girbaldo de Beleſtino Presbytero, Joanne Capellano ſancti Joannis de Logan. Rubaldo Sacco de Logano, Gentili Notario dicti Epiſcopi, & pluribus aliis anno Dominicæ Nativitatis* MCCLIX. *Indictione* II. *die* IX. *Decembris inter primam & tertiam. Ego Joannes de Caſtro ſacri Imperii Notarius interfui & rogatus ſcripſi.*

Nulli ergo noſtræ approbationis, ſuppletionis & confirmationis &c. Datum Anagniæ VI. Idus Februarii, anno IV.

LXXIV.

Confirmat donationem fundi factam ab Abbate ſancti Facundi. Reg. Vatic. epiſt. 44.

Miniſtro Provinciali Caſtellæ, Cuſtodi, & Guardiano, ac Fratribus de ſancto Facundo Ordinis Fratrum Minorum Legionen. diœc.

§. I. PEtitio veſtra nobis exhibita continebat, quod dilectus filius Nicolaus Abbas Monaſterii ſancti Facundi ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis ſancti Benedicti Legionen. diœceſis, locum in quo vos filii Guardian. ac Fratres moramini, ſitum ad portam ſancti Petri extra muros villæ ſuæ de ſancto Facundo, ſicut olim limitatus fuit, & poſtmodum muris eſt circumdatus cum fontibus, aquæductibus per agrum ipſius Monaſterii derivatis, ac omnibus utilitatibus & pertinentiis ſuis vobis & Ordini veſtro contulit, & donavit, concedens vobis, ut in eodem loco Eccleſiam in beati Franciſci honorem conſtruatis, & habeatis cœmeterium juxta eam, ac in eodem loco utamini privilegiis, indulgentiis, libertatibus, & immunitatibus vobis, & eidem Ordini veſtro ab Apoſtolica Sede conceſſis, & in poſterum concedendis, prout in litteris inde confectis, ſigillatis ſigillo ejuſdem Abbatis plenius continetur. Petitionis Fratrum tenor.

Id quod eſt factum in favorem Fratrum confirmat.

§. II. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc ab eodem Abbate factum eſt, ratum & firmum habentes, ac defectum, qui in hoc tam ex eo quod Conventus prætacti Monaſterii ad id non intervenerit aſſenſus, nec fuit etiam requiſitus, quam a quacumque alia cauſa extitit, ſupplentes de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus, & ad majorem veſtri cautelam nominatum locum, cum aliis ſupradictis de ſimili poteſtatis plenitudine deputamus veſtris veſtrorumque ſucceſſorum uſibus, vobiſque illum conferimus, & donamus, tenorem litterarum ipſarum de verbo ad verbum præſentibus inſeri facientes.

§. III. Ut igitur idem tenor rei, ſeu facti certitudinem faciat ſic inſertus, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim ac rigorem habeat, & retineat, quem habent prædictæ litteræ ipſius Abbatis roboratæ ſigillo, & eadem ſibi fides adhibeatur, quæ ipſis litteris adhiberetur, ac ſive in judicio, ſive alibi fuerit exhibitus & oſtenſus, ſtetur ei, ſicut eiſdem ſtaretur litteris, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, ac plenam & firmam fidem faciat, etiamſi dictæ litteræ non exhiberentur, nec apparerent, nec etiam haberentur. Tenor vero prætactus talis eſt.

Litteræ Abbatis S. Facundi.

§. IV. *Nicolaus Dei gratia Abbas ſancti Facundi ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis ſancti Benedicti Legionen. Diœc. Religioſis viris, & in Chriſto dilectis Miniſtro Provinciali Caſtellæ, Cuſtodi, Guardiano & Fratribus de Ordine Minorum in villa noſtra de ſancto Facundo morantibus tam præſentibus, quam futuris, ſalutem in Domino ſempiternam. Sanctiſſimi Patris D. Alexandri Papæ IV. precibus, monitis, & præceptis, ac obtentu veſtræ ſacræ religionis inducimur, ut vos, & Ordinem veſtrum favore ſpecialis devotionis & gratiæ proſequamur. Hinc eſt, quod ob dicti Domini, & veſtri Ordinis reverentiam, locum, in quo nunc moramini, ſitum ad portam ſancti Petri extra muros villæ noſtræ de ſancto Facundo, ſicut olim limitatus, & poſtmodum veſtro ſtudio eſt muris circumdatus, cum fontibus, aquæductibus per agrum noſtri Monaſterii derivatis, ac omnibus utilitatibus & pertinentiis eorumdem, vobis atque Ordini veſtro conferimus & donamus, concedentes vobis, ut in prætacto loco Eccleſiam in honorem beati Franciſci conſtruatis, & habeatis cœmeterium juxta eam, & in eodem loco utamini privilegiis, indulgentiis, libertatibus & immunitatibus vobis, & dicto Ordini veſtro ab Apoſtolica Sede conceſſis, & in poſterum concedendis. Et ut præmiſſa gaudeant perpetua firmitate, præſentes litteras noſtro ſigillo fecimus communiri. Actum Anagniæ* XIV. *Kal. Maii, Pontificatus Domini Alexandri Papæ IV. anno* VI.

Nulli ergo noſtræ confirmationis, ſuppletionis, deputationis, collationis, donationis & conſtitutionis &c. Datum Anagniæ II. Kal. Maii, anno VI.

LXXV.

Liberat eas a quibuſdam oneribus. Reg. Vatic. epiſt. 51.

Abbatiſſæ & Conventui Monialium incluſarum Monaſterii ſancti Arentii de Fruſinon Ordinis ſancti Damiani Verulan. Diœceſis.

DEvotionis augmentum vobis, Deo propitio, provenire confidimus, ſi ſuper iis, quæ digne cupitis, nos vobis inveniſſe promptos ad gratiam gaudeatis. Lecta ſiquidem nobis veſtra petitio continebat, quod Nicolaus dictus Capor, & Joannes Runolus, & Ginna uxor ejus de

de caſtro Fruſinon laici, ſe ac poſſeſſiones, & omnia bona ſua, quæ in territorio dicti caſtri obtinent, Monaſterio veſtro ſponte, ac diligenti deliberatione præhabita, obtulerunt. Quare humiliter petebatis a nobis, ut cum prætextu aliquarum de dictis poſſeſſionibus, quas ipſi ab Eccleſia Romana tenent, certos redditus in blado, vino, denariis, & etiam perſonalia ſervitia eidem Eccleſiæ annuatim teneamini exhibere, hujuſmodi redditus & ſervitia reſtringere, ac in alium leviorem ſenſum convertere de pietate Apoſtolica curaremus. Nos itaque paupertati, cui propter Chriſtum vos voluntarie aſtrinxiſtis, paterno compatientes affectu, ut pro redditibus & ſervitiis ſupraſcriptis duas libras ceræ dumtaxat nobis, & eidem Eccleſiæ Romanæ annis ſingulis teneamini exhibere, vobis de gratia ſpeciali auctoritate præſentium indulgemus.

Nulli noſtræ conceſſionis &c. Datum Anagniæ VI. Idus Maii, anno VI.

LXXVI.

Quod non poſſint concedere licentiam ad alios Ordines tranſeundi, niſi in eiſdem permanſuris. Reg. Vatic. epiſt. 120.

Generali & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum.

CUm & plantare ſacram Religionem, & plantatam fovere ſummopere debeamus, expedit ut circa ipſam ea quæ ſunt recta nutriamus, & ea quæ profectum virtutis impediunt corrigi diligenti ſollicitudine procuremus. Ad audientiam quidem noſtram pervenit, quod nonnulli Fratres Ordinem veſtrum profeſſi, aſſerentes, ſe ipſius Ordinis obſervantias ſuſtinere non poſſe, tranſeundi ad ſancti Benedicti, vel Carthuſien. Ordines procurant ſibi a vobis licentiam exhiberi, non ea intentione aliquando quod remaneant in eiſdem, ſed ut ab eis tranſeant ad alios Ordines obſervantiæ mitioris, & ab iis ad ſeculum revertantur, ſecum in apoſtaſia ſua per illorum perſonas cogi mitius confidentes, ſicque multa committunt, per quæ Deum offendunt, & Ordinem veſtrum apud illos præcipue, qui de ipſo eos fuiſſe noverunt, plurimum inhoneſtant. Quia igitur honorem Ordinis veſtri prædicti, & ſalutem in eo degentium perſonarum ſpeciali zelamur affectu, vobis in virtute obedientiæ auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne de cetero aliquibus ipſius veſtri Ordinis Fratribus hujuſmodi licentiam concedatis, niſi ſub ea conditione, quod in Ordine, ad quem licentiantur, debeant remanere. Nos enim ſi tales ab eo abſque ſpeciali Apoſtolicæ Sedis indulgentia ad mitiorem Ordinem tranſiverint, vel quod abſit, ad ſeculum revertantur, volumus vos, & ſucceſſores circa ipſos rigorem veſtri Ordinis exercere, ac decernimus, ſi circa conceſſionem hujuſmodi licentiæ ſecus feceritis, irritum & inane.

Nulli ergo hominum &c. noſtræ conſtitutionis &c. ſi quis &c. Datum Anagniæ Idibus Maii, anno VI.

LXXVII.

Confirmat conceſſionem Monaſterii ſancti Silveſtri eiſdem factam. Reg. Vatic. epiſt. 69.

Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſancti Silveſtri de Ilreto Ordinis ſancti Damiani Urbinaten. Diœceſis.

SPeciali gratia & favore vos illa de cauſa dignas potiſſime reputamus, quia toto cordis affectu ad hoc ſemper intenditis, ut per ſanctæ con-

verſationis & vitæ ſtudium, in conſpectu Dei & hominum placeatis. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod Monaſterium ſancti Silveſtri de Ilreto Urbinaten. Diœceſis auctoritate litterarum noſtrarum vobis canonice eſt collatum. Verum quia dubitatis ne in poſterum aliqui ſuper eodem Monaſterio vos moleſtent, nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere vobis ſuper boc paterna ſollicitudine curaremus. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, Monaſterium ipſum, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis vobis de novo præſentium auctoritate conferimus, a vobis, & illis quæ vobis ſucceſſerint in perpetuum retinendum.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum Anagniæ xv. Kal. Junii, anno VI.

LXXVIII.

Concedit eis ampla privilegia. Reg. Vatic. epiſt. 85.

Abbatiſſæ Monaſterii ſancti Nicolai Jadren. ejuſque Sororibus tam præſentibus, quam futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum.

§. I. Religioſam vitam eligentibus &c. uſque *enervet*. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium ſancti Nicolai Jadren. in quo divino eſtis obſequio mancipatæ ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, nt Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum, & beati Benedicti regulam, atque inſtitutionem Monialium incluſarum ſancti Damiani Aſſiſinaten. & formulam vitæ veſtræ a felicis recordationis Gregorio Papa prædeceſſore noſtro Ordini veſtro traditam, cum adhuc eſſet in minori officio conſtitutus, in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium impræſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione fidelium &c. uſque *illibata permaneant*. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis. Eccleſiam ſancti Joannis de Mezan cum vinea & terris ibidem poſitis, vineas de Gillan cum omnibus terris, quæ ſunt ad Raccam, & cum omnibus terris, quæ ſunt ad Bravo, & cum omnibus domibus & caſalinis, quæ ſunt in civitate Jadren. cum pratis, vineis, terris, nemoribus, uſuagiis, & paſcuis in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Liceat quoque vobis &c. uſque *retinere*. Prohibemus inſuper &c. uſque *audeat retinere*. Pro conſecrationibus vero altarium &c. uſque *obtinente*. Quod ſi ſedes Diœceſana &c. uſque *generetur*. Quia vero &c. uſque *valeatis*. Cum autem generale interdictum terræ fuerit &c. uſque *interdicto*. Obeunte vero te &c. uſque *eligendam*. Porro ſi Epiſcopi, vel alii &c. uſque *decernimus non tenere*. Paci quoque & tranquillitati veſtræ &c. uſque *valeat exercere*. Præterea omnes libertates & immunitates, quas Monaſterio veſtro venerabilis frater noſter Archiepiſcopus Jadren. de Capituli ſui aſſenſu, indulſiſſe dignoſcitur, ſicut in eorum litteris plenius continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Tenorem autem litterarum ipſarum præſentis privilegii inſeri fecimus, qui talis eſt.

Habes formulam in Regeſt. Tomi 3. fol. 436.

§. II. *Quia*

§. 11. *Quia juxta canonum ſanctiones, bonæ rei dare conſilium & vitæ præſentis habetur ſubſidium, & æternæ remunerationis expectare cernitur præmium. Idcirco nos Laurentius Dei gratia Jadren. Archiepiſcopus, cum noſtro Capitulo univerſo deliberatione diu inter nos habita, & communicato cum pluribus ſapientibus, & religioſis viris conſilio, diligenter conſiderantes, & utiliter attendentes, quod donationem ſeu oblationem Monaſterii ſancti Nicolai de Jadra Ordinis ſancti Benedicti, quod Abbatiſſa caret, cum omnibus rebus ſuis mobilibus & immobilibus, quam univerſæ Moniales ejuſdem Monaſterii pura & pia intentione, de conſenſu patronorum ipſius fecerunt, liberaliter & devote Deo, & Ordini ſancti Damiani pauperum Dominarum, ſua ſimul eidem Ordini corpora offerentes, non ſolum in Jadren. Provincia, ſed in tota Dalmatia procuratur & acquiritur tam ſalus corporum, quam etiam animarum, prædictam donationem ſeu oblationem totius cordis viſceribus ratam & gratam habentes, prædictum Monaſterium, cum omnibus rebus ſuis, & Moniales omnes, quæ nunc ſunt, & quæ de cetero per tempora fuerint, ab omni juriſdictione ſeu ſubjectione duximus perpetuo eximendas, nihil omnino juris nobis in eodem Monaſterio reſervantes. In cujus donationis, ratificationis, & exemptionis perpetuam firmitatem præſens ſcriptum, noſtris ſigillis pendentibus, fecimus communiri. Actum eſt hoc in Monaſterio antedicto, præſentibus Damiano Plebano ſancti Petri novi de Jadra, Geminiano Jadren: Primicerio, & nobilibus viris Cecnæ de Merga, Obſogono de Maaro, Paulo de Lampredio, Joanne de Zivalelli, & Lampredio Nicolæ, & aliis pluribus, currente anno* MCCLX. *menſe Martii die* VII. *exeunte, Indictione* III. *Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. uſque* proſutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate. *Ad indicium autem hujus perceptæ a Sede Apoſtolica libertatis, unam libram ceræ nobis noſtriſque ſucceſſoribus annis ſingulis perſolvetis. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona &c. uſque* ſubjaceat ultioni. *Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus &c. uſque* inveniant, Amen, Amen. *Datum Anagniæ per manum Magiſtri Jordani S. R. E. Notarii & Vicecancellarii* III. *Idus Junii, Indictione* II. *Incarnationis Dominicæ* MCCLX. *Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ IV. anno* VI.

LXXIX.

Ut concedat Clariſſis Jadren. quatuor Fratres in earum obſequium. Reg. Vatic. epiſt. 161.

Miniſtro & Vicario Sclavoniæ, ac Guardiano Ordinis Minorum Jadren.

QUia perſonas religioſas eo majori proſequi favore debemus, quo devotiori placere ſtudent Domino famulatu, libenter illa ſibi paterna ſollicitudine procuramus, per quæ ipſarum religio laudabile ſuſcipere valeat, auctore Domino, incrementum, & eædem animarum ſalutem, pro qua mundi vanitatem penitus reliquerunt, liberius conſequantur. Hinc eſt, quod cum ſicut dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ & Conventus Monialium incluſarum Monaſterii ſancti Nicolai Jadren. Ordinis ſancti Damiani, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, nobis exponere curaverunt, quod aliqnibus Fratribus veſtri Ordinis indigeant, qui eis divina Officia celebrent, & exhibeant Eccleſiaſtica ſacramenta, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta, in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prætactis Abbatiſſæ & Con-

Conventui, de Fratribus veſtri Ordinis providos & diſcretos veſtræ adminiſtrationis, pro celebrandis divinis Officiis, & exhibendis eccleſiaſticis ſacramentis abſque difficultate qualibet concedatis in ipſarum Monaſterio permanſuros. Non obſtantibus conſtitutione veſtri Ordinis, aut aliqua Sedis Apoſtolicæ indulgentia Ordini veſtro conceſſa, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam hujuſmodi gratia impediri valeat aut differri. Quod ſi non omnes his exequendis &c. ſinguli veſtri &c.

Datum Anagniæ XII. Kal. Julii, anno VI.

LXXX.

Prohibet gravari Fratres Tertii Ordinis ullis exactionibus, officiis, aut juramentis præſtandis. Ex bulla origin. Archivi Anconit. Min. Conv.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Italiam conſtitutis.

Regeſt. 2. Tomi fol. 601. NImis patenter patientiæ divinæ &c. *Vide totam bullam in regeſto ſecundi tomi la 1. ſub Gregorio IX.* Datum Anagniæ Idibus Julii, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXXI.

Jubet ne petant a Minoribus canonicam portionem. Ibidem.

Venerabilibus fratribus Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Rectoribus, & aliis Eccleſiarum Prælatis per Marchiam Anconitanam conſtitutis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint.

DE pia & ſancta converſatione dilectorum filiorum Fratrum de Ordine Minorum, qui ſunt in veſtris partibus conſtituti frequenter evenire percipimus, quod quando aliqui fideles partium earumdem ſeculum relinquentes bona ſua piis locis, & pauperibus deputaſſe aliqua de bonis ipſis prædictis Fratribus pro ædificiis, libris, & veſtibus, ac aliis eorum neceſſitatibus largiuntur, nonnulli vero aliqua bona ad ſe ſpectantia Fratribus eiſdem pro ſimilibus rebus & neceſſitatibus, divinæ retributionis intuitu in ultima voluntate relinquunt, conantibus vobis aliquando mediam, quandoque tertiam ſeu quartam partem de bonis ipſis, prætextu portionis canonicæ ab eiſdem Fratribus extorquere, in grave ipſorum præjudicium, & ſcandalum fidelium prædictorum. Nos itaque miſericorditer attendentes, quod non ſolum indecens & indignum, imo & penitus ab omni humanitate remotum, aliquid de præmiſſis ab eiſdem Fratribus exigi, qui ſub extrema paupertate viventes, de Prælatorum & Eccleſiarum eleemoſynis deberent potius ſuſtentari: ac etiam volentes quod nihil ab eis occaſione prædictæ canonicæ portionis de his ulterius auferatur, univerſitatem veſtram per Dei miſericordiam obſecramus, & in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, ac per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus circa perſonas dictorum Fratrum affectum benevolum, pro divina, & noſtra reverentia dirigentes, nihil ab eis de bonis hujuſmodi ulterius exigatis, ſed onera paupertatis eorum de bonorum veſtrorum ſubſidiis potius relevetis. Ita quod exinde apud nos gratioſi favoris augmentum vobis proveniat, & nulla ſuper hoc orationis neceſſitas intercedat.

Datum Laterani Kalen. Decembris, Pontificatus noſtri anno VI.

LXXXII.

LXXXII.

Ut compeſcant Parochos Fratrum privilegiis circa ſepulturæ libertatem moleſtos. Specul. Min. tract. 1. fol. 11.

Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Lombardiam & Romandiolam conſtitutis.

Dilecti filii Miniſter & Fratres Minores adminiſtrationis Bononiæ nobis ſignificare curarunt, quod nonnulli Prælati, Rectores & Clerici Eccleſiarum, Civitatum & diœceſum adminiſtrationis ejuſdem vobis ſubjecti parochianis ſuis pro eo dumtaxat, quod apud ipſos Fratres eligunt ſepulturam, in extremis Eccleſiaſtica denegant ſacramenta. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta, in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus Prælatos & Rectores & Clericos prædictos, quod prætextu hujuſmodi parochianis eiſdem ſacramenta non ſubtrahant ſupradicta, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, juxta officii veſtri debitum, appellatione remota, cogatis; alioqnin venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Ravennatenſi, & dilecto filio M. Canonico Mutinenſi damus noſtris litteris in mandatis, ut ipſi ſuper hoc mandatum Apoſtolicum exequentes, eoſdem Prælatos, Rectores, & Clericos a præſumptione hujuſmodi, monitione præmiſſa, per cenſuram eamdem, ſublato appellationis impedimento, compeſcant; non obſtante ſi aliquibus a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes &c.

Datum III. Aprilis, Pontificatus noſtri anno VII.

URBANUS IV.

Electus eſt anno MCCLXI. XIV. *Kalend. Septembris*.

BULLA I.

Confirmat Ordinis privilegia. Regeſt. noſtrum vetus fol. 56. pag. 2.

Generali Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum.

Cum a nobis petitur &c. omnes libertates & immunitates a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ſive per privilegia, ſeu alias indulgentias vobis aut Ordini veſtro conceſſas, ſicut eas juſte & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem Ordini auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. *Ut in Regeſto Tomi 3. fol. 421.*

Nulli ergo noſtræ confirmationis &c. Datum &c. IV. Kalen. Junii, Pontificatus noſtri anno I.

II.

Jubet diſtricte ut inquirant de tertis articulis contra electum Treverenſem. Reg. Vatic. epiſt. 28.

Guillelmo de Waltmanhuſe Fratrum Minorum de Wezele Treveren. Diœc. & fratri Roberto de Warneſperg de Ordine Fratrum Minorum in Conventu Treveren.

PEr exigentiam ſollicitudinis paſtoralis, quam nobis diſpenſatio divina commiſit, contra Henricum Treveren. electum ſuper diverſis articulis volentes inquiri, certas ad hoc perſonas providimus aſſumendas, de quarum induſtria & conſtantia firmam fiduciam habeamus. Quia vero perſonæ ipſæ minus ſtudioſæ, præter ſpem noſtram, negotium proſequebantur injunctum, ipſius executionem vobis in virtute obedientiæ, ac ſub pœna excommunicationis ſub certa forma duximus injungendam, non dubitantes, illud in veſtris manibus debere proficere, quod apud dictas perſonas deficere miſerabiliter videbamus, conſtautia quam veſtri natales conſpicui, ſacra religio, & zelus divini nominis pollicebantur Apoſtolicæ Sedi de vobis ſuper hoc nobis firmam certitudinem inducente. Sed ecce quod ſicut apud illos, ſic apud vos noſtra videtur fiducia defraudata, dum prout intelleximus, ſicut illi, ſic & vos ipſum negotium non memoriæ, ſed neglectui commendaſtis. Hinc eſt, quod nos diſcretioni veſtræ per iterata ſcripta in virtute obedientiæ, ac ſub pœna prætacta, quam ex tunc vos incurrere volumus, ſi mandatum noſtrum in hac parte neglexeritis adimplere, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus in negotio ipſo ſaltem nunc tanta ſollicitudine procedatis, juxta traditam vobis formam, quod præcedentem inobedientiam purgaſſe probemini per obedientiam ſubſequentem, & nos vobis ſuper hoc aliter ſcribere non cogamur. Quod ſi ambo &c.

Datum apud Urbem veterem 11. Kal. Decembris, anno 11.

III.

Facultatem largitur Epiſcopo Sirmienſi, ut tranſeat ad Ordinem Minorum. Reg. Vatic. epiſt. 33.

Archiepiſcopo Colocen.

SIgnificavit vobis Venerabilis frater noſter Oliverius Sirmien. Epiſcopus ſuffraganeus tuus, quod gravi corporis languore gravatus, Paſtorale, ut expedit, officium exercere non poteſt, quodque apud ſe mente recogitans invenit, quod commiſſam curæ ſuæ Sirmien. Eccleſiam ſalva nequit conſcientia retinere. Unde volentes ſuæ conſcientiæ, & ſaluti conſulere, ac eidem Eccleſiæ ne ſub umbra ſui nominis in ſpiritualibus & temporalibus irreparabiliter corruat, præcavere a nobis per litteras & dilectum filium Magiſtrum Thomam Theſaurarium, & Petrum Canonicum ejuſdem Eccleſiæ nuntios ſuos ad hoc ſpecialiter deſtinatos humiliter poſtulavit, ut ceſſionem ipſius per te Metropolitanum ſuum recipi, & tranſeundi ad Fratrum Minorum Ordinem ſibi dari licentiam mandaremus. Nos itaque de tua circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus conſideratis diligenter circumſtantiis univerſis, quæ circa hoc fuerint at-

attendendæ, ſi expedire videris, recipias a prætacto Epiſcopo, cum ab eo requiſitus fueris, ceſſionem hujuſmodi vice noſtra, & cum a vinculo, quo tenetur Eccleſiæ ſupradictæ, licentiam ſibi tribuas ad dictum Ordinem tranſeundi.

Datum apud Urbem veterem Idibus Decembris anno II.

Anno Christi 1263. Urbani IV. anno 2. & 3.

IV.

Frater Henricus Epiſcopus Curonien. transfertur ad Eccleſiam Kimen. Reg. Vatic. epiſt. 62.

Univerſo Clero Civitatis, & diœceſis Kimen.

§. I. Divinæ Sapientiæ inſcrutabilis altitudo, quæ ſacroſanctam Romanam Eccleſiam in hujus mundi latitudinem ſtabilivit, ita regimen & gubernationem ipſius mirabili proviſione diſpoſuit, ut ad eam ſalubriter gubernandam plures aſſumerentur in partem ſollicitudinis, quamvis pro firmamento unitatis Eccleſiæ unus obtineat plenitudinem poteſtatis. Voluit enim ut pro ejus patribus filii naſcerentur, qui ſuper omnes Principes conſtituti eſſent, memores ſui nominis, & præcones evangelicæ veritatis. *Præfatio.*

§. II. Propter quod nos, qui, licet inſufficientibus meritis, in ſublimi ſumus ejuſdem Eccleſiæ ſpecula conſtituti, ſic intendimus divino adjutorio injunctum nobis miniſterium circa proximas Eccleſias gerere, ut in illis etiam a quibus locorum poſitione diſtamus, opportuna debeat Sedis Apoſtolicæ providentia non deeſſe. *Debet Pontificis providentia etiã diſtantibus Eccleſiis prodeſſe.*

§. III. Cum igitur Kimen. Eccleſiæ, quæ diutius paſtore vacaverat, fuiſſet ad nos proviſio legitimæ devoluta, nos volentes ipſi Eccleſiæ ne damna gravia ex longa vacatione incurreret, ſalubriter providere, Venerabilem fratrem noſtrum Henricum de Ordine Fratrum Minorum, quondam Epiſcopum Curonien. virum utique providum, & diſcretum, vita & honeſtate decorum, litterarum ſcientia præditum, & conſilii maturitate præclarum, a vinculo quo tenebatur Curonien. Eccleſiæ, primitus abſolutum, eidem Kimen. Eccleſiæ, de Fratrum noſtrorum conſilio præfecimus in Epiſcopum & paſtorem, ei licentia tranſeundi ad eamdem Kimen. Eccleſiam, ac plena ejus tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus adminiſtratione conceſſis, ſperantes firmiter, quod ipſa Eccleſia ſub ejus regimine grata in Domino ſuſcipiet incrementa. *Fr. Henr. Min. Ep. de una ad alia Eccleſ. transfertur.*

§ IV. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus eidem Epiſcopo, tamquam patri & paſtori animarum veſtrarum, plene ac humiliter intendentes, exhibeatis ei obedientiam, ac reverentiam debitam & devotam, ejuſque ſalubria monita, & mandata ſuſcipiendo devote & inviolabiliter obſervando. Alioquin ſententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

Datum apud Urbem veterem Idibus Februarii anno II.

Digitized by Google

V.

Ut Ottonem Gualduccii Piſanum reſipiſcentem ad pœnitentiam admittat. Reg. Vatic. epiſt. 148.

Fratri Manſueto Ordinis Minorum Capellano, & Pœnitentiario noſtro.

Converſum hominem Saulo egregie comparat.

§. I. AD audientiam noſtram cum quadam jucunditate pervenit, quod modernus ille Saulus, videlicet Otto Gualduccii civis Piſanus, qui præcipuus erat in civitate Piſana Eccleſiæ perſecutor, in Paulum converti deſiderat, ac pro honore ipſius Eccleſiæ ſtare conſtanter, & obfirmare vultum adverſus illos, qui eamdem Eccleſiam perſequuntur, quodque idem Otto inſpiratus a Domino Ordinem Fratrum de pœnitentia ingredi, ac in eo virtutum Domino, relictis ſeculi vanitatibus, deſervire proponit.

§. II. Nos itaque, qui vices illius in terris gerimus, qui non mortem, ſed vitam appetit peccatorum, volentes eumdem Ottonem in hujuſmodi deſiderio, & propoſito confovere, quia in cives Piſanos propter favorem, quem impendunt Manfredo quondam Principi Tarentin. perſecurori ejuſdem Eccleſiæ manifeſto, generalis eſt per Apoſtolicam Sedem excommunicationis ſententia promulgata; diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus recepto publice, præſentibus quam pluribus bonis viris, religioſis; & aliis, juramento ab ipſo Ottone, quod ſtabit præciſe mandatis Eccleſiæ atque noſtris, quæ ſibi ſemel vel pluries per nos, vel per alios, quibus hoc committendum duxerimus, facienda ſuper iis, pro quibus in prætactos cives hujuſmodi excommunicationis ſententia lata fuit, quodque deinceps prætactum Manfredum non habebit nec aſſumet in dominum, nullumque omnino ſibi ſuiſve nuntiis, & Officialibus præbebit conſilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum, nec ejus recipiet nuntios, quinimo nobis, & prætactæ Eccleſiæ contra illum ad noſtrum, & nuntiorum noſtrorum mandatum potenter & patenter aſſiſtet, facias ſuper præmiſſis confici publicum inſtrumentum, illud nobis fideliter tranſmiſſurus. Quibus rite peractis, prætacto Ottoni, juxta formam Eccleſiæ, ſuper prætacta ſententia beneficium abſolutionis impendas.

Pleraque præſcribit Ottoni faciendæ.

Datum apud Urbem veterem Idibus Julii anno II.

VI.

Ut agant de pace inter Piſanos & Lucanos. Reg. Vatic. epiſt. 149.

Fratri Manſueto Capellano, & Pœnitentiario, ac nobili viro Ligerio de Saſſetta Mareſcallo noſtris.

REceptis veſtris litteris & perlectis, ecce noſtras tam ad Piſanos, quam Lucanos mittimus litteras, ſicut vos nobis in eiſdem veſtris litteris ſuaſiſtis. Ideoque volumus & præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus commiſſo vobis pacis tractatui diligentius & ferventius inſiſtatis. Reſcribentes nobis frequenter ſtatum negotii, & quidquid ſuper hoc vos facere contigerit.

Datum apud Urbem veterem III. Kalend. Aug. anno II.

Digitized by Google

VII.

Dat eis Regulam a ſe correctam. Reg. Vatic. epiſt. 218.

Abbatiſſæ, & Conventui Sororum Minorum Monaſterii Humilitatis beatæ Mariæ Pariſien. diœceſis.

§. I. Religionis augmentum eo libentius procuramus, quo per hoc amplius dilatatur divini nominis cultus, & ſalus proficit animarum, ſane fel. rec. Alexander Papa prædeceſſor noſter, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Illuſtris Regis Franciæ ſupplicationibus condeſcendens, omnibus Chriſti ancillis e ſeculo fugientibus, & in veſtro Monaſterio *Humilitatis beatæ Mariæ* vocabulo inſignito, in quo tunc de novo conſtructo nemo adhuc, ut dicitur, morabatur, profeſſionem facientibus Regulam infra ſcriptam in eodem Monaſterio perpetuis temporibus obſervandam, cum *Sororum incluſarum* vocabulo nuncupandam conceſſit. Ad Regis Galliæ petitionem favorem largitur

§. II. Porro ex parte dicti Regis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam Regulam in aliquibus capitulis corrigi facientes, nominationis ejus *Minorum* vocabulum adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Concedit Regulam Minorum.

§. III. Nos igitur ejuſdem Regis precibus inclinati, Regulam ipſam per dilectum filium noſtrum Simonem tituli ſanctæ Ceciliæ Cardinalem corrigi facientes, & ut ſicut re, ita & nomine, præſertim cum idem Monaſterium ſicut præmittitur, titulum *Humilitatis beatæ Mariæ* ſibi aſcripſerit, ejuſdem humilitatis poſſit profectibus inſigniri, nuncupationi ejuſdem Regulæ dictum *Minorum* adjicientes vocabulum, duximus ſtatuendum, ut Regula ipſa Sororum Minorum incluſarum de cetero nominetur, & ſervetur perpetuo in prætacto Monaſterio, & in aliis Monaſteriis de cetero fundandis, ſeu plantandis, in quibus Sorores eamdem Regulam profiteri contigerit, ſic correcta. Quam quidem Regulam, & ipſarum Sororum Minorum incluſarum vitam inferius fecimus annotari, quæ talis eſt.

§. IV. *Quælibet inſpirata divino flammine Ordinem hunc aſſumens, Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejus ſacratiſſimæ Matris veſtigiis inhærendo, juxta Evangelicæ perfectionis conſilium ſemper vivat in obedientia, & caſtitate, ſine proprio, & velut theſaurus occultus incliti Regis incluſa moretur toto tempore vitæ ſuæ, ſicut inferius continetur. Omnes vero, quæ ſeculi vanitate relicta, in prætacto Monaſterio hanc religionem aſſumere voluerint, diligenter obſervabunt hujuſmodi vitæ legem. Omni namque tempore vitæ ſuæ, poſtquam profeſſæ fuerint, clauſæ infra clauſuram manere Monaſterii in virtute obedientiæ teneantur, niſi de licentia ſummi Pontificis, aut Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum, ſeu Provincialis illius Provinciæ, in qua ipſum Monaſterium eſt fundatum, cauſa plantandi vel ædificandi eamdem religionem, ſeu cauſa regiminis ad aliquem locum ejuſdem religionis aliquæ tranſmittantur, quibus ad ipſum Monaſterium, a quo tranſmiſſæ fuerint, reverti liceat de licentia alterius eorumdem, ſi ipſis Miniſtris, vel alteri viſum fuerit expedire. Si vero contingeret ex inſultu hoſtilis incurſus, aut ex aquarum inundantium impetu Monaſterii muros dirui, aut ipſum Monaſterium concremari, vel ex aliqua hujuſmodi cauſa taliter diſſipari, vel deſtrui, ſeu domibus ejus ruinam minantibus, aut tempore hoſtium irruentium locum tali diſpoſitione conſtitui, quod ſine manifeſto & gravi periculo aliquæ ibidem morari nequeant, nec ſupraſcri-* Quæ talis eſt. De clauſura. Nunc Generalis, & Provinciales Miniſtri hujuſmodi facultatem concedere interdictum.

pti Miniſtri licentiam & conſilium expectare, de conſilio & conſenſu totius Conventus & Abbatiſſæ mandato, ad alium locum tutum Sorores ſe transferant, in quo ſi poſſint, clauſæ morentur, donec plena deliberatione præbabita, quid agere debeant, decernatur. Si autem Conventus vellet ex aliqua cauſa evidenti totum eorum Monaſterium alibi ædificare, Sorores tunc de Generalis Miniſtri licentia poſſint ad alium locum ſe transferre.

De ſepultura.

Morientes vero tam profeſſæ, quam novitiæ ſive ſervientes Sorores infra clauſuram Monaſterii tumulentur.

De recipiendis ad Ordinem.

Omnibus autem banc religionem in prætacta Monaſterio, & in aliis de novo fundandis, in quibus banc regulam contigerit profiteri, aſſumere cupientibus, priuſquam babitum mutent, & religionem aſſumant, prædicentur dura & aſpera, per quæ ad patriam itur, & quæ ſecundum banc religionem neceſſe babuerint obſervare. Non recipiantur aliquæ, quæ vel ſenili ætate, vel infirmitate aliqua, vel fatua ſimplicitate ad bujus vitæ obſervantiam inſufficiens, & non idonea cenſeatur, niſi forte cum aliqua interdum cauſa valde rationabili exigente, alicubi fuerit de conſilio diſcretarum Sororum loci per prætactos Miniſtros, vel ipſorum aliquem diſpenſandum. Omnes vero volentes in boc Monaſterio, & in aliis in poſterum fundandis, in quibus bæc regula profeſſa fuerit, banc ſacram religionem aſſumere, abjectis vanitatum faſtigiis momentaneæ vitæ bujus, quam cito infra clauſuram receptæ fuerint, ſi intelligibiles exiſtant, tonſis crinibus,

De tondendis crinibus.

mox deponant babitum ſecularem.

De Magiſtra Novitiatum.

Tunc etiam prudens Magiſtra concedatur eiſdem ex devotioribus Sororibus una, quæ ipſas Sorores in ſanctis moribus inſtruat, & in fervore devotionis inflammet, ac ea, quæ ſunt ſecundum banc ſacram religionem ferenda in ſuavitate caritatis ferre doceat, & in corrigendis corrigat diligenter. Verumtamen Capitulum, niſi cauſa exhortationis, ſeu correctionis, eis intrare non liceat infra annum. Completo autem unius anni ſpatio, profeſſionem faciant in manu Abbatiſſæ coram

De profeſſione ſolemni.

Conventu, videlicet in bunc modum. Ego talis ſoror promitto Deo & beatæ Mariæ ſemper Virgini, & beato Franciſco, & omnibus Sanctis in manibus veſtris, Mater, vivere ſecundum regulam a Domino Alexandro Papa IV. Ordini noſtro conceſſam, prout a Domino Urbano Papa IV. eſt correcta & approbata, toto tempore vitæ meæ in obedientia, & caſtitate, ſine proprio, & etiam ſub clauſura, ſecundum quod per eamdem segulam ordinatur.

De ſervientibus.

Idem ſimiliter profitendi modus de ſervientibus obſervetur, quæ non debent exire. Si vero propter aliquam juſtam & neceſſariam cauſam ſervientes prætacto modo profeſſas emittere extra clauſtrum contigerit, de licentia Generalis Miniſtri emittant eaſdem, boneſtas tamen & maturas moribus, & ætate, quæ cum clauſtrum exierint, calceatæ incedant, ſoleas autem nunquam deferant, neque chordam.

De veſtibus.

Unaquæque Soror præter ſtamineam, vel cilicium, ſi voluerit, duas tunicas aut tres, vel etiam quatuor ſecundum quod Abbatiſſæ viſum fuerit, babere poſſit, exceſſum tamen pannorum omnes evitare caveant bono modo. Mantellum quoque unum, aut duos babeant longitudinis & latitudinis congruentis. Hæc ſiquidem indumenta ſint de panno vili, tam pretio quam colore. Ab aliquibus autem omnino albæ, vel etiam nigræ ſuperiores tunicæ non ferantur. Pro cingulo quoque chordam Sorores, poſtquam fuerint profeſſæ, babeant nullatenus curioſam. Vittis autem aut peplis omnino albis, non tamen pretioſis capita ſua cooperiant uniformiter, & boneſte, ita quod frons, genæ, & collum ſint, ſicut convenit, cooperta, nec aliter coram perſonis extraneis audeant apparere. Non enim decet, ſponſam Regis æterni alicui alteri ſe exponere, nec etiam in aliquo alio delectari. Habeant etiam nigrum velum extenſum ſuper capita ita amplum & longum, quod ex utraque parte deſcen-

dat

dat uſque ad ſcapulas, & retro quantum decet, protendatur, ſine quo poſſunt eſſe de nocte, aliquando de die de licentia Abbatiſſæ. Hæc omnino habeant, & obſervent Sorores, & ſervientes, quæ non debent exire. Aliæ autem ſervientes & novitiæ cingulo laneo præcingantur, & velum album ſuper capita ſua deferant. Abbatiſſa vero de calceamentis Sororum & ſervientium infra clauſtrum diſponat, ſecundum quod ei videbitur expedire, eiſdem. Omnes Sorores ſanæ tam Abbatiſſa, quam aliæ in communi dormitorio jaceant, & quælibet per ſe lectum habeat ab aliis ſeparatum. Lectus tamen Abbatiſſæ in tali loco dormitorii diſponatur, quod inde ceteros dormitorii lectos ſine obſtaculo, ſi commode fieri poterit, valeat intueri. In dormitorio autem ſemper de nocte clara luminaria ſint accenſa. A reſurrectione Domini uſque ad feſtum Nativitatis beatæ Virginis poſt prandium uſque ad horam nonam Sorores dormiant, quæ voluerint, quæ vero noluerint, oratione & meditatione divina, ſeu aliis quietis piis laboribus occupentur.

De dormitorio.

De lecto.

Liceat autem unicuique ſacconem plenum habere de palea, vel de fœno, vel ſtramine, aut ſaltem fœnum, vel ſtipulam pro ſaccone, & pannum rudem laneum extenſum deſuper, necnon cervical panno lineo coopertum, quod de fœno aut de palea, ſeu lana, vel etiam de pluma eſſe poterit, juxta quod Abbatiſſa duxerit diſponendum. Opertoria ſanæ ſine pellibus, quibus operiantur, habeant, ſed de Abbatiſſæ licentia infirmæ pelles habere poſſint. Capillos ſuos uſque ad aures certis temporibus omnes Sorores communiter tondeant in rotundum, vel totaliter, ſi maluerint, tondeantur.

De divino officio.

Circa divinum officium tam in die, quam in nocte ad laudem Dei & gloriam celebrandum obſervantia talis fiat. Eæ Sorores, quæ legere ſcient & canere, officium ſecundum conſuetudinem Ordinis Fratrum Minorum, cum gravitate tamen & modeſtia, celebrent reverenter. Aliæ vero dicant viginti Pater noſter pro matutino, quinque pro Laudibus, pro Prima, Tertia, Sexta & Nona & Completorio ſeptem, pro Veſperis autem duodecim dicant. Hic idem modus per omnia in officio beatiſſimæ Virginis Mariæ obſervetur, & orent pro defunctis. Si vero Sorores aliquæ aptæ & capacis ingenii fuerint, Abbatiſſa, ſi ſibi videbitur, eas inſtrui faciat, Magiſtram eis deputans idoneam & honeſtam, per quam illæ in canta & in divinis officiis inſtruantur.

De otio fugando.

Sorores vero & ſervientes horis, & locis ſtatutis, prout ordinatum fuerit, utilibus & honeſtis laboribus ſub illa providentia occupentur, quod excluſo otio animæ inimico, ſanctæ orationis & devotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deſervire, & cui ſe debet ſponſa Chriſti mancipare, ut ibi ſponſi ſui colloquiis & conſolationibus perfruatur.

De recipiendo corpore Christi.

Sacratiſſimum autem corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti Sorores, confeſſione præmiſſa, cum fuerit neceſſe, cum reverentia & devotione duabus vicibus quolibet menſe recipiant. In quadrageſima vero, & in Adventu Domini ſi expedire videbitur, omni die Dominico, niſi ex cauſa rationabili aliqua ipſarum de Abbatiſſæ licentia prætermittat.

De jejunio.

Sorores ſiquidem & ſervientes jejunent a feſto beati Franciſci uſque ad feſtum Dominicæ Reſurrectionis, & ab Aſcenſione Domini uſque ad Pentecoſten, ut earum pectora ſancti Spiritus chariſmatibus fœcundentur. Diebus tamen Dominicis, ſolemnitatibus omnium Sanctorum, Nativitate Domini, ſancti Stephani, ſancti Joannis Evangeliſtæ, Circumciſionis, Epiphaniæ, & Purificationis exceptis. Verum a Reſurrectione Dominica uſque ad Aſcenſionem Domini, & a Pentecoſte uſque ad feſtum beati Franciſci non teneantur, niſi ſexta feria, & jejuniis ſtatutis generaliter ab Eccleſia jejunare. Vino quoque, piſcibus, ovis, caſeo & lacticiniis licite poſſint uti. In prætacto vero tempore, ac etiam a Nativitate Domini uſque ad Septuageſimam,

exce-

exceptis ſexta feria, & die Sabbati, cibaria cum ſagimine condiant, quando volent. A feſto tamen omniam Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini, majori Quadrageſima, necnon & ſexta feria & jejuniis generaliter ab Eccleſia inſtitatis ovis, caſeo, ceteriſque lacticiniis non utantur, omnibus autem aliis temporibus poſſint uti. Sorores quoque omnino ſanæ, & ſervientes omni tempore a carnibus abſtineant. In ſexta vero feria ſanæ omni tempore jejunent abſque piſcibus, niſi ex cauſa communi Conventus ab Abbatiſſa fuerit diſpenſatum, utpote cum aliqua ſolemnis feſtivitas die Veneris celebratur. Præfatam autem jejunii & abſtinentiæ legem adoleſcentulæ infra xv. annum, vel ſenes ſeu debiles, vel infirmæ obſervare minime teneantur, quibus ſecundum earum imbecillitatem tam in carnibus, quam in aliis neceſſariis poſſit per Abbatiſſam miſericorditer, & ſemper communiter, & æqualiter provideri. Cum ſervientibus tamen Sororibus & adoleſcentulis infra xviii. annum circa jejunium præterquam in adventu Domini, Quadrageſima majori, ſexta feria ac jejuniis ab Eccleſia inſtitutis, poſſit Abbatiſſa, ſecundum quod viderit, diſpenſare. Sanæ quoque Sorores minutionis ſuæ tempore, quod in triduo terminetur, jejunare non teneantur extra majorem Quadrageſimam, & ſextam feriam, Adventum Domini, & tempus inter Aſcenſionem & Pentecoſten, ac jejunia ab Eccleſia generaliter inſtituta. Caveat autem Abbatiſſa, ne ultra quam ſex vicibus in anno * minutionem communiter fieri permittat, niſi certa neceſſitas plus requirat, nec a perſona ſeculari extranea maxime viro minutionem recipiant aliqua ratione, ubi commode poterit evitari.

* Sanguinis.

De infirmis.

De infirmis vero maxima cura ac diligentia habeatur, & ſecundum quod poſſibile fuerit, & decuerit, tam in cibariis, quæ ipſarum requirit infirmitas, quam in aliis neceſſariis ex fervore caritatis benigne, communiter & ſollicite illis per omnia ſerviatur. Quæ vero ſunt infirmæ proprium habeant locum, ubi a ſanis maneant ſeparatæ, ne Conventus quies, & ordinatio in aliquo perturbetur.

De Abbatiſſa.

Abbatiſſa vero quantum poteſt, ſtudeat continuare Conventum, & vitam communem ducere, cum debeat eſſe ſpeculum claritatis ceteris, & omnibus ſuis Sororibus in exemplum. Abbatiſſa tamen, quæ communem vitam ducere non potuerit, nec noluerit, ſine moræ diſpendio a ſuo regimine per Miniſtrum, ſeu per Viſitatores Ordinis abſolvatur, niſi de ſua mora in officio nullum diſpendium domus eſſet, ſed grandis valde neceſſitas, & evidens utilitas appareret.

De ſilentio.

Silentium ſic ab omnibus teneatur, ut nec ſibi invicem, nec alicui alii ſine licentia loquantur, exceptis debilibus, & infirmis. Attendat tamen Abbatiſſa, vel Præſidens ſollicite ubi, quando & qualiter Sororibus loquendi licentiam largiatur. Omnes uti ſignis religioſis ſtudeant & honeſtis. In duplicibus autem feſtis, ac Apoſtolorum ſolemnitatibus, & quibuſcumque aliis diebus, quibus viſum fuerit, Abbatiſſæ ab hora nona uſque ad veſperam, vel aliqua alia hora competenti loqui poſſint de Domino Jeſu Chriſto, & ſolemnitate inſtanti, ac piis Sanctorum exemplis, & de aliis licitis & honeſtis.

De locutorio.

Quando vero aliquis alicui de Sororibus loqui petierit, hoc Abbatiſſæ, vel Præſidenti primitus nuntietur, & ſi ipſa conceſſerit, tunc illa Soror accedens ad locutorium, duas ſemper Sorores ad minus habeat ſecum, quæ loquentem Sororem videant, & audire valeant quæ ex utraque parte dicuntur. Caveant tamen ſibi Sorores, quæ cum aliquo loqui habent, ne per verba inutilia inaniter ſe effundant, nec etiam trahant moram in locutionibus nimis longam. Verum cum aliqua Soror confiteri voluerit, per locutorium ſola ſoli confeſſionem faciat ſacerdoti. Confeſſores vero ipſarum eis per Miniſtrum Generalem, ſeu Provincialem illius Provinciæ aſſignati, eas a peccatis omnibus abſolvant.

De crate communionis.

Per cratem autem ferream, per quam communionem accipiunt, & officium au-

Digitized by Google

audiunt & ſermonem, nemo loquatur, niſi forte aliquando, cauſa rationabili exigente, & tum cum ſocietate ſicut de locutorio eſt ſtatutum, quod tamen rariſſime fiat. Hujuſmodi ſiquidem cratibus ferreis niger pannus interius apponatur, ita quod nulla ratione aliqua Sororum perinde videri valeat, nec aliquid inde exterius intueri, niſi ex cauſa rationabili de licentia Abbatiſſæ aliquando ſubtrahatur. Simili modo niger pannus in locutorio teneatur, qui de licentia Abbatiſſæ & majoris partis Conventus aſſenſu aliquando valeat removeri. Habeant etiam crates oſtia lignea, cum ſeris & clavibus, ut maneant ſemper clauſa, niſi pro cauſis ſuperius nominatis. Locutorium vero ſit ex crebris & ſpiſſis laminis ferreis, & forti opere fabricatis. Locutoria autem ad confeſſiones fiant in Eccleſia, vel in alio loco competenti, prout videbitur Miniſtro. Cratis autem ſit crebris & ſpiſſis laminis ferreis diligenter & forti opere fabricatis. In uno tamen prætactæ cratis latere ſit una parva feneſtra, cum oſtiolo ferreo, per quam ſacerdos manum porrigens, Sororibus poſſit corpus Dominicum impartiri, per nullam cratis partem aliam poſſit aliquis manum mittere infra cratem. Prædictum vero oſtiolum niſi cum Sorores corpus Dominicum recipere debent, & ſermonem audire per perſonam idoneam & honeſtam, vel propter aliam cauſam rationabilem, Abbatiſſæ arbitrio decernendam, duabus clavibus ſit ſerratum. Sine Miniſtri licentia non habeatur niſi una rota conveniens in Conventu, per quam neceſſaria Sororibus concedantur, & auferantur etiam auferenda; hoc ſiquidem taliter ordinetur, ut nihil poſſit ea mediante videri. Per ipſam vero nulla Soror poſſit loqui alicui, duabus tantum exceptis, a quibus cuſtodiatur diligenti cuſtodia velut porta. Silentii vero legem præſentis regulæ omnino Abbatiſſa faciat cuſtodiri, & in ſe obſervet diligenter, ut penitus omnis oblocutionis materia omnibus auferatur, excepto quod ipſa, cum Sororibus ſuis horis & locis competentibus loqui poteſt, ſicut ei ſecundum Deum videbitur expedire. Sorores vero infirmæ ac ſervientes eiſdem, juxta diſpoſitionem Abbatiſſæ, infirmitatis ſuæ tempore in infirmaria, ac etiam ſanæ ſi cauſa viſitationis caritativæ, de Abbatiſſæ licentia ingreſſæ fuerint infirmariam, cum infirmis Sororibus loqui poſſint. Ceterum in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, ut nulla unquam Abbatiſſa, nullæque ejus Sorores aliquam religioſam perſonam, vel ſecularem cujuſcumque dignitatis exiſtat, infra Monaſterium ſive clauſtrum, id eſt ad locum aliquem, ad quem Sorores accedere poſſint, intrare permittant ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, & ſimili modo ingreſſum omnibus aliis inhibemus, exceptis Rege Franciæ, in cujus regno hoc Monaſterium eſt fundatum, cum aliquibus ipſum aſſociantibus uſque ad decem, Generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum cum duobus honeſtis ſociis, & illis, quos de Abbatiſſæ, mandato & conſilio & conſenſu diſcretarum Sororum, pro aliquo opere valde neceſſario faciendo, evidens neceſſitas exegerit introire, qui cum multi fuerint, ſimul plures ordinentur ad opus, & eo completo, exeant feſtinanter. Super hoc etiam Provincialis Miniſtri requiratur aſſenſus quando fieri poterit congruenter, ut in omnibus famæ claritas obſervetur. Ipſe Miniſter Provincialis ipſius Provinciæ Monaſterium prætactum, cum duobus ſociis honeſtis poterit cauſa neceſſariæ viſitationis ſive reformationis Conventus, cum ſine ingreſſu in Monaſterium hoc exequi non valebit. Aliis autem utilitatibus & neceſſariis emergentibus cauſis, intrare valeat, ſecundum quod Generalis Miniſter de conſilio diſcretorum ei duxerit concedendum. Si forte aliquis Cardinalium ad prætactum Monaſterium aliquando venerit, & in illud ingredi voluerit, cum reverentia quidem & devotione ſuſcipiatur, ſed ſecum non ducat ſocios aliquos ultra decem. Alius autem Prælatus, cui forte aliquando intrare a ſum-

ma

De velo nigro ad cratem.

De rota.

De ingreſſu perſonarum in Monaſterium.

mo Pontifice ſit conceſſum, duobus honeſtis ſociis ſit contentus. Quod ſi forte pro benedictione Abbatiſſæ, vel pro aliqua Sorore conſecranda in Monialem, vel alio etiam modo alicui Epiſcopo conceſſum fuerit, Miſſam interius celebrare, aliquando tribus aut quatuor ſociis ſit contentus, aut Miniſtris. Cum vero aliquis homo intraverit intra portam, ei Abbatiſſa loqui valeat cum duabus ſemper ex diſcretioribus & maturioribus Sororibus de Conventu. Si alicui mulieri Monaſterium intrare licuerit, ei Sorores de Abbatiſſæ licentia loqui poſſint. Caveant autem omni diligentia Sorores, ne aliqua earum loquatur ex certa ſcientia cum aliquo homine, qui ingreſſus fuerit, niſi modo ſuperius annotato. Cum viris autem diſcretis & maturis, ac honeſtis confeſſoribus ſuis, vel etiam aliis, locis & temporibus congruis ad conſolationem earum, & ædificationem animarum, de licentia Generalis Miniſtri, ſeu Provincialis, vel Abbatiſſæ aliquando loqui poſſint, & hoc ſi intra clauſtra Monaſterii fuerint, videntibus, ſeu præſentibus tribus Sororibus aut duabus. Illud ſane præcipue caveatur, ut & ii quibus aliquando fuerit conceſſum in Monaſterium ingredi, tales ſint, de quorum verbis & moribus, necnon vita & habitu ædificari valeant intuentes, & materia ſcandali exinde non debeat generari. Omnes autem, qui a ſummo Pontifice obtenta licentia, intrare voluerint, conceſſionis litteras Apoſtolicas ſuper hoc oſtendant primo Abbatiſſæ, & aliis diſcretis Sororibus de Conventu. Cum
De communicandis infirmis. *ergo aliqua Sororum gravi fuerit infirmitate corporis detenta, ita quod ad locutorium commode venire non valeat, & neceſſe habuerit confiteri, & Dominici corporis, ſeu alia eccleſiaſtica recipere Sacramenta, confeſſor ipſarum ſacerdotalibus indumentis, præter caſulam, ingrediatur indutus. Socius etiam ejus accedat ſimiliter ſemper in albis, & tum confiteatur Soror infirma, tribus Sororibus non longe exiſtentibus, quæ confitentem, & confeſſorem videant, & videri poſſint pariter ab eiſdem, & confeſſione audita, vel alio tradito Sacramento, ſicut ingreſſi fuerint, ſic egrediantur induti, nec moram ibi facere præſumant, nec cum aliqua alia Sorore, niſi prædicto modo, loquantur. Sic etiam ſe habeant in animæ commendatione Sororum. Porro ad*
De exequiis Sororum. *exequias circa ſepulturas agendas Sororum, & aliorum duo vel tres Fratres Minores ſacerdotes, quando corpus portatur ad ſepulturam ingredi valeant cum ſacerdotalibus indumentis, qui quod ad illud officium pertinet, exequentes, ſemper ſimul ſtent quamdiu morabuntur ibidem, & completo opere ſepulturæ, exeant ſine mora. Attendat autem diligenter Miniſter, & qui fuerit pro tempore Viſitator, & qui pro operibus ingredi debent Monaſterium ſi neceſſaria ſunt hujuſmodi opera, & quando ac quomodo illi ingrediantur, & qualiter ſe habere debeant infra portam, ac ſuper his ordinent, & diſponant, ſecundum quod ſaluti & integritati famæ Sororum viderint expedire.*
De oſtiaria. *Ad portam cuſtodiendam aliqua talis ex Sororibus conſtituatur, quæ omnino Deum diligat, ſit diligens & diſcreta, ac moribus & ætate matura,*
* forte cuſtodiat. *quæ clavem portæ prætactæ ſic diligenter conſtituat * & conſervet, ut numquam ſine ea, vel ipſa neſcia, oſtium portæ aliquando valeat aperiri. Reliquam vero clavem diverſam ab illa cuſtodiat Abbatiſſa. Sit & alia æque idonea ei ſocia deputata, quæ ejus vicem in omnibus exequatur, quando ipſa aliqua rationabili cauſa fuerit occupata. Caveant autem ſtudioſiſſime hujuſmodi oſtiariæ, & procurent, ne unquam oſtium ſtet apertum, niſi quantum minus fieri poterit congruenter. Sit autem oſtium ſeris ferreis cum oſtiolo &*
De oſtio. *vectibus diligenter munitum, & ſine alicujus prædictarum cuſtodia nullatenus dimittatur, duabus tamen clavibus de die & nocte firmiter obſeratum, nec omni pulſanti aperiatur ſtatim, niſi prius oſtiaria viderit per feneſtram parvulam, quæ debet eſſe in porta, & indubitanter pulſantem cogno-*

ve-

verit quod talis ſit, cui dabitatione aliqua ſecundum mandatum, quod in eadem formu de ingreſſaris ſuperius continetur, debeat uperiri. Volumus prorſus, ut porta in excelſo exiſtat, ud quam per ſtalam ligneam aſcendatur, quæ catena ferrea elevetur in ſero, & cum clavibus firmetur, & mane de die luceſcente, tribus præſentibus deponatur. Concedimus tamen iis, quod habeant aliquam portam inferiorem, per qaam graviu onera inferantur, utpote dolia vini, & ſimiliu, ſeris & clavibus adhibitis cum cuſtodia diligenti. Et ſi uliquando intra Monaſteriam aliquod opus fuerit faciendum, ad quod agendum ſeculares aliquos, vel quaſcumque perſonas alias oporteat introire, provideat Abbatiſſa ſollicite, & tunt dum opus exercetur, ſtatuantur ud oſtium cuſtodiendum tres Sorores, vel ſervientes de maturioribus & diſcretioribus de Conventu, quæ ſemper in ſilentio ſic perſonis ad opus deputatis aperiant, quod alias perſonas intrare penitas non permittant. Ubi vero eſſet multitudo & grandis preſſura, ſtatuantur ad cuſtodiam aliæ perſonæ quam Sorores incluſæ.

De viſitatore.

De Viſitatore hujus Religionis itaque illud eſt ſollitite providendum, ut quicamque ſive generalis, ſive aliquando ſpecialis conſtituendus fuerit Viſitator, talis debeat conſtitui, de cajus religioſa vita & moribus notitia plena & ſecuritas habeatur, qui cum ad Monaſterium veniens fuerit ingreſſas ibidem, ſic ſe in omnibus habeut & oſtendat, ut omnes de bono ud melius provocet, & ad divinum amorem accendat, uc inter Sorores mutuam ſemper caritatem inflammet; & quando Monaſterii claaſtra cauſa viſitationis intraverit, duos religioſos ſocios & idoneos ſecum ducat, ac iidem ſocii quamdiu fuerint intra clauſtrum nullatenus ab invicem ſepurentur. Omnia Monaſteria hujus Ordinis viſitentur quolibet unno, uut in biennio ſaltem ſemel. Viſitator ſit ſemper de Ordine Fratrum Minorum, & per Miniſtrum Generalem Ordinis tranſmittatur. Omni autem anno, quo per Viſitatorem a Generali tranſmiſſum viſitari non poterit, ſi neceſſe fuerit, per Miniſtrum illius Provinciæ ſecundum formam viſitationis præſentis regulæ viſitentur. Viſitator, regula primo lecta, ad viſitationem procedens, de Sororum ſtatu, & obſervantia ſuæ religionis ub omnibus generaliter, & ſpecialiter, & ſingulis inquirut ſtudioſius veritatem. Et ubi aliquid corrigendum ſeu reformandum invenerit, zelo caritatis & amore juſtitiæ cum diſcretione corrigat & reformet, tam in capite, quam in membris. Cum uutem viſitatur aliqua Soror, extru Capitulum commoretur. Similiter Abbatiſſa reſignato ſigillo, viſitutioni propriæ non interſit, contra quas nihil in publico ab aliqua proponatur omnino, qaod non poſſit probari factum fuiſſe, vel per publicam famam.

De viſitatione.

Caveant autem Sorores, & conſiderent diligenter, præcipue in viſitatione Sororum, ut nihil aliud, quam amor divinus, & ſuarum Sororum correctio eas moveat ad loquendum. Illis autem quæ noluerint recognoſcere culpam, quæ ipſis impingitur, ſi excuſare ſe noluerint, præſertim ſi gravia fuerint, audientia non negetur. Accuſantes autem in gravibus, ſi in probatione defecerint, pro culpæ impoſitæ modo legitime puniantur. Exceſſus qui fuerit ſufficienter correctus u Viſitatore, iterum nullatenus corrigatur. Modum aatem ſupraſcriptum loquendi cuſtodiat Viſitator, videlicet ut eum in omnibus, uut tum duabus ud minus in aſpectu etiam plurium non exiſtentium longe loquatur, niſi cum extru Monuſterii clauſtra fuerit, & ad locutorium tum una ſola, vel tum pluribus loqui voluerit de iis, qaæ ad officium ſuum pertinere noſcuntur.

De duratione viſitationis.

Volumus omnino, quod Viſitatores de viſitatione ſe expediant, & ſine onere domus, ita quod infra quatuor vel quinque dierum ſpatium ud plus omnino viſitatio terminetur, niſi manifeſta neceſſitas plus requirat, nec poſtmodum Monaſterium ingrediendi habeant fatultutem. Tempus viſitationis prætuctum, ex ali-

aliqua cauſa prorogari non poterit ſine Generalis Miniſtri licentia ſpeciali. Nec volumus quod Generalis Miniſter prætactum tempus mutare valeat, niſi ex aliqua certa cauſa. Ab occaſu tamen Solis uſque ad ortum ipſius, Viſitatoribus & omnibus aliis quacumque auctoritate munitis, excepta cauſa confeſſionis alicujus Sororis nimium ægrotantis, vel alicujus alterius imminentis periculi manifeſti, morari, vel ingredi nullatenus permittatur. Ad hæc autem volumus & attente monemus, ut ea, quæ ſecundum vitæ ſuæ formam & regularem obſervantiam ſtatuenda fuerint, & emendanda publice, ac privatim Sorores, ſicut melius videbitur faciendum, Viſitatori diligenter ſuggerant, cui per obedientiam teneantur in iis, quæ ad officium ſuum pertinent infra prætactum tempus firmiter obedire. Quæ autem aliter fecerit, a Viſitatore debito modo prout convenit, puniatur. Abbatiſſa quoque ab eodem ſi ejus defectus aut merita exigant, ab officio abſolvatur. Similiter converſi, ac alii etiam familiares ſi in aliquo reprehenſibiles fuerint, corrigantur. Si vero noluerint vel contempſerint emendari, a Monaſterio removeantur.

De confeſſariis.

Confeſſores vero earum ac ſocii eorumdem ſint de Ordine Fratrum Minorum ibi commorantes, qui eis Eucbariſtiam, & alia Sacramenta miniſtrent, niſi forte in aliquo loco a Miniſtro Generali vel Provinciali ex cauſa rationabili & honeſta fuerit aliter ordinatum. Contra quos ſi Viſitator aliquid notabile invenerit, teneatur illud Miniſtro Provinciæ nuntiare, qui ipſos mox corrigere debeat, vel etiam de loco amovere. Viſitatori vero diſtricte injungimus, ut celanda, quæ in ſua viſitatione invenerit, nulli aliquo modo ſcienter revelet, ſed lectis exceſſibus, & injunctis pœnitentiis, omnia ſcripta coram Conventu comburat, niſi eſſent talia, quæ ex conſilio diſcretarum Sororum Conventus omnino eſſent Miniſtro Generali Ordinis referenda. Si vero Provincialis Miniſter aliquod notabile contra Viſitatorem aut ſocios ſuos poſt viſitationem invenerit, id teneatur Miniſtro Generali indicare. Viſitatorum vero ſocii viſitationibus non interſint, niſi ipſi Viſitatori viſum fuerit expedire. Electio autem Abbatiſſæ libere pertineat ad

Subjiciuntur regimini Minorum.

Conventum, confirmatio vero & infirmatio, ſeu ipſius amotio fiat per Generalem Miniſtrum Ordinis Fratrum Minorum, ſi aderit in Provincia, & in ejus abſentia per Provincialem illius Provinciæ, in qua prætactum Monaſterium fuerit conſtitutum, ad quos ordinatio ſpectat hujus Ordinis, regimen, cura, & viſitatio, correctio, necnon reformatio tam per ſeipſos, quam per viſitatores, quibus prædicta fuerint pro loco & tempore imponenda, per quos etiam Viſitatores abſolvi poterit Abbatiſſa ab officio, prout ſuperius eſt expreſſum. Unde in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus & injungimus Abbatiſſæ, & ceteris Sororibus hujus Religionis, quatenus Miniſtro Generali Ordinis Minorum Fratrum, ac Provinciali illius Provinciæ, in qua prætactum Monaſterium ſitum fuerit, obediant in iis quæ non ſunt contra ſuam animam, & præſentem regulam, cum velimus eas ſemper eorum regimini ſubjacere. Similiter per obedientiam injungimus omnibus Sororibus Religionis ejuſdem, ut Abbatiſſæ, poſtquam confirmationem de officio receperit, quamdiu in Chriſto permanſerit, pareant diligenter. Sed cum Conventus cauſa infirmitatis, vel quocumque caſu regimine Abbatiſſæ carebit, poſſint Sorores ſibi eligere præſidentem, cui obedire teneantur uſque ad tempus, quo de ſuo officio ſe intromiſerit Abbatiſſa. Præſidens vero prædicta quæ ad Abbatiæ officium pertinent, interim exequatur. Miniſter autem & Viſitator in temporalibus & ſpiritualibus ſemper debent

De procuratore.

deformia reformare, & corrigere corrigenda. Ad hæc propter diſcurſum indecentem, ſub prætextu temporalium evitandum; & ut quietius poſſint Sorores prætactæ Domino deſervire, liceat eis in communi redditus & poſſeſ-

ſiones

ſiones recipere, ac eas libere retinere, pro quibus poſſeſſionibus modo debito pertractandis procurator unus prudens & fidelis in dicto Monaſterio habeatur, qui per Abbatiſſam, de conſilio & conſenſu Conventus conſtitui debeat, & etiam quandocumque eis videbitur amoveri, ac de omnibus ſibi commiſſis tam receptis, quam etiam expenſis Abbatiſſæ, & aliis quibuſdam Sororibus ex parte Conventus ad hoc ſpecialiter aſſignatis, & Viſitatori etiam cum hoc voluerit audire, rationem reddere teneatur, & nihilominus de rebus immobilibus Monaſterii vendere, obligare, commutare vel alienare valeat quoquo modo, & quidquid contra hoc fuerit attentatum, decernimus irritum & inane. Cum igitur ſit alibi perennis habitatio patriæ hujus religionis Sororum, curioſitatem, quæ Deo eſt odibilis valde, ac pietati contraria, & ædificiorum ſuperfluitatis exceſſum modis omnibus eas volumus evitare. Sigillum vero Conventus cuſtodiatur, & conſervetur ſecundum ordinationem Conventus ejuſdem. Omnis littera, quæ ex parte Conventus dirigitur, primo in Capitulo legatur. Nulla Soror aliquas litteras dirigat ſeu recipiat, niſi primo eas Abbatiſſa legat, vel niſi ab alia ad hoc ſtatuta coram Abbatiſſa legantur. Abbatiſſa autem de correctione, monitione, ac ordinatione Sororum Capitulum teneat qualibet hebdomada bis vel ſaltem ſemel. Ad hæc penitus prohibemus, ne in Monaſterio prætacto aliquis Viſitator, aut Miniſter auctoritate ſua conſtitutiones faciat aliquas ultra formam ipſam & regulam, quæ Sorores ad aliquod culpæ vel pœnæ obligent ſine conſenſu & voluntate omnium Sororum. Quod ſi forte aliquis fecerit, eas non teneantur aliquatenus obſervare. Volumus etiam & attente monemus, ne aliquid eis præcipiant, ſeu præcipiatur ſine magna utilitate, & valde evidenti & manifeſta neceſſitate. Decernimus ergo ut nulli Eccleſiaſticæ, ſecularive perſonæ liceat præſentem regulam approbatam & correctam a nobis refringere, aut aliquatenus immutare. De litteris miſſivis. De Capitulo.

Si quis autem &c. uſque *Incurſurum*. Datum apud Urbem veterem VI. Kal. Auguſti, anno II.

VIII.

Cupit ſtabiliri pacem inter Piſanos & Lucanos, miſſo ad hoc fratre Manſueto Minorita &c. Reg. Vatic. epiſt. 180.

Poteſtati, Capitaneo, Antianis, Conſilio & Communi Piſan. ſpiritum conſilii ſanioris.

CUpientes inter vos & cives Lucanos pacis & concordiæ fœdera ad laudem & gloriam divini nominis reformari, nuper dilectum filium Manſuetum Ordinis Minorum Capellanum & Pœnitentiarium noſtrum, & nobilem virum Sigerium de Saſſetta Mareſchallum noſtrum ad vos, tamquam pacis Angelos, propter hoc ſpecialiter duximus deſtinandos. Verum quia poſtmodum intelleximus, quod dicti cives Lucan. tamquam exaſperati ex iis, quæ a vobis his temporibus pertuliſſe noſcuntur, ad impugnationem & obſidionem caſtri Aginulfi Lunen. Diœceſis, quod poſſidere dicimini, hoſtiliter proceſſerunt, quodque vos hac de cauſa commoti contra civitatem Lucan. iterato exercitum congregatis. Nos toto mentis deſiderantes affectu, ut omne removeatur obſtaculum, per quod bonum pacis valeat quomodolibet impediri; ecce dilectis filiis Poteſtati, Capitaneo, Antianis, Conſilio & Communi Lucan. noſtris ſub certa forma dedimus litteris in mandatis, ut ſtatim, eiſdem receptis litteris, ſicut noſtram & Apoſtolicæ Sedis caram habent gratiam, ab

ipſius caſtri obſidione ac impugnatione recedant, & ad propria revertantur. Ideoque univerſitatem veſtram monemus, rogamus & hortamur attente, mandantes quatenus & vos etiam attendentes, quod ſi dicti Lucani provocati a vobis, ut noſtis, fecerunt aliquid quod vobis forte diſplicuit, non multum debetis hoc ad animum revocare, ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram, ab hujuſmodi congregatione exercitus totaliter deſiſtatis, nullamque inferatis prædictæ civitati Lucanæ moleſtiam vel offenſam, ſed omni rancore depoſito, tractatui pacis, quæ jam per dictos Pœnitentiarium, & Mareſchallum incboatum eſſe credimus, ferventius & diligentius inſiſtere ſtudeatis, præbentes eorum ſuper hoc exhortationibus efficacibus aures veſtras; ita quod Regem pacificum conſtituatis vobis exinde propitium & benignum, noſque reddatis exinde ad procuranda veſtra ſpiritualia & temporalia commoda promptiores.

Datum apud Urbem veterem III. Kal. Auguſti, anno II.

IX.

Statuit quædam circa concordiam inter Minorum & Clariſſarum Ordines. Reg. noſtrum pag. 56.

Dilectis filiis Joanni ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, & fratri Bonaventuræ Miniſtro Generali Ordinis Minorum.

Ejus ſollicitudo circa pacem ſervandam.

§. I. Inter perſonas ſub ſanctæ religionis obſervantia divinis mancipatas obſequiis ſervare cupimus unitatem & pacem, ſollicitum ſtudium & operam impendentes, ut unitæ vinculo ſolidæ caritatis, liberius virtutum Domino famulentur. Cum itaque Fratrum Minorum olim tibi fili Cardinalis, & poſtmodum ſancti Damiani Ordinem venerabili fratri noſtro Stephano Epiſcopo Prænestino duxerimus committendum, ac nonnulli ex eiſdem Fratribus a Monaſteriis ejuſdem ſancti Damiani Ordinis, in quibus Eccleſiaſtica Sacramenta inibi degentibus miniſtrabant: poſt hujuſmodi conceſſionem factam dicto Epiſcopo, prout accepimus ſunt amoti, & ipſorum Monaſteria, quæ ſine cohabitatione, aliquibus exhibentur Monaſteriis memorati Ordinis, eiſdem Monaſteriis ſint ſubtracti. Propter quod, necnon ex quarumdam litterarum circa hoc dicto Epiſcopo conceſſarum occaſione, quæ ut dicebas, in manifeſtum, tu fili Cardinalis Ordinis eorumdem Fratrum tibi commiſſi, poterat præjudicium redundare; ac etiam quia quædam proponebantur pro ſancti Damiani Ordine ſupradicto, quæ libertati prædicti Ordinis Fratrum, ut ex ipſorum Fratrum parte aſſeritur, derogabant, turbationis & quæſtionis materia eſt orta.

Fratres a Monaſteriis amoti.

§. II. Nos circa ſalubrem utriuſque Ordinis ſtatum paterna ſollicitudine vigilantes, quamdam ordinationem, proviſionem, decretum, ſtatutum, de Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu fecimus, prout inferius continetur. Volentes itaque concordiæ utriuſque Ordinis diligenter intendere, ac ſaluti animarum dicti Ordinis ſancti Damiani miſericorditer providere, diſcretionem tuam fili Generalis Miniſter, rogamus & hortamur attente, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus uſque ad generale Capitulum tui Ordinis proximum celebrandum, aliquos de Fratribus tuis facias in Monaſteriis morari, in quibus tempore dictæ commiſſionis factæ dicto Epiſcopo, morabantur: & illos qui adhuc morantur in ipſis Monaſteriis uſque tunc dimittas ibidem, vel alios loco ipſo-

Proviſionale decretum.

ipſorum ſubſtitui facias, prout videris expedire: aliquos vero facias deputare ad miniſtrandum præfatis perſonis hujuſmodi Eccleſiaſtica ſacramenta, quibus ejuſdem Ordinis Fratres illa ſine cohabitatione, memoratæ commiſſionis tempore miniſtrabant, ita tu &c.

§. III. Nos autem de Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ordinamus, definimus, ac decernimus, ſtatuentes, quod ſi uſque ad Capitulum generale, vel ipſo Capitulo concordia ſuper miniſteriis hujus a Fratribus impendendis de communi aſſenſu partium non provenerit inter Ordines ſupradictos, ex tunc Ordo Fratrum Minorum, & ipſi Fratres, ſi voluerint ipſum Capitulum generale, eo ipſo quod hoc voluerit, ſeu ſuper hoc expreſſerit voluntatem a prædictis cohabitatione, viſitatione, miniſterio, omnique onere alio, quoad prædicta Monaſteria, & perſonas degentes in eis ſint liberi penitus, & immunes; & quod per eadem Monaſteria, vel perſonas ipſorum, vel quoſcumque alios eorum nomine, ſive pro eis prætextu obſequiorum exhibitorum eiſdem, aut litterarum, indulgentiarum vel privilegiorum ipſis Monaſteriis, vel aliis quibuſcumque perſonis ſub quacumque forma a Sede Apoſtolica conceſſorum, ſive ex quocumque alio jure, vel cauſa, niſi a ſupradicto Fratrum Ordine pati poſſit. Cum quibus ei non ſolum dictus Ordo ſancti Damiani committitur ad exhibendum Monaſteriis & perſonis ejuſdem ſancti Damiani Ordinis miniſteria conſueta, ſed & ipſi Epiſcopo conceditur, quod ad hoc poſſit compellere per cenſuram Eccleſiaſticam dictos Fratres, nos eiſdem litteris, quoad juriſdictionem & poteſtatem ſibi conceſſam in Monaſteria prædicta, & perſonas ipſorum in ſuo robore duraturis, ipſas quoad alia quæ dictos Fratres Minores, & eorum Ordinem quoquomodo contingunt, de voluntate dicti Epiſcopi revocamus, carere decernimus omni robore firmitatis, etiam ſi de iis litteris plenam & expreſſam de verbo ad verbum fieri oporteret in præſentibus mentionem.

Nulli ergo noſtræ ordinationis, definitionis, proviſionis, decreti, ſtatuti &c. Datum apud Montem Flaſconem XIV. Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno III.

Anno Christi 1264. Urbani IV. anno 3. & 4.

X.

Præſcribit regulam & nomenclaturam univerſis Clariſſis. Specul. Min. & Firmam. 3. Ord. in fine.

Joannes miſeratione divina ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, dilectis in Chriſto filiabus univerſis Abbatiſſis & Sororibus incluſis Ordinis ſanctæ Claræ, ſalutem in Domino.

§. I. Attendentes de facili provenire non poſſe, quod regula vobis nuper a ſanctiſſimo Patre ac Domino ſummo Pontifice tradita, ſub ejuſdem Domini bulla in ſingulis Provinciis vel Monaſteriis veſtri Ordinis haberetur: eamdem regulam, quæ ſub Papali bulla in filo ſerico pendenti, bullata de mandato noſtro diverſis ſervatur in locis, tranſcribi prout inferius continetur, de verbo ad verbum, nihil mutato, diminuto, ſeu addito (quibuſdam rubricis infra notatis dumtaxat exceptis) fecimus diligenter, & tranſumptum ipſum ab originali cum debita ſollicitudine plene correctum vobis ſub noſtri ſigilli munimine duximus tranſmittendum; ut ad inſtar ejus regulam ipſam conſcribi pro ſingulis veſtris Monaſteriis faciatis. Cujus tenor talis eſt.

§. II. Ur-

§. II. *Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: dilectis in Chriſto filiabus univerſis Abbatiſſis & Soreribus incluſis Ordinis ſanctæ Claræ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Beata Clara virtute clarens & nomine, gratiæ divinæ inſpiratione præventa, & almi Chriſti Confeſſoris beati Franciſci exemplis laudabilibus informata, ac ſalutoribus inſtituta doctrinis, ut ſe mundam Domino conſervaret, mundi hujus contemptis opibus, operibuſque vitatis, religioſe vivere ſapienter elegit, & habitu ſacræ religionis aſſumpto, arctam vitam mandatorum Domini, quæ gradientes in ipſa ducit ad vitam, dilatato corde cucurris. Hanc petram Chriſtus lapidem eſſe voluit in veſtri Ordinis ſtructura primarium. In ipſa evidenter oſtendit, quod in hujus ſtructura ſibi complacuit. Eam ſiquidem ſanctitatis erexit in titulum: ut quæ munditia vitæ claruit, celebritate clareret, ac eumdem veſtrum Ordinem, qui ſanctum & laudabile ſumpſit in ejus perſona principium, ipſius quaſi inſtituentis, ſic ſapienter approbatæ patronæ merita venerabilem, venerandumque probarent. In hoc autem Ordine vos, & alias ipſum profitentes ſub nominum varietate interdum Sorores, quandoque Dominas, plerumque Moniales, nonnumquam pauperes incluſas Ordinis ſancti Damiani contigit hactenus nominari: vobiſque ſub horum & aliorum diverſitate nominum diverſa privilegia, indulgentiæ, & litteræ a Sede Apoſtolica ſunt conceſſa, & tam a felicis recordationis Gregorio Papa prædeceſſore noſtro tunc Oſtienſi Epiſcopo, & veſtri Ordinis curam gerente, quam aliis variæ datæ ſunt regulæ & formæ vivendi, quarum obſervantiis ſe veſtrum aliquæ ſolemniter obligavere. Propter quod, dilectæ in Domino filiæ, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut eumdem veſtrum Ordinem curaremus certi nominis titulo inſignire, voſque ab hujuſmodi obſervantiarum diverſitatibus, & votis ſuper eis emiſſis miſericorditer abſolventes, certam vobis vivendi formam ad tollendum omnem de veſtris conſcientiis ſerupulum largiremur. Nos itaque decens arbitrantes & congruum, ut idem Ordo veſter, qui ut præmittitur, in beata Clara felicia ſuæ inſtitutionis ſumpſit auſpicia, cujuſque, ut firmiter credimus, apud Deum meritis & interceſſione protegitur, & apud homines laudibus attollitur, & favoribus ampliatur, ejus inſignanter, & nomine ipſum de Fratrum noſtrorum conſilio de cetero decrevimus, Ordinem ſanctæ Claræ uniformiter nominandum. Statuentes quod immunitates, libertates, privilegia, indulgentiæ ac litteræ quæcumque vobis, ſeu eidem Ordini a præfata Sede ſub quacumque nominatione conceſſa id robur obtineant firmitatis, & ita per omnia ipſis uti poſſitis, ac ſi de principio ſub hujus nominis titulo, ſub hac nominatione fuiſſent. Ut autem bene & jucunde habitetis in unum, nec ſub prædictarum obſervantiorum differentia a modo vivendi videamini indifferentes, ſed ambuletis in domo Domini cum conſenſu. Nos igitur inſpectis omnibus regulis prædictis & formis, ac ſpecialiter illam, quòm præfatus prædeceſſor tunc Oſtienſis Epiſcopus vobis dediſſe cognoſcitur, diligentius attendentes, regulam ſive formam vivendi præſentibus annotatam vobis & iis, quæ vobis ſucceſſerint, de eorumdem Fratrum conſilio præſentium tenore concedimus, & etiam confirmamus in ſingulis Monaſteriis veſtri Ordinis perpetuis temporibus obſervandam illas ex vobis, quæ ipſam regulam ſive formam per nos vobis conceſſam & confirmatam profeſſæ fuerint, ab omnibus aliis regulis, formis & votis præmiſſis, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes. Quæ regula talis eſt.* In nomine Domini. Incipit Regula Sororum ſanctæ Claræ. Omnes quæ ſeculi vanitate relicta Religionem veſtram aſſumere voluerint &c. *Ut habetur in Speculo Minorum, & in Firmam. trium Ord. in fine: & omnia habentur*
Reg. Tom. 3. fol. 482. *ſub iiſdem verbis tradita ab Innoc. IV. bulla 63. in regeſto tertii tomi, uſque ad*

Google

ad rubricam 21. excluſive; necnon præcipua ex his habentur in regula præſcripta Monaſterio Humilitatis, quæ eſt bulla 7. hujus Pontificis Urbani.

Datum apud Urbem veterem Nonis Maii, Pontif. noſtri anno III.

XI.

Inſtitutio Monaſterii Clariſſarum Lucemburgen. Reg. Vatic. epiſt. 755.

Miniſtro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum adminiſtrationis Coloniæ.

§. I. Pia vota perſonarum humilium, quæ laudibus divini nominis ferventer invigilant, & virtutum cultui ſine intermiſſione deſudant, aure benigna ſuſcipere, ac promptis delectamur affectibus adimplere. Sane petitio dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Pœnitentium loci ſancti Spiritus de Lucemburgo Treveren. diœceſis nobis exhibita continebat, quod ipſæ olim in loco ipſo, abſque ſuperioris auctoritate ex ſimplicitate ac religionis fervore, ſanctæ Claræ Ordinem, ſancti Damiani tunc temporis nuncupatum, aſſumentes, quamdam Monialem de Monaſterio ſanctæ Claræ Meten. ejuſdem Ordinis in Abbatiſſam ſibi præficere ſtuduerunt. Poſtmodum autem dictæ Sorores, nulla de his habita mentione, noſtras ad dilectum filium Miniſtrum Provincialem tui Ordinis in Regno Franciæ litteras impetrarunt, inter alia continentes, ut ipſe dictis Sororibus cum requireretur ab eis regulam ſancti Damiani de conſenſu Diœceſani loci, abſque juris præjudicio alicujus, auctoritate noſtra ſi expedire videret, concedi procuraret, ſed nullus ex bujuſmodi litteris, prout aſſeritur, ex eo habitus eſt proceſſus, quod eædem non fuerunt litteræ præſentatæ.

§. II. Quare prætactæ Sorores ad nos recurſum habentes, nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere ipſis in hac parte ſalubriter curaremus. Nos itaque ipſas, intuitu devotionis earum, ac etiam obtentu dilecti filii nobilis viri Comitis Lucemburgen. qui nobis eas per affectuoſas litteras commendavit, paterno proſequentes affectu, diſcretioni tuæ præſentium auctoritate committimus, quatenus ſi dictæ Sorores ſub clauſura conſiſtunt, & facultates habent, de quibus poſſint commode ſuſtentari, conſideratis diligenter circumſtantiis univerſis, quæ circa locum & Sorores præfatas, ac etiam regulam nuper a nobis eidem Ordini traditam, fuerint attendendæ, aliquorum diſcretorum Fratrum tui Ordinis ſuper hoc requiſito conſilio, præfatas Sorores Ordinis ſanctæ Claræ prætactæ auctoritate noſtra per te, vel per alium incorporare procures, ſine alterius juris præjudicio, ſi videris expedire.

Datum apud Urbem veterem XII. Kal. Julii, Pontif. noſtri anno III.

XII.

Præſcribit eis regulam. Reg. Vatic. fol. 329.

Abbatiſſæ & Conventui Sororum Minorum incluſarum Monaſterii beatæ Catarinæ juxta Pruvinum Senen. Diœc.

Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Navarræ illuſtris precibus inclinati, regulam & vitæ formulam, quam fel. rec. Alexander Papa prædeceſſor noſter, ad preces cariſſimi in Chriſto filii noſtri Franciæ Regis illuſtris, Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii Humilitatis beatæ Mariæ

riæ Pariſien. diœc. perpetuis obſervandam temporibus, & regulam Sororum incluſarum nuncupandam conceſſit, quamque nos poſtmodum ad ipſius Regis Franciæ precum inſtantiam in aliquibus capitulis per dilectum filium noſtrum S. tit. ſanctæ Ceciliæ presbyterum Cardinalem corrigi facientes, Sororum Minorum incluſarum regulam ſtatuimus nuncupandam, nobis juxta correctionem & nuncupationem hujuſmodi, perpetuo in veſtro Monaſterio conceſſimus obſervandam. Quia vero dilectus filius noſter I. ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis regulam ſeu formulam Sororum Ordinis ſancti Damiani, cujus curam ſibi commiſimus, in aliquibus de mandato noſtro correxit, & a perſonis ipſius Ordinis obſervari mandavit: Nos attendentes quod eædem vivendi formulæ in ſubſtantialibus parum differre noſcuntur, veſtris precibus annuentes, devotioni veſtræ aſſumendi & ſervandi perpetuo illam ex prædictis formulis, quæ magis ſecundum Deum concordaverit, votis veſtris plenam & liberam auctoritate Apoſtolica concedimus facultatem.

Datum apud Urbem veterem, x. Kal. Julii anno III.

XIII.

Ut poſſint intereſſe divinis tempore interdicti. Reg. Vatic. epiſt. 776.

Miniſtro & Fratribus, ac Sororibus de Pœnitentia conjugatorum caſtri ſancti Geminiani Wulteran. Diœc.

Pium arbitrantes & congruum, ut in iis prompti ſimus ad gratiam, quæ profectum reſpiciant animarum, illa vobis affectione paterna concedimus, quæ fructum ſalutis æternæ productura ſperamus. Hinc eſt quod nos veſtris devotis ſupplicationibus annuentes, vobis auctoritate Apoſtolica indulgemus, ut non obſtante interdicto, cui terras Tuſciæ adhærentes Manfredo quondam Principi Tarentin. duximus ſupponendas, divina in Eccleſia veſtra parochiali, ſi in ea forte ab ipſius Canonicis ſeu Capellanis ex indulto Apoſtolico celebrantur, alioquin ab aliquo alio religioſo Presbytero in eadem Eccleſia ſimul & diviſim audire poſſitis, & Eccleſiaſtica recipere ſacramenta, dummodo divina ipſa, clauſis januis, non pulſatis campanis, excommunicatis quoque & interdictis, & omnibus aliis excluſis, voceque oppreſſa celebrentur ibidem, ac vos & hujuſmodi Presbyter cauſam non dederitis interdicti, nec id vobis & ei contingat ſpecialiter interdici. Præſentibus poſt triennium minime valituris.

Nulli ergo conceſſionis &c. Datum apud Urbem veterem III. Non. Julii, anno III.

CLE-

CLEMENS IV.

Electus eſt anno MCCLXV. *Nonis Februarii.*

ANNO CHRISTI 1265. CLEMENTIS IV. ANNO 1.

BULLA I.

Declarat eos poſſe ſuccedere in hæreditatibus. Specul. Min. tract. 2. Roderic. bulla 2. *ſed omiſſis Minoribus*.

*Dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum *, necnon Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum.*

* *Perperam Nomen Miniſtri Generalis Ordinis Minorum additum, ut etiam folio 55. hujus Voluminis ad ann. 1265. in margine notavimus.*

OBtentu divini nominis, cujus cultui ſub ſacræ veſtræ Religionis obſervantia ſtudetis mente devotiſſima deſervire; votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras in his, quæ digne depoſcitis, favorabiliter exaudimus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod nonnulli Prælati, Clerici, & laici in diverſis mundi partibus conſtituti, aſſerentes vos mundo fore mortuos, nec valentes proprium poſſidere, vos occaſione hujuſmodi a quibuslibet ſucceſſionibus excludere moliuntur. Quare pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut ne contingat, vos propter hujuſmodi præſumptionem talium aliquod incurrere nocumentum, congruum remedium adbibere paterna diligentia curaremus. Nos itaque veſtris petitionibus benignius attendentes, auctoritate Apoſtolica declaramus, quod vos in temporalibus bonis, in quibus ſuccederetis in ſeculo exiſtentes, licite poſſitis ſuccedere, & bonorum ipſorum poſſeſſiones apprehendere, ac vendere libere, bona ipſa eorumque prætium in utilitatem veſtram convertere, prout vobis melius videbitur expedire. Univerſas autem interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, quas contra præſentis declarationis tenorem per quemcumque fieri contigerit, decernimus irritas & inanes.

Nulli ergo noſtræ declarationis ac conſtitutionis &c. Datum Peruſii II. Idus Febr. Pontif. noſtri anno 1.

II.

Ut abſolvatur a regimine Eccleſiæ Roſſenſis. Reg. Vatic. epiſt. 25.

Archiepiſcopo Caſsellenſi.

EX parte Venerabilis fratris noſtri Mauritii Roſſen. ſuffraganei tui fuit propoſitum coram nobis, quod ipſe ante promotionem ſuam votum emiſit, quod Ordinem Fratrum Minorum intraret, & tamdem factus voti tranſgreſſor, ad Roſſen. Eccleſiam eſt promotus, occaſione quoque promotionis ipſius grave ſcandalum eſt exortum, ex quo jam plura homicidia provenerunt. Idem etiam Epiſcopus, propter defectum ſcientiæ, ac debilitationem proprii corporis, eſt inhabilis ad Roſſen. Eccleſiam gubernandam, propter quod dictus Epiſcopus tam animæ ſuæ ſaluti, quam indemnitati ejuſdem Eccleſiæ providere intendens, ne forte occaſione ipſius dicta Eccleſia in ſpiritualibus & temporalibus incurrat aliquod detrimentum, affectat cedere regimini Eccleſiæ ſupradictæ. Quare

re nobis humiliter ſupplicavit, ut ceſſionem ejus quantum ad regimen hujuſmodi, & non quoad dignitatem Epiſcopalem recipi mandaremus. Quia vero de his habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, hujuſmodi ceſſionem a prædicto Epiſcopo recipias vice noſtra, & a vinculo quo tenetur aſtrictus ipſi Eccleſiæ, abſolvas eumdem.

Datum Peruſii vii. Kal. Maii, anno 1.

III.

Liberat eum a cura Eccleſiæ Rapotenſis. Reg. Vatic. epiſt. 27.

Fratri Joanni de Alneta Ordinis Minorum, in Hibernia commoranti.

Rapoten. Eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, felicis recordationis Urbanus Papa prædeceſſor noſter te de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis præfecit eidem Eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem, injungens tibi per ſuas litteras, ut recipiens impoſitum a Domino tibi onus, ad Eccleſiam prætactam accederes, gregem Dominicum in illa tibi commiſſum doctrina verbi & operis informando. Verum tu, antequam ad te hujuſmodi litteræ pervenirent, infirmitatem incurabilem diceris incurriſſe, per quam inhabilis & inutilis redderis ad exequendum officium paſtorale, ſicque non conſentiens proviſioni hujuſmodi de te factæ, nobis humiliter ſupplicaſti, ut ne prædicta Eccleſia ſub umbra tua in ſpiritualibus & temporalibus incurreret aliqua detrimenta, te a proviſione & mandato hujuſmodi abſolvere, de benignitate Sedis Apoſtolicæ, dignaremur. Quia vero de hujuſmodi infirmitate nobis per fide dignos conſtitit, te ab hujuſmodi vinculo auctoritate præſentium duximus abſolvendum, nobis proviſionem præfatæ Eccleſiæ reſervando.

Datum Peruſii iv. Kal. Maii anno 1.

IV.

Ut concedat Fratribus partem prati contigui. Reg. Vatic. epiſt. 32.

Epiſcopo Anitien.

Spiritu beatæ conſiderationis inducitur, & gratum Deo ſacrificium immolat, qui caritatis intendens operibus, perſonas inopiam patientes, & maxime religioſas caritative proſequitur, ac in ſuis neceſſitatibus manum pietatis extendit, ut per hujuſmodi laudanda commercia impendens temporalia, conſequatur æterna. Cum itaque, ſicut ex parte dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum Minorum Anitien. fuerit propoſitum coram nobis, aliqua pars prati tui ex eo latere, quo eſt ipſorum domui contiguum, ſit eis neceſſaria plurimum ad arctæ habitationis anguſtias, quas per ejuſdem domus arctitudinem ſuſtinent relevandas, fraternitatem tuam rogamus, & hortamur attente, mandantes quatenus certam portionem de dicto prato ex præfato latere, quæ in longitudinem decem, in latitudinem vero quinque brachiorum ſpatium non excedant, eiſdem Guardiano & Fratribus pro divina, ac Apoſtolicæ Sedis reverentia concedas liberaliter & aſſignes. Non obſtante juramento quod præſtitiſſe dignoſceris, de non alienandis poſſeſſionibus ad menſam tuam ſpectantibus, Romano Pontifice inconſulto.

Datum Peruſii v. Nonas Maii anno 1.

V. De-

Digitized by Google

V.

Declarat poſſe Minores ex licentia Sedis Apoſtolicæ, & Legatorum ejuſdem, prædicare, confeſſiones audire &c. Specul. Min. tract. 2. Roder. bul. 10.

Generali Miniſtro & Fratribus univerſis Ordinis Minorum.

§. I. Quidam temere ſentientes, & ad ſobrietatem ſapere neſcientes, impudenter præſumunt aſſerere, quod de licentia vel commiſſione, aut conceſſione Romani Pontificis, ſeu Legatorum Apoſtolicæ Sedis, vel Ordinariorum locorum, vos ſine ſacerdotum parochialium licentia & aſſenſu, non poteratis libere prædicare populis, audire confeſſiones, abſolvere confitentes, ac pœnitentias injungere ſalutares.

§. II. Nos igitur volentes aſſertionem tam temerariam penitus confutare, ac elucidare in talibus veritatem, deliberatione provida declaramus, quod ſi vobis detur licentia, committatur, ſeu concedatur a Legatis prædictæ Sedis, aut Ordinariis locorum (nedum a Romano Pontifice, de quo procul dubio eſſet erroneum dubitare, an in omnes ſine alicujus conſenſu, imo invitis quibuslibet, hujuſmodi poſſit concedere poteſtatem) populis Legatis, & Ordinariis ſubjectis eiſdem libere prædicare poteſtis, audire confeſſiones, abſolvere vobis confitentes, ac pœnitentias vobis confitentibus injungere ſalutares, aliorum inferiorum Prælatorum & Rectorum Eccleſiarum, ac Sacerdotum parochialium aſſenſu nullatenus requiſito, illis caſibus exceptis, qui de jure, conſuetudine, ſeu retentione ab eis ſpecialiter facta Sedi, Legatis ordinariis prædictis ſpecialiter relinquantur, ad quos non licet vos manus extendere, niſi vobis ſpecialiter committatur. Ideoque auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibemus, ne quiſquam ſuper his, vel eorum aliquo vos vel aliquem veſtrum, aut etiam confitentes vobis, vel ad prædicationes veſtras forſitan accedentes contra præmiſſæ declarationis formam aliquatenus moleſtare præſumant. Decernentes nihilominus irritum & inane quidquid a quoquam contra declarationem & inhibitionem hujuſmodi contigerit attentari.

Nulli ergo &c. Datum Peruſii XII. Kal. Julii Pontificatus noſtri anno I.

VI.

Excommunicantur qui violenter ſe gerunt in Eccleſiis Minorum. Spec. Min. tract. 2.

Dilectis filiis Generali & univerſis Miniſtris Guardianis & Fratribus de Ordine Fratrum Minorum.

IN quibuſdam locis aliquando illas, prout accepimus, perſecutiones & anguſtias ſuſtinetis, ut vix ſit vobis poſſibile quod ibidem Conditori omnium valeatis, prout cupitis, devotum impendere famulatum: Hinc eſt quod nos veſtræ providere quieti, & malignorum malitiis obviare volentes, ut nullus de cetero Eccleſias, aut loca veſtra auſu temerario præſumat infringere, aut in illis violentiam damnabilem exercere, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus: illi vero qui divini nominis poſtpoſito timore, ſecus facere præſumpſerint, ipſo facto ſententiam ex-

communicationis incurrant, a qua non poſſint abſolvi, niſi per Sedem Apoſtolicam, vel per conſervatores ab eadem vobis aut eidem Ordini deputatos.

Nulli ergo noſtræ inhibitionis &c. Datum Peruſii III. Kal. Julii Pontif. noſtri anno I.

VII.

Confirmat Syndicos & Procuratores Fratrum Provinciæ ſancti Franciſci. Reg. noſtrum vetus fol. 61.

Dilectis filiis Barcilioni Petri Bentevenne Tronalveri, & Orlandino Bonaventuræ Peruſinis.

Cum dilecti filii Fratres Minores ex profeſſionis ſuæ voto adeo ſe ſubmiſerint paupertati, ut nec diviſim, nec communiter aliquid proprii valeant obtinere, ſed omnia, quæ ipſis in eleemoſynam erogantur, ſeu alias eorum contemplatione proveniunt dominio & proprietati Eccleſiæ Romanæ ex ipſorum Ordinis inſtitutis accreſcant, ac per hoc ad nos procuratorem inſtituere in bonis hujuſmodi pertinere noſcatur. Nos de fide veſtra & circumſpectionis ſollicitudine plenam fiduciam obtinentes, vos & unumquemque veſtrum inſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, in omnibus bonis mobilibus & immobilibus, ac ſeſe moventibus Romanæ Eccleſiæ dilectorum filiorum Fratrum Minorum Provinciæ ſancti Franciſci contemplatione collatis, & impoſterum conſerendis, & omnibus quæ ipſi Romanæ Eccleſiæ ipſorum intuitu ex inſtitutis dicti Ordinis provenerunt & provenient in futurum, procuratores, negotiorum geſtores, ſyndicos conſtituimus & actores, dantes vobis & unicuique veſtrum inſolidum adminiſtrandi, dandi, donandi, agendi, deferendi in judicio Eccleſiaſtico & ſeculari, coram Ordinariis & delegatis judicibus, arbitris, arbitratoribus, & defendendorum Dominis, tranſeundi quoque, in cauſis omnibus paciſcendi, & jurandi de calumnia in lite, & de veritate dicenda, & jusjurandum etiam defendendi; repetendi autem & recipiendi quæcumque bona ipſorum contemplatione provenientia, quæ applicata, vel deputata eorum uſibus quocumque modo illicito detenta, vel occupanda ſunt hactenus, & in poſterum occupari, vel detineri contigerit, ac omnia faciendi, quæ in judicio requiruntur: procuratores præterea unum vel plures ad ſupradicta omnia conſtituendi, ad inſinuationem Miniſtri, Cuſtodum, Guardianorum * Conventualium dictæ Provinciæ, ſeu ipſorum Vicariorum, ſeu alterius eorumdem plenam auctoritate præſentium concedimus facultatem, ita tamen quod de prædictis, aut circa prædicta in judicio, vel extra vos vel aliquis veſtrum, ſeu a vobis procuratores dati nihil penitus peragatis, niſi prædictorum Miniſtri Cuſtodum, Guardiani Conventualium dictæ Provinciæ, ſeu ipſorum Vicariorum, ſeu alterius eorumdem requiſito conſilio, & obtento conſenſu: decernimus ergo ut ea, quæ per vos & veſtrum alterum, necnon conſtitutos a vobis proinde facta fuerint in prædictis plenam obtineant firmitatem.

Hic notandum, per *bona immobilia* ſolum domos, & hortos Cōventibus cōtiguos, atque ad eos pertinentes intelligendos eſſe.

* Quomodo intelligenda *Conventualium* nomenclatio Lector perpende.

Datum Peruſii VIII. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno I.

VIII.

VIII.

Largitur Indulgentias in pluribus diebus pro Eccleſiis totius Ordinis. Specul. Min. tract. 2. Roderic. bulla XIV.

Dilectis filiis Generali, ac Provincialibus Miniſtris, & univerſis Fratribus Ordinis Minorum.

Loca Sanctorum omnium pia & prompta devotione ſunt a Chriſti fidelibus veneranda, ut dum Dei honoramus amicos, ipſi nos amabiles Deo reddant, & illorum nobis vendicantes quodammodo patrocinium apud ipſum, quod merita noſtra non obtinent, eorum mereamur interceſſionibus obtinere. Cupientes igitur, ut Eccleſiæ locorum veſtrorum congruis honoribus frequententur, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſias ipſas in dedicationibus ipſarum, ac anniverſario dedicationum earum die, ac uſque ad octo dies ſequentes; necnon in beatæ Mariæ Virginis, ſanctorum Franciſci, Antonii, & Claræ, ac etiam aliorum Sanctorum, in quorum honore altaria majora in Eccleſiis ipſis ſunt conſtructa feſtivitatibus, cauſa devotionis venerabiliter viſitaverint, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, centum dies de injunctis ſibi pœnitentiis annis ſingulis miſericorditer relaxamus.

Datum Peruſii v. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno 1.

IX.

Ne Legati vel Subdelegati, niſi a latere, poſſint ſententias cenſurarum ferre in Minores. Specul. Min. tract. 2. Roderic. bulla IX.

Miniſtro Generali, & Fratribus Ordinis Minorum.

Exigentibus veſtræ devotionis meritis, votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras quantum cum Deo poſſumus favorabiliter exaudimus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod nonnulli Apoſtolicæ Sedis Legati & delegati, eorumque ſubdelegati, auctoritate litterarum Sedis ejuſdem, in quibus de Ordine veſtro ſpecialis mentio non habetur, in aliquos veſtrum, vel loca veſtra excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias fulminare præſumunt, & faciunt ab aliis fulminari, ac mandant eos excommunicatos publice nunciari, & tamquam excommunicatos ab omnibus arctius evitari, in veſtrum non modicum præjudicium, & ſcandalum plurimorum. Volentes igitur paci, & tranquillitati veſtræ paterna ſollicitudine præcavere, veſtris ſupplicationibus inclinati, ne ab aliquo Legato niſi de latere Apoſtolicæ Sedis miſſo, vel delegato, aut ſubdelegato auctoritate litterarum Sedis prædictæ excommunicari, ſuſpendi, vel interdici poſſitis, niſi litteræ ipſæ plenam & expreſſam de Ordine veſtro, & indulto hujuſmodi fecerint mentionem, auctoritate vobis præſentium indulgemus ac decernimus: nihilominus omnes ſententias irritas, & inanes, ac nullius exiſtere firmitatis, quas contra tenorem præſentis indulti, per quemcumque de cetero contigerit promulgari.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis, & conſtitutionis &c. Datum Peruſii XVII. Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno 1.

X. *Ju-*

X.

Jubet Benedictinos Nurſiæ, ut Minores benigne recipiant. Reg. Vatic. inter extravag. epiſtolas num. 100.

Abbati Monaſterii ſancti Benedicti de . . . . . . & Fratribus ejus.

DIlectos filios Fratres Minores, quos trahebat devotio ad locum ſibi in Nurſia obtinendum, de quo vitæ vir venerabilis, gratia Benedictus & nomine, prout legitur, traxit originem, non ex hoc vobis reputare debetis infeſtos, cum id ſine veſtra vellent injuria, nec erat inde ſimile, quod qui pro Deo reliquerant voluntarie propria, contra Deum appeterent aliena. Quocirca vobis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſub noſtra protectione ſecuri eos ſollicitæ caritatis dulcedine proſequentes diligatis, & honoretis eoſdem, nec ab eis quidquam timeatis adverſi, qui ſuæ contenti funiculis paupertatis, nec locum illum, nec alium ſibi vendicare proponunt in juris præjudicium alieni.

Datum Peruſii III. Kal. Novembris, anno I.

XI.

Concedit Clariſſis ne teneantur ſolvere ſubſidia, vel procurationes aliquas quibuſcumque perſonis. Specul. Min. tract. I. fol. 12.

Univerſis Abbatiſſis, & Conventibus Sororum incluſarum Monaſteriorum Ordinis ſanctæ Claræ.

QUanto ſtudioſius devota mente, ac humili divinæ contemplationis vacatis obſequiis, tanto libentius veſtræ pacis procuramus, & commodum, & quietem. Attendentes igitur quod licet quam plura Monaſteria veſtri Ordinis varias poſſeſſiones obtineant, idem tamen Ordo in paupertate fundatur, voſque voluntarie pauperes Chriſto pauperi deſervitis, veſtris ſupplicationibus inclinati, ut vos ſeu veſtrum aliquam ad exhibendum procurationes aliquas Legatis, vel Nuntiis Apoſtolicæ Sedis &c. ut habetur in bulla x. Alexandri IV.

Regeſt. tom. 3. fol. 528.

Datum Peruſii XII. Kal. Decemb. Pontificatus noſtri anno I.

XII.

Prohibet fundari Monaſteria Mendicantium infra ſpatium ter centum cannarum, ubi præextiterit Monaſterium Minorum. Specul. Min. tract. I. Firmam. 3. Ord. tract. I. 2. part. Roderic. bulla VII.

Dilectis filiis Generali, & Provincialibus Miniſtris, ac univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

Proemium.

§. I. AD conſequendam gloriam cœleſtis patriæ ſic divina pietas humilitatem veſtram, per ſuam gratiam cernitur allexiſſe, quod ſemper ad hoc intenti eſtis & vigiles, ut illam vobis & proximis, per innocentis vitæ ſtudium acquiratis: hæc enim & alia ſancta pauperrimæ religionis veſtræ merita nos inducunt, quod ſumus ex intimo cordis affectu ſolliciti, ut in omnibus, quæ ad Dei laudem & tranquillum ſtatum devotionis veſtræ cupitis, habeamus providentiæ ſtudium efficacis.

§. II. Sa-

§. II. Sane,non ſine quadam perturbatione animi,frequenter audivimus, quod inter vos & religioſos aliquos illa de cauſa æmulationis & diſſenſionis materia oriretur, quod ipſi domos & Eccleſias regulares, juxta loca veſtra,non ſine veſtro gravi præjudicio,& diſpendio manifeſto, quandoque conſtruere præſumebant. Cum itaque ad Apoſtolici ſpectet officii dignitatem de regno militantis Eccleſiæ cujuslibet ſcandali materiam abolere; nos digne volentes quod hujuſmodi æmulationis & diſſenſionis occaſio per diligentiæ noſtræ ſtudium amputetur, auctoritate præſentium ordinamus, & diſtricte inhibemus, quod nulli liceat amodo de prædicatorum pœnitentiæ Jeſu Chriſti, beatæ Mariæ de monte Carmeli, Eremitarum ſancti Auguſtini, ſanctæ Claræ, aliiſque Ordinibus in paupertate fundatis, nullique mulierum de prædictis, ſeu quibuſcumque aliis Ordinibus aliquod Monaſterium, Eccleſiam vel Oratorium ædificare, ſeu conſtruere; nulli quoque ſeculari, vel religioſo cujuſcumque profeſſionis Eccleſiam, vel Monaſterium, ſeu Oratorium jam ædificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis infra ſpatium ccc. cannarum a veſtris Eccleſiis menſurandarum, per aerem etiam ubi alias recte menſurari loci diſpoſitio non permittit. *Regulares, qui non debent vicinas domos conſtruere.*

§. III. Præterea ſtatuimus, ut quidquid contra hujuſmodi ordinationis & inhibitionis noſtræ tenorem ex nunc in antea ædificatum fuerit, diruatur. Et ne de notitia Ordinum & quantitate cannarum hujuſmodi aliqua poſſit dubitatio exoriri, illos Ordines intelligi volumus in paupertate fundatos, qui ex regula vel conſtitutionibus ſuis extra ſepta Eccleſiarum, Monaſteriorum ſuorum, vel officinarum earum, & clauſuram ipſorum nullas debent poſſeſſiones habere. Quod ſi aliquis de Ordinibus ipſius poſſeſſiones in aliquibus membris ſuis habere, in aliis vero non habere noſcatur, eum quo ad ordinationem, inhibitionem & ſtatutum hujuſmodi prædictis Ordinibus in paupertate fundatis annumerari volumus, & quamlibet cannarum ipſarum octo palmarum longitudinem continere, non obſtantibus varia locorum conſuetudine, ſive privilegiis, indulgentiis, ſeu litteris quibuſcumque tam ſupradictis Ordinibus, quam mulieribus, vel eorum alicui ab Apoſtolica Sede ſub quacumque forma conceſſis, ſeu etiam concedendis, quæ de præſentibus ſpecialem & expreſſam non fecerint mentionem. *Quinam Ordines intelligendi in paupertate fundati.* *Et quanta præſcriptæ menſuræ longitudo.*

Nulli ergo noſtræ ordinationis, inhibitionis, & conſtitutionis &c. Si quis &c. Datum Peruſii 11. Kal. Decembr. Pontif. noſtri, anno 1.

Anno Christi 1266. Clementis IV. anno 2.

XIII.

Ut poſt mortem Epiſcoporum ſedibus vacantibus, uti poſſint facultate ab iiſdem accepta. Specul. Min. tract.2. Roderic. bulla IV.

Dilectis filiis Miniſtro Generali, & Fratribus Ordinis Minorum.

Exigentibus veſtræ devotionis &c. *ut ſupra in bulla* IX. *hujus Pontificatus uſque fuit propoſitum* coram nobis quod licet vobis a nonnullis Patriarchis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis audiendi confeſſiones ſubditorum ſuorum, necnon prædicandi & aliqua vota in alia pietatis opera commutandi in ſuis civitatibus & diœceſibus licentia ſit conceſſa; quia tamen, eiſdem Prælatis decedentibus, uti licentia hujuſmodi Eccleſiis ſic vacantibus dubitatis, nobis humiliter ſupplicaſtis, ut

ut providere vobis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Veſtris igitur ſupplicationibus inclinati præſentium vobis auctoritate concedimus, ut in hujuſmodi caſu poſſitis uti tamdiu libere prædicta licentia, donec viduatis Eccleſiis proviſum fuerit de Paſtore.

Nulli ergo noſtræ conceſſionis &c. Si quis &c. Datum Peruſii III. Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno II.

Anno Christi 1267. Clementis IV. anno 3.

XIV.

Concedit Epiſcopus Camerinenſis Fratribus Fabrianenſibus licentiam Conventum ſuum transferendi, & novum ædificandi. Ex monum. Fabrian.

Guido Dei, & Apoſtolica gratia Camerinenſis Epiſcopus, licet indignus. Dilectis in Chriſto ſibi Guardiano, & Fratribus Minoribus de Fabriano, ſalutem in Domino.

JUſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facile præbere conſenſum, & vota, quæ a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequentes complere. Eapropter, dilecti in Chriſto, juſtis veſtris poſtulationibus inclinati, mutationem loci veſtri, quam nuper feciſtis infra circulos Fabriani, ratam habemus & gratam, præcipientes nihilominus quod nullus vos indebite moleſtare debeat, & damus vobis licentiam ædificandi domos, Eccleſiam & Oratorium in territorio, quod ibi habetis ſine juris præjudicio alieni.

Datum apud Campum Rotundum tertia die intrante menſe...... tempore Clementis Papæ IV. x. Indictione.

XV.

Concedit Cardinalis Legatus eamdem facultatem. Ibidem.

Simon miſeratione divina tituli ſancti Martini Presbyter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus Religioſis viris Guardiano & Fratribus Minoribus loci Fabriani Camerinenſis diæceſis, ſalutem in Domino.

EXhibita nobis veſtra petitio continebat, quod vos propter incommoda multa & pericula, quæ imminere poterant perterriti, locum, in quo trahebatis moram univerſaliter dimittentes mutare ſtatuiſtis; propter quod nobis ſupplicaſtis humiliter, ut mutationem ipſam ratam habentes, utendi privilegiis & indulgentiis vobis ab Apoſtolica Sede conceſſis, tam ſuper ædificationem Eccleſiæ, vel Oratorii, quam conſtructionem domorum libere ſine contradictione, & impeditione aliquorum indebita, concederemus vobis licentiam & plenariam facultatem. Nos igitur veſtris precibus annuentes, ac conſiderantes ſuper hoc ſtatum veſtrum in melius reformari, mutationem eamdem, ſicut provide facta eſt, & ratam habentes & gratam, intendi privilegiis & indultis vobis & Ordini veſtro, tam ſuper ædificationem Eccleſiæ, vel Oratorii, quam conſtructionem domorum abſque contradictione, & aliquorum impeditione, ſeu moleſtatione indebita libere vobis tenore præſentium, auctoritate qua fungimur, licentiam damus & concedimus facultatem, omnibus & ſingulis diſtrictius inhibendo, ut vos in his non præſumant in ali-

aliquo moleſtare, & concedendo vobis eamdem auctoritatem utendi prædictis, & faciendi, ut alibi Fratres & Ordo veſter utuntur & faciunt, temerariorum contradictione remota. In cujus rei teſtimonium has litteras fieri fecimus, & noſtro ſigillo muniri.

Datum Piſauri IV. Nonas Febr. Pontificatus Domini Clementis IV. anno II.

XVI.

Jubet ut præficiat Eccleſiæ Iſernienſi fratrem Henricum de ſancto Germano Minoritam. Reg. Vatic. num.6.

Rodulpho Epiſcopo Albanen. Apoſtolicæ Sedis Legato.

EX parte dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Iſernien. fuit propoſitum coram nobis, quod Eccleſia ipſa paſtore vacante, iidem pro futuri ſubſtitutione Pontificis vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt commode intereſſe, ſicut moris eſt, convenientes in unum, in dilectum filium fratrem Henricum de ſancto Germano de Ordine Minorum, quem aſſerunt virum induſtrium, honeſtæ converſationis & vitæ, litteraturæ ſufficientis, & ſollicitudinis circumſpectæ, vota ſua unanimiter & concorditer direxerunt, ſperantes quod per ejus induſtriam eadem Eccleſia Deo, propitio, relevari poſſit a noxiis, & in ſpiritualibus & temporalibus ſpiritualiter gubernari. Quare duxerunt nobis humiliter ſupplicandum, ut eumdem Fratrem regimini ejuſdem Eccleſiæ præficere curaremus. Nos itaque nolentes, quod prædicta Eccleſia prolixioris diſpendia vacationis incurrat, mandamus quatenus, ſi prædicti Capitulum in memoratum Fratrem unanimiter, ſicut aſſerunt, concordarunt, & eum ad ipſius Eccleſiæ regimen idoneum eſſe repereris, ac utilitati ejuſdem Eccleſiæ credideris expedire, ipſum eidem Eccleſiæ auctoritate noſtra in Epiſcopum præficias, & paſtorem, faciens ei a ſubditis ſuis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi, ſibique per aliquos vicinos Epiſcopos communionem, & gratiam Apoſtolicæ Sedis habentes, munus conſecrationis impendi. Alioquin de alia perſona idonea eidem Eccleſiæ de gremio, vel extra gremium ipſius, ſicut de tua voluntate proceſſerit, ſtudeas providere. Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Datum Viterbii XII. Kal. Martii, anno III.

XVII.

Transfertur Sedes Sidonien. ad Gadicen. inſtituiturque Epiſcopus frater Joannes Martini. Reg. Vatic. epiſt. 26.

Concen. & Corduben. Epiſcopis.

§. I. OLim felicis recordationis Urbanus Papa prædeceſſor noſter ad inſtantiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Caſtellæ & Legionis Illuſtris, in Romanorum Regem electi, venerabili Patri noſtro Epiſcopo Abulen. ſuis ſub certa forma dediſſe dicitur litteris in mandatis, ut Sedem Epiſcopalem, quæ fuit antiquitus apud civitatem Sidonam ſitam in regno Iſpalen. quam de novo idem Rex, divina propitiante clementia, de Sarracenorum eripuerat manibus, & ad cultum reduxerat nominis Chriſtiani, ad Inſulam Gadicen. ad locum Galiæ dictæ civitati vi- *Urbani IV. præterita diſpoſitio.*

cinum, videlicet quod Eccleſiam ſanctæ Crucis loci ejuſdem, quam idem Rex intendebat honorifice regia liberalitate dotare, transferre, ac Eccleſiam ipſam in cathedralem erigere, & eumdem locum Civitatem conſtituere, & prædictæ Eccleſiæ perſonam idoneam, dictoque Regi acceptam in Epiſcopum & Paſtorem præficere, poſtquam dictus Rex Eccleſiam ipſam dotaſſet, prout in propoſito dicebatur, gerere procuraret; & quia per litteras ipſas ante præfati prædeceſſoris obitum proceſſum non fuerat, Nos ad petitionem ejuſdem Regis dicto Epiſcopo per noſtras litteras ſub certa forma injunximus, ut præmiſſa executioni debitæ, juxta formam ſibi traditam per prædictas ipſius prædeceſſoris litteras demandaret. Idemque Epiſcopus prætacta diligenter, juxta mandatum Apoſtolicum, ſicut intelleximus, exequutus, dilectum filium fratrem Joannem Martini de Ordine Minorum electum Gadicen. qui dicto Regi, ſuis exigentibus meritis, acceptus eſſe dicitur, præficiens ipſi Eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem.

Jubet Epiſcopo ut ſancita exequatur.

Eligitur Ep. Fr. Martinus.

§. II. Sed venerabilis frater noſter Archiepiſcopus, & dilecti filii Capitulum Hiſpalen. aſſerentes quod ea, quæ ſuper hoc per prætactum Epiſcopum, ut prædicitur, facta fuerant, in eorum redundabant præjudicium & gravamen, propter quod ad Sedem Apoſtolicam appellarunt. Noſque venerabilem fratrem noſtrum Tuſculan. Epiſcopum in præmiſſis, ad inſtantiam Procuratoris dictorum Archiepiſcopi & Capituli, dedimus Auditorem, coram quo prædictus Electus quibuſdam negotiis cum conſtitu tus eſſet, in itinere veniendi ad Sedem Apoſtolicam præpeditus, oequ ivit ad hoc ſtatuto termino comparere, ſicque pro parte præfati Archiepiſcopi, & P. Roderici quondam qui ſe pro Archidiacono Gadicen. gerebat, fuerunt ſuper hoc a nobis diverſæ litteræ ad dilectum filium Magiſtrum ſcholarum Silven. Eccleſiæ impetratæ.

§. III. Sane prænominato Rege per ſuos nuntios ac litteras nobis poſtmodum cum inſtantia ſupplicante, ut prædicto Electo conſecrationis munus impendere curaremus, Procurator dictorum Archiepiſcopi & Capituli propoſuit ex adverſo, quod hujuſmodi negotium prælibato Magiſtro ſcholarum per prædictas noſtras ad eum directas duxeramus litteras committendum, quodque cauſa ipſa in illis durante partibus, non erat dicto Electo apud eamdem Sedem munus hujuſmodi impendendum. Nos itaque nolentes propterea hujuſmodi negotium impediri, ſed cupientes potius ipſum fine ſalubri ac celeri terminari, illud veſtræ circumſpectioni, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, fore providimus committendum.

§. IV. Quocirca mandamus, quatenus partes ad veſtram præſentiam advocantes, infra duorum menſium ſpatium poſt receptionem præſentium, Archiepiſcopum & Capitulum prælibatos ad coaptandum ſe noſtris beneplacitis, & votis Regis ejuſdem circa ipſius Electi promotionem per vos vel per alios efficaciter & fideliter inducere ſtudeatis, & ſi inveneritis eorum in hoc vota concordia, vel ea veſtra ſic poteritis diligentia concordare, quod per hujuſmodi concordiam præfati Archiepiſcopus & Capitulum a ſua contradictione deſiſtant, advocatis duobus Epiſcopis vicinioribus, dicto Electo auctoritate noſtra conſecrationis munus impendi per dictum Archiepiſcopum, juxta morem Eccleſiaſticum faciatis.

Mandat Capitulo reſiſtenti revocare ſententiam,

Electum conſecrare,

§. V. Quod ſi forſitan id infra præſcriptum tempus nequiverit provenire, prædictis litteris ad eumdem Magiſtrum ſcholarum obtentis, & proceſſu per eas habito nequaquam obſtantibus, in prædicto negotio de plano ſine ſtrepitu & figura judicii procedentes, niſi infra unum alium

men-

menſem, prædictos duos menſes immediate ſequentem, vobis conſtiterit per teſtes fide dignos & ſcripturas antiquas prædictam Gadicen. Inſulam infra limites Iſpalen. dioeceſis contineri, vel per conceſſionem Apoſtolicam, ſeu Regiam Hiſpalen. Eccleſiæ ſine præjudicio Sidonen. Eccleſiæ, ad quam ſpectare dicitur de Inſula ipſa factam, aut alias ipſi Eccleſiæ legitime acquiſitam, memorato Electo præſcriptum munus faciatis modo ſimili impertiri, inducentes eumdem in Epiſcopatus ipſius poſſeſſionem, ac mandantes fidelibus loci ejuſdem incolis, quod ipſum recipiant auctoritate noſtra in ſuum Epiſcopum & Paſtorem, ac eidem ut paſtori animarum ſuarum humiliter obediant, & intendant. Eumque induci in Epiſcopatus poſſeſſionem.

§. VI. Quod ſi fortaſſis prædicto modo eamdem Inſulam inveneritis ad Hiſpalen. dioeceſ. ſine Sidonen. præjudicio pertinere, & Archiepiſcopus & Capitulum noluerint a ſua contradictione ceſſare, ne per hoc divini cultus augmentum, & univerſalis Eccleſiæ commodum, quæ idem Rex pie circa præmiſſa deſiderat, impediri contingat. Si dictus Rex Sidonen. Eccleſiam, a qua Sedes Epiſcopalis ad eamdem Inſulam auctoritate noſtra per venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Abulen. prædictum dicitur eſſe translata, dotare voluerit, ſicut fecerat Gadicen. & congruit Eccleſiæ Cathedrali memorato Electo ad titulum Sidonen. Eccleſiæ ſimul cum Malacitan. quæ jam auctoritate Apoſtolica conjunctæ ſunt, ſicut dicitur in unitate, ipſum munus conſecrationis per præfatum Archiepiſcopum ſi voluerit, alioquin illud per vos vel alios, ſine alicujus contradictionis obſtaculo impendere ſtudeatis. Contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtante ſi dictis Archiepiſcopo & Capitulo, ſeu quibuſcumque aliis a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, ſive quavis alia, ſive quavis ipſius Sedis indulgentia, de qua, cujuſque toto tenore oporteat in noſtris litteris de verbo ad verbum plenam & expreſſam mentionem fieri, & per quam id impediri valeat vel differri. Alioquin ex tunc hujuſmodi negotium in eo ſtatu quo fuerit, ejuſque circumſtantias univerſas, & præſertim cauſas, propter quas dictæ partes concordare non poſſint, nobis per veſtras litteras tenorem præſentium continentes ſeriatim & fideliter exponere ſtudeatis, ut exinde per vos ſufficienter inſtructi, poſſimus ſuper hoc adhibere conſilium, quod fuerit opportunum. Quod ſi non ambo &c. Clauſulæ irritantes.

Datum Viterbii VIII. Kal. Junii anno III.

XVIII.

Transfertur a Famaguſtana ad Egitanienſem Eccleſiam. Reg. Vatic. epiſt. 98.

Valaſco Epiſcopo Famaguſtan. in Epiſcopum Egitanien. Electo.

§. I. IN diſpenſatione Miniſtrorum Eccleſiæ Dei nobis credita potiſſimum nos conſiderare expedit tempus, cauſam, perſonam & locum, ſecundum quæ pro emergentibus negotiis nova ſunt conſilia capienda, & prout ipſis neceſſitas, vel cauſæ poſcit utilitas, nunc per aſſumptionem, nunc per translationem providam a Sede Apoſtolica locorum ſollicitudines ſunt impendendæ perſonis, & locis perſonarum miniſteria providenda, ut ex perſonarum induſtria locorum cre-

ſcat utilitas, & ex opportunitate locorum, fructificatio perſonarum.

§. II. Sane Egitanien. Eccleſia per mortem bonæ memoriæ Egitanien. Epiſcopi, qui nuper apud Apoſtolicam Sedem viam extitit univerſæ carnis ingreſſus, paſtoris ſolatio deſtituta, nos de ipſius Eccleſiæ ordinatione ſollicite cogitantes, ac talem illi cupientes præeſſe Pontificem, de quo certam habeamus notitiam, quod ipſum clara meritorum ſuorum inſignia redimerent, nec dubia eſſet ipſius caritas erga plebem ſuo regimini commendandam, & in cujus fide fida recumberet ſecuritas ſubditorum, in te direximus oculos noſtræ mentis, quem nobis & Fratribus noſtris de litterarum ſcientia, morum maturitate, prudentia ſpiritualium, & temporalium providentia, familiaris experientia noſcitur approbaſſe.

§. III. Quapropter de perſona tua volentes eidem Eccleſiæ ſpeciali diligentia providere, ſperando te proviſioni hujuſmodi conſentire, ac Eccleſiam ipſam perpetuæ circumſpectionis induſtriam præſervari a noxiis, & in proſperis ſalubriter augumentari, te de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, a vinculo quo tenebaris Famaguſtanæ Eccleſiæ, cujus laudabiliter præes regimini, abſolventes, ac ad prædictam Egitanien. transferentes Eccleſiam, te ipſi Egitanien. Eccleſiæ in Epiſcopum concedimus & Paſtorem, liberam tibi dantes licentiam ad eamdem Egitanien. Eccleſiam tranſeundi. Volentes ut tunc demum, & in eo caſu dumtaxat hæc omnia robur obtineant firmitatis, cum tu abſolutionem, translationem, & conceſſionem hujuſmodi acceptans, & tuum ipſis præbueris expreſse conſenſum.

§. IV. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, mandantes quatenus præmiſſa omnia provida meditatione conſiderans & acceptans, eis præbeas tuum expreſse conſenſum, & humiliter ſuſcipiens impoſitum a Domino tibi onus, ac ad prædictam Eccleſiam Egitanien. accedens, ejus ſollicitam curam geras, gregem Dominicum in illa tibi commiſſum doctrina verbi & operis informando, ita quod dicta Egitanien. Eccleſia ſub tuæ diligentiæ ſtudio laudabilius, auctore Domino, ſpiritualiter & temporaliter proficiat incrementis. Ceterum ſi acceptaveris ſupradicta, ipſiſque conſenſeris, dilectis filiis Capitulo ipſius Famaguſtan. Eccleſiæ ex parte noſtra diſtrictius inhibere procures, ne ipſi ad electionem, vel nominationem, ſeu poſtulationem Paſtoris eidem Famaguſtan. Eccleſiæ præficiendi quoquo modo procedant. Nos enim ſi te acceptare præmiſſa, eiſque conſentire contigerit, ex tunc ordinationem ipſius Famaguſtan. Eccleſiæ Sedi reſervamus prædictæ, ac irritum & inane decernimus, ſi ſecus ſuper hoc fuerit attentatum. Quidquid autem ſuper his duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum ſeriem continentes ſtudeas celeriter intimare, ut ſuper hoc quod expedire viderimus utiliter diſponamus.

Datum Viterbii xv. Kal. Octobris anno III.

XIX.

XIX.

Apoſtatæ Ordinis excommunicandi, & qui eos apud ſe detinent. Roderic. bulla 15.

Venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, & aliis Eccleſiarum Rectoribus ad quos iſtæ litteræ pervenerint &c.

CUm ſicut ex parte dilectorum filiorum Generalis, & Provincialium Miniſtrorum Ordinis Fratrum Minorum, fuit propoſitum coram nobis, quod nonnullæ perſonæ Eccleſiaſticæ, ſeculares & regulares, Apoſtatas ejuſdem Ordinis, qui poſt profeſſionem in ipſo Ordine factam, ad ſeculum revertuntur, quoſdam videlicet in Religionis habitu, aliquos vero in ſeculari ſecum, aut in ſuis obſequiis, vel Eccleſiis, ſeu Monaſteriis detinere præſumunt in animarum ſuarum diſpendium, in injuriam prædicti Ordinis, & ſcandalum plurimorum. Nos volentes ſuper his paterna ſollicitudine providere, univerſitati veſtræ, ad inſtar fel. rec. Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ſinguli veſtrum cum a Fratribus requiſiti fueritis, omnes illos cujuſcumque conditionis exiſtant, qui hujuſmodi Apoſtatas, poſtquam per Miniſtros, Cuſtodes, ſeu Guardianos prædicti Ordinis, quorum ſunt curæ commiſſi, excommunicati publice fuerint, a ſe non rejecerint, ſed ſcienter eos ſecum, aut in ſuis obſequiis, vel Eccleſiis, vel Monaſteriis retinuerint, vel eis in hoc auxilium præſtiterint vel favorem, cum ipſis communicando taliter in crimine hujuſmodi criminoſos, poſt latam in eos excommunicationis ſententiam, ſimili ſententia involvantur, denuncietis excommunicationis vinculo innodatos. Contradictores &c. uſque *compeſcendo*. Non obſtante ſi a Sede Apoſtolica ſit indultum quod interdici &c. uſque *mentionem*. *Vide ſupra Conſt. 17.*

Datum Viterbii XVIII. Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno III.

XX.

Ut moleſtare deſinant Fratres Minores Cariloci. Reg. Vat. ep. 406. in litteris extrav.

Abbati, & Conventui Monaſterii....

ORta dudum inter vos, & dilectos filios Priorem & Conventum Cariloci ex parte una, & dilectos filios Miniſtrum, & Fratres Minores Burgundiæ ex altera, occaſione domus cujuſdam, quam in villa Cariloci acquiſiverant, in qua ſibi manſionem elegerant pro ſalute fidelium, quibus inibi poſſe multum proficere ſe credebant, vobis & dictis Monachis Cariloci verbis & factis ſimiliter opponentibus vos eiſdem, gravis materia quæſtionis, pro hujuſmodi tollenda diſcordia olim multa a felicis recordationis Alexandro, & Urbano Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, diverſa, & ſub diverſis formis noſcuntur emanaſſe reſcripta. Sed & cariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Rex Francorum Illuſtris, & plures alii magni viri plurimum laborarunt. Nos inſuper, cum minori fungeremur officio, ad hoc dedimus opem & operam, quas potuimus, ſed pax haſtenus nulla potuit inveniri. Sane nuper dilecto filio

filio N. & ..... Fratrum Minorum Burgundiæ Procuratoribus in noſtra præſentia conſtitutis, ſuſtinere noluimus inter eos ordinari judicium, ſed ex noſtro dumtaxat officio indulgentias, & reſcripta, quibus poterant ſe juvare, nobis fecimus exhiberi, quibus diligenter inſpectis quamvis magnum favorem exprimerent, quem ad Fratrum Minorum Ordinem Apoſtolica Sedes habuit, cujus judicio ſpecialiter regitur totus Ordo, nos nihilominus advertentes, quod & vos eſtis Romanæ Eccleſiæ filii ſpeciales, procedendum non duximus ad contentionem hujuſmodi finaliter dirimendam, ſed volumus quod ſuperſedeant dicti Fratres a prædicti profecutione negotii, donec aliud nobis placuerit ordinare. Cum igitur iidem Fratres noſtris per omnia beneplacitis æquanimiter ſe coaptent, devotioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus & vos, & eos de caritatis viſceribus affluentes, deliberetis vobiſcum quid magis vobis deceat, quid & magis vobis expediat, an benevole Fratres admittere certis pactis adhibitis, an Sedis Apoſtolicæ præſtolari cenſuram, quæ peculiari gregi ſuo compatiens multo forſan tempore ſuſtinere non poterit ſuorum ſcandala puſillorum.

Datum Viterbii II. Idus Decembris anno III.

Anno Christi 1268. Clementis IV. anno 4.

XXI.

Ne recipiant Ordini Min. adſtrictos. Arch. Aræcœlit. num. 18.

Dilectis filiis .... Magiſtro. & Fratribus Ordinis Prædicatorum.

Quo vos in Chriſto ſinceriori caritate diligimus, eo plenius ut in cunctis providi ſitis & vigiles affectamus, turbationis non modicæ ſpiritum aſſumentes, ſi de vobis quandoque contrarium ad nos relata perveniat aliquorum. Sane admirantes accepimus, quod nos non abſque offenſa rectitudinis, quæ in veſtris debet actibus haberi continue ſpecialis, Fratres Minores, & eorum Ordini obligatos, frequenter ad veſtram recipitis unitatem ſpiritus in pacis vinculo non ſervantes. Verum cum ex hoc ſciſſuræ poſſit, & ſcandali exoriri materia, quæ ſolatium pacis æternæ quærentibus debet omnimodis exiſtere peregrina, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta, in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus tam Fratres eoſdem, quam eorum Ordini voto vel juramento etiam obligatos, nullatenus de cetero, prætextu indulgentiæ alicujus, ſeu aliquarum litterarum obtentarum a Sede Apoſtolica, vel etiam obtinendarum in poſterum, quæ de præſentibus expreſſam non fecerint mentionem, niſi prius Miniſtri ſui petita fuerit & obtenta licentia, recipere præſumatis, alioquin decernentes irritum & inane, quidquid per vos in hac parte contra præceptum noſtrum contigerit attentari, præſentium auctoritate ſtatuimus, ut hujuſmodi præſumptores incurrant excommunicationis ſententiam ipſo facto, a qua nequaquam abſolvi valeant, niſi ſe apud Sedem Apoſtolicam perſonaliter repræſentent, ab ea ſicut ſibi viſum fuerit, abſolvendi.

Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Viterbii III. Non. Januarii Pontif. noſtri anno III.

XXII.

XXII.

Confirmat electionem trium Minoritarum ad Epiſcopatus. Reg. Vatic. in epiſt. ſecretis. epiſt. 407.

Epiſcopo Albanen. Apoſtolicæ Sedis Legato.

Licet noſtris tibi dederimus litteris in mandatis, ut Fratres Minores, qui poſt conſtitutionem ab Apoſtolica Sede ſuper hoc editam, eſſent ad Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus, aut alias dignitates abſque Generalis Miniſtri Ordinis eorum, vel Provincialium, qui fuerint pro tempore, licentia, & conſenſu, aut prædictæ Sedis ſpeciali mandato in tua legatione promoti, ad nos ab officio & beneficio mittere procurares ſuſpenſos; quia tamen venerabilem fratrem noſtrum Marcum Epiſcopum Caſſanen. abſque Miniſtri ſui licentia & mandato tibi conſenſerat, confirmaſti, & tam ipſum quam venerabiles fratres noſtros Philippum Cuſertan. & .... Eſculan. Epiſcopos, de quibus Caſſanen. & Eſculan. Eccleſiis provideras, feciſti in Epiſcopos conſecrari, fraternitati tuæ in hac parte deferre, & eorum Eccleſiis providere volentes, quod per te actum eſt ſuper his circa illos ratum habemus, & firmum, & robur firmitatis volumus obtinere, defectum, ſi quis in præmiſſis extitit, ſupplentes de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis. Conſtitutione prædicta quantum ad Fratres illos in ſuo robore duratura. *Vide bullam 24. hujus Pontificis.*

Datum Viterbii XIX. Kal. Februarii anno III.

XXIII.

Ut recedentes ab Ordine Minorum compellant redire, vel alium aſſumant. Archiv. Aracœl. num. 60. Specul. Min. tract. 2. fol. 58. ſub diverſis tamen datis.

Univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per Italiam conſtitutis.

Ex parte dilectorum filiorum Miniſtrorum Fratrum Ordinis Minorum in Italia exiſtentium fuit propoſitum coram nobis, quod nonnulli novitii domorum ejuſdem Ordinis, procurante humani generis inimico, ad ſeculum ſunt reverſi, quorum quidam matrimonia contrahunt, quidam vero ad Eccleſias & beneficia Eccleſiaſtica, quæ prius habuerant, reſtitui ſe procurant, ſeu alias in ſeculo damnabiliter evagantur, in animarum ſuarum periculum & ſcandalum plurimorum; quamvis per habitum ejuſdem Ordinis, qui dari profitentibus conſuevit, quem ipſi ſponte, ac voluntarie receperunt, & alias apparuerit evidenter, quod voluerint hujuſmodi religionis vitam imitari, & ſub religione Domino perpetuo deſervire. Quare dicti Miniſtri de ipſorum ſalute ſolliciti nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere ſuper hoc miſericorditer curaremus. De veſtra igitur diſcretione plenam in Domino fiduciam obtinentes, vobis per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſi eſt ita, dictos novitios, ut ad eumdem Ordinem redeant, vel ad alium debeant ſe transferre, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, cogatis, cum a prædictis Miniſtris, vel Fratribus ſui Ordinis fueritis requiſiti.

Datum Viterbii II. Kal. Febr. Pontificatus noſtri anno III.

XXIV.

XXIV.

Confirmat electionem fratris Marci de Aſſiſio in Epiſcopum Caſſanenſem. Reg. Vatic. epiſt. 11.

Epiſcopo Albanen. Apoſtolicæ Sedis Legato.

§. I. Significavit nobis venerabilis frater noſter Marcus de Aſſiſio Ordinis Minorum Caſſanen. Epiſcopus, quod dudum ſignificante nobis dilecto filio Generali Miniſtro Fratrum ejuſdem Ordinis, quod licet per litteras Sedis Apoſtolicæ fuerit inhibitum, ut nulli Fratres ipſius Ordinis, ſi eos in Epiſcopos eligi aut poſtulari forte contigerit, electioni vel poſtulationi de ſe factæ auderent aliquatenus conſentire; nec aliquis Archiepiſcopus, ſeu quicumque alius Prælatus, vel etiam Legatus Sedis ipſius dictos Fratres, niſi de Generalis Fratrum ejuſdem Ordinis, vel Provincialium Miniſtrorum, qui pro tempore eſſent, licentia & conſenſu, aut ſpeciali mandato Sedis ejuſdem ad Epiſcopatus, vel alias quaslibet dignitates extra dictum Ordinem aſſumere præſumerent, vel etiam ordinare. Per eaſdem quoque litteras ſit decretum irritum & inane quidquid contra inhibitionem hujuſmodi a quibuſcumque contingeret attentari, auctoritate Apoſtolica ſemper ſalva; nonnulli tamen Fratres Ordinis memorati intra legationis tuæ terminos exiſtentes electionibus, ſeu poſtulationibus de ſe ad Archiepiſcopatus & Epiſcopatus diverſos legationis ejuſdem factis, contra inhibitionem & decretum earumdem de facto confirmati eſſe dicebantur.

§. II. Nos ad dicti Miniſtri inſtantiam tibi per noſtras litteras duximus injungendum, ut inquiſita ſuper his diligentius veritate, prædictos Fratres, quos taliter promotos inveneris, ad hujuſmodi, ſeu ad alias quaslibet dignitates, ab officio, & beneficio auctoritate noſtra ſuſpenderes, etiam ſi ad conſecrationem proceſſum eſſet quomodolibet per quoſcumque, eoſdem quoque ſic ſuſpenſos ad nos mitteres infra competentem terminum, quem eis duceres peremptorie præfigendum, pro meritis recepturos.

§. III. Verum cum idem Frater electioni ſeu poſtulationi de ſe factæ in Epiſcopum Caſſanen. abſque dicti Miniſtri licentia, de mandato tuo conſenſerit, ac tu poſtmodum eum feceris in Epiſcopum conſecrari, nos attendentes multiplicia dona virtutis & gratiæ, ac laudabilis vitæ merita dicti Fratris, ſuper quibus laudabile ſibi teſtimonium perhibetur, ſperantes quoque, quod per ipſius Fratris miniſterium Caſſanen. Eccleſia in ſpiritualibus & temporalibus votiva, Deo auctore, provenient incrementa, mandamus, quatenus cum eodem Fratre, quod decreto & inhibitione, & aliis ſupradictis nequaquam obſtantibus, hujuſmodi proviſio facta de ipſo Fratre in Caſſanen. Epiſcopum, ac quidquid actum eſt circa eam robur obtineat firmitatis, quodque etiam idem Frater Epiſcopus, ac Paſtor dictæ Eccleſiæ legitime remanere, ac officii ſui debitum exequi libere valeat, prout expedire videris, auctoritate noſtra diſpenſes, ſupplendo nihilominus auctoritate eadem omnem defectum, ſi quis prædictorum occaſione extitit in præmiſſis, vel in aliquo præmiſſorum.

Datum Viterbii XII. Kal. Maii, anno IV.

XXV.

XXV.

Reducit conſtitutionem a ſe factam de tercentis cannis ad centum quinquaginta. Reg. Vatic. epiſt. 30.

Generali, ac aliis Miniſtris, & Fratribus Ordinis Minorum.

§. I. Quia plerumque in futurorum eventibus ſic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod utile conjectura veriſimilis, immo etiam attenta interdum conſideratio pollicetur, non ſolum inutile, ſed damnoſum reperiri contingat, nonnunquam quod conſulte ſtatuitur, poſtmodum conſultius immutatur. Hoc quippe neceſſitas præſentis proviſionis evidenter oſtendit. Humanum judicium in futuris fallibile.

§. II. Dudum ſiquidem ut inter religioſos potiſſime per noſtræ diligentiæ ſtudium æmulationis & diſſenſionis tolleretur occaſio, & caritatis integritas ſervaretur, per noſtras ſub certa forma litteras ordinandum duximus, & diſtrictius inhibendum, quod nulli liceret ex tunc de Fratrum Prædicatorum Pœnitentiæ Jeſu Chriſti, beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Eremitarum ſancti Auguſtini, ſanctæ Claræ, aliiſque Ordinibus in paupertate fundatis, nullique mulierum de prædictis, ſeu quibuslibet aliis Ordinibus aliquod Monaſterium, Eccleſiam, vel Oratorium ædificare, ſeu conſtruere, nulli quoque ſeculari, ſeu religioſo cujuſcumque profeſſionis Eccleſiam, vel Monaſterium, ſeu Oratorium jam ædificatum in aliquem locum transferre de Ordinibus memoratis infra ſpatium tercentarum cannarum a veſtris Eccleſiis menſurandarum per aera etiam, ubi alias recte non permitteretur loci diſpoſitio menſurari. Statuentes ut quidquid contra hujuſmodi ordinationis & inhibitionis noſtræ tenorem ex tunc ædificatum exiſteret, diruerctur omnino. Alterius ſuæ diſpoſitionis meminit.

§. III. Verum quia quod ad pacem veſtram & prædictorum Fratrum & Ordinum proviſum fuerat, non ſolum vobis, ſed etiam multis aliis, qui in prædictum diffuſum cannarum ſpatium in hujuſmodi ordinatione ac inhibitione contentum, quaſi ab omnibus etiam ſolemnibus Civitatibus inveniebantur excludi ad ſcandalum ceſſiſſe comperimus, diverſis propterea litigiorum materiis ſuſcitatis. Nos ſuper his cum Fratribus noſtris deliberatione præhabita, hujuſmodi ſpatium de ipſorum Fratrum conſilio reſtringentes, ipſum ad centum & quadraginta cannas duximus reducendum, omnibus aliis, quæ in præmiſſis noſtris litteris continentur in ſuo nihilominus robore duraturis. Quam nunc reſtringit.

Nulli ergo noſtræ &c. reſtrictionis & reductionis &c. Si quis &c. Datum Viterbii Nonis Junii, anno IV.

XXVI.

Statuit ut ad Epiſcopatus & dignitates externas promoti omnem ſupellectilem Ordini relinquant. Reg. vetus noſtrum fol. 43. Roderic. bulla v. * ſed de ſolis Prædicat.

* Etiam Bullarium Ord. Prædicatorum hanc Cõſtitutioně ſolis ipſis Prædicatoribus directam recenſet. Tom. 1. fol. 493.

Dilectis filiis Magiſtro & univerſis Prioribus & Fratribus Ordinis Prædicatorum & Miniſtro Generali & Fratribus Ordinis Minorum.

Providentia laudabilis, & ſalubris in cunctis veſtris haberi debet operibus, ut exinde claritatem nominis in conſpectu Dei & hominum habeatis. Cum itaque (ſicut aſſeritis) contingat interdum, quod illi, qui

qui ex vobis de Ordine veſtro ad Archiepiſcopatus & Epiſcopatus,& alias Prælaturas Eccleſiaſticas aſſumuntur, non conſiderantes, quod ex profeſſione in ipſo emiſſa Ordine, nihil habent proprium, quod ſpecialiter valeant retinere, libros & alia, quæ apud eos hujuſmodi tempore promotionis habent, uſibus propriis applicare, ſecumque reportare præſumant, in propriæ ſalutis diſpendium, & dicti Ordinis non modicum detrimentum. Nos præſumptioni hujuſmodi volentes ſalubriter refragari, univerſis Fratribus dicti Ordinis ad hujuſmodi Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus, de cetero aſſumendis auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne conſecrationis munus quoquo modo recipiant, antequam libros & bona continentia Ordinem memoratum, quæ apud eos tempore ſuæ promotionis habere contigerit, Prioribus ſeu Guardianis & Conventibus, de quibus aſſumpti fuerunt, cum integritate reſignent, niſi forſan iidem Priores, de conſenſu ipſorum Conventuum, uſum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum; alioquin eo ipſo ab executione Pontificalis Miniſterii noverint ſe ſuſpenſos: inter hujuſmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos & illas chartulas vel membranas, in quibus dicti Fratres ſibi certa notabilia, cum aliquibus privatis ſermonibus collegerunt.

Prælaturę dignitates.

Nulli ergo &c. Datum Viterbii v. Idus Junii, Pontificatus noſtri anno IV.

XXVII.

Ne recipiant Fratres Minores adſtrictos poſt annum probationis. Reg. Vatic. epiſt. 43.

Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum.

§. I. Lecta nobis veſtra petitio continebat, quod felicis recordationis Alexander Papa prædeceſſor noſter vobis, & dilecto filio Generali Miniſtro, & aliis Fratribus Ordinis Minorum, olim in virtute obedientiæ per ſuas litteras præcepit, ut vos eorum Ordini, vel ipſi veſtro voto, vel juramento etiam obligatos, nullatenus prætextu indulgentiæ alicujus, ſeu aliquarum litterarum obtentarum a Sede Apoſtolica, vel etiam obtinendarum in poſterum, quæ de illis expreſſam non facerent mentionem, præſumeretis recipere, niſi prius Miniſtri, vel Prioris ſui petita foret licentia & obtenta. Decrevit etiam irritum & inane quidquid per vos, vel ipſos in hac parte contra præceptum ſuum contingeret attentari. Statuentes ut hujuſmodi præſumptores incurrerent excommunicationis ſententiam ipſo facto, a qua nequaquam abſolvi poſſent, niſi ſe apud Sedem Apoſtolicam, ab ea ſicut viſum foret, abſolvendi perſonaliter præſentarent. Poſtmodum vero per quaſdam alias litteras vobis, & eiſdem Fratribus duxit diſtrictius inhibendum, ne ante annum probationis elapſum, qui eſt maxime in ſubſidium fragilitatis humanæ regulariter inſtitutus, quemquam ad profeſsionem veſtrorum Ordinum præſumeretis recipere, ſeu ad renunciationem ſeculi faciendam. Nec conſtitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quo minus infra eumdem annum probationis ad aliam regulam, quam mallet, tranſiret, ſicut de ſua procederet libera voluntate. Non obſtantibus ſtatuto contrario, ſi quod a vobis, vel ipſis eſſet editum, quod ipſe decrevit irritum & inane, vel aliquibus litteris a Sede Apoſtolica impetratis, ſeu etiam impetrandis, quæ de præmiſsis expreſſam non facerent mentio-

Alexandrinæ Cōſtitutionis Synopſis.

tio-

tionem. Et ſi forte contra hujuſmodi ſuam inhibitionem quemquam vos, vel dicti Fratres reciperetis, qui taliter receptus exiſteret, nullatenus eſſet veſtro, vel eorumdem Fratrum Ordini obligatus, voſque ac ipſi a receptione quorumlibet ad profeſſionem dictorum Ordinum eſſetis ipſo facto ſuſpenſi, & inſuper pœnæ deberetis ſubjici, quæ Fratribus ipſorum Ordinum pro culpis infligi gravioribus conſuevit.

§. II. Nos igitur ipſius prædeceſſoris, qui ſuper hoc certum edidit declarationis oraculum, veſtigiis inhærentes, quod ipſe de obligatis Ordinibus prædictis in præmiſſis ſuis litteris dixerat, ne ipſi vel vos recipere præſumeretis eoſdem, ſtatuendo ut hujuſmodi præſumptores ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, de illis tantum intelligi volumus, quos poſt prædictum annum probationis elapſum eiſdem eſſe conſtiterit Ordinibus obligatos. Ceterum nolumus, quod per aliquam inhibitionem, ſeu conſtitutionem noſtram, ſi qua poſtmodum a nobis forſitan emanavit, quæ huic declarationi videatur contraria, præjudicium aliquod declarationi generetur eidem.

Nulli ergo &c. noſtræ declarationis &c. Datum Viterbii II. Nonas Julii, anno IV.

XXVIII.

Inhibet quibuſcumque Prælatis privilegia Minoribus conceſſa ſive dubia, ſive clara interpretari. Specul. Min. tract. 1. fol. 12. Roderic. bulla 13.

Magiſtro & Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Generali Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum.

ORdinis veſtri ſacra religio, ſub qua virtutum Domino in humilitate ſpiritus laudabiliter deſervitis, promeretur, ut nos ipſum Ordinem ſincera diligentes in Domino caritate, illa vobis libenti animo concedamus, per quæ materia ſubmota gravaminis, ſtatus veſtri tranquillitas procuretur. Sane tranſmiſſa nobis conqueſtione monſtraſtis, quod nonnulli Archiepiſcopi & Epiſcopi, & alii Eccleſiarum Prælati veſtris libertatibus derogantes, indulgentias ſeu privilegia vobis ab Apoſtolica Sede conceſſa interpretari, & ad ſuum intellectum trahere moliuntur: quamquam intellectum ipſum verba indulgentiarum & privilegiorum hujuſmodi neqnaquam exprimere videantur, ac vos, juxta ipſorum interpretationem, privilegia ipſa ſervare compellunt in veſtrum non modicum præjudicium & gravamen. Quia vero ſuper hoc Apoſtolicæ proviſionis remedium imploraſtis, nos veſtris ſupplicationibus annuentes, ne præfati Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati alii prædicta privilegia & indulgentias, ſive clara quæ interpretatione non indigent, ſive dubia contineant, de cetero interpretari præſumant auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, volentes ut cum ejus ſit interpretari, cujus eſt concedere, interpretatio ſuper hujuſmodi dubiis & obſcuris dictæ Sedis judicio requiratur. Nulli ergo &c.

Datum Viterbii Nonis Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

Digitized by Google

XXIX.

Ut colligant & miniſtrent Regi in ſubſidium Terræ ſanctæ omnia legata pia indiſtincte relicta. Reg. Vatic. epiſt. 54.

Portugallen. & Caſtelli Scarannen. Ulyſſiponen. Diœc. Prædicatorum Prioribus, & Elboren. ac in Gardia Egitanien. Diœc. Minorum Ordinum Guardianis.

AD liberationem Terræ ſanctæ toto cordis deſiderio anhelantes, ad hoc ſtudioſe intendimus, & quantum ex alto conceditur, circa ea damus opem & operam efficacem, per quæ id, Deo propitio, valeat provenire. Cum itaque cariſſimus in Chriſto filius noſter Illuſtris Rex Portugalliæ, ſicut ex parte ipſius fuit propoſitum coram nobis, zelo fidei ac devotionis accenſus, ſigno vivificæ Crucis aſſumpto, proponat cum decenti bellatorum comitiva in Terræ ſanctæ ſubſidium proficiſci; Nos ipſius Regis ſupplicationibus inclinati, ſibi auctoritate Apoſtolica duximus indulgendum, ut legata in pios uſus indiſtincte relicta, ſeu relinquenda, non expreſſis aliquibus perſonis vel locis, dummodo non fuerint arbitrio certæ perſonæ commiſſa, in regno & aliis terris ſuis per triennium poſſit percipere in ſubſidium hujuſmodi convertenda. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut quilibet veſtrum, per vos vel per alium aut alios legata hujuſmodi, juxta prædictæ conceſſionis noſtræ tenorem, per idem triennium in regno & terris ipſis fideliter colligere, & in aliquo tuto loco deponere, ac ea dicto Regi, vel ejus certo nuntio aſſignare curetis. Non obſtante ſi eſt aliquibus ab Apoſtolica Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c.

Datum Viterbii III. Kalend. Auguſti anno IV.

XXX.

Item redemptiones votorum Cruceſignatorum & alia. Ibidem epiſt. 55.

Eisdem.

AD liberationem Terræ ſanctæ &c. ut in ſuperiori uſque *duximus indulgendum*, ut redemptiones votorum Cruceſignatorum & Cruceſignandorum obventiones, & legata ex quacumque cauſa provenientia ejuſdem Terræ ſubſidio deputata, & etiam deputanda in regno, & aliis terris ſuis poſſit per triennium percipere in ſubſidium hujuſmodi convertenda. Quocirca mandamus &c. uſque in finem.

Datum ut ſupra.

XXXI.

Dat eis facultatem abſolvendi a quibuſdam cenſuris. Ibidem epiſt. 56.

Eisdem.

CUm cariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Portugalliæ Illuſtris &c. ut in bulla XXIX. uſque *ſubſidium proficiſci*. Nos ipſius Regis ſupplicationibus inclinati abſolvendi juxta formam Eccleſiæ per vos, vel per alium ſeu alios Cruceſignatos & Cruceſignandos, qui cum dicto Rege proficiſcentur in dictæ Terræ ſuccurſu, ab excommunica-

tionis

tionis ſententia, ſi quam pro violenta injectione manuum in clericos, & perſonas Eccleſiaſticas incurrerunt, dummodo paſſis injuriam ſatisfecerint competenter, & illorum non fuerit adeo gravis & enormis exceſſus, quod propter hoc ad Sedem Apoſtolicam ſint merito deſtinandi, plenam vobis concedimus auctoritate præſentium facultatem.

Datum ut ſupra.

XXXII.

Ut poſſint Crucem & Indulgentias conferre ſuccurrentibus Terræ ſanctæ. Reg. Vatic. epiſt. 57.

Eisdem.

AD liberationem Terræ ſanctæ &c. ut in ſuperiori bulla, uſque *ſubſidium proficiſci*. Nos volentes ut idem Rex in hoc effectum ſui deſiderii conſequatur, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædicetis verbum Crucis per vos vel alios viros idoneos tam regulares, quam ſeculares per Portugalliæ Regnum, & alias terras Regis ejuſdem, & illam volentibus recipere largiamini, conceſſa illis, qui in perſonis propriis,& expenſis,& eis etiam, qui perſonaliter, ſed in alienis expenſis cum Rege proficiſcentur eodem, illis quoque qui in expenſis propriis illuc mittent idoneos bellatores, ac eis, qui de bonis ſuis aliqua mittent in ſubſidium dictæTerræ,juxta quantitatem ſubſidii,& devotionis affectum, illa ſuorum venia peccatorum, de quibus veraciter corde contriti & ore confeſſi fuerint, quæ ſuccurrentibus dictæ Terræ in generali Concilio eſt conceſſa.

Datum ut ſupra.

XXXIII.

Ut male parta poſſint in hunc uſum pie applicari. Ibidem epiſt. 59.

Eisdem.

AD liberationem Terræ ſanctæ &c. ut in ſuperiori uſque *ſubſidium proficiſci*. Nos volentes ut idem Rex Apoſtolicæ Sedis fultus auxilio ſuum in hac parte propoſitum magnificentius ducere valeat ad effectum, diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus & ſpecialem, præſentium auctoritate committimus, quatenus a quibuslibet perſonis regni & terrarum Regis ejuſdem bona, quæ acquiſiverunt per uſurariam pravitatem, rapinas, alioſque modos illicitos, ſi perſonæ ipſæ bona hujuſmodi ſponte ad hoc elargiri voluerint, ac illi quibus eorum reſtitutio fieri debeat, edictis publice propoſitis in locis competentibus, omnino inveniri & ſciri non poſſint, uſque ad triennium vos vel duo, ſive quilibet veſtrum, per vos vel alium, aut alios ad manus veſtras recipere valeatis, deponenda fideliter in aliquo tuto loco, & tamdem dicto Regi,cum ſe ad transfretandum accinxerit, integre aſſignanda. Ita tamen quod ſi aliquid de hujuſmodi bonis dimiſeritis vel reſtitueritis, aut dederitis, illis a quibus eas receperitis, hujuſmodi dimiſſum, reſtitutum vel datum nihil ad liberationem eorum proſit, nec quantum ad illud habeantur aliquatenus abſolvi.

Datum ut ſupra.

XXXIV.

XXXIV.

Ut denuntient ſuſpenſionem interdicti per ſex menſes. Reg. Vatic. ep.68.

In Sanctarena, & in Leyrena Ordinis Fratrum Minorum Guardianis Ulyſſiponen. & Colimbrien. Diœc.

Negotio quod inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum A. Portugalliæ Regem Illuſtrem ex parte una, & venerabiles fratres noſtros M. Bracharen. Archiepiſcopum, & alios Epiſcopos Regni Portugalliæ ex altera vertitur, dilecto filio magiſtro Willelmo Folquini Capellano noſtro Canonico Narbonen. quem ad idem Regnum propter hoc ſpecialiter deſtinamus, ſub certa forma commiſſo, ſententias interdicti ab eiſdem Archiepiſcopo & Epiſcopis latas in ſuas Diœceſes, uſque ad ſex menſes duximus ſuſpendendas. Ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſententias eaſdem vos vel alter veſtrum per vos vel alios aut alium denuncietis, & denunciari faciatis taliter eſſe ſuſpenſas in locis, in quibus duxeritis expedire.

Datum Viterbii 11. Kalend. Auguſti anno IV.

Anno Christi 1269. Sedis Vacantis anno 1.
Anno Christi 1270. Sedis Vacantis anno 2.
Anno Christi 1271. Sedis Vacantis anno 3.

GREGORIUS X.

Electus eſt anno MCCLXXI. *Kalendis Septembris*.

Anno Christi 1272. Gregorii X. anno 1. & 2.

Nulla habentur notatu digna monumenta ſub hoc anno.

Anno Christi 1273. Gregorii X. anno 2. & 3.

BULLA I.

Ut circa immunitatem Eccleſiaſticam Regem Luſitaniæ ad ſaniorem mentem reducant. Reg. Vatic. epiſt. 50.

Priori Prædicatorum, Cuſtodi & Guardiano Minorum Fratrum Ulyſſiponen.

Volumus & præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ad cariſſimum in Chriſto filium Illuſtrem Regem Portugalliæ accedentes, ipſum ut deſuper iis, quæ in noſtris litteris ſibi directis & articulis a Prælatis Regni Portugalliæ coram nobis propoſitis, & per vos ſibi præſentandis continentur, ex parte noſtra moneatis & efficaciter inducatis, & ſi ad illorum correctionem voluntarium ſe obtulerit, vel ex ipſius reſponſione & aliis circumſtantiis apparuerit, quod præmiſſa velit corrigere, interdictum in eodem Regno ab eiſdem Prælatis poſitum, uſque ad ſeptem menſes a receptione præſentium computandos, ſuſpendere procuretis. Ita tamen quod ſolemnes Nuntii dicti Regis cum ſufficienti mandato infra quatuor menſes a tempore ſuſpenſionis interdicti

cti hujuſmodi computandos,iter arripiant ad noſtram præſentiam veniendi. Ceterum ſi dictus Rex, juxta mandatum noſtrum corrigere prædicta contempſerit, prædictum Regnum ipſo jure, poſt prædictos ſeptem menſes, in interdictum priſtinum redigatur. Non obſtante indulgentia Sedis Apoſtolicæ, qua Fratribus veſtrorum Ordinum dicitur eſſe conceſſum, ut de cauſis ſeu negotiis, quæ ipſis a Sede committuntur eadem, inviti ſe intromittere minime teneantur per litteras Apoſtolicas, quæ de indulto hujuſmodi expreſſam non fecerint mentionem. Quod ſi non omnes &c.

Datum apud Urbem veterem IV. Nonas Junii, anno II.

II.

Ut litteras Apoſtolicas Regi præſentent. Reg. Vatic. epiſt. 51.

Eisdem.

Cum cariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Portugalliæ Illuſtris, venerabiles fratres noſtros Epiſcopos, & alios Prælatos, Capitula, Conventus, Clericos & Eccleſias, & populum Regni Portugalliæ gravibus, ſicut accepimus, afficiat injuriis & preſſuris, noſque ſibi ſuper hoc ſub certa forma noſtras litteras dirigamus, diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prædictas litteras noſtras eidem Regi fideliter præſentetis, ac reſponſum ipſius Regis, & quidquid ſuper his duxerit faciendum, necnon locum, & diem, in quibus, & coram quibus perſonis litteras prædictas Regi præſentabitis memorato per veſtras patentes litteras harum, & prædictarum litterarum directarum eidem Regi ſeriem continentes, nobis intimare curetis. Non obſtante &c. Quod ſi non omnes &c.

Datum apud Urbem veterem V. Kal. Junii, anno II.

III.

Ut confirmet fratrem Illuminatum electum Epiſcopum Aſiſii. Reg. Vatic. epiſt. 60.

I. ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali.

§. I. Aſſiſinaten. Eccleſiæ, quæ eſt Sedis Apoſtolicæ ſpecialis, & Paſtoris ſolatio deſtituta, Priores Canonici die ſtatuta convenientes in unum, præſentibus omnibus, qui volebant, debebant, & commode poterant intereſſe, dilectum filium fratrem Illuminatum de Theate Ordinis Fratrum Minorum per viam compromiſſi elegerunt canonice, ac concorditer in ſuum Epiſcopum & Paſtorem, & præſentato nobis decreto electionis ejuſdem, confirmari electionem ipſam cum inſtantia petierunt.

§. II. Quoniam itaque præſens ipſius Sedis translatio nos confirmationi hujuſmodi intendere non permittit, diſcretioni tuæ, de qua indubitatam fiduciam gerimus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus electionem ipſam examines diligenter; & ſi de illius forma, eligentium ſtudiis, & electi meritis plenius inquiſito, eam inveneris de perſona idonea canonice celebratam, ipſam confirmare procures faciens prædicto fratri Illuminato ab aliquibus vicinis Epiſcopis munus conſecrationis impen-

impendi, & a ſuis ſubditis obedientiam & reverentiam exhiberi. Recipienſque ab eo noſtro, & Eccleſiæ Romanæ nomine fidelitatis debitæ juramentum, juxta formam &c. uſque *interclusam*. Alioquin electione ipſa rite caſſata, facias Eccleſiæ ſupradictæ per electionem canonicam, vel poſtulationem concordem de perſona idonea provideri. Contradictores &c.

Datum apud ſanctam Crucem II. Nonas Septembris, anno II.

Anno Christi 1274. Gregorii X. anno 3. & 4.

IV.

Confirmat Pontifex electionem fratris Illuminati in Epiſcopum Aſiſinaten. Reg. Vatic. epiſt. 9.

Fratri Illuminato Epiſcopo Aſiſinaten.

§. I. Olim Aſſiſinaten. Eccleſiæ &c. ut in bulla 3. uſque *intereſſe*. Te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem per viam compromiſſi in Aſſiſinaten. Epiſcopum elegerunt, aſſerentes ſe in hoc concorditer & canonice proceſſiſſe, & præſentato nobis decreto electionis hujuſmodi, confirmari electionem ipſam cum inſtantia poſtularunt. Noſque dilecto filio noſtro I. ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali noſtris ſub certa forma dedimus litteris in mandatis, ut electionem ipſam examinans diligenter &c. uſque *exhiberi*. Recipienſque ab eo &c. uſque *interclusam*; alioquin &c. uſque *provideri*. Contradictores &c. uſque *compeſcendo*. Cum autem memoratus Cardinalis ad examinationem electionis ejuſdem, juxta prædictarum litterarum noſtrarum continentiam proceſſiſſet, & ſibi diligenter conſtiterit, quod in quatuor ex prædictis Canonicis, videlicet Franciſcum, Magiſtrum Guidonem, Joannem Archipresbyterum Corzanen., & Guidonem Joannis Bernardi, de proviſione facienda eidem Eccleſiæ de Paſtore fuerat a dicto Priore, ac reliquis Eccleſiæ prædictæ Canonicis concorditer compromiſſum, quodque ab iiſdem compromiſſionariis rationabiliter ac canonice in omnibus proceſſum fuerat, præterquam in modo pronunciationis, quam dictus Guido Joannis Bernardi pro ſe, ac aliis Canonicis prædictis ſuis in hac parte collegis duxerat faciendam: nam cum præfatus Guido Bernardi vice ſua, & dictorum Collegarum, a quibus poteſtatem pronunciandi receperant, te in Aſſiſinaten. Epiſcopum per ſe tantum eligere debuiſſet nomine prædictorum Collegarum, ſuperflue addidit, & ſubſequenter poſuit verbum ſingularis numeri, ſic dicendo: *Nos Franciſcus, Magiſter Guido Domini Somei, Joannes Archipresbyter Corzanen. & ego Guido pro eis vice ipſorum, & omnium de Capitulo, & per me de mandato ipſorum Spiritus ſancti gratia invocata, religioſum virum fratrem Illuminatum de Theate Ordinis Fratrum Minorum eligendo poſtulo, & poſtulando eligo.* Sicque dictus Cardinalis, propter talem præfatæ pronunciationis defectum, executionis hujuſmodi negotii ſuperſedit, prout præmiſſa omnia in ejuſdem Cardinalis litteris nobis exhibitis continentur.

§. II. Nos itaque ſuper præmiſſis deliberatione cum Fratribus noſtris habita diligenti, & concordia Capituli ſeu Canonicorum prædictæ Aſſiſinaten. Eccleſiæ circa perſonam tuam in hac parte habita, demum attente perſpecta, te de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis ipſi Eccleſiæ præficimus in Epiſcopum & Pa-

Paſtorem, tibi curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committentes, firma ducti fiducia, quod cum dicaris in ſpiritualibus providus, & in temporalibus circumſpectus, ac litterarum ſcientia præditus, vita & honeſtate præclarus, dicta Eccleſia in utriuſque per tuam induſtriam, annuente Domino, gratum ſuſcipiet incrementum. Quapropter diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus reverenter ſuſcipiens impoſitum tibi a Domino onus, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ ſic diligenter geras, & ſollicite proſequaris, quod ipſa gubernatori circumſpecto, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque proinde, præter benedictionis æternæ præmium, noſtram benevolentiam uberius merearis.

Datum Lugduni x. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno III.

V.

Ut Guidonem a Monteforti ab excommunicatione abſolvant. Reg. Vat. ep. 14.

Patriarchæ Aquilegien. & Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum Mediolanen.

SUa nobis nobilis vir Guido de Monteforti petitione monſtravit, quod cum nos olim occaſione homicidii in quondam Henricum de Alemannia natum claræ memoriæ Richardi in Romanorum Regem electi, in quadam parochiali Eccleſia Viterbien. dum ibidem divina celebrarentur officia, perpetrati, adverſus eum, tamquam in maleficio notorio procedentes, definitivam ſententiam duxerimus promulgandam, ſtatuendo contra ipſum varia, prout ejuſdem maleficii enormitas exigebat, ac in eumdem nihilominus, velut manifeſtum ſacrilegum, & etiam contumacem, excommunicationis ſententiam promulgando. Poſtmodum idem Guido ad cor rediens, ſeque noſtro conſpectui perſonaliter repræſentans, noſtris & Eccleſiæ mandatis parere per omnia obtulit ſe paratum, ac demum ſponte, non coactus ad mandatum noſtrum Roccam de Leuco Mediolanen. diœceſis carcerandus ibidem intravit, ubi adhuc detinetur carcerali cuſtodiæ mancipatus. Quare dictus Guido nobis humiliter ſupplicavit, ut eum abſolvi a prædicta excommunicationis ſententia mandaremus. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel per alium, ſeu alios eumdem Guidonem, juxta formam Eccleſiæ ab hujuſmodi excommunicationis ſententia abſolvatis: ita tamen quod prædicta definitiva ſententia, & alia, quæ ſtatuimus circa eum in omnibus aliis in ſuo robore perſeverent, & ſi dictus Guido contra ipſa in aliquo venire præſumpſerit, in excommunicationem eamdem reincidat eo ipſo.

Datum Lugduni Kalend. Auguſti, anno III.

VI.

Confirmat omnia Ordinis privilegia. Specul. Min. tract. 2. fol. 121.

Dilectis Filiis Generali, ac Provincialibus Miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, ceteriſque Fratribus Ordinis Minorum.

CUm a nobis petitur &c. ut ſupra in bulla prima Urbani IV. uſque ad finem. *Vide in Regeſt. Tomi 3. fol. 411.*

Datum Lugduni x. Kal. Septembris, Pontif. noſtri anno III.

I.

Carolus I. Andegavenſis , Rex Neapolis concedit facultatem conſtruendi Cænobium Monopolis. Ex regio Archivo Neapolitano an. 1275.

CAROLUS &c.

Auctor fatebatur, hoc âno nullum ſibi occurriſſe grave monumentum ; ex Regeſto tamen Neapolitano ſequentes has duas regias litteras poſtmodum collegit , quæ hic ex additionibus ſubnectuntur.

,, §. I. TEnore præſentinm notum facimus univerſis , quod ſuppli-
,, caverunt Excellentiæ noſtræ religioſi viri de Ordine Fra-
,, trum Minorum exiſtentium Monopoli , devotorum noſtrorum , quod
,, cum velint ædificare ibidem Eccleſiam ad honorem Dei , & beati Fran-
,, ciſci , licentiam eis præſtare ſuper hoc de benignitate regia dignare-
,, mur.
,, §. II. Nos autem ipſorum ſupplicationibus inclinati , hujuſmodi
,, licentiam conſtruendi , & ædificandi prædictam Eccleſiam extra muros
,, prædictæ Civitatis , prope portam , quæ dicitur de Ca .... in ſolo ,
,, quod eſt Archidiaconi Monopolis , Gazi Chinardi , & Prothontini ,
,, terræ prædictæ noſtrorum fidelium , dummodo ipſis patronis placeat ,
,, benigne du .... dendam volentes , & tenore præſentium mandantes ,
,, tam hominibus prædictæ terræ , quam ſingulis aliis , quod Fratres
,, ipſos in conſtructione & ædificatione præmiſſis , quomodolibet non
,, moleſtent in aliquo , vel perturbent , ſed in prædicto loco electo per
,, eos tantum , & non alibi Eccleſiam ipſam ædificare permittant .
,, Datum .... Septembr. IV. Indict.

II.

Ut reſtituatur Minoritis domus S. Mariæ de Palatio. Ex Reg. Arch. Neapol. 1275.

CAROLUS &c. Magiſtro Paſchali &c.

,, CUm nos obtentu divini nominis , ac reverentia ſummi Pontifi-
,, cis , nec non devotione quam ad Ordinem Fratrum Minorum
,, geſſimus ſemper & gerimus , domos ſanctæ Mariæ de Palatio prope por-
,, tum Neapolis , quibus Fratres Minores ejuſdem terræ per quondam
,, Galactum de Floriaco , tunc Juſtitiarium terræ laboris , aliquibus oc-
,, caſionibus , deſtituti fuerant , jure noſtro , quod in domibus , & loco
,, ipſo habere dicimur , ſemper ſalvo , reſtitui velimus eiſdem , fidelitati
,, tuæ præcipiendo mandamus , quatenus domos eaſdem , jure noſtro ,
,, ut dictum eſt , ſemper ſalvo , ſtatim receptis præſentibus , occaſione
,, qualibet prætermiſſa , Fratribus reſtituas ſupradictis ; ita quod Fratres
,, ipſi ad noſtram propterea recurrere curiam ulterius non cogantur .
,, Datum Neapoli XVI. Octobris IV. Ind.

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

ABrahami Bzovii menda exploduntur. 9. XIII. 310. IX. 360. XVII. 370. II. 383. XVI. 401. XVII.

Accurſius Laicus pietate illuſtris. 320. XXVI.

S. Adalberti Corpus ubi tumulatum. 328. II.

Adam de Mariſco ad Epiſcopatum Elienſem aſſumptus. 64. XX. ei inquiſitio miraculorum Epiſcopi Ciceſtrienſis demandata. 42. XLII.

Ægidius Aſſiſias lætatur de Miniſteriatu Parmenſis. 7. XI. Jacobum de Maſſa laudat. 11. XV. otio continuo infenſus. 182. IV. quæritans victum labore aſſiduo. ibid. quo ſibi comparat panem in Cardinalis Tuſculani ædibus. 183. V. alios ad laborem hortatur. 183. V. paupaupertatis ſtudioſus. 184. VIII. quam cupit in ædiculis relucere. 197. XXXVIII. cujuſque tranſgreſſores objurgat. ibid. In Fabrianenſi Eremitorio multis ſeſe auſteritatibus exercet. 183. VI. Chriſti paſſionem ſummo fervore meditatur. 184. VI. contemplationi aſſiduus. 189. XVII. ſæpiſſime extra ſe raptus. 190. XVII. 190. XVIII. eſſentiam divinam intuetur. 190. XIX. & Chriſtum Dominum apparentem. 190. XVIII. Ejus erga Romanam Eccleſiam reverentia. 191. XIX. obedientia. 184. VII. Humilitas. ibid. caſtitas. 185. X. quam encomiis celebrat. ibidem. contrarias tentationes vincit. 186. XI. ſimilis victoria conceditur fratri ipſum invocanti. 186. XI. tentatur de vana gloria. 192. XXIII. Sacerdotem mentiri poſſe non credit. 185. IX. Eſurienti panis cœlitus miniſtratur. 184. VIII. trepidantes de Virginitate Deiparæ inſigni confirmat miraculo. 186. XII. alios ſua converſatione divino amore ſuccendit. 192. XXII. cum ſancto Ludovico eum inviſenti non loquitur. 186. XIII. quater ſe natum dicit. 190. XIX. quibus utitur monitis, dum alios ad Deo ſerviendum hortatur. 187. XIV. ſeqq. ſeptem in eo potiſſimum virtutes. 192. XXIV. eſt tentatis & tribulatis refugium. 197. XXXIX. prope mortem a Dæmone moleſtiis afficitur. 192. XXIV. Paradiſi deguſtat delicias. 193. XXV. a cœlitibus ſanctitas ejus oſtenditur. 191. XX. variis laborat morbis. 193. XXVI. moritur. 193. XXVI. anima cœlos magno comitatu aſcendit. 193. XXVI. ejus meritis multi e purgatorio liberati. 193. XXVII. Plectitur juſta pœna ejus gloriam occultans. 193. XXVII. ejus Vaticinium adimpletum. 194. XXVII. adhuc vivens nobilem virum ſanat cancro laborantem. 191. XLI. lactem impetrat aridis uberibus. 198. XLI. mortuus. tres cœcos illuminat. 198. XLI. quinque claudos erigit. 198. XLI. alia patrat miracula. ibidem. Plerique ejus ſanctitatem celebrant, atque doctrinam. 198. XLI. præcipue vero ſanctus Bonaventura. 194. XXVII. ſacrum corpus magna veneratione colitur. 198. XLI. in ſui honorem ædificatum Templum. 191. XXI.

Ægidius Boemus Provincialis. 180. IV.

Ægidius de Capociis. 319. XXVI.

Ægidius Regnicola. 320. XXVI.

Afflictorum Familiæ origo. 291. XVI.

S. Agathæ Conventus. 280. X.

Agathenſis Conventus. 97. XXI.

Agnes Abbatiſſa, cum ſuis Monialibus ab hæreticis interempta. 120. III.

Agnes Clariſſa Urbani IV. Soror. 170. VII. ad eam Pontificiæ litteræ. ibid.

Agnes ab Ortega obit Metimnæ Campi. 46. XLVIII.

Agnes Saxouica Witembergæ ſepulta. 267. XIX.

Alamannus a Luſtraco reædificat Pennenſem Conventum. 177. XIX.

Alanus Commiſſarius in Provincia Boemiæ. 180. IV.

Albertus a ſancto Georgio Epiſcopus Feltrenſis. 280. X.

Albertus Gonzaga Epiſcopus Eporediæ. 405. XXV. variis muneribus pro Eccleſia fungitur. ibid. ſui tranſitus horam præ-

prædicit. ibid. ejus tumuli Epitaphium. 406. xxv.
Albertus Legatus Apoſtolicus in cauſa Pariſienſi. 14. xxii.
Albertus Tarviſinus Epiſcopus. 161. lxiv.
Albiæ Conventus. 341. i. 424. xiv. ab hac civitate Albigenſes hæretici. ibid.
Alcalæ Beticenſis Conventus. 117. xviii.
Alda, & Iſotta Eſtenſes Clariſſæ. 68. xxvii.
Alexander Contarenus Patavii ſepultus. 216. xi.
Alexander Eſtenſis Tyburi tumulatus. 45. xlvi.
Alexander IV. Pontifex plura expedit diplomata in favorem Ordinis. 16. xxiv. 103. v. 119. i. 162. i. 163. ii. 179. i. V. *Epiſtola Minores Clariſſæ Pariſienſei*. SS. Stigmata S. P. Franciſci commendat. 101. iv. prohibet ne quis eis contradicat. 105. i. excommunicationis ſententia in contradicentes. 106. i. moritur. 169. v. apud Minores ejus memoria grata. ibid.
Alexander de Villa Dei. 57. viii.
Alexius Hurtado tumulatus Zamoræ. 159. lix.
Alexius Minorita Sacellanus Viterbienſis. 234. ix.
Aloyſius Eſtenſis Cardinalis Tyburi jacet. 45. xlvi.
Alphonſus Caſtellæ Rex ad Imperium vocatus. 1. i. Rodulpho in Concilio reſiſtit. 397. x. exercitum impingit in Mauros. 250. xi.
Alphonſus a Caſtro Zamorenſis. 160. lix.
Alphonſus III. Luſitanus Eccleſiaſticis infenſus. 383. xvi. admonetur a Gregorio Pontifice. ibid. Lamacenſe Monaſterium Clariſſarum transfert. 166. xi. Bello ſacro ſe parat. 282. i. qua de cauſa plura ei privilegia conceſſa. ibid. Matildem uxorem improbe repudiat. ibid.
Alphonſus Petri de Stella Conſodalis. 323. xxxiii.
Alphonſus Pictavorum Comes Conventus Pictavienſis benemeritus. 424. xv.
Alvernæ Mons ab Aretino Antiſtite celebratus. 13. xx. conſecratur ibi Eccleſia ſolemni ritu. 155. liv. ejus ex omni parte deſcriptio. 155. lv. ad pietatem incitat inviſentes. 156. lvii.
S. Ambroſii Feſtum a Minoribus celebrandum. 129. xiii.
Andreas Burgundus ſanctitate celebris. 198. xlii. ut Prælato obediat Pueri Jeſu converſationem relinquit. ibid.
Andreas Hiſpellas a ſancto Franciſco in Ordine receptus. 234. xi. Ejus geſta, dotes, & obitus. ibid.
Andreas Iſernienſis I. C. ubi ortus. 278. viii.
Andreas Minorita Conventum Tyburtinum recipit. 44. xlvi. Inquiſitor. 123. iv. commendatus a Pontifice. 124. v.
Andreas Riccius celebris ſculptor. 214. viii.
Andreas ſocius beati Ægidii. 320. xxvi.
Andronico Palæologi filio Pontifex mittit Epiſtolam. 407. xvi.
Andronicus Palæologi Nuncius. 202. ii.
S. Angeli in Pontano Conventus. 281. xi.
Angelus Anti-Miniſter Generalis. 292. iv.
Angelus Clarenus Joannem Parmenſem commendat. 7. xi.
Angelus Reatinus ſancti Franciſci diſcipulus. 92. ix.
Angelus a Rocca corrigitur. 401. xvii.
Angelus ſocius ſancti Franciſci Joannem Parmenſem laudat. 7. xi.
Animæ cura commendatur. 190. xviii.
Anna de Bearn pietate celebris. 327. xl.
Anſelmus quidam Minorita donum impetrat lacrymarum. 322. xxx.
Anſidiſius Eccelini Tyranni Vicarius. 300. x.
Anſolinus Epiſcopus Sanadrienſis. 279. ix.
Antiochia a Sarracenis direpta. 283. ii.
Antonia Quint Monialis. 165. vii.
S. Antoninus Floren. doctrinam ſancti Bonaventuræ magno habet in pretio. 404. xxiv. ejus de fratre Bertholdo Minorita expenditur teſtimonium. 361. xviii. Vitam ſcribit ſancti Ludovici Regis. 314. xv.
Antonius frater beati Salvatoris. 268. xix.
Antonius de Gomar. 292. viii.
Antonius Laicus Minorita. 254. xix.
Antonius Leger Theologiæ Magiſter floruit in Cœnobio ſancti Quintini. 327. xxxix.
Antonius Lombardus egregius Sculptor. 215. ix.
Antonius de Matre Dei virtute clarus. 293. viii.
Antonius Minellus Statuarius præſtantiſſimus. 215. ix.
Antonius Nepos beati Franciſci Fabrianenſis. 278. vii.
Antonius Nurcianus. 320. xxvi.
S. Antonius Patavinus Patavium ab Eccelini tyrannide liberat. 213. vii. 217. xiii. una cum ſancto Franciſco reſipiſcere facit deſperantem. 419. v. & Mulierem parantem ſibi mortem. 420. vi. cu-

cujus maritum a ſtatu peccati revocat. 410. VI. Lucæ ſocio apparet. 300. X. Reddit Bernardino Parmenſi Minoritæ loquelam amiſſam. 421. VIII. ſanat alium herniosum. ibid. & Mulierem fœdo laborantem cancro. ibidem. Puerum ſubmerſum ad vitam revocat. ibid. Plectitur morte Mulier ejus ſolemnia contemnens. 420. VII. ſed ipſius implorata ope reſurgit. ibid. transfertur ejus Corpus. 213. VII. ſancto Bonaventura præſente. 217. XIII. Templum ad ſui honorem Patavii erectum deſcribitur. 213. VIII. cultus ejus Ciſtercienſibus impoſitus. 114. XII.
Antonius Poſſevinus Joannem Parmenſem celebrat. 8. XII.
Antonius Santaranenſis ubi floruit. 287. IX. Diabolis inviſus. 324. XXXIV. Fraudes cujuſdam Opilionis detegit. ibid. improbam Fœminam poteſtati Sathanæ tradit. ibid. & vinctum e carceribus liberat. ibid.
Antonius Tubeta. 280. IX.
Antonius Valera Concionator eximius, & Martyr. 160. LIX.
Apoſtata Religionis interemptus a Dæmone. 173. XIII.
Apoſtatæ varie in Inferno cruciati. 249. VIII.
Aquilæ Conventus. 302. XIV.
Archimbaldus Borbonius Minoribus conſtruit Cœnobium. 161. LXIII.
De Archos Familiæ in Minores beneficentia. 161. LXII.
Aretinus Epiſcopus Montem Alvernæ celebrat. 13. XX.
Ariminenſis Conventus. 45. XLVII.
Arnaldus Solerius Sacellum conſtruit in Zamorenſi Eccleſia. 159. LIX.
Arnaldus Virgaultus pro fide occiſus. 384. XVIII.
Arnoldus Epiſcopus Trevirenſis obit. 198. XLIII.
Arthurus Brittaniæ Dux Conventum Minoribus ædificat. 254. XVIII.
Aſculanus Epiſcopus quidam Minorita. 279. VIII.
Aſturicenſis Conventus. 366. XXVI.
Atienzæ Conventus. 268. XIX.
Augremontenſis Conventus. 325. XXXVI.
Auguſtinenſium Congregationes uniuntur. 12. XVIII. etiam in habitu exteriori, ſancto Bonaventura curante. 399. XIII.
S. Auguſtini officium in Ordine Seraphico recitandum. 129. XIII.
Auguſtinus Aſſiſias. 289. XIV.
Aurea Caſtella Clariſſa. 232. VI.
Aurelianenſis Conventus. 338. XVII.
Auſtriacæ Domus origo. 369. I.
Auximanæ Civitati Epiſcopalis dignitas reſtituitur. 220. XVIII.
Auxitanus Conventus. 413. XXXVII.

B

BAcconus *Doctor mirabilis* ſalutatus. 264. XII. a pleriſque Doctoribus commendatur. ibid. in omnibus diſciplinis eruditus. ibid. quos habuerit Magiſtros, & ſtudiorum ſocios? ibid. Clementi IV. in Minoribus familiaris. 265. XIII. qui Pontifex factus ei mittebat Epiſtolas. ibid. calumnias ſuperat. ibid.
Balduinus Imperator in Occidentem transfugit. 175. XVIII.
Baniacavalli Conventus. 384. XVIII.
Barbonenſis Conventus. 237. XIV.
S. Barnabæ Corpus transfertur. 44. XLV.
Barrenſis Decanus Mendicantium hoſtis palinodiam cantat. 32. XXXIV.
Bartholomæus de Bohemia verbum Crucis prædicat. 63. XVII.
Bartholomæus de Brunna Inquiſitor. 63. XVII.
Bartholomæus Corradinus apud ſanctum Antonium ſacras agit excubias. 213. VII.
Bartholomæus Minorita Inquiſitor. 126. IX.
Bartholomæus Quirinus Venetiarum Epiſcopus. 411. XXXV.
Bartholomæus Uliarius. 280. IX.
Beatrix Clarimontenſium Comitiſſa. 161. LXIII.
Beatrix uxor Caroli Andegavenſis. 328. XLII.
Bela Rex Minoritis conſtruit Cœnobia. 325. XXXVI. 326. XXXVI. Ordinem Pœnitentium fuit profeſſus 417. III. ejus virtutes, & in Minores pietas. 418. III. apud quos tumulatus. ibid.
Bela Dux Belæ Regis Natus. 418. III. apud Minores, & ipſe cum Patre ſepultus. 418. III.
Beletiorum Familia erga Franciſcanos pientiſſima. 199. XLV.
Bellanus Patavinus præſtantiſſimus Fuſor. 214. VIII.
Bendogdar Babiloniæ Soldanus multos Chriſtianos occidit. 262. VIII. 302. I. in Antiochiam, aliaque loca irruit. ibid.
Benedictus Arretinus quando floruit. 114. IX. Danielis Prophetæ digitum Aretium detulit. 114. IX. Antiphonam *Angelus locutus eſt Mariæ* inſtituit. ibid.
Benedictus hydropicus. 321. XXVIII.

Benedictus de Mugello. 321. xxvi.
Benedictus XI. diploma expedit pro Conventu Sezanii. 160. lxi.
Benedictus XIII. Pſeudopapa in Conventu Morellæ hoſpes. 366. xxvii. quem ditat inſignibus reliquiis ibid., & ubi muſcas perpetuo maledictione fugat. ibid.
S. Benevenutus Anconitanus ad Epiſcopatum Auximanum aſſumptus. 220. xviii.
Benevenutus Reatinus Epiſcopus. 365. xxv.
Beniaminus egregius Doctor. 417. ii.
Bergomenſis mendum corrigitur. 2. i. ejus de Joanne Parmenſe teſtimonium. 9. xii.
S. Bernardi ſolemnia in Ordine Seraphico celebranda. 129. xiii.
Bernardi de Quintavalle dotes deſcribuntur. 314. xvi.
Bernardinus Miagh 340. xix.
Bernardinus Minorita ſolitudini, & contemplationi addictus. 294. viii.
Bernardus Boerinus a Duracenſi Comite interemptus. 253. xvii.
Bernardus Daleucus ab eodem occiſus. 253. xvii. quemadmodum.
Bernardus a Turga. 253. xvii.
Bernaſiæ Conventus. 116. xvii.
Bernay Conventus. 424. xiv.
Bertholdus Ratiſponenſis ſanctitate, & doctrina celebris. 359. xvi. ſuper prædicantis caput Coronæ fulgidæ volitant. ibid. in concionibus efficax. ibid. ad quas innumeri homines conveniebant. 360. xvii. peccatricem mirum in modum deterret. 361. xviii. converſioni Ottonis Ducis Bavariæ intendit. 360. xvi. eum falſo Dominicanum aſſerit Bzovius. 360. xvii. plura in lucem edidit opera. 363. xxi. num fuerit Davidis Auguſtani diſcipulus? 363. xxi. Multa patravit miracula. 362. xix. ſeqq.
Bertrandus de Bayona Guillelmum de ſancto Amore objurgat. 25. xxxi. in Patria decedit. ibid.
Bettonii Conventus. 267. xix.
Bitbomii Conventus. 103. vi.
Blanca filia Regis Navarræ. 162. lxvi.
Blanca Petri crudelis uxor. 236. xiv. ejus dotes. 237. xiv.
Bleſenſis Conventus. 386. iii.
Boguslaus Lupus animam beatæ Salomeæ in cœlum euntem videt. 285. v.
Boleslaus Pius Dux Clariſſis Gneſnæ Monaſterium extruit. 116. xvii. 120. v. & aliud Zavicoſti. 104. vi. Rex Poloniæ coronatur. 328. ii.
Bonacura Fabrianenſis Vir Dei. 284. iii.
Bonagratia de ſancto Joanne cum aliis Apocriſariis Pontificis. 345. iii. ei Papales Epiſtolæ directæ. 353. vi. 378. ix. ipſe quoque Pontifici ſcribit. 387. i.
S. Bonaventura Miniſter Generalis Ordinis renunciatus. 3. iii. in Joannem Parmenſem, ſuoſque ſocios inquirit. 5. vi. cauſa recenſetur inquiſitionis hujuſmodi 11. xvi. commendatur dum juvenis aſſumitur ad Miniſterium. 12. xvii. in quo a Pontifice plenam obtinet poteſtatem. 60. xi. intereſt translationi ſancti Antonii Patavini. 217. xiii. & Concilio Lugdunenſi. 386. i. in quo concionem habet. 387. i. non tamen Præſes fuit. 397. xi. petit in Ordinis Protectorem Cardinalem Urſinum. 219. xvi. a cura Monialium impetrat liberari. 219. xvi. quam tamen reaſſumit. ibid. ad eas viſitandas certam formam præſcribit. 230. iii. & exhibendæ cautionis formulam tradit. 231. iii. eiſque Viſitatores attribuit. 230. iii. quibus ſcribit Epiſtolam. ibidem quemadmodum omnibus Provinciarum Miniſtris. 260. v. inter Prædicatores, & Minores componit diſſidia. 261. vi. & inter Auguſtinenſes circa habitum diſcordantes. 399. xiii. omnes Mendicantium Ordines defendit. 297. vi. 399. xiii. celebrat Capitula generalia Piſis. 218. xv. Aſſiſii. 296. iv. Lugduni 411. xxxiii. Pariſius. 259. iv. in quo S. P. Franciſci laudes oratione celebrat. ibidem. jubet quolibet Sabbato Antiphonam *Salve Regina* decantari. 296. iv. inſtituit ad campanæ pulſum ſalutationem Deiparæ. 296. iv. Laicorum Sodalitates ipſum auctorem habent. 403. xxi. ejus merita Clemens IV. extollit. 252. xiv. eumque ad Epiſcopatum Eboracenſem aſſumit. 251. xiii. quem tamen ipſe abdicat, ibid. multum præſtat electioni Gregorii Pontificis. 329. i. cum quo Mediolanum proficiſcitur. 379. xi. Pontifex ad eum ſcribit. 381. xii. in Apocriſariis ſeligendis ejus utitur conſilio. 345. iii. Cardinalis creatur. 379. xi. plures pro Dei Eccleſia peregrinationes & labores ſubit. 146. xxxviii. converſioni Græcorum enixe ſtudet. 398. xii. multoſque alios hætherodoxos profligat. 144. xxxii. ejus mortis diem infauſtam prædixere multi. 401. xvi. quænam fuerit oſtenditur. ibid. ob talem obitum quantus in Eccleſia mœror. 399. xiv. in quo beatus Franciſcus de Fabriano lugubres nenias pronunciat. 400. xv. ejus corpus ab hæreticis in fluvium projicitur. 404. xxiii. ſacræ exu-

viæ

Google

viæ variis in locis coluntur. ibid. recenſentur qui ejus ſcripſere geſta. 403. xx. corporis formoſitas. 402. xx. & modus, quo depingitur. 403. xx.

S. Bonaventuræ Virtutes, Doctrina, aliarumque Gratiarum dona.

In Ordinis regimine benignus. 12. xvii. zelator. 4. v. 11. xvi. vigilans. 58. x. prudens. 398. xii. ejus humilitas. 139. xx. puſillum Fratrem patienter audit. 296. v. invitus Cardinalatum accipit. 380. xii. hilariter abſtergit vaſa culinæ. 382. xiii. ſacra Hoſtia per latus ad ejus cor ingreditur. 401. xviii. & ipſe quoque iotra Chriſti latus receptus. 402. xix. Doctrina ejus mirabilis. 139. xxi. ſalutaris. 145. xxvii. ab omnibus diſceoda. 143. xxx. pluries in Concilio Florentioo prolata. 404. xxiv. commendata a Clemente IV. 143. xxx. Pio V. 404. xxiv. ſancto Antonino. ibidem, aliiſque ſanctiſſimis, & doctiſſimis viris. 139. xxi. 404. xxiv. vivens a ſancto Thoma ſanctus vocatus. 138. xviii. ejus liber crux Salvatoris. 139. xx. Spiritus ſanctus in eo loquutus. 140. xxiii. egregie explicat ſacram ſcripturam. 140. xxiv. 141. xxv. in qua profunde verſatus. 141. xxvi. quemadmodum io ceteris omnibus facultatibus. 140. xxi. præſertim in ſacris Ritibus. 141. xxv. & in myſticis interpretationibus. 141. xxvi. frequentiſſime allegabat Patrum ſenteutias. 143. xxix. quos ſemper ſequebatur. ibid. veri Doctoris munere functus. 144. xxxiii. fuit efficax in exhortatione. 144. xxxiv. facundus in ſermone. 145. xxxv. præſertim adverſus hæreticos. 144. xxii. continuo ſtudiis incumbit. 138. xix. ſcribit egregie ſuper Magiſtrum ſententiarum. 143. xxx. iterato S. P. Franciſci vitam. 137. xviii. 138. xviii. itinerarium mentis in Deum, & in ſeipſum. 138. xix. librum Hexameroo. 141. xxiv. 251. xiii. Apologiam contra Gerardum de Abbatis-Villa. 297. vi. aliaque plura opera. 144. xxxi.

S. Bonaventuræ Virtutum monita.

De æterna ſalute acquirenda reſpondet egregie Ægidio interroganti. 187. xiv. docet Prælatos methodum gubernandi. 260. v. reos punire jubet. 261. v. damnat loquacitatem. 260. v. quæſtus nimiam ſolertiam. ibid. procacitatem obloquentium io Prælatos. ibid. curioſitatem ædificiorum. ibid. inobedientiam. ibid. paupertatem commendat. ibid.

S. Bonaventuræ Miracula.

Puerum defunctum ſuſcitat adbuc viveos. 146. xxxix. & alium poſt obitum 403. xxii. Lugdunum contagio liberat. ibid. malos ſpiritus ab obſeſſis corporibus ejicit. ibidem. Caput ejus ſecundo poſt mortem ſeculo repertum integrum. 404. xxiii. & cor ſimiliter. ibidem.

Booaventura de Mugello Apocriſarius Pontificis. 345. iii. ad eum Papales Epiſtolæ directæ. V. *Epiſtola*.

Bonæ Uxoris beati Luchefii corpus in Alemanniam tranſlatum. 57. ix.

Bonifacius de Iporegia Legatus Pontificius. 201. i. 304. ii.

Bonifacius Lupus Marchion Patavii extruit ſacellum. 216. xi.

Bonifacius VIII. Pontifex prodigia narrat ſancti Ludovici. 313. xiii.

Bonifacius de Sabaudia erga Pauperes caritate inſiguis. 241. vi. dat Cartbuſianis nomen. ibid. Epiſcopus Belicenſis renunciatus, inde Archiepiſcopus Cantuarienſis, & alia ejus geſta. ibid.

Brugenſe Monaſterium. 74. vii.

Budenſis Conventus. 325. xxxvi.

Bundinenſis Conventus. 302. xv.

Burgarellus de Burgarellis Cooventum Baniacavalli extruit. 385. xviii.

Bzovius. V. *Abrahamus*.

C

CÆſar Francus Præfectus in conſtructione Templi Patavini. 214. viii.

Cæſar Rianus. 216. xi.

Callii Conventus. 221. xxi.

Calliſienſis Conventus. V. *Kalliſienſis*.

Cambericenſis Cooventus. 240. v. 292. v.

Campi Aquoſi Conveutus. 161. lxiii.

Caoconenſis Familia Conventum Reolæ extruit. 254. xx.

Cantuarienſis Conveotus. 366. xxvii.

Capellus de Chia hæreticus. 124. v. adverſus eum Pootifex Principibus noo unam ſcribit epiſtolam. 124. v. ſeqq.

Capitula Generalia Aſſiſii. 296. iv. Lugduni. 411. xxxiv. Narbonæ. 127. xi. Pariſius. 259. iv. Piſarum. 356. x. 369. v. Romæ. 3. iii.

Cardinalium compromiſſio in electione Gregorii X. 330. iv. eorum ad varios Epiſtolæ. V. *Epiſtola*.

Cariloci Cooventus. 281. xii.

Caritatis eocomia. 185. x. 270. xi. 319. xxv.

Carolus Andegavenſis a Pontifice contra Manfredum incitatur. 233. ix. 242. ii. Senatoria dignitate Romæ decoratus. 242.

242. II. inde renunciatus Rex Siciliæ, & Hieruſalem. ibid. & 370. II. Manfredum profligat. 258. II. ei Pontifex per litteras Palæologi Nuncios commendat. 376. VI. 378. X. cum ſancto Ludovico ad ſacrum bellum pergit. 307. V. ſeqq. cujus obtinet ſacras exuvias. 312. XII. Minoribus concedit Caſtrum pro extruendo Conventu Neritoni. 338. XVII. licentiam pro ædificando Monopolitano. 425. XVI. & ex uno ad alium locum illum Neapolis transfert. 288. XIV.

Carolus Auſtriades ubi ſepultus. 290. XV. ejus ſepulcrale Epitaphium. ibid.

Carolus Claudus ſancti Ludovici Toloſani Pater. 418. IV.

Carolus Æmanuel Lotharingus Neapoli jacet. 29. XVI.

Carolus Luſachius Martyr. 384. XVIII.

Carolus Martellus ſancti Ludovici Toloſani Frater. 418. IV.

Carolus Rex Francorum ditatur maxilla S. Bonaventuræ. 404 XIII.

Caſtilionis Conventus. 281. XIII.

Caſtinus Monaſterii Monachii Fundator. 70. I.

Catarina Baranguer Abbatiſſa. 165. V.

Catarina Paſqual Monialis. 166. IX.

Catarina Socies Monialis. ibidem.

De Chavigni vir illuſtris Conventum Iſſoldunienſem conſtruit. 161. LXIII.

Chriſti imago duos objurgat Tirones e Religione diſceſſuros. 248. VII. 249. VII. vocat Raymundum Lullium ad converſionem. 422. XI.

Chriſtiana ſanctæ Claræ Diſcipula moritur. 96. XIX.

Chriſtianus Beluacenſis Pariſiis tumultus in Regulares excitat. 22. XXVIII. a contumacia abſolvitur. 56. VI.

Chriſtianus Decanus Portuenſis Minoritis contrarius. 288. XIII.

Chriſtoforus de Podio translationi corporis Claræ Ubaldinæ aſſiſtit. 173. XI.

Chriſtoforus de Romandiola. 356. XI. ejus virtutes & geſta. ibid. ignis ad ejus obſequium e cœlo delapſus. ibid. ſuper caput celebrantis columba circumvolat. 357. XI. ei revelatus ſancti Patris Franciſci obitus. 357. XII. plura ſuperſtes patravit miracula. 357. XIII. pluraque poſt obitum. 358. XIV. fuit ditatus ſpiritu prophetico. 357. XIII. in Domino quieſcit. 358. XIV.

Chriſtoforus Toletanus ubi floruit. 158. LVIII.

Ciaconi mendum corrigitur. 379. XI.

Ciſtercienſes Monachi cultum S. Franciſci in Comitiis ſtatuunt. 114. XII. fuut tamen Minoribus noxii. 425. I.

S. Claræ corpus transfertur. 146. XL. impius quidam in ejus ſanctitatem blaſphæmus. 146. XLI. qui a Pontifice cogitur ad palinodiam cantandam. ibid. ejus velum ubi aſſervatum. 172. VIII. officium de ejus feſto in Ordine celebrandum. 129. XIII.

Clara de Ubaldinis nomen dat Clariſſis. 171. VIII. Monaſterii eligitur Abbatiſſa. 171 VIII. ſub ejus regimine Monaſterium intra civitatem translatum. ibid. qualiter educarit diſcipulas. 172. IX. ejus meritis Monaſterium cœlitus providetur. 172. IX. poſt obitum pluribus claret miraculis. 172. X. ſeqq. corpus ejus inventum incorruptum. ibid. & 173. XI. ejus geſta multi ſcripſere. 173. XI. tempus quo obiit. 232. VI.

Clara Llul. Monialis. 166. IX.

Clarimontis Conventus. 384. XVIII.

Clariſſarum curam Minores ſtatuunt dimittendam. 219. XVI. quam tamen reaſſumunt. ibid. eis ſanctus Bonaventura viſitationis formam præſcribit. 230. III. Viſitatorem concedit. ibid. exhibendæ cautionis formulam tradit. 331. III. Regulæ, atque Nomeclaturæ unam præſcribit formam. 232. VII. poſſunt abſolvi ab excommunicatione Canonis contra percutientes &c. 69. XXIX. & privilegiis Minorum uti. ibid. Indulgetur in eorum Eccleſiis tempore interdicti celebrari Divina. ibid. nequeunt per Apoſtolicas literas conveniri. 46. XLIX. compelli ad exactionum ſolutiones. 49. IV. 255. XXII. & prope earum Domos Conventus ædificari. 256. I. ut eas a vexationibus liberet iterato Pontifex ſcribit Epiſtolas. 199. II. earum Monaſteria. V. *Monaſteria*. Pariſienſes Regulam cum mitigationibus obtinent. 221. XXII.

Clemens IV. ſummi Pontificatus ſuſcipit Infulas. 241. I. Carolum Andegavenſem contra Manfredum vocat. 242. II. Senatorem in Urbe creat. ibid. Regemque Siciliæ, & Hieruſalem declarat. ibid. corpora viſitat ſanctorum Franciſci & Claræ. 255. XXI. Templi Aſſiſiatis maximam aram conſecrat. ibid. ſancti Bonaventuræ delectatur operibus. 143. XXX. Palæologo negat quæ per Legatos poſtulat. 269. I. ad quem mittit Fidei profeſſionem. 269. II. Unionem Græcorum ſummopere deſiderat. 275. III. propter quam plures ſcribit Epiſtolas. V. *Epiſtola* Epiſcopum Albanenſem Legatum tranſmarinum declarat. 294. II. Minoribus prædicare Crucem contra Manfredum præcipit.

242. II. ejus de Ordinibus Prædicatorum, & Minorum judicium. 258. III. quibus plures mittit Epiſtolas. 242. II. 257. I. V. *Epiſtola*. *Minores*. Moritur, & commendatur. 286. VII.

Clonmeliæ Coeventus. 301. XIII.

Colonienſis Eccleſia conſecratur. 161. LXIII.

Cometa in obitu Urbani IV. apparuit. 234. IX.

Comitia Generalia. V. *Capitula*.

Concilium Florentinum pluries doctrina ſancti Bonaventuræ utitur. 404. XXIV.

Concilium Lugdunenſe indicitur. 346. IV. & celebratur. 386. I. ad eum ſanctus Bonaventura acceſſit. ibid. qui ad Patres ſermonem habuit. 387. I. non tamen fuit Præſes. 397. XL. adveniunt cum Minoritis Legati Græcorum. 387. II. qui fidem profitentur. 395. VI. & Tartarorum. 395. VI. qui baptizantur. 396. IX. non adfuit Palæologus. 397. X. ſymbolum una ſimul a Latinis, Græciſque cantatum. 394. V. in eo negotia diſcuſſa graviſſima. 397. X. potiſſimum Minoritis commiſſa. 398. XI.

Concilium Ravennæ Prædicatores, & Minores defendit. 115. XIII.

Concionatores debent ſtudiis incumbere. 277. VI. eiſque propterea neceſſaria copia librorum. 278. VI.

Conradus Abbas Cimbrenſis de Clariſſis benemeritus. 99. XXVI.

Conradus de Ophyda Picenus. 232. VII.

Conradus de Tubinga Epiſcopus Tullenſis. 356. X.

Conſtantinus Caetanus acta quædam Auctori miniſtrat. 147. XLII.

Conſtitutiones generales. 127. XI. V. *Capitulum*.

Contemplationis gradus a beato Ægidio docentur. 192. XXIII.

Conventus ſanctæ Agathæ. 280. X. Agathenſis. 97. XXI. Albiæ. 341. II. 424. XIV. Alcalæ Beticenſis. 117. XVIII. Sancti Angeli in Pontano. 281. XI. Aquilæ. 302. XIV. Ariminenſis. 45. XLVII. Aſturicenſis. 366. XXVI. Atienzæ. 268. XIX. Augremontenſis. 325. XXXVI. Aurelianenſis. 338. XVII. Auxitanus. 413. XXXVII. Baniacavalli. 384. XVIII. Barbonenſis. 237. XIV. Bernajæ. 424. XIV. Beroaſiæ. 116. XVII. Bettonii. 267. XIX. Bithomii. 103. V. Bleſenſis. 199. I. 386. III. Budeoſis. 325. XXVI. Bundinenſis. 302. XV. Cadomenſis. 199. XLV. Callii. 221. XXI. Camberiaci. 240. V. 292. V. Campi aquoſi. 161. LXIII. Cantuarienſis 366. XXVII. Cariloci. 281. XII. Caſtriberardi. 424. XV. Caſtrivallis. 384. XVIII. Caſtrivillarum a quo extructus. 234. X. Cataniæ. 97. XXII. Clarimontis. 384. XVIII. Clonmeliæ. 301. XIII. Cordubenſis. 237. XV. Dertoſæ. 281. XIII. Dirutæ. 220. XXI. Dublinienſis. 339. XVIII. Eboreoſis. 288. XII. 292. VI. Ebroicenſis. 325. XXXIX. Fabrianenſis. 280 X. Sancti Facundi. 65. XXII. Ferrarienſis. 174. XV. Forolivii. 45. XLVII. Francfordienſis. 302. XV. Gebennenſis. 240. V. 292. IV. Glogovii. 252. II. Gneſnæ. 328. II. Gordonii. 384. XVIII. Gripſuvaldenſis. 220. XXI. Guardiæ. 288. XI. Hiortii. 424. XV. Hiſpalenſis. 157. LVIII. Hortanus, ſive Ortanus. 116. XVII. Ingolſtadii a quo fundatus. 425. I. Iſſoldunienſis. 161. LXIII. Julioduni vel Loſduni. 424. XV. a quo fundatus. 416. V. Kaliſienſis. 73. VI. Laudunenſis. 300. XI. Lauri. 116. XVII. Lauſanæ. 292. V. Leporenſis. 326. XXXVI. Leyriæ. 287. X. Sancti Macharii. 253. XVII. Majoricæ. 66. XXIV. Maliani. 267. XIX. Sanctæ Mariæ in Georgio. 220. XXI. Martelli. 268. XIX. Sancti Maxentii. 424. XV. Mediolanenſis SS. Naboris & Felicis. 43. XLV. Metenſis. 67. XXVI. Monopolitanus. 425. XVI. Montis Briſonis. 326. XXXVII. Montis Granarii. 116. XVII. Montis Marſani. 327. XL. Montis Ottoni. 237. XV. Montis ſancti Petri Angelorum. 254. XIX. 326. XXXVI. Montis Politiani. 302. XV. Montis Rubiani. 66. XXIII. Montis Ulmi. 254. XIX. Monachii datum Monialibus. 70. I. Morellæ. 366. XXVII. Narbonenſis. 161. LXII. Neapolitanus ſanctæ Mariæ Novæ. 288. XIV. Neritoni. 338. XVII. Niſſæ. 73. VI. Novi Caſtri. 326. XXVII. Nurſiæ. 254. XIX. Oppidi Extremorum. 100. I. Ortanus, ſive Hortanus. 106. XVII. Palenſis. 178. XXI. Partioiaci. 424. XV. 342. IV. Patavini Viri Illuſtres. 279. IX. Pennenſis. 177. XIX. Perienſis. 199. XLV. Pictavienſis. 424. XV. Pliſnenſis. 221. II. Pontanenſis. 340. XIX. Portuenſis. 288. XIII. Potentiæ. 267. XIX. Præoſtoqueoſis. 325. XXXVI. Priſquitii miraculoſe ædificatus. 267. XVIII. Proceni. 237. XV. Pupii. 177. XIX. Sancti Quintini. 326. XXXVIII. Radicoſani. 67. XXV. Ravennatenſis. 178. XX. Reolæ. 254. XX. Roccæ de Contrata. 268. XIX. Santanderenſis. 326. XXXVIII. Scalabitanus. 286. IX. Secuſii. 240. IV. Sancti Sepulcri. 97. XXI. Sezanii. 160. LXI. Sremæ. 328. II. Staphuli. 288. XIII. Tarraconenſis. 281. XIII. Tarviſinus. 161. LXIV. Thermarum. 45. XLVII. Thovarci. 424. XV. Tornacenſis. 326. XXXVIII. Tullenſis. 366. XXVI. Tyburtinus. 44. XLVI. Vene-

netenſis. 254. xviii. Veronenſis. 179. xxii. Villacenſis. 67. xxv. Ulyſſiponenſis. 367. xxviii. Wintonienſis. 366. xxvii. Witembergenſis. 267. xix. Xereſius. 236. xiv. Zamorenſis. 158. lix. Zavicoſti. 104. vii.
Conventus Monialium. V. *Monaſterium*.
Cordubenſis Conventus. 237. xv.
Cornelius Epiſcopus Dunenſis ab hæreticis jugulatus. 339. xviii.
Corradinus Friderici nepos nequit viribus Manfredi obſiſtere. 233. ix.
Creſcilbene Fabrianenſis. 284. iii.
Crux ſancti Bonaventuræ Codex. 139. xx. ad verbum ejus prædicandum Minores miſſi. V. *Minores*.
Cunei Monaſterium. 167. xiii.

D

DÆmon in forma Canis Apoſtatam necat. 173. xiii. apparet Fratri ſumpta Guardiani forma. 174. xiv. Tironi ſub ſpecie Angeli. 174. xv. aliis etiam ſtruit inſidias. 174. xvi. ſeqq. præſertim perfectioribus. 262. vii. pro Cubicularia cuidam inſervit Mulieri. 419. v. Opilionem quemdam ſubducit. 324. xxxiv. Tironem infirmum minatur. 264. xi. Ruffino moleſtus. 316. xx. & etiam Stephano Corvo. 322. xxx.
Damianitæ. V. *Clariſſæ*.
Damianus de Comitibus ubi floruit. 279. ix.
Damianus Fabrianenſis vir Dei. 284. iii.
Damnati cur perpetuo torqueantur. 189. xvi.
Daniel Provinciæ Boemiæ Miniſter. 103. vi.
Dantes Aligberius de ſancto Bonaventura ſermonem habet. 403. xix.
David Auguſtanus virtute inſignis. 358. xv. commendatur. 359. xv. Ejus pia Opuſcula. ibid. Num fuerit Bertholdi Ratiſponenſis magiſter? 363. xxi.
Deodatus Miniſter Boemiæ, & Poloniæ. 302. i.
Dermitius Mulronius Martyr. 301. xiii.
Dermitius O Hurly Archiepiſcopus Caſſellenſis. 339. xviii. Martyr occubuit. ibidem.
Dertoſæ Conventus. 281. xiii.
Didacus Badam Conventum Majoricenſem conſtruit. 66. xxiv. ad tres fuit Eccleſias promotus. ibidem. Ejus ſepulcrum, & epitaphium. ibid.
Didacus a Coria Carmelita de Minorum habitu teſtimonium facit. 136. xvii.
Dionyſius Poſnanienſis Martyr. 120. iii.
Dionyſius Rex Luſitaniæ perperam a Bzovio improbatus. 383. xvi.
Dirutæ Conventus. 220. xxi.
Diſcipuli quidam S. P. Franciſci in Conventu Eborenſi requieſcunt. 292. vi.
Diſputationes publicæ quando primum a Minoritis habitæ. 259. iv.
Doctrina nil abſque operibus prodeſt. 185. ix.
Dominicani in Ravennati Concilio cum Minoribus defenduntur. 115. xiii. Eis cura commiſſa prædicandi Crucem. 242. ii. in quo pretio apud Pontificem. 258. iii. a quo commendati. 262. vii. & a ſancto Ludovico dilecti. 311. x. V. *Minores*.
Dominicanus de Virginitate Deiparæ miraculo inſtruitur. 186. xii. & alii duo aliud divinum Myſterium addiſcunt. 187. xv.
Dominicus Ægidii Monaſterium de Rapariegos extruit. 327. xli.
Dominicus Bonardus obit Pariſiis. 385. xviii.
Dominicus Eires vexatur a Dæmonibus. 264. xi.
Dominicus nepos beati Franciſci Fabrianenſis. 278. vii.
Donatellus Florentinus Fuſor percelebris. 214. viii.
Donatus Ferrarienſis prophetia ditatus. 321. xxvi.
Donus de Penna Conventus Baniacavalli fundator. 385. xviii.
S. Dorothea Regni Pruſſiæ Patrona. 337. xiii.
Dublinienſis Conventus. 339. xviii.
Dublinii Civitatis deſcriptio. ibid.
Dulcia Pavo nobilis fœmina Monaſterium Caſtillionenſe ædificat. 281. xiii.
Duracenſis Comes tres Minoritas occidit. 253. xvii.

E

EBorenſis Civitatis deſcriptio. 292. vi. Eborenſis Conventus. 288. xii. 292. vi.
Ebroicenſis Conventus. 327. xxxix.
Ecelini in Patavinos ſævitia. 213. vii. ab Octavio Cardinali Ubaldino profligatus. ibidem.
Eccleſiæ Romanæ dotes. 205. ii. ſeqq. omnes ſuos diligit filios. 270. ii. circa ejus regimen continua Dei Providentia. 332. vi.
Edmundi Butleri Baronis pietas. 301. xiii. de inimicis triumphat. ibid.
S. Edmundus Cantuarienſis Epiſcopus Bacconis præceptor. 264. xiii.
Eduardus Angliæ Princeps ad ſacrum bellum pergit. 307. v. proditorie percuti-

Digitized by Google

cutitur. 308. vi. Pontifici beueficus. 333. vii.

Eleonora Quint & Paglada Monialis. 166. ix.

Elias Dominicanus Pariſinæ Cathedræ reſtitnitur. 14. xxi.

Eliſabetha Galliæ Regiua moritur. 309. vii.

S. Eliſabetha Hungariæ Regina ſancti Ludovici Toloſatis conſauguinea. 418. iv.

S. Eliſabetha Luſitaniæ Regina naſcitur. 337. xv. apud Avum æducanda ducitur. 337. xvi. ad paternam domum revertitur. 338. xvi. ejus ſanctitatis præludia. ibid. & animi dotes. ibid.

Eliſabetha Orphianiſſa ſanctæ Claræ diſcipula. 415. iv.

Eliſabetha Puig Monialis. 166. ix.

Eliſabetha de ſaucto Juan Monialis. 165. vii.

Emanuel Rodericus floret Salmanticæ. 361. xlv.

Euecus Minorita mittitur contra Epiſcopum Quinque-eccleſienſem. 266. xvi.

Epiſtola Alexandri IV. Regi Francorum. 17. xxv. 22. xxviii. 28. xxxii. 29. xxxiii. 152. liii. Prælatis univerſarum Eccleſiarum. 55. iv. Galliæ. 31. xxxiii. Ducatus Spoletani. 87. iv. Provinciæ Romanæ. 123. iv. 124. v. Caſtellæ, & Legionis. 101. iv. 105. i. Archiepiſcopis & Epiſcopis Lombardiæ, & Romaniolæ. 164. i. Epiſcopis Pariſienſi. 15. xxiii. 18. xxvi. 21. xxvii. 107. iii. 107. iv. 108. v. 127. x. Culmenſi, & Curonienſi. 41. xli. Terdonenſi. 47. i. Uratislaviæ, & Prædicatoribus Crucis. 40. xl. Wirgonienſi. 42. xlii. Generali, & Provincialibus. 72. iii. 119. i. 163. i. Provinciali, & Fratribus Minoribus Angliæ. 42. xlii. 64. xxi. & Provinciæ Romanæ. 168. ii. Inquiſitoribus Lombardiæ, & Januenſi. 49. i. Italiæ. 89. vii. Ducatus Spoletani. 88. vi. Proviuciæ ſancti Frauciſci. 121. i. 122. ii. 122. iii. Provinciæ Romanæ. 126. ix. 167. i. & Urbis. 168. iii. Cuidam Inquiſitori Minoritæ. 86. iii. 88. v. Minoribus iu terris infidelium. 84. i. Priori & Fratribus Prædicatorum Alemanniæ. 146. xli. Pariſienſibus. 24. xxix. 52. iii. & Neapoli degentibus. 116. xvi. Prædicatoribus Crucis. 40. xl. Guardiano & Fratribus de ſancto Facundo. 65. xxii. Clero Fabrianenſi. 37. xxxvii. & Populo. 61. xii. Uuiverſis Fidelibus. 71. ii. Poteſtati, & Conſilio Tuſcanen. 125. vi. & Viterbien. 126. viii. Magiſtris, Scholaribus, & Auditoribus Pariſienſibus. 16. xxiv. 33. xxxvi. Executoribus Teſtamentorum. 72. iv. Walaſco Minoritæ. 110. vi. Bartholomæo de Bruuna, & Lamberto Theoronico. 63. xvii. Petro Jacobo Surdi. 125. vii. Guillelmo de ſancto Amore. 56. v.

Clementis IV.

Sancto Bonaventuræ. 252. xiv. Imperatori Palæologo. 269. ii. Joſepho Græcorum Patriarchæ. 275. iii. Archiepiſcopis Bituricenſi &c. Priori Prædicatorum, & Miniſtro Minorum Franciæ &c. 242. ii. Archiepiſcopo Aquenſi. 262. vii. Iuquiſitoribus Minoritis in Romaniola. 244. iii. & per Italiam conſtitutis. 257. i. Miniſtro ſancti Franciſci. 248. v. Provincialibus Prædicatorum, & Minorum Regui Caſtellæ. 266. xv. Rogerio Bacconio. 265. xiv. Leonardo de Eſculo. 267. xvii. Joanni Martini. 250. xii. Cuidam Militi. 258. iii. Guillelmo de ſancto Amore. 163. ix.

Gregorii X.

Sancto Bonaventuræ. 381. xii. Palæologo Imperatori. 346. iv. 376. vii. 377. viii. 406. xxvii. 407. xxviii. Andronico Palæologi filio. 407. xxix. Patriarchis Græcorum. 352. v. Hieroſolymitano, ejuſque Suffraganeis. 343. ii. Regibus, Epiſcopis, aliiſque Prælatis. 355. viii. Regi Siciliæ. 355. ix. Epiſcopis Orientalibus, 407. xxx. Miniſtro Provinciæ Romanæ. 408. xxxii. Hieronymo Auſculano, ſociiſque Nuutiis. 353. vi. 354. vii. 378. ix.

Honorii III.

Cuſentino Archiepiſcopo, & Epiſcopo Biſinianenſi. 6. viii.

Urbani IV.

Palæologo Imperatori. 181. ii. 201. ii. 225. ii. Patriarchis, Archiepiſcopis &c. 211. iv. Epiſcopis Papienſi, & Placentino. 200. ii. Guillelmo de Villarduin. 212. v. vi. Simoni de Alvernia, & Sociis Nuntiis. 210. iii. ſeqq.

Sancti Bonaventuræ.

Miniſtris, & Cuſtodibus Ordinis. 58. x. Fr. Laurentio Viſitatori Monialium. 230. iii. Miniſtro Provinciæ Galliæ. 260. v.

Cardinalium.

Pontifici Gregorio electo. 332. vi. Regi Franciæ. 306. iii. Epiſcopo Albanenſi. 295. iii. 303. ii.

Palæologi Imperatoris.

Romano Pontifici. 223. i. 371. iv. 375. v. 390. iii.

Caroli Regis Neapoli.

Amirato ſuo. 378. x.

Prælatorum Orientalium.

Summo Pontifici. 392. iv.

Guillelmi Epiſcopi Aretini.

Diœceſanis ſuis in commendationem Mon-

Montis Alvernæ. 13. xx. V. *Regeſtum*.
Eraſmus Gattamelata Narnenſis Dux Templum ſancti Antonii exornat. 214. viii. in quo ei erectum ſimulacrum. ibid.
Ermentrudis virgo ſanctitate præclara. 74. viii. in pueritia admirabilis. ibid. ejus parentes decedunt. 75. ix. cœlitus admonita Patriam relinquit. 76. xi. hoſpes ab alia Virgine in quadam ſilva recipitur. 76. xii. ibi remanere recuſat. 78. xv. Flandriam verſus peragratur. 78. xvi. Apud ſanctum Bavonem ſolitaria degit. 79. xviii. Virgines alias eam inviſentes inſtruit. 79. xvii. Monaſterium Brugenſe fundat. ibid. alium locum apud Gandavum excipit. 79. xviii. pluraque fundat xenodochia. 80. xviii. Sanctam Claram Aſſiſiatem divino oraculo imitatur. 80. xix. quam videre nequicquam deſiderat. 81. xxiii. Sancta Clara eam in ſpiritu agnoſcit. 80. xx. eique mittit epiſtolam. ibid. Romam proficiſcitur. 81. xxiii. ubi a Pontifice Monaſteria erigendi facultatem impetrat. 82. xxiv. Brugas revertitur. 82. xxv. aliaque Monaſteria conſtruit. ibidem. Ei revelantur divina Myſteria. 83. xxvi. De obitus tempore & loco non conſtat. 83. xxvii.

F

FAbrianenſis Conventus transfertur. 280. x. in eo ſancti viri floruerunt. 284. iii. celebratum ibi Provinciale Capitulum. 220. xx.
Fabrianenſis Clerus Minoribus moleſtus. 36. xxxvii. 61. xii. quibus jubet Pontifex ut a moleſtiis deſiſtant. ibidem.
Fabrianenſis Eremitorii beatus Ægidius incola. 183. vi.
S. Facundi Conventus. 65. xxii.
S. Felicis Papæ & Martyris corpus tumulatum Patavii. 215. xi.
Ferdinandi de Caſtillo circa tempus mortis ſancti Bonaventuræ mendum corrigitur. 401. xvii.
Ferdinandus Rex Hiſpalim Minoritas vocat. 157. lviii. Ludovico ſecundo nato Cœnobium extruit. 237. xv.
Fernandus Braccarenſis Minorita ex commiſſione a Lupo Antiſtite promotus ad Ordines. 64. xix.
Ferrarienſe Monaſterium. 68. xxvii.
Ferrarienſis Conventus. 174. xv.
Fides qualis in homine exigatur. 195. xxxiii. Profeſſionis ejus formulam Pontifex Palæologo mittit. 269. ii.
Florentini Monaſterii translatio. 171. viii.
Forolivii Conventus. 45. xlvii.
S. Fortunati Corpus Mediolani requieſcit. 44. xlv.
Francfordienſis Conventus. 302. xv.
Franciæ Provincia dividitur. 338. xvii.
Franciſca Bracamonte obit Metimnæ Campi. 46. xlviii.
Franciſca Mas Monialis. 166. ix.
Franciſcani. V. *Minores*.
S. P. Franciſcus textu Apocalypſeon *Vidi alterum Angelum &c.* litteraliter adumbratus. 259. iv. Ruffinum veſtibus nudatum ad prædicationem mittit. 315. xvii. quem & ipſe ſine veſte ſequitur. ibid. Ejus ſacra Stigmata celebrata ab Alexandro IV. 71. ii. 105. i. illis contradicentes juſtis plectuntur pœnis. 106. i. Blaſphæmus quoque nominis ejus punitur. 301. xiii. pejerantes ab Imagine ejus confuſi. ibid. Mulier feſtum ejus diem non celebrans panes in lapides invenit converſos. 264. xii. Ejus meritis Domino redditur ſublata pecunia. 315. xiv. Puero ægroto ſalus. ibidem. alteri mortuo vita. 115. xv. duo Animam agentes ſanantur. ibidem. Cum ſancto Antonio Patavino mulierem eripit e poteſtate Satanæ. 419. v. aliam a morte, & a mariti ſævitia liberat. 420. vi. ſanctus Bonaventura in Pariſienſibus Comitiis celebrat ejus laudes. 259. iv. ejus Officium denuo correctum proponitur. 129. xiii. quod Ciſtercienſes recitare jubentur. 113. xii. Nomen ipſius cæteris aliorum Sanctorum in confeſſione addendum. 129. xiii. Ejus Pallium, & Stola Florentiæ aſſervata. 172. viii.
Franciſcus Bivarius Abbatis Joachimi cauſam patrocinatur. 6. ix. Auctori quamplurima monumenta miniſtrat. 114. xi.
Franciſcus Fabrianenſis cœlitus monitus Seraphico Sodalitio dat nomen. 276. iv. egregios habet in tirocinio Magiſtros. ibid. mittitur ad lucrandam indulgentiam Portiunculæ. 276. v. de qua cum beato Leone ſermonem habet. ibid. & teſtimonium affert. 277. v. Loquitur de miniſteriatu Cathanei. ibid. & virtutibus ſancti Bonaventuræ. ibidem. in cujus obitu funebres edicit nœnias. 400. xv. Sacrorum Codicum copiam habet non modicam. 277. vi. in quorum ſtudiis mirabiliter proficit. 277. vi. Ejus humilitas, aliæque virtutes. 278. vii. a Piſano, & Marco commendatus. 277. vi. Duos Nepotes ad Franciſcanum Sodalitium trahit. 278. vii.
Franciſcus Fabrianenſis alius Theologus. 284. iii. 291. ii.
Franciſcus Gonzaga corrigitur. 425. i.

Fran-

Franciſcus Halanus ab bæreticis compreheuſus. 340. xix. liberatus iterato, ſponte poteſtati eorum ſe tradit. ibid.
Franciſcus quidam de Marchia floret in Ordine. 291. ii.
Franciſcus Maurolicus errat circa tempus obitus ſancti Bonaventuræ. 401. xvii.
Franciſcus Minorita Epiſcopus Terracinenſis. 411. xxxv.
Franciſcus Piſignolus. 385. xviii.
Franciſcus Placentinus a Poutifice in Siciliam miſſus. 43. xliv.
Franciſcus le Roy quorumdam librorum auctor. 327. xxxix.
Franciſcus Zenus ubi tumulatus. 289. xiv.
Fridericus Lotbaringus Conventum Novi Caſtri Minoribus extruit. 326. xxxvii.
Fulcodius Gallus pater Clementis IV. 241. i.
Fulgentius vir Dei Minorita floret Patavii. 279. ix.
Funicellorum familiæ Neapoli ſacellum. 290. xv.

G

GAllinatus Zamorenſis ſolum pro Cœuobio Zamorenſi conſtruendo douat. 158. lix.
Gamfredus Miniſter Poloniæ, & Boemiæ. 291. iii. inter quem & Fratres grave diſſidium exortum. ibidem.
Gandavenſe Monaſterium. 79. xviii.
B. Gandulphus de Benaſco. 147. xlii. Ejus deſcribuntur virtutes. ibid. ſeqq. ſecedit in ſolitudinem. 148. xliii. Floret Arimini cum beato Girardo. 45. xlvii. Prædicit improbo ſocio extremum exitium. 148. xlv. & ſui obitus tempus. 149. xlvii. Alteri ſocio morti proximo loquelam, & ſalutem reſtituit. 148. xliv. prædicans garrientibus hirundinibus ſilentium imponit. 149. xlvi. nullum peccatum commiſiſſe fertur. 149. xlvii. ſanctiſſime ad mortem ſe diſponit. ibid. die Sabbati ſancti obit. ibid. Ad funus ingens multitudo populorum accurrit. 149. xlvii. Muto loquelam reſtituit. 149. xlviii. alioſque a variis languoribus curat. ibid. ſeqq. Sacri Corporis fit ſolemnis translatio. 150. xlix. quæ hirundiuum cantu mirabiliter celebratur. ibid. prodigia ſolemnitatem augent. 150. xlix. de ſuis actis tranſmiſſus Auctori proceſſus. 151. l. ejuſque Antiphonæ, ac Orationis exemplar. ibid. Politii ubi requieſcit ejus dies feſtivus colitur. 152. li. Recenſentur, qui ejus geſta ſcripſere. 147. xlii. 151. l.
Gaſto Fuxenſis Comes Ædem Moutis Marſani Minoritis ædificat. 160. lx.
Gaufridus de Bello-loco vitam ſancti Ludovici ſcribit. 313. xv.
Gebennæ Conventus. 240. v. 291. v.
Gentilis Minorita Inquiſitor. 126. ix.
Georgius Agropolita, & Georgius Zinuchi Græci Concilio Lugdnnenſi iuterſunt. 387. ii.
Gerardus de Abbatis-Villa. V. *Girardus.* infra.
Gerardus de Camino Conventum Tarviſinum transfert. 161. lxiv.
Gerardus Cuſtos Generalis locum Ravennæ renunciat. 178. xx.
Gerardus Minorita Joachimum Abbatem defendit. 3. ii. in ſua ſententia inflexibilis. 4. v. Contumax cum ſocio in carcerem truditur. ibid. libertatem recipit. 5. v.
Gerardus de Prato Pontificius Nuntius ad Palæologum. 225. ii.
Germanus Paleologi conſanguineus in Concilio Lugdunenſi. 387. ii.
SS. Gervaſii, & Prothaſii Corpora ubi inventa. 44. xlv.
Gilebertus de Preſtoua Minoribus in Cœnobio conſtruendo fautor. 64. xxi.
Giraldus de Abbatis-Villa adverſus Meudicantes impium edit libellum. 297. vi. cui ſaucius Bonaventura reſpondet. 297. vii. miſere moritur. 298. vii. tempus recenſetur, quo ſcribebat. 298. viii. callidus in hac nequitia. 298. ix.
Glogovii Conventus. 256. ii.
Gueſnæ deſcripta Civitas. 328. ii.
Gneſnæ Conventus. 328. ii.
Gneſnæ Monaſterium. 120. v.
Goffridus nuntius a Palæologo miſſus. 375. v.
Gondiſalvi Fernandes a Corduba ſacellum. 290. xv. Corpus Magui Lautrecci redimit. ibidem.
Gordonii Couventus. 384. xviii.
Græci, latinis fugatis, Imperium Orientis occupant. 175. xviii. in eos Pontifex catholicos Principes excitat. ibid. ad Pontificem Apocriſarios mittunt ad tractandam unionem. 181. i. qui eum litteris remittuutur. 181. ii. Ad eos quatuor Minoritæ Apoſtolici Nuntii. 201. i. Græcorum quæſita. 202. ii. ad quorum ſingula reſpondetur. 203. ii. Inſtruuntur de bono unitatis & caritatis. 204. ii. de Primatu Petri. 205. ii. de dotibus Romanæ Eccleſiæ. ibid. ſeqq. qualis cura Pontificis in expeditione Nuntiorum. 209. iii. ſeqq. & in tractatu unionis. 275. ii. 346. iv. 354. vii. iterato mittunt Romam Apocriſarios. 223. i. Pontifex alios duos Minoritas
ad

ad eos dirigit. 225. ii. irritus Minoritarum labor. 269. i. Denuo Græci Nuntios mittunt Romam cum profeſſione fidei. 269. i. quæ Papæ non arridet. ibid. quæque remittitur erroribus purgata. 272. ii. Eorum Patriarcha ad unionem excitatur. 275. iii. 352. v. Ad eos reconciliandos ſanctus Ludovicus arbitrarius conſtituitur. 303. i. præſcribitur ipſis juramenti formula. 305. ii. Tertio Minoritæ ad eos Nuntii. 345. iii. viciſſim alter ex Franciſcanis nuntius Imperatoris ad Pontificem. 347. iv. eorum cauſa Concilium Generale indicitur. ibid. vocantur ad Concilium. 353. v. ejuſdem acta. 386. i. In eo cum Latinis ſymbolum cantant. 394. v. fidem profitentur. 395. vi. & Primatum Pontificis agnoſcunt. ibid. Epiſtolæ ad eos directæ. V. *Epiſtola*.

Gratia Fabrianenſis vir Dei. 276. iv. 284. iii.

Gratianus beati Ægidii Aſſiſiatis ſocius. 192. xxiv. 194. xxx. dubitatur de loco, ubi tumulatus. 320. xxvi.

S. Gregorii feſtum in Ordine Seraphico celebrandum. 129. xiii.

Gregorius de Beldico in Provincia Pennenſi. 322. xxviii.

Gregorius X. abſens ad Papalem dignitatem evectus. 329. i. electioni hujuſmodi multum ſanctus Bonaventura contulit. 329. ii. non tamen Compromiſſarius fuit. 330. iii. Ad eum Cardinales nuntias litteras mittunt. 332. vi. quas Ptolemaide accipit. 333. vii. ejus iter, & comitatus Eduardi Principis munificentia. ibid. coronatur Romæ. 334. vii. Quid egerit pro converſione Græcorum. V. *Græci ſupra*. Convocat, & celebrat Lugdunenſe Concilium. V. *Concilium Lugdunenſe*. Quanti fecerit merita ſancti Bonaventuræ. V. *S. Bonaventura*. Et quantum Minores dilexerit. V. *Minores*. Expedit diplomata pro redemptione Terræ ſanctæ. 367. i. 385. ii. 413. i.

Grimislava Genitrix beatæ Solomeæ Tertii Ordinis. 104. vii. Cœnobium Minorum Zavicoſti ædificat. ibid.

Gripſuvaldenſis Conventus. 210. xxi.

Guadagnus Cerviæ Antiſtes Eccleſiam Monaſterii Ferrarienſis conſecrat. 68. xxvii.

Gualterius Brugenſis Pictavorum Epiſcopus. 342. iv.

Gualterius diſcipulus ſancti Franciſci moritur. 91. viii. Multis poſt obitum miraculis fulget. ibid. ex ejus ſepulcro mirandum oleum exudat. ibid. in ejus honorem Cœnobium extruitur. ibid. & in Templo ſacellum. 92. viii. Tranſlationis corporis anniverſaria celebrantur ſolemnia. ibid. Inſcriptio, & Epitaphium. ibid.

Guardiæ Conventus. 288. xi.

Guardus Minorita a beato Ægidio edoceri cupit. 188. xvi.

Guibertus de Tornaco a Summo Pontifice ad ſcribendum excitatus. 57. viii.

Guido, Epiſcopus Camerinenſis licentiam conſtruendi Conventum Fabriani concedit. 280. x.

Guido Epiſcopus Venetenſis Eccleſiam Minorum conſecrat. 254. xviii.

Guido Groſſius Cardinalis ad Pontificatum aſſumptus. 241. i. 256. i.

Guido de Monte Forti Henricum filium Richardi Imperatoris occidit. 334. vii. excommunicatus, ad Pontificis pedes devolvitur. 413. xxxvi. cujus juſſu carceri mancipatur. ibid. & a cenſuris abſolvitur. ibid.

Guido Novellus Comes Eccleſiam Pupii ædificat. 177. xix.

Guido Senenſis beati Leonis ſocius. 334. viii.

Guido ſocius beati Ægidii ſanctitate celebris. 320. xxvi.

Guillelma Monialis Baranguer. 265. v.

Guillelminus Guardianus renunciationi loci Ravennatis conſentit. 178. xx.

Guillelmus de ſancto Amore primus tumultus Pariſienſis auctor. 16. xxiv. ab ejus ſententia ut recedant hortatur Pontifex Pariſienſes. ibid. ſeqq. qui etiam jubet adverſus eum procedi. 22. xxviii. & ab univerſo Regno repelli. 23. xxvii. In Mendicantes impium libellum edit. 24. xxx. a Pontifice proſcriptum. 25. xxx. & Pariſiis combuſtum. 25. xxxi. alium libellum temere Pontifici Clementi mittit. 263. ix. a quo etiam merito condemnatur. ibid. Excommunicatus ab Alexandro. 56. v. 108. v. male moritur. 57. vii.

Guillelmus Aretii Antiſtes Montem Alvernæ commendat. 13. xix.

Guillelmus Arnaldi Apoſtata. 65. xxii.

Guillelmus Beleth Cadomi tumulatus. 199. xlv.

Guillelmus Bertrandus Minorita Inquiſitor. 262. vi.

Guillelmus Carnotenſis ſancti Ludovici ſacellanus. 312. xi. cujus vitam ſcribit. 314. xv.

Guillelmus Eyſengrenius Joannem Parmenſem commendat. 8. xii.

Guillelmus de Harſegny Laudunenſis Cœnobii benemeritus. 300. xi.

Guillelmus Kilkenni Epiſcopus Elienſis moritur. 64. xx.

Guil-

Guillelmus Maranus virtute præclarus. 291. II.
Guillelmus de Militona Summam Alenſis abſolvit. 57. VIII. apud Romanum Pontificem quanti meriti fuerit. ibid.
Guillelmus Naogiacus vitam ſcribit ſancti Ludovici. 314. XV.
Guillelmus Pepin eamdem vitam enarrat. 313. XIII. 314. XV.
Guillelmus Pictavienſis. 57. VIII.
Guillelmus de Radicofano in Monte Alvernæ requieſcit. 320 XVI.
Guillelmus de Villarduin Princeps a Palæologo vexatus. 201. I. ei ſcribit Pontifex pro ineunda pace. 212. V. ſeqq. 376. VI.

H

Habitus Minorum forma mutatur. 136. XVII. illum abjiciens miſere perit. 173. XIII. 263. X. 264. X. XI.
Helena a ſancto Antonio Luſitaniæ Regis filia Monialis. 117. XIX. Ejus virtutes & miracula. ibid.
Helena Brunſuicenſis Witembergæ Monaſterium extruit. 267. XIX.
Hendricus Culmenſis Epiſcopus mandatum habet prædicandi Crucem. 41. XLI.
Henricus Bambergenſis Epiſcopus Minorita. 67. XXV.
Henricus Curonenſis Epiſcopus ad Eccleſiam Chiemenſem tranſit. 219. XVII. ei demandatur prædicatio Crucis. 41. XLI.
Henricus de Gandavo doctrinam ſancti Bonaventuræ quanti faciat. 404. XXIV.
Henricus de ſancto Germano Epiſcopus Iſernienſis. 278. VIII.
Henricus Guardianus Cracoviæ pro Chriſto interemptus. 302. I.
Henricus Knoderer Epiſcopus Baſileenſis quo genere ortus. 412. XXXV. ejus evectio ad Epiſcopatum mirabilis. ibid. Archiepiſcopus Moguntinus renunciatus, & alia ejus geſta. ibid.
Henricus IV. Galliarum Rex Moniales Monaſterio Montis Marſani reſtituit. 327. XL.
Henricus Richardi Imperatoris filius Viterbii interemptus. 334. VII. 413. XXXVI.
Henricus Sattala corpora SS. Naboris, & Felicis recondit. 43. XLV.
Henricus Willot de virtutibus Joannis Parmenſis teſtimonium protulit. 9. XII.
Hæretici Calviniſtæ corpus ſancti Bonaventuræ in flumen projiciunt. 404. XXIII. demoliuntur Conventus Aurelianenſem. 338. XVII. Bernay. 424. XIV. Clonmeliæ. 301. XIII. Dublinii. 339. XVIII. Ebroicenſem. 327. XXXIX. Gordonii. 384. XVIII. ſancti Macarii. 253. XVII. Montis Briſonis. 326. XXXVII. Montis Marſani. 160. LX. & *Monaſterium*. 327. XL. Perienſem. 199. XLV. Pictavienſem. 424. XV. Sezanii. 160. LXI. Witembergæ. 267. XIX. ſæviunt in Fratres. 327. XXXIX. 326. XXXVII. 339. XVIII. 384. XVIII. contra eos Inquiſitores deſtinati. V. *Inquiſitores* & leges exequendæ. 88. VII. ſeqq. 121. I. ſeqq. 248. VI.
Hiberuici Sancti ſuas ulciſcuntur injurias. 340. XIX.
S. Hieronymi Feſtum in Seraphico Ordine celebrandum. 129. XIII.
Hieronymus Aſculanus Pontificis Nuncius in Oriente. 345. III. ei Pontifex mittit Epiſtolas. 353. VI. 378. IX. & ipſe Pontifici. 387. I. Tartarorum Legatos ad Concilium Lugdunenſe conducit. 395. VI. creatur Miniſter Generalis. 411. XXXIV.
Hieronyma Pual Monialis. 166. IX.
Hieronyma Reus Monialis. 167. VIII
Hieronymus Campagna Veronenſis ſculptor. 215. IX.
Hieronymus Campana Patavini Operis Præfectus. 214. VIII.
Hieronymus Magnanus Veſtanus Epiſcopus claret Patavii. 208. IX.
Hieronymus Malpilus Doctor ægregius obiit Pariſiis. 385. XVIII.
Hieronymus Quirinus Bembo ſepulcrum excitat. 216. IX.
Hilarius Cboun Epiſcopus. 424. XV.
Hildebrandus Eſteoſis Epiſcopus Conventus Ingolſtadienſis approbat erectionem. 426. I.
Hiortii Conventus. 424. XV.
Hippolitus Farneſius Tyburi ſuæ Familiæ Palatium ædificat. 44. XLVI. in Tyburtina Franciſcanorum Eccleſia tumulatus. 45. XLVI.
Hiſpalenſis Conventus. 157. LVIII.
Hoberta Beleth Cadomi tumulata. 199 XLV.
Honuphrius Laicus jacet Nurſiæ. 254. XIX.
Hubertus Cardinalis Evangelium cantat in Concilio Lugdunenſi. 395. VI.
Hudiel Rex Maurus Alphonſo Caſtellæ rebellis. 250. XI.
Hugo Balſamus Epiſcopus Elienſis eligitur. 64. XX. non tamen electio ſubſiſtit ibidem.
Hugo de ſancto Caro Cardinalis examinat libellum Guillelmi de ſancto Amore. 25. XXX.

Hu-

Hugo Dertoſanus Epiſcopus Eccleſiam Conventus Morellæ conſecrat. 366. xxvii.

Hugo de Dina virtute, & doctrina celebris. 401. xvi. obitum prædicit ſancti Bonaventuræ. ibid.

Hugo a Lezigniaco cœnobium Pictavienſe auget. 424. xv.

Hugolinus Fabrianenſis ſanctitate clarus. 284. iii.

Humilitatis gradus quatuor. 318. xxiv.

Hungarus de Oddis Peruſinus vir perilluſtris. 213. viii.

Hurtadus vir doctiſſimus tumulatus Zamoræ. 159. lix.

I

JAcobus Aragonius nequit a Pontifice regalia inſignia obtinere. 397. x. Monaſterium Majoricanum fundat. 165. v.

Jacobus Ariminenſis Epiſcopus Eccleſiam ſanctæ Mariæ Minoritis largitur. 45. xlvii.

Jacobus Balectarius ubi ſepultus. 178. xix.

Jacobus Barletanus Laicus donis cœleſtibus ditatus. 320. xxvi.

Jacobus Cephaludenſis Epiſcopus acta ſcribit beati Gandulphi. 147. xlii. 151. l. miracula examinat. 150. xlix. & corpus exhumat. ibid.

Jacobus Fabrianenſis vir Dei. 284. iii.

Jacobus de Fallerono beati Joannis de Alvernia in tirocinio director. 364. xxiii.

Jacobus Faventinus Epiſcopus primum lapidem Eccleſiæ Baniacavalli conſecrat. 385. xviii.

Jacobus Conradus Epiſcopus Patavinus. 213. viii.

S. Jacobus de Marchia ubi ſepultus. 289. xiv.

Jacobus Martyr Minorita Patavii floruit. 279. ix.

Jacobus de Maſſa mirabilem habet de ſtatu Religionis viſionem. 10. xiv. in qua per triduum ſenſibus fuit deſtitutus. 11. xv. ejus ſanctitatis teſtimonio. ibid. patria; conditio, & virtutes. ibidem.

Jacobus Metis Epiſcopus Metenſem Minorum Eccleſiam conſecrat. 98. xxiv.

Jacobus Montanarius. 385. xviii.

Jacobus Pantaleon ſummus Pontifex renunciatus. 169. vi.

Jacobus de Podio a Sarracenis interemptus. 263. viii.

Jacobus Quinque Eccleſiarum Epiſcopus de variis accuſatus criminibus. 268. xvi. adverſus eum Eneco Minoritæ inquiſitio committitur. ibidem.

Jacobus Sadoletus Hieronymo Maignani Minoritæ familiaris. 280. ix.

Jacobus Sallas ad Pontificem pro Siculis Orator. 43. xliv.

Jacobus Sanſovinus celebris Sculptor. 215. ix.

Jacobus Suinch conſecratur Epiſcopus. 73. vi.

Jacobus Valvenſis Epiſcopus. 173. xii.

Jacobus Zenon Epiſcopus conſecrat Eccleſiam Patavinam. 216. xi.

Jeremias Minorita pro fide occiſus. 263. ix.

Illuminatus de Theate Epiſcopus Aſſiſias. 383. xv.

Imago Chriſti Domini duos objurgat Tirones e Religione diſceſſuros. 248. vii. 249. vii. vocat Raymundum Lullium ad converſionem. 422. ii.

Imago Deiparæ caſu inventa. 368. iv. alia e Hieroſolymis Baniacavallum translata. 385. xviii. item alia miraculis Neapoli fulget. 289. xiv.

Imerius Epiſcopus Accienſis. 365. xxv.

Imperator. V. *Palæologus*, *Rodulphus*.

Imperatores duo in Schyſmate electi. 1. i.

Indulgentia Portiunculæ. V. *Portiuncula.*

Indulgentiarum ingens valor. 362. xix.

Infideles. V. *Hæretici* eorum converſio non debet eſſe coacta. 40. xl.

Ingolſtadii Conventus quo anno fundatus. 425. i.

Inquiſitores Minoritæ ab Alexandro Pontifice convocantur. 86. ii. ipſum conſulunt circa quædam dubia. 86. iii. 88. vii. 167. i. Eccleſiarum Prælatis jubetur, ut in eorum adjutorium intendant. 87. iv. eis conceduntur indulgentiæ. 87. v. poteſtas ut ſe invicem poſſint abſolvere. 168. iii. & aliæ facultates. 88. v. ſeqq. 121. i. ſeqq. 244. iii. 247. iv. 248. vi. duos & etiam plures poſſunt habere ſocios. 168. ii. Magiſtratus debent eorum ſententias exequi. 121. i. eiſque Monumenta ſui muneris a quibuſcumque debent conſignari. 122. iii. inter Prædicatores, & Minores Inquiſitores exorta diffidia. 261. vi. quæ ſunt a ſancto Bonaventura ſedata. ibid.

Joachim Abbas a Minoritis quibuſdam vindicatus. 4. v. in Lateranenſi Concilio condemnatus non fuit. 6. vii. ejus proteſtatio. 7. ix.

Joanna de Allis erga Minores pientiſſima 327. xxxix.

Joanna Brabantiæ Monialis. 162. lxv.

Joanna Eſtoda Monialis. 166. viii.

Joanna Llinas Monialis. 166. viii.

Joan-

Joanna Mir Monialis. 166. viii.
Joanna quædam Monialis. 327. xl.
Joanna de Ubaldinis Monialis. 171. viii.
Joannes Ægidius Zamorenſis ubi ſepultus. 159. lix. ejus opera poſtuma digniſſima luce. ibid. ubi aſſervata. ibid.
Joannes de Alneto Epiſcopatum Rapotenſem recuſat. 253. xvi.
Joannes de Alvernia. 233. viii. V. *Joannes Firmanus* infra.
Joannes Amelia Conventum Dertoſæ auget. 281. xiii.
Joannes a ſancta Anna Provincialis bonis temporalibus renovat. 178. xxi.
Joannes de Avellino ubi ſepultus. 320. xxvi.
S. Joannes Baptiſta in infantia ſolitarius. 188. xvi.
Joannes Barenſis Archiepiſcopus. 116. xvi.
Joannes Beleth Cadomi ſepultus. 199. xlv. item alius ejuſdem Nominis, & Familiæ. ibid.
Joannes Belio Pariſienſis Regens. 31. xxxiv.
Joannes de Berry tertii Ordinis. 416. v.
Joannes Caetanus Cardinalis Urſinus in judicio contra Parmenſem Præſes. 5. vi. ei examen Libelli Guillelmi de ſancto Amore commiſſum. 25. xxx. a ſancto Bonaventura petitur, & obtinetur in Ordinis Protectorem. 219. xvi. Monialium etiam protectionem ſuſcipit. ibid. quibus unam Regulam, unamque nomenclaturam præſignat. 232. vii. Minoritis Eccleſiam in Oppido ſancti Petri Angelorum procurat. 326. xxxvi. electioni Urbani IV. favet. 169. vi. Gregorium X. coronat, 334. vii. ei electio Epiſcopi Aſſiſiatis committitur. 383. xv.
Joannes Capillas tumulatus Zamoræ. 159. lix.
S. Joannes de Capiſtrano Ferrariam ad Monaſterium reformandum miſſus. 68. xxvii.
Joannes a Carthagena Neapoli decedit. 289. xiv.
Joannes de Caſtilione Conventus Bleſſarum Fundator. 199. i.
Joannes de Caſtroferrucio litteras Apoſtolicas pro Conventu Reolæ exequitur. 255. xx.
Joannes Conſtantinopolitanus Evangelium in Concilio cantat. 394. v.
Joannes Decer de Minoritis benemeritus. 339. xviii.
Joannes Firmanus de Alvernia dictus, oritur. 113. vii. ejus virtutes. ibid. dat nomen Minoritis. 364. xxiii. ſanctitatis ejus primordia. ibid. Montis Alvernæ incola. ibid. ejus paupertas. 364. xxiv. abſtinentia, & pœnitentia. 365. xxiv. oculis continuo ad cœlum intentus. ibid. ſpiritum abjicit ſingularitatis. ibid. de omnibus bene audit, & judicat. ibid.
Joannes Franciogia Cardinalis Libellum Guillelmi de ſancto Amore examinat. 25. xxx.
Joannes Franciſcus de Panvinis fallit circa tempus mortis ſancti Bonaventuræ. 401. xvii. de cujus canonizatione præviam relationem edit. 403. xx.
Joannes Geſtavilla Regens Pariſienſis. 31. xxxiv.
Joannes Gineſtois de Conventu Narbonenſi benemeritus. 161. lxii.
Joannes Gualleoſis Oxonii, & Pariſius claruit. 325. xxxv. plura edidit erudita opuſcula. ibid.
Joannes Hungariæ Miniſter ubi tumulatus. 325. xxxvi.
Joannes de Laudibus claruit Bettonii. 267. xix.
Joannes Lobedau clarus virtutibus. 238. ii. ejus geſta, & obitus. ibid. ſeqq.
Joannes Londinenſis ad Pontificem a Bacconio miſſus. 265. xiii.
Joannes Luſitaniæ Rex conclamatus. 98. xxv. Minoribus Cœnobium extruit. 287. x.
Joannes Mailli vir illuſtris. 161. lxiii.
Joannes de Malay Martyr. 425. xiii.
Joannes Maria Volmatius quando mortuus. 385. xviii.
Joannes Marquez errat circa tempus conſtructionis Ulyſſiponenſis Cœnobii. 367. xxviii.
Joannes Martinus primus Epiſcopus Gadicenſis. 278. viii.
Joannes Merulus Miniſter Provinciæ Aquitaniæ. 255. xx.
Joannes Minorita quidam Sacerdos ſanctitate illuſtris. 366. xxvi.
Joannes Minorita quidam Laicus virtute celebris. 366. xxvi.
Joannes Monnitius Conventum Ulyſſiponenſem reſtaurat. 367. xxviii.
Joannes de Monte Corvino a Palæologo ad Gregorium Orator miſſus. 345. iii.
Joannes de Muro beatum Joannem Firmanum de Ordinis ingreſſu hortatur. 364. xxiii.
Joannes Parmenſis Miniſter Generalis abuſus ex Ordine extirpare curat. 2. ii. apud Pontificem accuſatus cedit officio. 3. iii. adverſus eum, & ſocios inquirit ſanctus Bonaventura. 4. v. ſeqq. ab Accuſatoribus motus ii. xvi. ejus Advocatus Cardinalis Otto. 5. vi. de ejus probitate eximii Viri teſtimonium dicunt. 7. xi. viii-

xi. vindicatur a gravi calumnia. 9. xiii. Jacobus de Maſſa eum in viſione intuetur. 10. xiv. in Conventu Græcii diuturnis vacat meditationibus. 12. xvii. ibi in Domino quieſcit. ibidem. in ejus aſſumptione ſocii ſancti Patris lætantur. 7. ii.
Joannes de Penna adoleſcens cœlitus monitus. 334. ix. Recineti initiatus. 335. ix. in Galliam mittitur. ibid. in Picenum regreditur. 335. x. ditatur ſpiritu prophetico. ibidem. de æterna ſalute certioratur. ibid. aliæ ejus dotes. 335. xi. ſeqq.
Joannes de Perſeceto Apocriſarius. V. *Bonagratia*.
Joannes XXII. Pontifex cujus ſententiæ fuerit de Animabus ſolutis corpore. 275. iii.
Joannes Rigenſis Archiepiſcopus a Minoritis examinandus. 384. xvii.
Joannes de Rupella obit. 337. xiv.
Joannes Salazarius. 158. lviii.
Joannes Stivardus, ſive Stuardus Laicus nobilis virtute & genere. 341. xix.
Joannes Stunega Regis Ferdinandi a confeſſionibus. 221. iii.
Joannes Targarinus J. C. qnando mortuus. 234. xi.
Joannes Tritbemius doctrinam ſancti Bonaventuræ celebrat. 404. xxiv.
Jodocus Clicthoveus vitam edit ſancti Ludovici Regis. 314. xv.
Jordanus Laicus Vir ſanctus. 267. xix.
Joſeph Græcorum Patriarcha vocatus ad Lugdunenſe Concilium. 352. v. ei Pontificia directa Epiſtola. 275. iii.
Joyenſis Familiæ erga Minores beneficentia. 161. lxii.
Iprenſe Monaſterium. 82. xxv.
Iſabella ſancti Ludovici filia decedit. 309. vii.
Iſabella ſancti Ludovici Soror Pariſiis Monaſterium Clariſſis extruit. 162. lxv. ibi ſepulta miraculis glorioſa. ibid.
Iſernienſis Conventus. 281. xi.
Iſſoldunienſis Conventus. 161. lxiii.
Julianus Formont vir præclarus ubi tumulatus. 160. lxi. ejus elogium. ibid.
Julioduni, vel Lugduni Conventus. 424. xv.
Juniperus ſancti Franciſci ſocius ſanctæ Claræ in extremis aſſiſtit. 92. x. quantæ fuerit humilitatis, & patientiæ. 93. x. ſeqq. caritatis erga infirmos. 94. xiii. & pauperes. 94. xiv. ſeqq. lepidæ ejus actiones, ſed piæ. 94. xiii. 95. xv. 96. xvii. Romanorum declinat honores. 96. xvi. Jacobum de Maſſa commendat. 11. xv. in Domino obdormit. 96. xviii.
Ivo Boyer Martyr. 425. xv.
Ivo Presbyter Andegavenſis Franciſcanis beneficus. 294. ix.
Jutta beata Vidua. 235. xii. 239. iii. ejus geſta, & animi dotes. Ibid. in Pruſſiam pergit. 235. xiii. ubi moritur clara miraculis. 236. xiii. alia fuit a Jutta ſanctæ Eliſabethæ pediſſequa. ibidem. Regni Pruſſiæ Patrona. 337. xiii.

K

Kaliſienſis Conventus. 73. vi. & Oppidum deſcriptum. 74 vi.
Kclmintzenſis Comitiſſa Monialis. 99 xxvi.

L

Lacrymarum tria genera. 318. xxiii.
Lamaceuſe Monaſterium. 101. iii.
Lambertus Theoronicus Boemiæ Inquiſitor. 63. xvii.
Langius teſtimonium facit de probitate Parmenſis. 9. xii.
Latini a Palæologo ab Oriente expelluntur. 175. xviii.
Latro converſus a ſancto Franciſco moritur. 317. xxii. viſio narratur, quam habuit ante mortem. ibid.
Laudunenſis Conventus. 300. xi.
Laurentius Canotius celebris Artifex. 214. viii.
Laurentius Maſſorillus de ſancto Bonaventura ſermonem inſtituit. 403. xx.
Laurentius Minorita Monialium Viſitator. 230. iii.
Laurentius Surius vitam ſcribit ſancti Ludovici Regis. 314. xv.
Lauri Conventus. 116. xvii.
Lauſanæ Conventus. 292. v.
Lautrecci Ducis ſepulcrum. 289. xiv. 290. xv. ejus corpus redimitur exbumatum. 290. xv. Epitapbium. ibid.
Lechus Civitatis Gneſnæ Conditor. 328. ii.
Leo ſancti Parentis ſocius lætatur in aſſumptione Parmenſis. 7. xi. ejus de beati Ægidii probitate teſtimonium. 193. xxv. & de Indulgentia Portiunculæ. 277. v. de qua cum beato Franciſco Fabrianenſi babet ſermonem. 276. v. de morte beati Ruffini viſione cœleſti edoctus. 314. xvi. poſt obitum tumulatus Aſſiſii. 334. viii. miraculis fulget. ibid.
Leo alius ſocius ſancti Franciſci jacet Beneventi. 300. xii.
Leonardo Aſculano Pontificia directa Epiſtola. 267. xvii.

Leonardus Minorita cum Parmenſi mordicus deſendit Joachimum Abbatem. 3. II. in vinculis decedit. 5. v.
Leonora Munniz Clauſtrum in Conventu Zamorenſi extruit. 159. LIX.
Leonoræ Reginæ corpus ubi tumulatum. 97. XXII. ejus Epitapbium. ibid.
Leonora uxor Henrici III. Regis Angliæ. 328. XLII.
Leporenſis Conventus. 326. XXXVI.
Leyriæ Conventus. 287. x.
Libertas data homioi. 188. XVI.
Librorum copia paupertati non derogat. 278. VI.
Litteræ Apoſtolicæ. V. *Epiſtola*.
Logotheta Palæologi in Concilio Lugdunenſi fidci profeſſionem emittit. 395. VI.
Lucas Belludinus Patavinus ſacras agit excubias apud corpus ſancti Antonii. 213. VII. qui ei apparet in quiete. 300. x. ejus precibus ab Eecelini immanitate liberatum Patavium. ibid. fuit diſcipulus ejuſdem ſancti Antouii. 299. x. Cœnobii Patavini Præſes. 279. IX. & de ſtirpe nobili ortus. 299. x. ejus deſcribuntur dotes. 300. x. Patavii ejus corpus ſepultum. 216. XI.
B. Lucheſii Caput mire proſilit ex igne. 383. XIV.
Lucia de Ubaldinis Mooialis. 171. VIII.
Lucidus ſancti Franciſci ſocius Jacobum de Maſſa commendat. II. XV.
Ludovicus de Ambroſia Eccleſiam Conventus Albigenſis extruit. 424. XIV.
Ludovicus Bavariæ Dux uxorem ioterficit. 425. I. ſecuudam ducit. 426. I. cum qua Cœuobium Franciſcanis extruit. 425. I. & etiam Ingolſtadienſem. 426. I.
S. Ludovicus Epiſcopus Toloſanus regali progenie oritur. 418. IV. non fuit Caroli Claudi primogenitus. 418. IV. error circa hoc plurium Auctorum detegitur. ibid. ejus in adoleſcentia virtutes, aliæque dotes. 419. IV.
S. Ludovicus Fraucorum Rex commendatur ab Alexandro IV. Pontifice. 28. XXXII. qui plures ei mittit Epiſtolas. V. *Epiſtola* ab Urbano IV. rogatur ut Carolo Andegavenſi auxilium in Italiam mittat. 233. IX. valde Minores, atque Prædicatores diligit. 152. LIII. 311. x. a quibus præcipit filios educari. 311. x. Clariſſis Monaſterium extruit. 162. LXV. eum conſolatur Pontifex ob Primogeniti mortem. 152. LIII. nihil loquitur beato Ægidio, quem inviſit. 186. XIII. in cauſa Religionis non vult arbitrium acceptare a Palæologo oblatum. 303. I. qua de cauſa laudatur à Cardinalibus. 303. II. Religionem ingredi cupit. 306. IV. Tertium Inſtitutum amplectitur. 356. x. decernit ſacra Loca redimere. 307. IV. Navem couſcenſurus pie primogeuitum hortatur. ibidem. quos habuit armorum ſocios. 307. v. in Africam prius abit, & quare? ibidem. Expugnata Cartagine, Tunetum nbſidet. 308. VI. Graſſante lue, ipſe cum filio moritur. ibid. oſtendit ſummam in extremis pietatem. ibid. Pbilippo, & Eliſabethæ filiis inſtructionem relinquit. 309. IX. ſeq. & aliis multa pia legata. 311. x. ejus mors præfigurata mirabiliter. 312. XI. ſacræ exuviæ Panormi, & Pariſius depoſitæ. 312. XII. cœcam mulierem illuminat. ibid. ſurdum, & mutum, mancum, & ſemimortuum ſanat. ibidem aliaque mirabilia operatur. ibid. ſeq. etiam io nummis ejus imagine impreſſis. 313. XIII. de ſtrumarum miraculo. 313. XIV. de ejus imagine. 313. XV. ejuſque vitæ ſcriptoribus. 313. XV. ſeq.
Ludovicus Pincius Cooventum Sezanii reædificat. 160. LXI.
Ludovicus de Sandoval ubi floruit. 158. LVIII.
Ludovicus de Utrera vir magnæ ſanctitatis. 158. LVIII.
Luſitania interdictum ſubit. 283. I.
Luſitaniæ Rex ingentia pro ſacro bello obtinet privilegia. 283. I.
Lutzelburgenſe Monaſterium. 68. XX. VII.

M

S. MAcbarii Conventus. 253. XVII.
Magdalena a ſaucto Antooio Tertiaria. 166 x.
Magdalena Bonapart Monialis. 165. v.
Magdalena Bononienſis Abbatiſſa Monaſterium Monticelli Floreutiæ auget. 173. XI.
Magdalena Brittanniæ Ducis Soror ubi floruit. 162. LXV.
Magdalena quædam Monialis incola Monaſterii Montis Marſani. 327. XL.
Mahamad Alhamar Rex Maurus Alphonſo Caſtellæ rebellis. 250. XI.
Majoricenſe Monaſterium. 48. III.
Majoricenſis Conventus. 66. XXIV.
Malachias Hibernus. 321. XXVII.
Maliani Conventus. 267. XVIII.
Manfredus Friderici nothus Eccleſiæ infeſtus. 242. II. ſeqq. adverſus eum Pontifex invehitur. 242. II. 258. II. & Carolus Andegaveoſis excitatus. 243. II. 258. II. a quo interemptus. 97. XXII. 258. II.

Manſuetus Minorita Pœnitentiarius jubetur, ut ad pœnitentiam Ottonem Gualduccium recipiat. 201. III. 220. XIX. alia ei negotia commiſſa. ibidem.
Manſuetus Minorita miraculis clarus. 322. XXVIII.
Marcus Antonius Sabellicus de doctrina ſancti Bonaventuræ teſtis. 404. XXIV.
Marcus Antonius Curſius. 161. LXIV.
Marcus Antonius Paganus monumento a Rodulpho decoratus. 45. XLVII.
Marcus de Aſſiſio Epiſcopus Caſſanenſis. 279. VIII.
Marcus Ulyſſiponenſis de Parmenſis probitate teſtimonium facit. 8. XI.
Margarita Auſtriaca ſancti Antonii Patavini ditatur Reliquia. 217. XII.
Margarita Brabantiæ. 162. LXV.
Margarita Montornes Monialis. 165. VII.
Margarita Nadal Monialis. 165. VII.
Margarita Saxona Monialis. 416. IV.
Margarita Uxor ſancti Ludovici Regis. 327. XLII.
Maria Virgo Deipara laudibus celebranda. 129. XIII. innocentis Tirouis cauſam protegit. 62. XIII. ejus virginitatem beatus Ægidius inſigni miraculo oſtendit. 186. XII. ejuſque interceſſione Venetiarum Civitas liberatur a lue. 254. XVIII. in ſuis Imaginibus devotis miraculoſe prodeſt. 289. XIV. 368. IV. 385. XVIII.
Maria Ciſneria erga Minores pientiſſima 66. XXIII.
Maria Dalbret. 327. XL.
Maria Hainaut Duciſſa ubi ſepulta. 161. LXIII.
Maria Hungarorum Regina apud Minores tumulata. 418. III.
Maria Ludovici Bavari uxor interempta a Marito. 425. I.
Maria ſancti Ludovici Tuloſatis Genitrix. 418. IV.
S. Mariæ in Georgio Conventus. 220. XXI.
Mariæ Sarto ſepulcrale Epitaphium. 326. XXXVIII.
Maria Verdugo Monaſterium de Rapariegos ædificat. 327. XLI.
Martelli Conventus. 167. XIX.
S. Martialis feſtum celebrandum in Aquitania. 129. XIII.
Martinus Albæ Pompejæ Epiſcopus. 279. IX.
Martinus a Corduba de Clariſſis benemeritus. 282. XIII.
Martinus Narnienſis moritur. 120. IV.
Martinus quidam Magiſter ubi floruit. 161. LXIV.
Martinus Valentinus Indiarum Apoſtolus. 67. XXV.
Martyrologium Romanum errat circa tempus mortis ſancti Bonaventuræ. 401. XVII.
Maſſeus ſancti Franciſci ſocius in aſſumptione Parmenſis lætatur. 7. XI.
S. Materni corpus Mediolani quieſcit. 44. XLV.
Matildis Comitiſſa repudiata a Marito. 283. I.
Matthæus Antiquus Joannis Pennenſis familiaris. 336. XI.
Matthæus de Caſtilione de tempore & loco inflictorum SS. Stigmatum revelationem habet. 232. VIII.
Matthæus Fulginas miraculis clarus. 43. XLIII.
Matthæus Lotharingus Cœnobium Minoribus conſtruit. 316. XXXVII.
Matthæus Miniſter Boemiæ. 328. II.
Matthæus Miniſter Marchiæ pietate celebris. 11. XV.
Matthæus de Montone commendat Jacobum de Maſſa. 11. XV.
Matthæus quidam Minorita ab ingenti liberatus tentatione. 174. XVI.
Matthæus Rubeus Cardinalis Evangelium in Baptiſmate Tartarorum Legati cantat. 396. IX.
Matthæus Vindocinates a ſancto Ludovico Regni gubernio præpoſitus. 307. IV.
Maurinus Minorita Inquiſitor. 262. VI.
Mauritius de Argegnano. 284. III.
Mauritius Breſſius de ſancto Bonaventura ſcribit. 403. XX.
Mauritius Dominicanus apud Minores vivit. & moritur. 341. II.
Mauritius martyr ubi ſepultus. 301. XIII.
Mauritius Roſſenſis Epiſcopus facultatem impetrat Ordinem ingrediendi. 253. XVI.
Mavoſin Familia Conventum Reolæ reſtaurat. 254. XX.
S. Maxentii Conventus. 424. XV.
Maximus Monachus Nuncius Palæologi. 202. II.
Maximus Zanzalinus Fabrianenſis vir Dei. 284. III.
Mediolanenſis Conventus. 43. XLV.
Melioratus vir Dei clarus miraculis. 322. XXVIII.
Metenſe Monaſterium. 98. XXIV.
Metenſis Conventus. 67. XXVI.
Methimnæ Campi Monaſterium. 45. XLVIII. in quo plures obiere Virgines illuſtriſſimæ. 46. XLVIII.
Michael Abalantes Palæologi Nuncius. 202. II.
Michael Deſmans ab hæreticis occiſus. 425. XV.
Michael Diaz Archidiaconus ædem ſan-

cta

ctæ Catarinæ Cordubenſis commutat. 237. xv.

Michael Palæologus V. *Græci. Palæologus*.

Michaelis de Afflictis ſepulcrale Epitaphium. 291. xvi.

Michalitio Theſſalonicæ Principi Pontifex mittit epiſtolam. 212. vi.

Miles nobilis dat Minoritis Nomen. 298. iii.

Miniſtri Generales ſanctus Bonaventura. 3. iii. Hieronymus Aſculanus. 411. xxxiv. Joannes Parmenſis. 2. ii.

Minoritæ antiquiores paucis rebus contenti erant. 92. ix. Sanctus Bonaventura eorum habitus formam immutat. 136. xvii. Diſſident cum Canonicis Auguſtinenſibus Bleſis. 342. iv. & inter ſe circa paupertatem. 417. ii. Eos Clemens IV. commendat. 262. vii. Sanctus Ludovicus Rex diligit. 311. x. vexantur tamen a Pariſienſibus. 21. xxvii. ſeqq. a Guillelmo de ſancto Amore. 24. xxx. ſeqq. a Fabrianenſibus. 61. xii. 36. xxxvii. a Canonicis Trecenſibus. 46. xlix. a Prælatis Hiſpaniarum. 118. xx. aliarumque Eccleſiarum. 46. xlix. a Gerardo de Abbatis-Villa. 297. vi. a Ciſtercienſibus. 425. i.

Dimittunt curam Monialium. V. *Clariſſæ*. Quando primum in diſputationibus exercitati. 259. iv.

Mittuntur Nuntii ad Palæologum. 201. i. V. *Græci*. qui Tartarorum Legatos ad Concilium Lugdunenſe conducunt. 395. vi.

Eis committitur prædicatio Crucis. 40. xli. 242. ii. 408. xxxi. Examen Archiepiſcoporum Treverenſis. 198. xliii. & Rigenſis. 384. xvii. & Raynerii Abbatis. ibid. Unio inter Venetos & Bononienſes. 384. xvii. & inter Lucenſes, ac Piſanos. 220. xix. Inquiſitio in Rogerium Sanctæ Severinæ Epiſcopum. 384. xvii. & adverſus hæreticos. 86. iii. 88. v. 88. vi. 89. vii. 121. i. 122. ii. 222. iii. 126. ix. 167. i. 168. iii. 244. iii. 257. i. V. *Inquiſitores*.

Eis conceditur Mediolani Eccleſia SS. Naboris & Felicis. 43. xlv. & ſanctæ Mariæ Majoris Tyburi. 44. xlvi. Conventus Ariminenſis. 45. xlvii. alia loca. V. *Conventus*. Ampla Indulgentia. 87. v.

Poſſunt in Miſſis votivis de Spiritu ſancto, & de beata Virgine cantare hymnum angelicum. 46. xlix. abſolvi ab irregularitate. 49. iv. de Legatorum licentia prædicare, & confeſſiones excipere etiam Diœceſano reluctante. 69. xxviii. 218. xx. 255. xxii. 256. i. in ſolemniis uti ſericis indumentis. 69. xxviii. eleemoſynas recipere etiam de bonis male acquiſitis. 69. xxviii. 72. iii. converſari cum excommunicatis in terris infidelium, eoſque abſolvere. 85. i. Feſtivitates Ordinis tempore interdicti ſolemniter celebrare. 180. ii. abſolvere & diſpenſare etiam poſt obitum Delegantium. 268. xx. in ſuis Eccleſiis pro quibuſcumque liberam ſepulturam habere. 46. xlix. 163. ii.

Nequeunt recipi ab aliis Sodalitiis. 68. xxviii. 179. i. impediri in prædicationibus & confeſſionibus a Prælatis. 71. ii. detineri a Legatis a latere. 103. v. cogi ad ſolvendas collectas, & canonicas portiones. ibid. in odioſis cum aliis Mendicantibus comprehendi. 367. i. pacta, & conventiones abſque Prælatorum facultate inire. 118. xx. Cenſuris Legatorum, niſi de Latere ſubjici. 255. xxii. eorum privilegia a quoquam interpretari, niſi ab Apoſtolica Sede. 291. xvii.

Eorum Miniſtri poſſunt eos punire, qui ſunt ſervitio ſæcularium Prælatorum addicti. 46. xlix. 163. ii. pro ſemetipſis etiam abſolutionis beneficium applicare. 46. xlix. Prædicatores inſtituere. 68. xxviii. creare Inquiſitores. 106. ii. punire apoſtatas. 118. xx.

Alia Privilegia Minoribus conceſſa invenies in Annalibus in fine cujuslibet Anni, & in Regeſto per totum.

Miſſæ ſacrificii occulta vis. 301. xiii. minus prodeſt indigne celebrantis. 323. xxxiii.

Monachii Conventus ceditur Monialibus. 70. i.

Monaldus de ſancto Elpidio Provinciæ Marchiæ Miniſter. 220. xx. 276. iv.

Monaſterium Clariſſarum Brugenſe. 74. vii. Caſtilionis. 281. xiii. Cunei. 167. xiii. Ferrarienſe. 68. xxvii. Florentinum transfertur. 171. viii. Gandavenſe. 79. xviii. Gneſnæ. 120. v. Iprenſe. 82. xxv. Lamacenſe. 101. iii. Lutzelburgenſe. 68. xxvii. Majoricenſe. 46. xlviii. aliud Majoricenſe Oliveti nuncupatum. ibidem. Metenſe. 98. xxiv. Metimnæ Campi. 45. xlviii. ubi plures obierunt ſanctæ Virgines. 46. xlviii. Monachii, 70. i. Montis Marſani. 270. xl. Papiæ. 47. i. Portuenſe. 98. xxv. Rapariegos. 327. xli. Scalabitanum. 166. xi. Seffligenſe. 99. xxvi. Zavicoſti. 99. xxvii. Znoimæ. 415. iv.

Moniales. V. *Clariſſæ*.

Monopolitanus Conventus. 425. xvi.

Montis Briſonis Conventus. 326. xxxvii.

Montis Granarii Conventus. 116. xvii.

Montis Marſani Conventus. 327. XL.
Montis Ottoni Conventus. 237. XV.
Montis ſancti Petri Angelorum Conventus. 254. XIX. cujus Eccleſia Minoribus cooceditur. 326. XXXVI.
Montis Politiani Conveotus. 302. XV.
Montis Rubiani Conveotus. 66. XXIII.
Montis Ulmi Conventus. 254. XIX.
Morellæ Conventus. 366. XXVII.
Mont-Lucius Franciæ Mareſchallus de Conventu Montis Marſani benemeritus. 160. LX.
Moriartus Decanus Martyr Dublini occubuit. 339. XVIII.
Mortui moderate plorandi. 154. LIII.

N

SS. NAboris & Felicis Templum Mediolaoi Minoribus cooceſſum. 43. XLV. Eorum Corpora in idem Templum a quo introducta. ibid.
Narbonenſe Capitulum. 127. XI.
Narboneuſis Conventus. 161. LXII.
Neapoleon Cardinalis Montem Alvernæ commendat. 156. LVII.
Neapolitauus ſanctæ Mariæ Novæ Conventus. 288. XIV.
Neritoni Conventus. 338. XVII.
Nicolaus Bettonieoſis. 267. XIX.
Nicolaus Crotonienſis Pontificius Nuntius ad Palæologum. 223. I.
Nicolaus Eſtenſis Marchio. Monaſterium Ferrarienſe reſtaurat. 68. XXVII.
Nicolaus Eymericus corrigitur. 9. XIII.
Nicolaus Graſſetus Inquiſitor. 279. IX.
Nicolaus Maria Epiſcopus Eſtenſis ſacellum Monialium Ferrariæ conſecrat. 68. XXVII.
Nicolaus Moravus Boemiæ, & Poloniæ Miniſter. 369. V.
Nicolaus de Orbita. 114. XI.
Nicolaus Paocreta Grçcus Concilio Lugdunenſi intereſt. 387. II.
Nicolaus Piſanus celebris Architectus. 213. VIII.
Nicolaus V. Pootifex irritam declarat translationem Conventus Palenſis. 178. XXI.
Nicolaus quidam Minorita Epiſcopus Aſſiſias. 114. X.
Nicolaus quidam Minorita Inquiſitor. 161. LXIV.
Niſſæ Conventus. 73. VI.
Novi Caſtri Conveotus. 326. XXVII.
Novitii plures Minoritæ liberati a tentationibus. 174. XIV. 174. XV. 175. XVI. 175. XVII.
Novitius Minorita ſuas tegit virtutes. 62. XIII. vexatus a Deipara defenditur. ibid.
Novitius Minorita a Crucifixi Imagine objurgatus. 248. VII. Alius etiam. 249. VII.
Novitius Mioorita Dei judicio a Caue interfectus. 263. X. item alius. ibid.
Novitius Minorita ſpoliatus habitu terretur a Dæmonibus. 264. XI.
Nummi SS. Helenæ, & Ludovici miraculoſi. 313. XIV.

O

OBedientia vera eſt ſubditorum Oratio. 184. VII. quantum ejus meritum. 194. XXVIII. & quaotum Deo placeat. 198. XLII.
Octavianus Sueſſanus errat circa tempus obitus ſancti Bonaventuræ. 401. XVII. de quo ſermooem habet. 403. XX. & miracula narrat. 403. XXII.
Oddo Rigaldi Archiepiſcopus ſancto Bonaventuræ in Coucilio Lugdunenſi aſſiſtit. 398. XI.
Odo Duacenſis tumultus Pariſienſis auctor. 31. XXXIV. reſipiſcit, & abſolvitur. 56. VI.
Oliverius Epiſcopus Sirmii vult Ordinem ingredi. 199. XLIV.
Opera neceſſaria, ut doctrina proſit. 185. IX. & fides. 195. XXXIII.
Oppidi Extremorum Conventus. 100. I.
Oratio in communi ceteris efficacior. 174. XV.
Ordo Minorum quomodo propagatus. 135. XV. V. *Minores*.
Ordo Prædicatorum commendatus. V. *Dominicani*. *Minores*.
Orlandus de Detegnardi Franciſcanis Conventum ſancti Sepulcri donat. 97. XXI.
Otto Bavariæ Dux cœlitus plectitur pœna. 360. XVI. ejus converſioni fruſtra beatus Bertholdus intendit. ibid.
Otto Cardinalis Joannis Parmenſis advocatus. 5. VI.
Otto de Caſtro Rodulphi Cardinalis opuſculum Guillelmi de ſancto Amore examinat. 25. XXX.
Otto Gualducius Piſanus a cenſuris abſolvitur. 220. XIX. Pœnitentium Ordini aſcribitur. ibidem.
Ottobonus Cardinalis de Fliſco Evangelium in Concilio Lugduoenſi cantat. 394. V. ejuſdem Concilii pronunciat diſſolutionem. 397. IX.
Ottogarus Boemiæ Rex Monaſterium Znoimæ pro Clariſſis fundat. 415. IV. a Rodulpho Imperatore occiditur. 412. XXXV.

Paci-

P

Pacifica ſancta Claræ diſcipula Monaſterium Hiſpellatem reformat. 235. xi. obit in Domino. 96. xix.
Padua Civitas ſancti Antonii meritis liberatur ab immanitate Eccelini. 213. vii. cujus gratiæ beatus Lucas Belludinus revelatione certioratur. 300. x.
Paduani Templi deſcriptio. 213. viii.
Palenſis Conventus. 178. xxi.
Palæologus Michael Imperator ſævit adverſus Latinos. 175. xviii. contra eum Pontifex excitat ſacrum bellum. ibid. de unione utriuſque Eccleſiæ tractare incipit. 181. i. propter quod iterato mittit ad Pontificem Nuntios. 181. ii. 223. i. 269. i. 303. i. 345. iii. 371. iii. arbitrum facit ſanctum Ludovicum Regem. 303. i. Lugdunenſi Concilio non intereſt. 397. x. in quo ipſi jus confirmatur Imperii. ibid.
Panthaleon Juſtinianus Patriarcha fugit in Occidentem. 175. xviii.
Papiæ Monaſterium. 47. i.
Papyrius Maſſonus Vitæ ſancti Ludovici Regis auctor. 314. xv.
Pariſienſes iterato adverſus Mendicantes tumultum excitant. 14. xxi. quem Albertus Pontificius Legatus ſopire conatur. 14. xxii. ad hunc effectum Pontifex ſcribit Epiſcopo Pariſienſi. 15. xxiii. 18. xxvi. 21. xxvii. Magiſtris & Scholaribus Univerſitatis. 16. xxiv. Regi Francorum. 17. xxv. 22. xxviii. & aliis. V. *Epiſtola*. quibus jubet procedi contra noxios auctores. 22. xxviii. & eos expelli ex univerſo Regno. 23. xxviii. a quibus concordiam initam recuſat approbare. 24. xxix. quidam ex eis Romam proficiſcuntur. 31. xxxiv. & reſipiſcunt. ibid. & 56. vi. eorum Accademiam plurimum Pontifex laudat. 33. xxxvi. & adverſus contumaces quædam decernit. 52. ii. 56. v.
Partaritus Rex Monaſterium Monialibus Papiæ extruit. 47. i.
Partiniaci Conventus. 424. xv. 342. iv.
Patavii Civitas. V. *Padua ſupra*.
Patres Latini, & Græci concordant in myſteriis fidei. 224. i.
Patritius Lurchranus Martyr. 339. xviii.
Paulinus Magiſter Minorita Paduæ ſepultus. 280. ix.
Paulus Æmilius hiſtoricus Primogeniti ſancti Ludovici non meminit. 152. liii. fuit vitæ ejuſdem ſancti Ludovici auctor. 314. xv.
Paulus Apoſtolus in faciem Petri reſtitit. 11. xvi.
Paulus de Comitibus Epiſcopus ſancto Bonaventuræ in Concilio Lugdunenſi aſſiſtit. 398. xi.
Paulus Archiepiſcopus Rothomagenſis. V. *Oddo Rigaldi*.
Paupertas commendatur. 261. v. ei librorum copia non adverſatur. 207. vi. contra eam plerique ſcripſerunt. 278. vi.
Pax encomio extollitur. 204. ii. quantum Eccleſiæ proſit. 110. vi.
Pax Reatinus Provinciam Romanam illuſtrat. 320. xxvi.
Peccata in confeſſione cælare quam periculoſum. 62. xv.
Pœnæ impoſitæ hæreticis. V. *Hæretici*. & ſacris Stigmatibus Franciſci contradicentibus. 101. iv.
Pennenſis Conventus. 177. xix.
Perfectioribus viris majores Dæmon ſtruit inſidias. 262. vii.
Perienſis Conventus. 199. xlv.
Petrucius Franciſci Fabrianenſis Nepos. 278. vii.
S. Petrus a ſancto Paulo objurgatus. 11. xxvi. ejus Primatus aſtruitur. 205. ii.
Petrus de ſancto Andrea ſancti Franciſci ſocius. 234. x.
Petrus Arigonius ſanctæ Eliſabethæ Portugalliæ parens. 337. xv.
Petrus Baſztin. Poloniæ, & Bohemiæ Miniſter. 238. ii. Uratiſlaviæ prima Comitia celebrat. ibid. & ſecunda Gretzii. 256. ii.
Petrus Bembus Patavii tumulatus. 216. xi
Petrus Borreſa Eccleſiam Conventus Albigenſis extruit. 424. xiv.
Petrus de Criſta Pontificius Legatus ad Palæologum. 201. i. 270. ii. ei papales litteræ mittuntur. 210. iii.
Petrus Guardienſis virtute præclarus. 288. xi.
Petrus de Hibernia olim ſancti Thomæ Aquinatis Præceptor. 321. xxvii. floruit Neapoli. 321. xxvii.
Petrus Hoſtienſis in Lugdunenſi Concilio ſermonem habet. 387. ii. 395. vi. unum ex Tartarorum Legatis in eodem Concilio ſacris undis abluit. 396. ix. in funere ſancti Bonaventuræ orationem recitat. 399. xiv.
Petrus Hungariæ Miniſter ubi tumulatus. 325. xxxvi.
Petrus Joellis conſtruit Cœnobium Narbonæ. 161. lxii.
Petrus Lombardus minus vere ſcripſit de ſanctiſſimo Trinitatis myſterio. 6. vii.
Petrus ſancti Ludovici filius, & in ſacro bello comes. 307. iv.
Petrus a Luſtraco Fundator Conventus Pennenſis 177. xix.

Pe-

Petrus Maceratenſis carceribus mancipatus. 417. II.
Petrus ſancti Marci in Calabria Epiſcopus. 419. IV.
Petrus de Moras Pontificius Legatus ad Palæologum. 201. I. 270. II. 210. III.
Petrus de Moſcano Fabriani Guardiauus. 220. XX.
Petrus Navarrus ubi ſepultus. 290. XV.
Petrus a ſancto Paulo corrigitur. 11. XVI.
Petrus Perez Pacenſis Epiſcopus. 286. VIII.
Petrus Quartus Martyr. 384. XVIII.
Petrus Rex cognomento *Crudelis* Hiſpalenſem Eccleſiam conſtruit. 158. LVIII.
Petrus Ribadeneira errat circa tempus obitus ſancti Bonaventuræ. 401. XVII.
Petrus Rodulphus monumentum extruit Marco Antonio Pagano. 45. XLVII.
Petrus de Sabaudia moritur. 292. V.
Petrus Saxoniæ Miniſter in Budenſi Eccleſia jacet. 325. XXXVI.
Petrus Scotellus Conventum Aquilæ exornat. 302. XIV.
Petrus de Tarantaſia Ordinis Prædicatorum Cardinalis. 380. XI.
Petrus Vinctonienſis Epiſcopus malus Regis Angliæ Conſiliarius. 365. XIII.
Philippus Epiſcopus Caſertanus. 279. VIII.
Philippus Epiſcopus Viterbii. 234. X.
Philippus filius ſancti Ludovici Regis, ejuſque in bello comes. 307. IV. a ſancto Genitore vivendi formam accipit. 310. IX. in paterno Regno ſuccedit. 329. IV. de Sarracenis triumphat. ibid. Conventum Bernay conſtruit. 414. XIV.
Philippus Imperator pro Palæologo commendatitias accipit pontificias litteras. 377. VIII.
Philippus Longus ſancti Franciſci ſocius Peruſiæ moritur. 114. VIII.
Philippus Minorita Joannem Pennenſem ad Ordinem admittit. 335. IX.
Philippus Picardus catholicæ veritatis propugnator. 338. XVII.
Philippus Porcatius ubi floruit. 385. XVIII. quando tractatum de Stigmatibus exaravit. 233. VIII.
Philippus Strigonienſis Archiepiſcopus cogitur Minoribus ablatum corpus Belæ Regis reſtituere. 418. III.
Pictavienſes in Anglia vexati. 110. VI.
Pictavienſis Conventus. 424. XV.
Pimenteliorum Familiæ pietas. 300. XII.
Piſani de Parmenſe teſtimonium. 8. XI.
Pitſei error corrigitur. 64. XX.
Pius V. jubet doctrinam ſancti Bonaventuræ in uſum revocari. 404. XXIV.
Pliſiæ Conventus. 221. II.
Politii incolæ proceſſum actorum beati Gandulphi Auctori mittunt. 151. L. ejuſdem beati memoriam ſingulis annis celebrant. ibid.
Pontanenſis Conventus. 340. XIX.
Pontifex Romanus. V. *Alexander. Clemens. Gregorius. Urbanus.*
Portiunculæ Indulgentia. V. *Indulgentia.*
Portuenſe Monaſterium. 98. XXV.
Portuenſis Conventus. 288. XIII.
Portus læti Eccleſia magnifice conſtructa. 415. III.
Prædicator. V. *Concionator.*
Prædicatores. V. *Dominicani.*
Prædo pœnitens a ſancto Patriarcha converſus moritur. 317. XXII. ante obitum mirabiles habet viſiones. ibid. ubi ejus corpus ſepultum. 318. XXII.
Prænſloquenſis Conventus. 325. XXXVI.
Prignanorum Familiæ Sacellum Neapoli erectum. 290. XV.
Principes Chriſtiani conſpirant ad ſacrum bellum. 282. I. V. *Alphonſus. Ludovicus.*
Priſquitii Conventus. 267. XVIII.
Privilegia. V. *Minores, Clariſſæ, ultimos cujuslibet anni paragraphos, & quære per totum Regeſtum.*
Proceni Conventus. 237. XV.
Prodtus vir ſanctus moritur. 73. V.
Provincia Galliæ dividitur. V. *Francia Provincia.*
Pupii Conventus. 177. XIX.

Q

S. Quintini Conventus. 326. XXXVIII.

R

Radicofani Conventus. 67. XXV.
Rapariegos Monaſterium. 327. XLI.
Ravennatenſis Conventus. 178. XX.
Raymundus Berengarius pontificius Nuncius apud Palæologum. 345. III. 353. VI.
Raymundus Comes Provinciæ quatuor filias Reginas habuit. 328. XLII.
Raymundus Lullus ad Chriſtum convertitur. 421. IX. ubi & quando natus. 421. X. Aulæ Regiæ addictus. 422. X. a prophanis moribus reſipiſcit. ibid. dilatur Crucifixi apparitione. 422. XI. ſcientiarum dono, & linguarum. 423. XI. aliiſque illuſtrationibus. 423. XII.
Raynaldus Fabrianenſis. 284. III.
Raynaldus Gratianus. 385. XVIII.
Raynerius Abbas a Minoritis examinandus. 384. XVII.
Raynerius Fabrianenſis obit. 284. III.

Ray-

Raynerius de Senis Legatus Pontificius ad Palæologum. 152. LII. 225. II.

Reges Luſitani erga Franciſcanos pientiſſimi. 293. VI.

Regulares. V. *Dominicani. Minoritæ.*

Reolæ Conventus. 254. XX.

Richardi Epiſcopi Ciceſtrenſis miracula Minoritis examinanda committuotur. 42. XLII.

Richardo Cornubiæ Comiti Apoſtolicum diploma directum. 370. II. in ſchiſmate eligitur Imperator. 369. I.

Richardus Fitzacrius Bacconi Magiſter. 264. XIII.

Richardus Rufus Pariſienſis Profeſſor. 325. XXXV.

Riualdinæ Familiæ viri ubi tumulati. 68. XXVII.

Robertus Baccooi frater Angliæ Regis Concionator. 265. XIII.

Robertus Contanus Guardianus Eccleſiam Conventus Ebroicenſis reſtaurat. 327. XXXIX.

Robertus de Licio corrigitur. 401. XVI. 418. IV. de ſaucto Bouaveotura ſermonem iuſtituit. 403. XX.

Roccæ de Contrata Conventus. 268. XIX.

Rodericus Martinez de Lara ubi conditus. 159. LIX.

Rodulphi de Toſſiniano Minoritæ menda corriguntur. 5. V. 98. XXIII. 99. XXVII. 237. XV. 332. V.

Rodulphus Cardinalis Epiſcopus Albanenſis Templum Aſſiſii conſecrat. 255 XXI. Legatus conſtituitur. 294. II. obit. 309. VIII.

Rodulphus Coleburgus quando Pariſiis legebat. 324. XXXV.

Rodulphus Comes Habſpurgenſis ad Imperium evectus. 369. I. ejus pietas. ibid. ſeq. tempus perpenditur hujuſmodi aſſumptiouis. 370. II. in Concilio Lugdunenſi proclamatus. 397. X. Ottogarum Regem Boemiæ occidit. 412. XXXV.

Rogerius Bacconus. V. *Bacconus.*

Rogerius ſanctæ Severinæ Archiepiſcopus a Minoritis examinandus. 384. XVII.

Romani præ ceteris fidei puritati iuvigilare debent. 125. VII.

Romenallenſis Conveotus. 240. V.

D. de Rovequelaure Reolæ Conventus Patronus. 254. XX.

Ruellon Theologiæ Magiſter. 425. XV.

Ruffinus Luparus Anconitanus Epiſcopus. 279. IX. ejus doctriua, & virtutes. 280. IX.

Ruffinus Pontificius Pœniteotiarius Vicarius Generalis Siciliæ. 387. XV.

Ruffiuus ſocius ſancti P. Franciſci quantæ fuerit humilitatis. 314. XVII. eum ſanctus Pareus nudum ad prædicaodum mittit. 315. XVII. errat in prædicando, & corrigitur. ibid. Dæmonibus terribilis. 316. XVIII. ſeqq. quorum ſubit multas tentationes. 316. XX. ſeqq. ditatus fuit Chriſti Domini apparitione. 317. XXI. elevatione mentis, & perſeverantia orationis. ibidem.

S

SAbaudiæ Comitum erga Ordinem munificeotia. 240. IV.

Sacerdotem, credit beatus Ægidius non poſſe mentiri. 185. IX.

B. Salomca cujus generis, & Inſtituti. 284. IV. ægrotat, & diem mortis prædicit. ibid. obit in Domino. ibid. cœcam illuminat, aliaque patrat miracula. 285. VI.

Saocius Rex Caſtellæ Cœnobium Majoricenſe ampliat. 66. XXIV.

Sanguinis miraculoſi Chriſti Domini Pignus Mautuæ depoſitum. 68. XXVII.

Santandarenſis Conventus. 326. XXXVIII.

S. Saviuæ corpus Mediolani requieſcit. 44. XLV.

Scalabitanum Monaſterium. 117. XIX. 166. XII.

Scalabitanus Conventus. 286. IX.

Scotia olim dicebatur etiam Hibernia. 136. XVI.

Sebaſtianus Portugalliæ Rex reliquia ſancti Antonii Patavini ditatus. 217. XII.

Secuſienſis Conventus. 240. V.

Seſſligenſe Monaſterium. 99. XXVI.

Segrianus Mioorita miraculis glorioſus. 116. XV.

Senſus Laicus pietate inſignis. 318. XXIII. ejus pœnitentia, aliæque virtutes. ibid. quatuor humilitatis gradus recenſet. 318. XXIV. & caritatis opera explicat ſingulari exemplo. 319. XXV.

S. Sepulcri Conventus. 97. XXI.

Sezanii Conventus. 160. LXI.

Simeoo Albæ Pompejæ Epiſcopus Apoſtolicus Delegatus. 201. IV.

Silvani, & Sigonii mendum corrigitur. 401. XVII.

S. Silveſter Auximenſis beati Franciſci Fabrianenſis inſtructor. 276. IV.

Simon de Alveruia ad Palæologum Pontificius Nuucius. 270. II. ei directæ epiſtolæ. 210. III.

Simon Camporcalis. 320. XXVI.

Simon Guidonis Comes Eccleſiam Pupii ædificat. 177. XIX.

Simoo de Monteforti moritur. 413. XXXVI

Simou Neella Vicesgerens ſancti Ludovici in Regimine. 307. IV.

Simon Paltinerius Cardinalis Minoritas Fabriaoenſes inviſit. 120. xx.
Simon de Torciano. 320. xxvi.
Sirmii Civitas illoſtris. 199. xliv.
Sixtus IV. Poutifex jubet feſtum ſancti Bonaveoturæ die Domioico celebrari. 401. xvii. ejuſque miracula ioquirit. 403. xxii.
Sixtus V. Poutifex Collegium ſancti Bonaventuræ conſtruit in Urbe. 405. xxiv. & opera ejuſdem ſancti Doctoris mandat excudi. ibidem.
Soldanus Babiloniæ. V. *Bendogdar*.
Sophia filia Ducis Auſtriæ Clariſſa. 416. iv.
Soriæ Oppidum Civitas declaratur. 265. xv.
Stanislaus Cracovienſis martyr. 120. iii.
Staphuli Conventus. 288. xiii.
Stephanus Cardinalis Aſſiſii conſecrat ſacellum SS.Georgii, Coſmæ &c. 255. xxi.
Stephanus Corvus ad Chriſtum convertitur. 322. xxix. factus Minorita omnes virtutes aſſequitur. ibid. ei Dæmones moleſti. 322. xxx. & Angeli Miniſtri. 323. xxxi. adhuc vivens claret miraculis. 322. xxx. & poſt obitum. 323. xxxi.
Stephanus Hungarus Cardinalis regimen Clariſſarum dimittit. 219. xvi.
Stephanus ignotæ Patriæ Vir ſanctus. 92. ix.
Stigmata S. P. Franciſci celebrantur. 71. 2. 106. 1. illis contradicentes quibus plecteodi pœnis. 107. i.
Strabo de Bajona Guillelmum de ſancto Amore in urbe coofundit. 25. xxxi.
Stremæ Conventus. 328. ii.

T

TArraconenſis Conventus. 281. xiii.
Tartari Poloniam, Roſſiam, & Hungariam invadunt. 302. i. Zavicoſti Mioorita, atque Clariſſas occiduot 120. iii. ad Concilium Lugdunenſe ſuos mittuot Legatos. 395. vi. qui ibi baptizantur. 396. ix.
Tarviſinus Conventus. 161. lxiv.
Terdericus beatua Vir Auguſtæ ſepultus. 359. xv.
Thealdus, ſive Theobaldus Archidiaconus Leodienſis. V. *Gregorius X.*
Theobaldus Rex Navarræ dat diploma pro Conventu Sezauii. 160. lxi. pergit ad bellum ſacrum. 307. v. ioquo moritur. 309. vii.
Theodorus a Palæologo miſſus Romam Apocriſarius. 375. v.
Theologiæ encomium. 34. xxxvi.
Theophanes Metropolita Græcus Concilio Lugdunenſi intereſt.. 387. i.
Thermarum Conventus. 45. xlvii.
S. Thomas Aquinas a Pariſienſibus vexatus. 18. xxvi. in eum uoxius puoitur. 109. v.
Thomas Caotipratanus veſcitur piſcibus miraculoſe captis. 249. ix. & pane furfureo. 250. x.
Thomas le Carrior Areolam Conveotui Cadomenſi concedit. 199. xlv.
Thomas Dokingus Doctor Pariſienſis. 325. xxxv.
Thomas Eboracenſis Oxonii docet. 164. iv.
Thomas Eugubious vir mirabilis. 320. xxvi.
Thomas Fabrianenſis virtute præclarus. 284. iii.
Thomas Francus Epiſcopus Venetus. 365. xxv.
Thomas Geraldinus a Catholicis in Hibernia colitur. 339. xviii.
Thomas Gratiaous. 385. xviii.
Thomas Hiſpellas beati Andreæ diſcipulus. 234. xi. Conventum ſancti Sepulcri recipit. 97. xxi.
Thomas Hibernicus Aquilæ conditus. 302. xiv. ejus profunda humilitas. 321. xxvii.
Thomas Lentinus Dominicaous, Conſtautinopolitaous Patriarcha. 343. i.
Thomas Tolentiuas carceribus afflictus. 417. ii.
Thovarci Conventus. 424. xv.
Timideus Veroneoſis Epiſcopos. 424. xiii.
Tobias ſpiritu propbetico illuſtris. 320. xxvi.
Tornacenſis Conventus. 326. xxxviii.
Trevirenſis Archiepiſcopus a Minoritis examinatus. 198. xliii.
SS. Trinitatis Officium celebrandum. 129. xiii.
Trithemius de Parmenſi facit teſtimonium. 9. xii.
Tullenſis Conventus. 366. xxvi.
Tullius Lombardus præſtantiſſimus ſculptor. 215. ix.
De Turrecremata Cardinalis Doctrinam ſancti Bonaventuræ magno habet in prætio. 404. xxiv.
Tyburtinus Cooventus. 44. xlvi.

V

VArro Guillelmus Scoti Magiſter. 325. xxxv.
Ubaldus Piſtorienſis Cuſtodiæ Cluſioæ Præfectus. 302. xv.

Udal-

Udalricus de Friberg de Clariſſis benemeritus. 99. XXVI.
Venantius Minorita Laicus. 164. IV.
Veneti a contagio liberati. 254. XVIII. eis Pontificiæ Epiſtolæ directæ. 212. VI. eorumque concordia cum Bononienſibus Minoritis commendata. 384. XVII.
Venetiarum Conventus. 254. XVIII.
Ventura Archipresbyter Montis Politiani ædiculam Fratribus donat. 302. XV.
Ventura Spoletanus Minoribus Eccleſiam ſancti Petri largitur. 326. XXVI.
Vibrardus ad conſtruendum Franciſcanis Cœnobium inducit Ludovicum Bavarum. 426. I.
Vicedominus de Vicedominis Gregorii X. ex Sorore Nepos. 379. XI. 382. XIV. una cum Pontifice, & ſancto Bonaventura Mediolanum proficiſcitur. 379. XI. fuit Minorita, Archiepiſcopus, & Cardinalis. 382. XIV. quanti eum Cardinales fecerint. 383. XIV.
Villacenſis Conventus. 67. XXV.
Villæ-novæ Oppidum. 294. VIII.
Villegæ mendum corrigitur. 401. XVII.
Vincentius Belluacenſis vitam ſancti Ludovici Regis edit. 314. XV.
Vincentius Columbus, & Vincentius Columna peritiſſimi fuſores. 215. VIII.
Vincentius Coventrianus inter Minoritas primus in Accademia Cantabricenſi profeſſus. 57. VIII.
Ulricus Helffenſtamius Comes. 99. XXVI.
Ulyſſiponenſis Conventus. 367. XXVIII.
Urbanus IV. ad Pontificatum evectus. 569. VI. ignobili natus genere, virtute illuſtriſſimus. ibid. ſcribit Prælatis, Agneti Sorori, & aliis. V. *Epiſtola*. Quatuor Nuncios Minoritas ad Palæologum pro unione mittit. 201. I. 225. II. quos Prælatis, & Principibus commendat. 211. IV. ſeqq. ad urbem Gadis Epiſcopatum transfert. 278. VIII. vocat in Italiam Carolum Andegavenſem. 233. IX. dat diploma pro translatione Conventus Sezanii. 160. LXI. *alia privilegia conceſſa Minoribus, & Clariſſis V. in fine Annorum*. 1261. 1262. 1263. 1264. moritur. 233. IX. 237. I. ante mortem cometes in aere apparet. 234. IX. laudatur in ſuis actionibus. 233. IX. ejus ſepulcrale Epitaphium. ibid.
Urbanus VI. ex Prignanorum, & Funicellorum Familia. 290. XV. ejus nobile monumentum. ibid.
Walaſcus Minorita Epiſcopus Famaguſtæ ad regimen Eccleſiæ Ægitanienſis transfertur. 279. VIII.
Wambæ Regis Hiſpaniarum corpus ubi tumulatum. 279. VIII.
Wenceslaus III. Boemiæ Rex fundat Conventum Pliſnæ. 221. II. & Monaſterium Znoimæ. 415. IV.
Willelmus de Villarduin. V. *Guillelmus*.
Wilpurgis Monialis Monaſterium Seſſlingenſe ædificat. 99. XXVI.
Wintonienſis Conventus. 366. XXVII.
Witembergenſis Conventus. 267. XIX.

X

XEreſius Conventus. 236. XIV.

Z

ZAmoræ Incolæ erga Minores pientiſſimi. 159. LIX. in hac urbe Conventus ædificatus. 158. LIX.
Zamorenſis Joannes Ægidius vir ſapientiſſimus. 159. LIX.
Zavicoſti Conventus. 104. VII. & Monaſterium. 99. XXVII. urbs a Tartaris invaditur. 120. III.
Znoimæ Monaſterium. 415. IV.

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus quarti Tomi Regeſto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus per ordinem poſitas Bullas.

AD audientiam. *Alexandri IV.* 436. IX.
Ad audientiam. *Urbani IV.* 506. V.
Ad conſequendam. *Clementis IV.* 526. XII.
Ad liberationem. *Ejuſdem.* 540. XXIX.
Ad liberationem. *Ejuſdem.* 540. XXX.
Ad liberationem. *Ejuſdem.* 551. XXXII.
Ad liberationem. *Ejuſdem.* 541. XXXIII.
Aſſiſinatenſis Eccleſiæ. *Gregorii X.* 543. III.
Attendentes. *Urbani IV.* 517. X.
Bona meritoria. *Alexandri IV.* 458. XXXV.
Cæleſtia quærentibus. *Ejuſdem.* 475. LII.
Cariſſimi in Chriſto. *Urbani IV.* 519. XII.
Cum ad promerenda. *Alexandri IV.* 435. VIII.
Cum adverſus. *Ejuſdem.* 455. XXXII.
Cum a nobis petitur. *Ejuſdem.* 433. III.
Cum a nobis petitur. *Ejuſdem.* 466. XLVII.
Cum a nobis petitur. *Ejuſdem.* 486. LX.
Cum a nobis petitur. *Urbani IV.* 503. I.
Cum a nobis petitur. *Clementis IV.* 545. VI.
Cum cariſſimus. *Gregorii X.* 543. II.
Cum dilecti, *Alexandri IV.* 435. VII.
Cum dilecti. *Clementis IV.* 524. VII.
Cum dilecto filio. *Alexandri IV.* 445. XXI.
Cum & plantare. *Ejuſdem.* 465. XLVI.
Cum & plantare. *Ejuſdem.* 499. LXXVI.
Cum harum. *Alexandri IV.* 442. XV.
Cum nos obtentu. *Regis Neap.* 546. II.
Cum olim. *Alexandri IV.* 462. XLII.
Cum olim. *Ejuſdem.* 488. LXII.
Cum propter. *Ejuſdem.* 459. XXXVI.
Cum propter. *Ejuſdem.* 461. XXXIX.
Cum ſicut ex parte. *Ejuſdem.* 475. LI.
Cum ſicut. *Clementis IV.* 533. XIX.
Cupientes inter vos. *Urbani IV.* 515. VIII.
De pia, & ſancta. *Alexandri IV.* 502. LXXXI.
Deſideriis veſtris. *Ejuſdem.* 451. XXVI.
Devotionis augmentum. *Ejuſdem.* 498. LXXV.
Devotionis veſtræ. *Ejuſdem.* 444. XIX.
Dilecti filii. *Ejuſdem.* 462. XLI.
Dilecti filii. *Ejuſdem.* 484. LVIII.
Dilecti filii. *Ejuſdem.* 503. LXXXII.
Dilectos filios. *Clementis IV.* 526. X.
Divinæ Sapientiæ. *Urbani IV.* 505. IV.
Ea, quæ judicio. *Alexandri IV.* 468. L.
Exhibita nobis. *Ejuſdem.* 441. XIV.

Exhi-

Exhibita nobis. *Clementis IV.* 528. XV.
Exigentibus veſtræ devotionis. *Alexandri IV.* 461. XL.
Exigentibus veſtræ devotionis. *Clementis IV.* 525. IX.
Exigentibus veſtræ devotionis. *Ejuſdem.* 527. XIII.
Ex parte dilectarum. *Alexandri IV.* 460. XXXVII.
Ex parte dilectorum. *Ejuſdem.* 464. XLIV.
Ex parte dilectorum. *Clementis IV.* 529. XVI.
Ex parte dilectorum. *Ejuſdem.* 535. XXIII.
Ex parte venerabilis. *Ejuſdem.* 521. II.
Expoſita nobis. *Alexandri IV.* 487. LXI.
Ex ſerie. *Ejuſdem.* 477. LIV.
Ex tenore. *Ejuſdem.* 444. XX.
Ex tenore. *Ejuſdem.* 492. LXVIII.
Ex tenore. *Ejuſdem.* 493. LXX.
Fœlicis recordationis. *Ejuſdem.* 463. XLIII.
Iis, quæ auctoritate. *Ejuſdem.* 492. LXVI.
In diſpenſatione. *Clementis IV.* 531. XVIII.
In quibuſdam. *Ejuſdem.* 523. VI.
Intellecto, quod Monaſterium. *Alexandri IV.* 460. XXXVIII.
Inter perſonas. *Urbani IV.* 516. IX.
Juſtis petentium. *Alexandri IV.* 448. XXIV.
Juſtis petentium. *Ejuſdem.* 464. XLV.
Juſtis petentium. *Ejuſdem.* 395. LXXIII.
Juſtis petentium. *Clementis IV.* 528. XXIV.
Lecta nobis. *Alexandri IV.* 454. XXX.
Lecta nobis. *Clementis IV.* 538. XXVII.
Licet ea. *Alexandri IV.* 429. I.
Licet nos olim. *Ejuſdem.* 443. XVI.
Licet noſtris. *Clementis IV.* 535. XXII.
Loca ſanctorum. *Ejuſdem.* 525. VIII.
Locis pia religione. *Alexandri IV.* 455. XXXI.
Mente ſollicita. *Ejuſdem.* 488. LXIII.
Meretur honeſtas. *Ejuſdem.* 495. LXXII.
Meritis religionis. *Ejuſdem.* 492. LXVII.
Neceſſitatibus. *Ejuſdem.* 457. XXXIII.
Negotio, quod. *Clementis IV.* 542. XXXIV.
Nimis iniqua. *Alexandri IV.* 440. XII.
Nimis patenter. *Ejuſdem.* 502 LXXX.
Non ſine multa. *Ejuſdem.* 452. XXVII.
Obtentu divini Nominis. *Clementis IV.* 521. I.
Olim Aſſiſinatenſis. *Gregorii X.* 544. IV.
Olim felicis recordationis. *Clementis IV.* 529. XVII.
Ordinem veſtrum. *Alexandri IV.* 446. XXIII.
Ordinis veſtri. *Ejuſdem.* 438. X.
Ordinis veſtri. *Clementis IV.* 539. XXVIII.
Orta dudum. *Ejuſdem.* 533. XX.
Paci, & ſaluti. *Alexandri IV.* 485. LIX.
Per exigentiam. *Urbani IV.* 504. II.
Petitio tua. *Alexandri IV.* 434. VI.
Petitio tua. *Ejuſdem.* 454. XXIX.
Petitio veſtra. *Ejuſdem.* 497. LXXIV.
Pia vota. *Urbani IV.* 519. XI.
Pium arbitrantes. *Ejuſdem.* 520. XIII.
Preſſi gravi Orbis. *Alexandri IV.* 434. V.
Prohibente Regula. *Alexandri IV.* 444. XVIII.

Pro-

Providentia laudabilis. *Clementis IV.* 537. XXVI.
Proviſionis noſtræ. *Alexandri IV.* 489. LXIV.
Quanto ſtudioſius. *Ejuſdem*. 458. XXXIV.
Quanto ſtudioſius. *Clementis IV.* 526. XI.
Quia meritorium. *Alexandri IV.* 495. LXXI.
Quia perſonas. *Ejuſdem*. 501. LXXIX.
Quia plerumque. *Clementis IV.* 537. XXXV.
Quidam temere. *Ejuſdem*. 523. V.
Quo vos in Chriſto. *Ejuſdem*. 534. XXI.
Rapoten. Eccleſia. *Ejuſdem*. 522. III.
Receptis veſtris litteris. *Urbani IV.* 506. VI.
Religionis augmentum. *Ejuſdem*. 507. VII.
Religionis favor. *Alexandri IV.* 493. LXIX.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 431. II.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 450. XXV.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 476. LIII.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 482. LVI.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 489. LXV.
Religioſam vitam. *Ejuſdem*. 500. LXXVIII.
Sacræ Religionis. *Alexandri IV.* 433. IV.
Sanctorum meritis. *Ejuſdem*. 467. XLVIII.
Sanctorum meritis. *Ejuſdem*. 467. XLIX.
Significavit nobis. *Urbani IV.* 504. III.
Significavit nobis. *Clementis IV.* 536. XXIV.
Sincera, quam ad vos. *Alexandri IV.* 441. XIII.
Speciali gratia. *Ejuſdem*. 499. LXXVII.
Spiritu beatæ. *Clementis IV.* 522. IV.
Sua nobis. *Gregorii X.* 545. V.
Sub certa forma. *Alexandri IV.* 484. LVII.
Tenore præſentium. *Caroli Regis Neap.* 546. I.
Veſtram, & Ordinum veſtrorum. *Alexandri IV.* 445. XXII.
Virtute conſpicuos. *Ejuſdem*. 477. LV.
Vitæ perennis. *Ejuſdem*. 443. XVII.
Volumus & præſentium. *Gregorii X.* 542. I.
Ut illibata. *Alexandri IV.* 439. XI.
Ut commiſſum. *Ejuſdem*. 454. XXVIII.

FINIS TOMI QUARTI.

Menda, quæ in hujus quarti Tomi editionem irrepſerunt, benigne Lector ita corriges.

Pag. 61.	§. XII.	lin. 21.	doctorum	dictorum
70.	§. I.	25.	MDCCXXIII.	MCCXXIII.
172.	§. VIII.	1.	Patrigatolini	Petrigatolini
181.	§. I.	12.	ab Urbanum	ad Urbanum
207.	§. II.	22.	proter	propter
235.	§. XII.	21.	familia Dei	famula Dei
259.	§. IV.	9.	tu	tum
281.	§. XI.	11.	requieſcit	requievit
323.	§. XIII.	1.	juvencuculus	juvenculus.
338.	§. XVII.	15.	Patritribus	Patribus
359.	§. XVI.	ult.	Innocentio Papa II.	Papa IV.
424.	§. XVI.	14.	Niortii	Hiortii

A01 1471228

Digitized by Google

Digitized by Google